4° P. Lat.
132

<36628076620013

<36628076620013

33 Bayer. Staatsbibliothek 5

BAYERISCHE
STAATS-
BIBLIOTHEK
MUENCHEN

AD

BEATISSIMVM PATREM TVTELAREM, SACRAMQVE OMNEM RELIGIONEM ILLIVS,

Epistola procœmialis.

COMMENTARIA in Sacram vestram & planè Apostolicam Regulam (REGVLÆ CONDITOR BEATISSIME, REGVLATISSIMAQVE RELIGIO) non ideo excudenda curaui, aut construenda, quasi me parem tanto muneri credidissem; aut ipsam Regulam noua aliqua expositione indigam iudicassem; quippe quam eruditissimi pariter atque sapientissimi viri, vtique Smaragdus Abbas, Trithemius, & alij Benedictini, & Cardinalis Turrecremata Dominicanus locupletissimis Scholiis illustrarunt. Sed quia, cùm Abbatem, aut etiam Generalem agerem, fratribus meis illam in priuatis Capitulis, iuxta Tridentini decreta, de more explicarem, & animi mei sensus pro captu & virili exprimerem; increbuit primò rumor, & post rumorem ardor videndi, & in vtilitatem publicam euulgandi annotatiunculas meas; sic vt omnium paterent vsui, ac profectui. Quare inualescentibus votis, vocibúsque multorum, tandem in generali Capitulo obedientia me pressit dicere in lumine quæ in tenebris dixeram, & prædicare super tecta quæ priuatim in aures instillaueram. Vnde (BEATISSIME PATER, SACRAQVE BENEDICTINORVM RELIGIO) si obediens victorias loquitur, vt Scriptura testatur, obediens victorias loquor: vtique illas, quas in acie conflictus vestri, vestris me ipsum armis superaui, & morigerum reddidi. Ideo fauete auspiciis, subuenite: & valete.

BIBLIOTHECA
REGIA
MATRITENSIS

Ad Illustrissimum Dominum

D. FRANCISCVM DE CONTRERAS,

SVMMI SENATVS APVD

HISPANOS PRÆSIDEM,

Fr. Antonius Perez S.

EXPOSITIONEM monasticæ Regulæ, quæ despectum seculi, cæli autem suadet occursum, tibi (ILLVSTRISSIME DOMINE) quoniam vtriusque moniti exemplar, & exemplum es, iure defero, & offero. Ex clara siquidem stirpe, atque generosa cùm sis: & ingenùitatis propterea, & studiositatis eximiæ stemmata pro tempore gesseris; olim literaria Collegij, nunc militaria Iacobi, & per multa annorum curricula regalis Consiliarij regalem togam: ab ipso tamen Senatu, & consessu regio, qui primas inter omnes est, libens volénsque abscessisti: & intra domus tuæ latebras, cum Illustrissima, paritérque excelsæ virtutis & venerationis vxore tua, Domina Doña Maria Gasca de la Vega, priuatam (sed in subsidium pauperum, & maximè infirmorum) exemplariter vitam egisti. Et (quod caput est) oblatam à supremo Rege Philippo IV. supremi sui, potentioríque Regni Castellæ præfecturam supremam, humiliter

sanè,

ſanè, & modeſtè, altè tamen & inclytè recuſaſti. Quis (rogo) deſpectus ſeculi ſublimior, aut maior?

Quia tamen Imperatoria vox eſt, inuitos ad Rempublicam admouendos, & illos, quos cani honeſtant, decorántque mores, animúſque pulchrior ornat, literæque commendant, ad regimen præripiendos: ideo te Angelicus impulit, atque compulit Rex, ſuis ne amplius conatibus, ſtudiiſque obſiſteres: ſed præfecturæ oblatæ collum, capútque ſubiugares, & omnino ſubmitteres; vt tandem obediens ſubiugaſti. Sic tamen, vt cunctis pateret, non tam beneficium te accepiſſe, quàm dediſſe: quia te non propria vtilitas, ſed publica & aliena neceſſitas: non læta & proſpera præfecturæ, ſed aſpera & dura eius ad illam æquo animo capeſſendam, gerendámque excitarunt. Vtique vt ſic te laborante iuſtitia & clementia vigerent, bonis & optimis bona atque optima præmia dares, improbis verò pœnas meritas irrogares; & cuncti proinde ſanctè atque innoxiè viuerent.

Hoc autem quid aliud eſt (peto) quàm temetipſum & alios, cælos vſque prouehere, & ad videndum Deum Deorum in Sion de virtute in virtutem ire? Exemplar igitur vtriuſque moniti (quod ſacra hæc noſtra adhortatur Regula) es: & proinde dignus, qui illam tibi voueam, vt eius exemplari viuo. Viuas (ILLVSTRISSIME DOMINE) vt in terris feliciter regas, & in cælis feliciſſimè regnes. Amen.

Cenſura

Censura pro Regio Senatu Hispaniæ, à sapientissimo Patre Magistro Fr. NICOLAO BRAVO *Cisterciensi, Abbate meritissimo Monasterij Sanctæ Annæ de Madrid.*

REVERENDISSIMI Patris Magistri Fr. ANTONII PEREZ, ad sanctissimi nostri, omniúmq; Monachorum Patriarchæ BENEDICTI Regulam Commentariis, suprema Regij Senatus auctoritate, nostro permissis calculo, eum nonnisi candidum candidè adiicere (prout libenter, gratantérque præstamus) suadent, egregij in primis viri aliàs summa cum laude, in geminata cathedræ, suggestíque palæstra, studiorum opima tro-phæa; sed & quæ nunc præ manibus sunt, glorioſæ lucubratarum noctium manubiæ; vbi rerum selectarum ingens & exuberans co-pia; sacrarum, humaniorúmque literarum eruditio mira; in eruen-dis legitimis legislatoris sensibus stilus acer, in stabiliendis Cœno-bitarum moribus eximia pietas, frequens cùm pondere, tum ve-nustate sententia, elegans & facunda dictio, opus denique Chri-stiana religioſaque fide tessellatum; toti Ecclesiæ, cui exornandæ omnis semper Monastici populi desudat industria, honorificum; maximè verò perfectioni Religiosi status promouendæ proficuum, Plurimis itaque nominibus, quòd typis simul, & immortalitate do-netur, nostrum iudicium esto. Madriti, in nostro Cisterciensi D. Bernardi Cœnobio, Octobris die 28. anno 1623.

Magister Fr. NICOLAVS BRAVO,
Abbas Sanctæ Annæ.

Pro Commentariis ad Sanctam Regulam, Censura Religionis.

Ex decreto Reuerendißimi Patris Generalis.

VIdimus ad sanctissimi Patriarchæ BENEDICTI Regulam Reuerendissimi ANTONII Patris Commentaria, inuenimus spiritu, & nomine Antonium, in quo verè Deus duplicauit annonam, dum panem vitæ, & intellectus non de dimidio integrat, sed integrum sine fractione frangit, quem paruuli (imò & magni) hucvsque petierant, nec erat qui frangeret eis. Miramur Gregorium illum Magnum, qui laborauit Sanctus pro Sancto, dum BENEDICTI sanctissimi sui parentis scripsit vitam, non laborasse Doctorem pro Doctore magistri sui præcepta denodantem. Miror hæc Commentaria præteriisse Leandrum, Ildefonsum, Bedam, Anselmum, Cassiodorum, Rabanum, & tot Doctorum turmas, qui sub Sancta Regula militantes nihil quod facerent ex ea prætetierunt; cur non quod docerent, cùm magni vocati sint in regno cælorum? Sed vt hi omnes, imò & exteri Patres, quin & œcumenica Concilia, & sacri canones ad Regulam istam videantur aspexisse, non immeritò ad Antonium nostrum sese ipsos suspicor reseruasse, vt sub vna apparerent mente, & sub vno pectore clausi. Commentaria hæc nouissima exquisierunt omnium antiquorum sapientiam, & inuenerunt, & inuentam tradunt. Typis tradantur pro Dei gloria, pro BENEDICTI doctrina, pro communi bono, pro peculiari Congregationis nostræ decore. Sic censuimus, apud Sanctum Martinum, Idibus Augusti, anno 1623.

Fr. FRANCISCVS DE VEGA.

Magister Fr. ALPHONSVS DE LEON.

MAGI

MAgiſter Fr. ALVARVS DE SOTOMAYOR, Congregationis Sancti BENEDICTI, in Hiſpania & Anglia Generalis, &c. concedo facultatem, vt ſemel à ſuprèmo Senatu copia obtenta mandetur typis liber inſcriptus, *Regula Beatiſſimi Patris noſtri* BENEDICTI, *cum Commentariis Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Fr.* ANTONII PEREZ, *olim noſtræ Benedictinæ familiæ Generalis*, ab eodem Reuerendiſſimo Patre Magiſtro elaboratus de mandato Capituli noſtri generalis, & examinatus, & approbatus ſeueriori iudicio virorum grauiorum Congregationis noſtræ. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & noſtri officij ſigillo munitas dedimus, Madriti apud Sanctum Martinum, 4. Kalend. Decembr. anno 1623.

Magiſter Fr. ALVARVS
DE SOTOMAYOR,
Generalis.

De mandato Reuerendiſſimi Generalis,
Fr. IOANNES DE SALAZAR,
Secretarius Congregationis.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in sacra Theologia Magister, in Sancti Pauli huiusce Ciuitatis Canonicus, & in hac Lugdunensi diœcesi à D. DIONYSIO SIMONE DE MARQVEMONT, Illustrissimo & Reuerendissimo Archiepiscopo in librorum censuram incumbere iussi, fidem facimus, nos hæc Commentaria *in Regulam Sanctissimi Patris* BENEDICTI, *Authore R.P. Magistro Fr.* ANTONIO PEREZ, *Monacho Benedictino*, vidisse, omniaque in eis sacræ, Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ dogmatibus conformia non modò comperisse, sed & omnibus veræ pietatis, sanæque doctrinæ studiosis vtilissima. Lugduni apud Sanctum Paulum, 19. Calend. Februarij, 1625.

C. DEVILLE.

Summa Priuilegij Regis Catholici.

PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis auctoritate cautum est, ne quis intra proximos decem annos in Regnis suis excudat Commentaria in Regulam Sanctissimi Patris BENEDICTI, composita à Reuerendo Patre Magistro Fr. ANTONIO PEREZ, præter illum, cui Auctor ipse concesserit, vt latiùs patet in originali diplomate. Datum Madriti 23. Decembris, 1623.

Signatum, EGO REX.

Et de mandato Regis, PETRVS DE CONTRERAS.

PERMISSVM est insuper eidem Auctori dictum librum extra Regnorum Hispaniæ limites imprimendum curare, & in illa introducere, virtute licentiæ Regis Catholici, datæ in Pardo 24. Ianuarij, 1624.

Signatum vt suprà.

R.P. Magister Fr. ANTONIVS PEREZ cessit ius suum supradicti Priuilegij, & licentiæ LVDOVICO PROST heredi ROVILLE, Ciui & Bibliopolæ Lugdunensi. Madriti, anno 1624.

COMMEN

COMMENTARIA IN SANCTAM BEATISSIMI P. BENEDICTI Regulam.

De Titulo & inscriptione Regulæ.

1. EXPOSITVRVS hîc Deo dãte iam magni Patris Benedicti Regulam, ab eius inscriptione auspicari necessum est: vt sic à capite ad calcem omnia percurram. Inscriptio autem talis est; *Regula Beatissimi Patris Benedicti, Monachorum omnium Patriarchæ.* Prima vox honorifica est, vtique *Regula*. Nomen enim Regulæ honestum pariter & præclarum habetur, vtpote rei præceptiuæ ac directiuæ nostri, siue in ea quæ artis, siue in ea quæ mentis, siue in ea quæ moris & honestatis sunt. Omnes siquidem artes & scientiæ, omnesque disciplinæ suas sibi regulas vendicant: quoniam, vt Aristoteles dixit; Regula est qua rectum & obliquum cognoscimus, verum & falsum, bonum & malum discernimus. Hîc autem Regula tantùm sonat illam quæ moralis est, moribus præscribens leges, normamque humanis actibus tribuens. De quarum genere sacri Canones ex Isidoro dicunt: Regula dicta est ab eo quod rectè ducit, neque aliquid aliorsum trahit, siue (vt alij dicunt) eo quod regit, & viuendi normã præscribit, & quod prauum distortumque est corrigit.

Aristot. 1. de anima. tex. 25.

Distinct. 3. c. Regula. Isidor. 6. Etym, c. 16.

2. Ob id D. Thomas dixit, regulam humanorum actuum non esse qualemcumque mentis rationem, sed rectam. Et iure quidem, quoniam aliàs quomodo rectè duceret, & rectè viuendi & operandi formam modúmque signaret? Recta autem ratio planè quid diuinum est, vtpote à rãtione diuina, dicẽte D. Thom.

D. Tho. 2. d. 24. q. 3. a. 3. ad 3.

D. Tho. 1. 2. q. 19. a. 4.

Quod ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex qua eius bonitas mensuretur, habet ex lege æterna, quæ est ratio diuina. Vnde psalmo 4. dicitur: Multi dicunt, quis ostendet nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Quasi diceret; lumen rationis quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, id est, à vultu tuo deriuatum.

3. Sanè Gregorius magnus adeò extulit Regulam istam, vt planè definierit eam, *discretione præcipuam, sermone luculentam.* Et in libro de conflictu vitiorum & virtutum, qui manuscriptus habetur in Bibliotheca S. Benedicti de Mantua, citatúrque à Ioanne Bertelesio Abbate Luxemburgensi, à Cardinali Turrecremata, & ab aliis, tanquam legitimus Gregorij magni fœtus, de quo Possevinus in sua Bibliotheca; in hoc igitur libro sic ait idem Gregorius. Tu ergo iuxta Regulam Patrum viuere stude: maximè autem Confessoris Sancti Benedicti, nec declines ab ea quoquam, nec illi addas quidquam, nec minuas. Totum quod sufficit habet, & nũquam minus habet. Cuius verba atque imperia sectatores suos perducunt ad cœli palatia. Quibus sanè non solùm præstantia huius sanctæ Regulæ arguitur, sed redarguitur etiam nouitius ille quorúdam ausus negantium Gregorio magno magnum Benedictinum monachatum. Si enim Gregorius ipse Monachus reapse fuit, vt nec diffitentur illi, qualẽ monachatum (rogo) subiisse credendum est, nisi illum, quem ipse præstantiorem duxit, præ omnibus magnificauit, & maximè subeundum asseruit, quinimò & persuasit, eo quod professores suos potenter ad cœlos vsque transmittit? Imò non solùm potenter, sed (vt rei euentus probauit) nimiùm affluenter, vt patet in confluxu Sanctorum penè innumerabili, quem Benedictinus cucullus in Dei gloriam intulit. Hac de causa (vt ad institutum redeamus) D. Bernardus inquit, quod doctrina eius instruit nos, & dirigit gressus nostros in viam pacis; & D. Pater testatur, quod facientibus suæ Regulæ monita, æterna regna patebunt.

Greg. 2. dial. cap. 36.

Ioan. Bertel. dialogo 8. in Regulã Sancti Benedicti. Turrecrem. prafatione in Regulam. Possevinus verb. Gregorius magnus.

Bern. Serm. de S. Benedicto.

4. Et ne aliquis obiiciat quod inducimus domesticos testes, & proinde minus idoneos, licet aliàs sanctissimos, & omni exceptione maiores, audiat externum Dominicanæ familiæ doctissimum pariter sanctissimúmque patronum, vtique D. Antoninum de Florentia dicentem. Regula Sancti Basilij satis intricata est; Regula Augustini multum generalis, & ad particularia parum descendens: Regula Sancti Francisci breuis, & ob multitudinem præceptorũ multis plena scrupulis. Sed Regula sanctissimi Patris Benedicti singula quæque clarè describit. Cùm igitur nõ obstantibus illis, omnes aliæ Regulæ admodum conducibiles sint ad introitum regni, vt per se notum est: quid de ista nostra dicemus? Omnis id sensus diiudicet.

Anton. 2. p. chronici tit. 15.

5. Nec mirum si D. Pater, qui

reli

relictis literarum studiis sanctæ conuersationis habitum quæsiuit, secessumque deserti incoluit (prout Gregorius habet) inde tam probè doctus euaserit, vt condiderit monasticam Regulam præstantiorem omnibus aliis, etiam illis quæ à Basilio magno, & ab Augustino sunt. Non inquam mirabile: quoniam (vt idem Gregorius habet) ratio propter quam D. Pater literarũ studia reliquit, quinimò & despexit, ea prorsus fuit, quod in eis multos videret per abrupta vitiorum ire; itaque virtutis amore & formidine culpæ terga illis dedit. Cuius gratia subdidit. Recessit igitur scienter nescius, & sapienter indoctus, vtpote quod initium sapientię est timor Domini, & recedere à malo intelligentia, prout sacræ nobis testantur literæ. Si igitur qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen Christi, accipiet cẽtuplum, iuxta verbum Domini: cur non etiam qui ob eumdem finem studia literarum spreuit, centuplum reportabit? Certè si quoniam puer mundum cùm flore despexit Benedictus ipse, (prout habet Gregorius) id est, quia mundi speciẽ aspectumque declinauit in ætate tenera, postea in ætate robusta sub vno Solis radio vniuersum collectum vidit, (prout idem ibidem Gregorius narrat) consequens fit, vt qui literarum studia ob Dei studium deseruit, hoc est, soli Deo placere desiderans, non solùm benedictus prodeat, sed etiam benedoctus. Maximè cùm scientia Sanctorum à praxi sanctitatis dependeat, adeò vt precaretur Dauid: *Deduc me Domine in via tua, vt ingrediar in veritate tua.* Ob quam rem Glossa explicans illud psalm. *A mandatis tuis intellexi*, ait apud D. Thomam. Non dico me intellexisse mandata ipsa, sed à mandatis intellexisse, quia ea faciendo, venit iste ad altitudinem sapientiæ. Vnde Ecclesiasticus; *Concupiscens sapientiam serua mandata: eam ipse præbet Deus.* Et Augustinus. Sapientiam Deus docet, & eam intelligere facit abstractos ab vbere, auulsos ab vberibus. Ideo denique Gregorius inter B. Patris miracula eius doctrinam computauit inquiens. Inter tot miracula quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit.

Greg. prœm. in 2. dialog.
Greg. vbi suprà.
Prou. 3. 7.
Matth. 19.
Greg. vbi suprà.
Idem 2. dial. cap. 36.
Psal. 83. 11.
Psal. 118. 104.
D. Th. opusc. 17. cap. 2.
Eccli. 1. 33.
Aug. lib. 22. contra Faustum cap. 53.
Greg. 2. dial. cap. 37.

6.

Secunda vox est *Beatissimi*, eximium mehercle referens & importans encomium. Eximium inquam, nam si magnum, & adeò magnum Deiparæ fuit, nuncupari beatam, iuxta illud elogium eiusdem; *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Hoc est, quia Deus propitiis ac beneficentiæ oculis humilem conditionem meam, & abiectionem aspexit; & ita aspexit, vt ingentium munerum me ipsam largitione donauerit, ideo beata prædicor. Igitur si adeò magnum est vel ipsi Deiparæ Virgini, nuncupari beatam, quid Benedicto Patri, beatissimũ dici? Rursum si beati nomen vel ipso Deo dignum & honestum

Luc. 1. 44.

1. ad Timot. 1.11. Ibi. 6.12. Beda Serm. de S Matth. Anton. p. 2. tit. 15. Zachar. in Bull. Confr. Reg. & Oratione in trãsitu eiusdem S. Benedicti Patris.

est, vtpote qui eo insignitur à Paulo dicente, *Euangelium beati Dei.* Et, *ostendet beatus & solus Deus.* Quid beatissimi cognomen humillimo Dei seruo, vtiq; Benedicto Patri? Eximium igitur est encomium hoc; & tamen vt germanum aptatur illi tam hîc, quàm apud Bedam, Antoninum, & Zachariam Pontificem.

7. Et iure quidem, quoniam si ly *beatus* Theologicè accipiatur, idem omnino est ac videns Deũ, & fruens illo: quia beatitudo nostra in clara Dei visione sita est. Vnde Christus ipse: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum.* Vnde Augustinus. Æterna vita est ipsa cognitio veri, quę est perfectorum præmium. Qui etiam alibi ait. Illud beatissimos facit quod scriptum est: Tunc cognoscam sicut & cognitus sum. Si igitur qui videt Deum beatus est, atque beatissimus dicitur: consequens est quod epitheton beatissimi singulariter Benedicto adscribatur: quippe qui singulariter vidit Deum; hoc est, non solùm in æterna vita, verùm in ista mortali, prout testatum reliquerunt nobis testes irrefragabilis fidei, Gregorius magnus, Bernardus, Bonauentura, & Rupertus, aliique Theologi auctoritate præcipui. Vnde benedicti meritò filij Israël dici possunt, vtpote filij videntis Deum. Ly enim *Israël* interpretatur videns Deum. Præterquàm quod cùm multos filios in gloriam adduxerit, consequens est, vt præter essentialem suam multiplici accidentali beatitudine gaudeat.

D. Th. 1.2. q. 3 ab art. 3. vsque 8. Ioan. 17. 3. August. 1. de moribus Eccles. c. 25.

2. de libero arbit. c. 14.

Greg 2 dial. cap. 32. Bern. ad id; Audiã quid loquatur in me Dominus Deus. Bonau. Ser. de laud. Ecclesiæ. Rupertus super Matth. 4.

Multum autem beatus beatissimus est, vt multum doctus doctissimus, & multum diues ditissimus.

Deinde si ly *beatus* Grammaticè tantùm vsurpetur, pro eo quod est fœlix, fortunatus, & cui bene est; consequens fit Benedictum Patrem beatissimum dici debere, vt in quem tot fœlicitatis genera confluxerunt, quæ illum fœliciſſimum efformarunt. Nam si à natalibus auspicemur, liberiori genere (ait Gregorius) fuit ortus: vtique ex stirpe Annicia inter Romanas potissimas optima. Vnde D. Pater potuit vt Paulus dicere; *Si quis alius videtur confidere posse in carne, ego magis.* Si eius indolem obseruemus, ab ipso pueritiæ suæ tempore cor gessit senile, atque ætatem moribus transiit, eo quod mores non pueri, cùm adhuc ætate esset puer, sed viri perfecti & cordati habuit.

8.

Greg. 2. dial. c. 1.

ad Philip. 3.

Greg. ibid.

Si frugalitatem inspiciamus, nulli animum (ait Gregorius) voluptati dedit, vtique voluptatibus mundi. Has enim adeò exosas habuit, vt cùm eis liberè vti potuisset, (ait Gregorius) iam quasi aridum mundum cum flore despexerit. Si circumspectionem & solertiam: Romæ liberalibus literarum studiis (subiicit Gregorius) traditus à parentibus, pedem retraxit, ex quo vidit in eis multos per abrupta vitiorum ire, ne siquid de scientia mundi attingeret, ipse quoque postmodũ in immane præcipitium iret. Si religionis affectum: despectis literarum studiis (addit ipse Gregorius) relicta

9.

Idem ibid.

Idem ibid.

Idem ibid.

cta domo, rebusque patris, (& quidem amplissimis, & locupletissimis, vtpote planè regiis, Comitatus scilicet Nursiensis, prout ferunt, & Marchionatus Pontferrati) soli Deo placere desiderans, sanctæ cõuersationis habitum à Romano Monacho à Deo dati instituti & obedientiæ acquisiuit. Si monasticæ vitæ & à turbis sequestratæ ardorem: deserti loci secessum petiit (ait vbi suprà Gregorius) cui Sublacus vocabulum est, ad quem vir Dei perueniens, in arctissima specu se condidit, & ibi tribus annis, excepto Romano Monacho, omnibus hominibus incognitus mansit.

Greg. vbi suprà cap. 2.

10. Si humilitatis spiritum inuestigamus, plus appetiit mala mundi perpeti quàm laudes, atque pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauoribus extolli, prout Gregorius testatur. Si despectum & contemptum sui: eum inter fruteta quidam pastores dum cernerent, feralibus indutum pellibus, bestiam esse existimarunt (vt Gregorius ipse recenset.) Si seueritatem & acerbitatem in seipsum, carnis tentatione perculsus, nudum se in spinarum aculeis, & vrticarum incendiis proiecit, ibique diu volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exiit, & per cutis vulnera eduxit vulnera mentis, quia voluptatem traxit in dolorem, & vicit peccatum, quia mutauit incendium.

Idem ibid.

Idem ibid.

Idem ibid.

11. Si bonam sui apud alios existimationem attendimus: cùm sanctus vir diu in cadẽ solitudine virtutibus signisq; succresceret, multi ad eũ religionis causa confluebant, etiam ipsi Romanæ vrbis nobiliores, iuxta eundem Gregorium vbi suprà. Si miraculorum potestatem atque virtutem: tanta apud eum viguit, vt non tantùm oratione impetraret quæ ipse vellet, verùm solo volũtatis nutu stupenda quæque (vt ex Gregorio habemus) patraret. Vnde solo intuitu ligatum fortiter, lorisque constrictum rusticum quemdam repentè omnino dissoluit, iuxta eundem Gregorium, & dæmonem diuexantẽ crudeliter quemdam abreptitium senem, vnius alapæ inflictione protinus exclusit, iuxta Gregorium ipsum. Si eleemosynæ largitatem: vir Dei (ait Gregorius) cuncta decreuit in terra tribuere, vt in cœlo seruaret. Et ideo alimentorum inopia dum grauiter vexaretur Campania, cuncta Monasterij sui in pauperes & egenos distribuit: adeò vt parum olei quod in vitreo vase ad fratrum refectionem remanserat, petenti dari iusserit; & quia protinus elargitum non est, vas ipsum per fenestram proiici super asperrima saxa præcepit, vt tandem proiectum est, iuxta quod idem Gregorius refert.

Idem ibid. c. 32.

Idem ibid. c. 22.

Idem vbi suprà cap. 31.

Idem ibid. c. 29.

Idem ibid. c. 29.

12. Si sermonum illius efficaciã: vix (ait idem Gregorius) communis eius loquutio à virtutis erat pondere vacua. Quia cuius cor sese in alta suspenderat, nequaquam de ore illius verba in cassum cadebant. Si mentis perspicuitatem & intelligẽtiæ gratiam: etiam animi penetrabat secreta; adeò vt Gregorius dicat. Liquidò omnibus patuit, quod venerabilem Benedictum latere

Idem ibid. c. 23.

Idem ibid. c. 20.

Greg. 2. Dialog. cap. 4.

nihil posset, in cuius aurem etiam cogitationis verba insonuissent. Si charitatem fraternam: cùm quidam discipulorum eius alacer & gratulabundus renunciasset illi morte periisse clericum, qui Diuo Patri, eiusque religioni infensissimum hostem se ostendebat: tunc vir Dei audiens (ait Gregorius) in grauibus se lamentationibus dedit, vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exultauit. Qua de re factum est, vt eidem quoque discipulo pœnitentiam indiceret, quod audiens talia gaudere de inimici interitu præsumpsisset.

Idem ibi. c. 8.

13. Si prophetiæ donum spectemus: adeò mirus in hac parte proditur vbi suprà à Gregorio, vt legens 12. 14. 15. 17. 18. 19. & 20. capita eiusdem libri, necessariò obstupeat. Si reuerentiam qua illum vel ipsi Principes religionis hostes prosequebantur: ipse Rex Totila (ait Gregorius) ad Dei hominem accedens, cùm longè sedentem illum cerneret, accedere nõ est ausus, sed sese in terrã dedit. Cui cùm vir Dei bis terve diceret, Surge: ipse tamen è terra erigere se non audebat, vsque dum prostratũ eum humique iacentem Benedictus ipse è terra leuauit. Si verba, exhortationes, & conciones illius, & studium in proximorum salutem; non minima multitudo hominum (ait Gregorius) ad Dei fidem ab Idolorum cultu beati Benedicti fuit prædicatione conuersa: & pro exhortandis animabus fratres suos mittere Benedictus Dei famulus curabat. Si vitam: si quis subtiliter (ait Gregorius) velit mores vitamque huius Sancti cognoscere, eius contempletur Regulam: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere quàm vixit.

Idem ibid. c. 15.

Greg. ibid. c. 19.

Idem c. 37.

Idem c. 37.

14. Si nouissima eius attendimus: eodem anno (inquit Gregorius) quo de hac vita erat exiturus, quibusdam discipulis secum cõuersantibus, quibusdam longè manentibus sanctissimi sui obitus denunciauit diem. Si obitum, ante sextum sui exitus diem (ait Gregorius) aperiri sibi sepulturam iubet, qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cumque per dies singulos languor ingraueſceret, sexto die portari se in oratorium à discipulis fecit, ibique exitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit: atque inter discipulorum manus imbecilla membra sustentans, erectis in cœlum manibus stetit, & vltimum spiritum inter verba orationis efflauit. Si demum apparatum & pompam, quibus egressa à corpore eius anima excepta est, & cœlos vsque deducta: eodem sui obitus die duo ex eius discipulis, longè inter se distantes (ait Gregorius) viderunt stratam palliis atque innumeris coruscam lampadibus viam, recto orientis tramite à Benedicti cella cœlos vsque tendentem; & venerando habitu virum desuper clarum adstantem, & dicentem illis; hæc est via qua dilectus Domino Benedictus ascendit. Si igitur beatus dicitur qui fœlix, & cui bene est: consequens fit, beatissimum debere dici eum

Idem ibid.

Idem ibid. c. 38.

qui

qui fœlicissimus est,& cui optima sunt, vt Benedicto fuisse recensita satis demonstrant, & Gregorius demonstrauit, dum de illo dixit;Omnium iustorum spiritu plenus fuit. *Idem ibi.c.9.*

15. Neque obest quod de beata Virgine obiectum est ; vtpote quod nó tantùm beata,sed etiam beatissima describitur: in eius quippe solemnitatibus Ecclesia canit;Beatissimæ Virginis Marię conceptionem,natiuitatem, &c. celebremus. Quod longè antè prænũciatum inuenimus, siquidem scriptum est: *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt.* Etenim vt aliquando nuncupatur Sancta, interdumque Sanctissima,sic promiscuè inuocatur beata, beatissimáque. Ipsa autem modestiæ causa se beatam prædicari dixit, non autem beatissimam : fortè autem quia tunc audierat Elisabeth dicentem ; *Beata quæ credidisti.* Neque iterum obest quod de Deo arguitur. Cùm idem quidquid Deus est infinitum sit, in idem recidit prædicari beatum, atque beatissimum, sicut in idem vergit prædicari ens,& infinitum ens. Vnde ipse de se dixit ; *Ego sum qui sum:* in creaturis autem non ita.Non enim qui beatus est, illicò beatissimus dicitur, nisi aliàs eximiis decoretur dotibus. Iure igitur D. Pater dicitur beatissimus:maximè cùm vbique sanctissimus appelletur. *Cant.6.8.* *Luca 1.* *Exod.3.*

16. Tertia vox est ly *Patris*, quæ honoris & venerationis inclytæ insigne est.Legimus enim; *Si ego Pater, vbi honor meus* ? Vnde quoniam honor in viuentibus tantùm & cognoscentibus inuenitur, ideo etiam in viuentibus tantùm & cognoscentibus inuenitur paternitas, prout notauit D.Thomas.Estque honorificum excelsumque adeò nomen patris, vt dicat idē Doctor Angelicus, quod paternitas per prius dicitur de Deo quàm de creaturis. Et antea dixerat quod ly *paternitas* est analogum Deo & creaturis. Vnde Diuus Paulus: *Flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi,ex quo omnis paternitas in cœlis & in terris nominatur.* Quem locum explicans D. Thomas, sic disputat. Quæritur vtrùm in cœlis,id est, in Angelis sit aliqua paternitas? Ad hoc dico quod paternitas est tantùm in viuentibus & cognoscentibus:est autem duplex vita, vna secundum actum, alia secundum potentiam. Vita quidem secundum potentiam est habere opera vitæ in potentia, vnde dormiens quantum ad actus exteriores dicitur viuere in potentia. Viuere autem secundum actum est, quando exercet quis opera vitæ in actu. Sic autem non solùm qui dat potentiam vitæ, pater est eius cui dat, sed qui dat actum vitæ, ille etiã pater dici potest. Quicumque ergo inducit aliquem ad aliquem actum vitæ, puta ad bene operandum, intelligendum, volendum, amandum,pater eius dici potest:vt 1. Corint. 4. Nam si decem millia pædagogorũ habeatis in Christo, sed non multos patres : in Christo enim Iesu per Euangelium ego vos genui. Cùm ergo inter Angelos vnus alterum illuminet, perficiat & purget, & *Malach. 1.6.* *D. Tho. sup. ad Ephes.3. lect.4.* *Idem 1.p.q. 33.ar.1.ad 4. 2.p.q.31.ar. 3.ad 3.* *Ephes.3.* *D.Th.sup.ad Ephes.3.*

isti

isti sint actus hierarchici, manifestum est quod vnus Angelus est pater alterius, sicut magister est pater discipuli. hæc D.Th.

17. Ex his planè colligitur, quod vt homo homini magister est, illuminando eum, perficiendo & purgando, & in practicis atque in politicis instruendo, sic & pater est: verbo enim doctrinæ formet eum. Inde Gen. 12. dicitur de Abraham. *Tulit animas quas fecerat in Haram*, hoc est, (vt Chaldaicus Paraphrastes legit) *Tulit animas quas legi subiecerat in Haram.* Vt enim Hebræi habent, ab idololatria & infidelitate traduxit plurimos ad cultum veri Dei; & ita eorum animas quasi procreauit ac fecit. Vnde Dauid: *Cor mundum crea in me Deus*, vtique repurgando ipsum à noxiis, & salutaribus instruendo. Cùm igitur D.Pater tot viros ac fœminas magni momenti ac nominis legi cœnobiali subiecerit, & in schola seruitij Dei mirum in modum illustrarit, arceque virtutum munierit, meritò Patris cõdecoratur nomine; appellatur siquidem Benedictus Monachorum Pater & dux. Vnde Greg. inquit. Cœperunt multi mundum relinquere, atque ad eius Monasterium festinare. Liber quippe à tentationis vitio, iam iure factus est virtutum magister.

Gen. 12. 15.

Psal. 50.

Greg. 2. dial. cap. 1.

18. Quarta vox est *Benedicti*, & quidem dulcissima: quoniam, vt Bernardus ait, Benedicti nomen dulcissimum est, vtpote à benedictione deductum, dicente Domino ad Abraham, benedicam te, & eris benedictus. Vnde vel ipsi Deo, cui omnia eius opera benedicunt, nomen benedicti aptatur, cùm apud Marcum dicitur: *Tu es Christus filius Dei benedicti?* Et adeò glorioſum illi, genuinumque hoc nomẽ est, vt cùm nihil responderet Christus ad ea quæ falsi testes obiiciebant ei, sed omnino tacens persisteret; interrogatus tamen: *Tu es Christus filius Dei benedicti?* respondit planè, *Ego sum.* Interrogationis etenim dignitas pessulum (vt ita dicam) labiorum eius aperuit, & ferreum silentium rupit. Adeò enim benedicti nomen obseruauit, & reuerentia coluit, vtpote Dei nomen. Vnde eo ipso quod D.Pater Benedictus dicitur, & benedicti nomen illi vt proprium aptatur, adeò multum effertur, vt quod Christo inclamatum est, vtique, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, ille ipse sit; fuit enim re & nomine Benedictus.

Gen. 12. 6.

Ber. Serm. de S. Benedicto.

Marci 14. 61.

Marci 14. 60.

Psal. 117. & Matth. 21.

19. Nec mirum Dei nomine tantum Patrem decorari: quoniam (vt Dionysius habet) Præceptores Monachorum diuinis appellationibus sunt prosequendi. Vnde Nazianzenus diuini Antonij nomẽ indidit: magno Antonio. Præceptor igitur Monachorum diuino debuit appellari nomine, vtique Benedictus. Et quidem non humanitus tantum, sed etiam diuinitus tantum illi nomen inditum est: siquidem (vt Gregorius habet) fuit vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus & nomine. Quasi diceret: magnum huius viri nomen, vtique Benedictus; at valde illi congruum, vtpote qui Dei gratia benedictus erat; & ideo non tantùm

Dionys. de Eccl. hierar. cap. 6.

Nazianz. Orat in Sanctum Athanasium.

Greg. procem. in 2. lib. dialogorum.

tantùm verbaliter, sed realiter benedictus.

20. Inde quos nos hodie Sanctos dicimus, olim prisci Patres benedictos vocabant, vt Tertulliani Interpretes adnotarunt, explicantes verbum illud, *sub Episcopatu Eleutherij benedicti.* Et hoc ideo quia scriptum est; *Memoria iusti in benedictione est.* A benedictione autem benedictus oritur. Vnde benedicti elogio ornabant quosque Deo fruẽtes viros: Deo inquam fruentes, quia post obitum illos tali honestabant nomine. Vnde datur intelligi, quod non sine cœlesti auspicio inditum Diuo Patri est à pueritia nomen, quod aliis quantumcumque sanctis, non nisi post obitum concedebatur.

Tertul. de præscriptionibus c. 30.

21. Auspicium autem hoc quale esse potuit, rogo, nisi illud quod benedictiones diuinæ crebrò satis inferunt, vtique vltra copiam & exuberantiam bonorum, multam sobolem & virtutem prolificam? Vt patet in illis Geneſis: *Benedixit eis dicens, crescite & multiplicamini, & replete terram:* & in illis psal. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vberitate.* Quare cùm tanta fuerit Benedictinæ religionis vbertas in multiplicatione Sanctorum & bonorum, meritò inauguratam arguimus in sui conditoris nomine Benedicto.

Gen. 1. 22. & 28.

Psal. 64. 12.

22. Aliud auspicium est etiam illud quod Benedicti nomen importat, videlicet perennitatem atque permanentiam, vt patet in illis Geneſis: *Benedicam te, & eris benedictus.* Quod explicãs Chrysostomus inquit. Magnum promissionis pondus, benedicam te, & eris benedictus. Ne putes tautologiam esse, & idem bis dici, cùm dicitur, benedicam te, & eris benedictus. Tanta enim (inquit) te benedictione dignabor, vt illa in omne sæculum sit duratura. Quasi diceret; idem sonat benedicam te, & eris benedictus, atque benedictione mea æternum perennabis, & inconcussus stabis. Illud enim actum, hoc habitum perennitatis & durationis significat, vtpote benedictionis effectus. Vnde Dauid; *Illic mandauit Dominus benedictionem & vitam vsque in sæculum.* Benedicẽdo igitur Abrahamum Deus, fecit illum benedictum, hoc est, stabilem firmumque in muneribus suis & donis. Et hoc ideo quoniam Abraham factus à Deo erat pater multarum gentium, hoc est, fidelium: qui tamdiu permansuri sunt, quamdiu Dei Ecclesia duraverit, quæ tamen numquam cõcidet. Et ideo Baptista dixit; *Ex lapidibus istis potest Deus filios Abrahæ facere.* Ex lapidibus vtique, quibus perennitas & perpetuitas natiua est.

Psal. 132. 4.

Matth. 3.

23. Cùm igitur Benedictinus ordo adeò diuturnus sit, coniicitur permanentiam istam ipso sui Patris nomine Benedicto inumbratam esse. Vt etiam inumbratam coniicio in eo quod numquam D. Pater superatus fuerit, sed semper victor euaserit, tam contra Dæmonem, quem rupi ligauit, quàm contra mundum, quem cum flore despexit; atque etiam contra carnẽ, quam acerrimè laceravit, iuxta quæ lato calamo Gregorius scribit, & sunt nominis Benedicti effectus. Vt

Gen. 12. 6. *Chrysostom. hom.* 31. *in Gen.*

Greg. 2. *dial. per totum.*

igitur ad explicandam rationem stabilitatis terræ dicitur in psalmo; *Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur:* sic vt explicaretur Benedictinæ religionis perennitas, Parenti eius inditum est inflexibilitatis nomen & res. Quapropter quod Martialis olim cecinit procerissimæ arbori, dicens.

Martial. lib. 9. Epigram. 102.

O dilecta Deis, ô magni Cæsaris arbor,
Ne metuas ferrum, sacrilegosq; focos.
Perpetuos sperare licet tibi frondis honores,
Non Pompeiana te posuere manus.

Cuius sensus est, quia non à Pompeio, qui aliquando alternante victoria, victus à Cæsare fuit, plantata es, sed ab inuicto Cæsare, perpetuos iure potes diuturnitatis & fœlicitatis honores sperare. Hoc igitur Benedictino ordini intonare possumus, vtpote insito ab illo, qui nusquam superatus fuit, & insuperabilis nomen obtinuit, vtique Benedicti.

24. Nec noua aut insolita est ex nominibus diuina gratia inditis bonorum inauguratio: siquidem (vt Sixtus Senensis habet) prophetico quodam spiritu, & occulta quadam dispensatione Dei, à veteribus Patribus ab ipsa statim natiuitate filiis eorum talia nomina imposita sunt, vt ex illorum appellatione futuri eorum euentus, antequam euenirent, quoquo modo prænotarentur. Sic prima omnium fœminarum Heua, hoc est, omnium viuentium mater, eo quod talis futura esset, vocata est. Sic Abraham, quod futurus erat auctor numerosi seminis, Abraham, hoc est, pater multarum gentium, appellatus est. Sic minor Rebeccę filius occulto quodam mysterio Iacob, hoc est, supplãtator, dictus est, vt in nomine decepti ab eo fratris supplantatio notaretur. Sic duo filij Dauidis à futuris eorum successibus, inspirãte Deo, diuersi ominis nomina sortiti sunt. Hic Salomon, id est, pacificus, propter futurã sub eius regno pacem, vocatus est: ille Absalon, patris scilicet amaritudo, infœlici augurio nuncupatus est, vt nomẽ doloris amaritudinem portenderet, quam rebellis patri filius fuerat illaturus. Et ne longiùs vager, sic in nouo Testamento Simon fœliciſſimo omine Petri nomen, & filij Zebedæi Boanerges cognomen à Christo acceperunt; vt in illo prima ædificãdæ Ecclesiæ petra, in istis futurę prædicationis eminentia monstraretur. Hactenus Sixtus. Ad horum igitur similitudinem D. Parenti nostro inditum nomen Benedicti à natiuitate est, in augurium & fœliciſſimum omen vbertatis & fœlicitatis religionis suæ.

Sixtus lib. 8. c. 66. sup. hæres. 10. in Responsione. num. 1.

Gen. 27. 36.

25. Quod si obiiciamus non adeò præcelsum videri nomen hoc, cùm saltem apud Hispanos vili Inquisitionis palliolo adaptetur. Pallidus siquidem ille infaustúsque amictus, quo hæreticæ prauitatis Censores amiciũt, & inuũt eos qui turpiter in fide prolapsi sunt, vulgò *Sanbenito* dicitur, quo etiam nomine Hispãni omnes Diuum Parentem nostrũ appellant. Sed priscum peruulgatum

gatumque est, vnum & idem nomen, vel cognomen diuersis & longè disparibus rebus attribui. Etenim, authore Isidoro, ly *Barones* significat idem quod fortes in laboribus, aliàs viros strenuos & validos. Vnde Cicero ad Atticum. Apud patronum, & reliquos barones te in maxima gratia posui. Hos nos appellamus barones, Latinè autem viros. Et tamen cùm strenuo & pugnaci viro contrarius sit segnis & imbellis, apud eumdem Ciceronem etiam barones appellantur qui nullius roboris sunt, præliarisq; virtutis. Ait enim Epicuros appellandos barones, eo quod in controuersiam voceut, an cœlũ vnum, vel plura sint. Et 2. de finibus dicit. Semper tibi in more sunt honesta, recta & digna: hoc cùm loqueris, nos barones stupemus. Quasi diceret, nos pusilli, nulli, & ignaui miramur.

Isidor. 9. Etym. c. 4.

Cicero. lib. 5. ad Atticum.

Cicero lib. 9. Epist vltim. & lib. 2. de finibus.

26. Rursum ly *Belitre* apud Italos dedecoris & ignobilitatis nomen est, vt cõstat: honoris etiam atque ingenuitatis; siquidem est potissimum Imperialis domus cognomen Augusti Cæsaris. Ait enim Suetonius; Gentem Octauiam belitris præcipuam olim fuisse multa declarant. Alia his similia alibi atq; alibi retuli, quibus planè perspicitur quasi gẽtilitium esse inclyta & vilia, ingenua & ignominia plena, optima & improba eodẽ prorsus nomine nuncupari, aliter tamẽ & aliter. Quoniam honorificũ nomẽ seriò rebus præcellẽtibus datur: vilibus autẽ ironicè & irrisoriè omnino, & quasi in contrarium sensum. Vti palliolum illud quo indigetantur omnes deficientes à fide, dicitur Latino idiomate Sanctus Benedictus; vnde traxit nomen Hispanicum *Sanbenito:* quia nullo modo benedictus, sed potiùs irrisione plenus & maledictione. Non ergo nomini D. Patris detrahitur: sed potiùs multum adiicitur per hoc quod Inquisitionis amictui contumelioso communicetur. Excelsum igitur est Benedicti nomen, & tanto Patre dignum, atque proprium maximè, ita vt honorificentissimè audiat; *Secundum nomen tuũ, ita & laus tua.*

Sueton. in August. in principio.

27. Vltima tandem vox, eadémque gloriæ plena trimẽbris est, vtique, *Monachorum omnium Patriarchæ.* Gloriæ, inquam, plena, quoniam si Monachum fieri adeò præclarum est, vt dicat Dionysius Magnus. Initiandorum omnium excellentior & sublimior est Monachorum ordo. Et hoc quidem, quoniam (vt Nazianzenus habet) cùm plura existant, & maxima quæ non facilè recẽseri possunt, qualia sunt, & quàm magna quæ ex Deo habemus & habebimus: maximum est, quod ad ipsum inclinamur & domestici eius sumus. & rursum. Homines à mundi consortio distracti, ac solitudinem amplectentes, Deo magis viuunt quàm cæteri homines qui versantur in corpore. Et Sanctus Ephrem. Vita Monachorum Angelis similis: eorúmque institutũ diuino ministerio plenum est. Continet enim vitam quæ in præsenti Deo inseruit, & antè hanc fœnori dat, vt pro vsura vitam æternam accipiat. Vnde subiicit. Mutuò dat terrena, & recipit cœlestia.

Dionys. de Eccles. hier. cap. 6.

Nazianz. Orat. in Sanctum Athanasium.

Ephrem de perfectione Monachi.

Idem ibid.

Matth.19. Quod est illud Christi: *Quicumque reliquerit domum, vel patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aternam possidebit.* Ob quam rem Nazian-

Nazianz. Orat. ad Basilium. zenus. Sapiẽtiores habeudi sunt quàm reliqui mortalium vulgus, qui seipsos à mundi cõgregatione segregãt, ac vitam suam Deo consecrant, Nazaræos nostros dico.

28. Si igitur glorioſum adeò & diuinum est Monachum fieri, & esse verè Monachum: quid esse Monachorũm principem, patrẽ prẽcipuum & summum? Id enim ly *Patriarcha* sonat. Patriarcha enim idem quod Primas est, & Patrum princeps: nam ἀρχὸς Græcè, princeps Latinè sonat.

Isidor. lib. 7. Etymol. c. 12. Vnde Isidorus relatus d. 21. cap. Cleros. Patriarcha Græca lingua summus Patrum interpretatur. Et Anacletus Papa relatus d. 92. cap. Prouinciæ, ait. Patriarchę & Primates vnam formam tenent, licet diuersa sint nomina.

29. Quod autem D. Pater princeps Monachorum sit, aliàs Patriarcha, patebit ex eo quod prima Monachorum Regula, quæ Romanæ Sedis authenticam & publicam approbationem vidit, & primus religionis status quem summi approbarũt Pontifices, Diui Benedicti fuit. Primus enim Pontifex qui Monachorum Regulam confirmauit, non fuit Alexander tertius, qui Carthusianorum sacrum approbauit ordinẽ: vt nescio qua insolita illi incõsiderationis obreptione existimauit oculatissimus Gabriel Vazquez; sed Zacharias Pontifex & Gregorius magnus, qui Benedictinam Regulam multis retrò sæculis, & quidem elogiis notatu dignissimis confirmarunt, vt ad calcem huius Commentarij Deo dante videbimus.

Vazquez t. 2. d. 165. cap 4. n. 35.

30. Quare cùm de essentia & ratione religionis & religiosi status non minus sit approbatio Ecclesiæ, quàm trium votorum emissio, vt ex Nauarro, Siluestro, Armilla, & Glossa in Clementina, *Cùm ex eo*, & Abbate, & ex Gabriele Vazquez probant Thomas Sanchez in Summa, & alij: ostendúntque ex eo quod qui sub alterius Principis aut Reipublicæ potestate est, non potest nisi de licentia illius sui alteri iurisdictionem præbere, quantumuis illam voto aut iuramento firmet, & confirmare conrendat. Vnde cùm fideles omnes sub potestate & ditione vniuersalis Ecclesiæ, & eius vniuersalis Antistitis & Pastoris in spiritualibus sint, conuincitur quod nõ nisi de cõsensu illorum alicui hominum absolutam ditionem, vel iurisdictionem sui possint committere, & proinde neque verè & propriè sibi Prælatum creare. Sine Prælato autem propriæ religionis status nõ consistit. Cùm igitur de ratione religiosi status sit approbatio Pontificis: consequens est Benedictum Patrem Primatem & Patriarcham Monachorum esse: cuius institutum primò Ecclesię approbationem obtinuit.

Nauar. Cõm. 1. de regul. c. 18. coroll. 23. Silues. & Armilla verb. Religio. Glossa verb. 3. de sententia excõmunicationis. Abbas Rub. de regular. Vazquez vbi supra, n. 38. Sanchez lib. 5. c. 1. n. 19. & 20.

31. Quod si obiiciamus, olim religionum fundatores, v. g. Antonium, Basilium, Pachomium, Augustinũ, imò & Benedictum Patrem, & alios, siue Benedicto anti

antiquiores, siue recentiores, nihil de approbatione Pontificum, sed tantùm de Episcoporũ confirmatione curasse: & proinde religionis primatum nõ ex primatu Pontificiæ approbationis descendisse; sicuti neque veræ religionis statũ. Si igitur id obiiciamus, solutio in promptu erit, videlicet, religiones illas non omnino caruisse approbatione Ecclesiastica, quandoquidem (vt argumentum obiicit, & res ita est) dioceſana gaudebant, id est, Episcopali; quæ diuina prorsus & à Christo est, & proinde Apostolica. Episcopi enim spiritualem à Christo iurisdictionẽ habent. Et quamuis vniuersalis Ecclesia illas formaliter non approbauit, vtpote quod circa illas rescriptum nullum dedit, sed neque viuæ vocis oraculo aliquam approbationem emisit, permissiue tamen & quasi virtualiter cõfirmauit: siquidem non sine scientia & patientia summorũ Pontificum intra cœtum Christianorum vigebant, & non sine ingenti gaudio & illorum exultatione de vberrimis illarum fructibus in Ecclesia radiabãt. Quia tamen quamdiu certa & iuridica Pontificis authoritas non accessit, liberum Pontifici erat illas omnes religiones consternere, & illarum vota rescindere, quãtumuis Episcoporum authoritate suffulta: vtpote quod Episcoporum spiritualis iurisdictio, tametsi à Christo suscepta, subiecta tamen semper fuit & est supremæ iurisdictioni Pontificis, prout expedire videatur. Põtificum enim est vniuersalis Ecclesiæ bono prospicere & prouidere, particularium verò Episcoporum non nisi bono & vtili prouinciarum suarum. Quare ad solos Pontifices iam omnino deductum est ius approbandi religiones; vt patet in capite finali de regularibus domibus; & in capite vnico eodem titulo, in sexto: vt sic religiosus status vbique apud omnes ratus, stabilis & œcumenicus sit. Cùm igitur prima Regula, primáque monachalis religio, quæ beneficio isto & approbatione vniuersalis Ecclesiæ potita est, Benedictina sit: consequens omnino est, illius authorem Benedictum verè Patriarcham, hoc est, Primatem vniuersalis Ecclesiæ esse & fuisse: siquidem Patriarcha sonat idem quod Primas, Princeps, ac primus Patrum, summúsque, vt vidimus.

32. Sed quomodo Monachorum omnium Pater, nedum Patriarcha & Primas Benedictus erit, qui non tantùm Mendicantium religiones non condidit, aut monachales omnes, v.g Carthusiẽsium, sed neque illas quæ sub eius Regula sunt, vtique Camaldulensem, Cistercienſem, Oliuetanam, Siluestrinam, & similes? Certo siquidem certius est quod istas Benedictus Pater non instituit, sed filij filiorum eius illas erexerunt: vtique Camaldulensem Sanctus Romualdus Monachus Monasterij Classensis prope Rauennam: Cistercienſem Sancti Robertus & Stephanus Monachi Monasterij Molismẽsis: Cœlestinorum Petrus Cœlestinus, & sic de reliquis. Vnde ergo D. Pater habebit quod Princeps Patriarchaque sit Mona-

chorum omnium?

33. Huic nodo nos illam in primis possemus solutionem adhibere, quam simillimæ difficultati adhibuit Augustinus. Quærens enim quomodo dictum sit (vtique secundum lectionẽ Septuaginta Interpretũ) de Nembrod, *Hic cœpit esse Gigas super terram*, cùm Scriptura Gigantes antè natos memoret. Respondet, quia post diluuium fuit primus Gigas. Vtique tam mole corporis, quàm robore & audacia: fuit enim author & inuentor turris Babel. Sic obiicientibus nobis quomodo Benedictus Pater dicatur Patriarcha & Princeps Monachorum omnium, cùm præcesserint illum plurimi Monachorũ institutores & patres, v.g. Antonius, Pachomius, Basilius, Augustinus, & siqui sunt alij. Respondere possumus fuisse primum in Ecclesia Latina vniuersali & œcumenica, postquam in Ecclesia Græca viror ille monasticæ disciplinæ deferbuit, & refriguit. Vnde Antoninus ait. Sicut potentia Imperij à Græcis ad Latinos translata est, sic perfectio vitæ regularis Anachoretarum & Cœnobitarũ quæ olim viguit in Oriente, translata est in Occidentem. Vnde sicut Basilius dicitur Pater Monachorũ in Oriente, ita Beatissimus Benedictus in Occidente. hæc Antoninus.

Aug. tom. 4. lib. 1. qq. in Genes.

Antonin. 2. p. chron. tit. 15.

34. Cæterùm licet hæc vera sint, quia tamen minimè adæquant vniuersalis Patriarchatus amplitudinem, quam sonãt inscriptionis verba, sed tantùm particularis, vtique Occidentalium Monachorum: ideo aliter obiectioni occurrendum est; nimirum quod D. Pater licet verè non condiderit aliam religionem & ordinem, præter illam quæ verè & propriè Benedictina est, & Benedictina dicitur, & quæ nullum alium præter Benedictum ipsum agnoscit authorẽ aut nomen, etiamsi plures recolat congregatores, propter diuersitatem congregationum; quoniam congregationum diuersitas tantùm arguit diuersitatem prouinciarum, non verò institutionum aut institutorum: quales tamen habent sacræ religiones illæ posteriores, quas (vt argumentum probat) non Benedictus ipse, sed filij filiorum eius condiderunt. Et ideo transuersalem tantùm, non verò rectam lineam tenent in stirpe Benedictina: quantumuis gemmatum illi ornamẽtum sint, sydereúmque decus, vt planè ac re ipsa sunt.

35. Igitur licet Benedictus Pater non aliam præter vnam, eamdemque religionem Benedictinam instituerit Monachorum: omnium tamen Monachorum simpliciter & absolutè dicendus est Pater. Tum propter irrefragabilem Zachariæ Papæ authoritatem dicentis in Bulla confirmationis huius Sanctæ Regulæ infrà subiicienda, quod Deus ipse Beatissimum Benedictum Patrem omnium constituit Monachorum. Tum propter euidentem rationem: quoniam prẽterquàm quod ipsomet iure quo ostendimus Benedictũ esse Monachorum Patriarcham, conuincere omnino datur esse Patriarcham & Patrem Monachorum omnium: vtpote cuius Regula

gula primò ab vniuersali Ecclesia recepta & confirmata est; & prima institutio monastica sub auctoritate publica. Quam auctoritatẽ postea religiones quæcumque æmulatæ sunt, ita vt iam omnes non diocesanæ tantùm, sed œcumenicæ sint, hoc est, vniuersales intra vniuersalem Ecclesiam. Igitur præter hoc extat Gregorij magni rescriptum (mox ad litteram transcribendum) quo tanquam Romanę Ecclesiæ Præsul pręcipiendo cõstituit, vt quicumque ad conuersionis gratiam accessuri essent, vsque ad finem mundi Regulam Beatissimi Benedicti obseruarẽt. Ecce Pontificio elogio Benedictum Patrem effectum Monachorum omnium Principem, Primatem & summum. Quod etiam oraculum efficax omnino est argumẽtum ad hoc: & etiam ad conuincendum eiusdem Gregorij magni monachatum Benedictinum. Siquidẽ credibile non est, quod si alium Sanctus ipsę Doctor vouisset, hunc solũ spreto illo approbasset, & à cunctis amplexandũ duxisset, imò (quod grauius est) amplecti iussisset.

Est igitur Benedictus Pater
36. Monachorum omnium Patriarcha: maximè tamen illorum qui gratia & nomine Benedictini sunt, & solùm Benedictini. Mox tamen illorũ qui gratia saltem, etsi non nomine Benedictum referunt, vt Siluestrini, Cœlestini, & similes. Cùm enim sub Benedictini Regula à filiis filiorum eius erecti, & cucullati sint, necessum est Benedicto Patre gloriari, & ex hac parte Benedictinos esse: etiamsi non Benedicti Patris, sed Romualdi tantùm, Robertive, aut Bernardi, similiumque sanctissimorum Patrum cognitione ac deuotione allecti, Camaldulensem, vel Cisterciensem habitum, similesve suscipiant: quia tandem omnes ab vna radice prosiliũt; & vnum primatem præceptorem agnoscunt, vnam religionem profitentur, eumdemque finem prospiciunt. Quocirca omnes realiter Benedictini sunt, & Benedictinam radicem rationemque participant, licet non æquè: vtpote quæ primò in filios à primo parente editos, deinde in filios filiorum eius influit. Sed age videamus iam toties præmissas confirmationes Regulæ, quas summi ediderunt Pontifices: vt digniùs alacriúsque ad Regulæ expositionem Commentariaque accedamus.

LITERÆ

LITERÆ BEATI GREGORII

Papæ de approbatione Regulæ Sancti Benedicti, quæ habentur originaliter in Monasterio Sublacensi antiquissimo & venerabilissimo.

EGO Gregorius S. Romanæ Ecclesiæ Præsul scripsi vitam Beati Benedicti, & legi Regulam, quam ipse Sanctus manu propria scripsit, laudaui eam, & confirmaui in sancta Synodo: & per diuersas partes Italiæ, & vbicumque Latinæ literæ legerentur, præcepi vt diligentissimè obseruarent, quicumque ad conuersationis gratiam accessuri essent vsque ad finem mundi. Et confirmo duodecim Monasteria, quæ ipse Sanctus construxit.

BVLLA ZACHARIÆ PAPÆ

Gregorij magni successoris pro confirmatione Regulæ sanctissimi Benedicti.

ZACHARIAS *Episcopus Seruus Seruorum Dei, omnibus Christi sanguine redemptis Salutem & Apostolicam benedictionem. Omnipotenti Deo, cuius melior est misericordia super vitas, gratias agimus, quod glorioſus in Sanctis suis, atque mirabilis est; & virtutes ac dona ineffabili largitate dispergit. Ipse quippe Beatissimum Benedictum Patrem omnium constituit Monachorum. Ipse illius meritis Cassinense Monasterium in solo Tertulli Patricij fundatum omnibus per totum orbem Cœnobiis clementi benignitate præfecit: vbi ipse Sanctus Monachorum Regulam scripsit, quam sanctæ memoriæ prædecessor noster Gregorius in libro Dialogorum satis approbat, & laudat, & nos approbamus & laudamus, & sanctam constituimus, & ordinamus in dedicatione eiusdem Ecclesiæ, dum ibidem cum tredecim Archiepiscopis, & sexaginta & octo Episcopis adessemus. Constituentes etiam, vt qui contra hoc venire attentauerint, anathematis vinculo innodentur.* Hæc Zacharias.

Plura subiicit sanctissimus Pontifex; sed hæc nobis sufficiunt, vt si Deus vota secundet, de ipsa expositione Regulæ momenti aliquid voueamus: nam de contextu literæ mira vbique terrarum cœlorúmque eius sunt cultores experti, diuina gratia semper adiuti, quam ego hic supplex imploro, vt Deo gratum opus percurram.

PROLOGVS

PROLOGVS REGVLÆ.

§. I. TEXTVS.

AVSCVLTA ô fili præcepta magiſtri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij patris libenter excipe,& efficaciter comple; vt ad eum per obedientiæ laborem redeas,à quo per inobedientiæ deſidiam receſſeras. Ad te ergo nunc meus ſermo dirigitur,quiſquis abrenuncians propriis voluntatibus, Domino Chriſto vero Regi militaturus,obedientiæ fortiſſima atque præclara arma aſſumis.In primis vt quidquid agendum inchoas boni,ab eo perfici inſtantiſſima oratione depoſcas,vt qui nos dignatus eſt iam in filiorum numero computare, non debeat aliquando de malis actibus noſtris contriſtari. Ita enim ei omni tempore de bonis ſuis in nobis parendum eſt,vt non ſolùm vt iratus pater ſuos non aliquando filios exhæredet; ſed nec vt metuendus Dominus irritatus malis noſtris, vt nequiſſimos ſeruos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum noluerint ſequi ad gloriam.

COMMENTARIVS.

1. APROLOGO legifer noſter ſuam auſpicatur legem; quia licet nihil frigidius, nihil ineptius videatur Senecæ, quàm lex cum prologo,id tamen accipiendum venit,non quidem de prologo,qui eſt dicendorum, vel etiam dicentis ſcopus, & qui à D.Tho. diffinitur *lumen mentis*, vtpote breui oratione complectẽs quæ profuſa poſtea enodanda ſunt; talis autem hic prologus eſt: ſed de prologo,qui tamquam argumentum præmittitur, vt præcepti honeſtatem,vel etiam neceſſitatem conuincat; & omnino coarguat. Sanè cùm lex non diſputet, ſed iubeat, (vt habet etiã Seneca) & ſit velut diuinitus emiſſa vox, non quidem ad diſcendum,(verba ſunt Senecæ)ſed ad parendum, non amat, ſed amandat in proloquiis argutias, quæ intellectum perſtringant, ſed quæ liberè voluntatem inflectant. Ab his autem omnino deuiat authoris noſtri prologus,vt legenti patebit.

Seneca epiſt. 69

D.Tho.in 3. d.23.q.2.ar. 2.ad 4.

Seneca vbi ſuprà.

Idem ibid.

1.

Auſculta ô fili præcepta magiſtri. Hæc ſunt initia prologi deſumpta ſanè ab illis Prouerbiorum verbis; *Fili mi auſculta ſermones meos*,auſculta,inquit,id eſt,

Prou.4.20.

attenter audi. Etenim, vt D. Tho. (explicans illud Esaiæ, *audite audientes*) obseruauit, auditus deseruit disciplinæ, quod ante illum docuerat Arist. monens illa tantùm animalia disciplinabilia inueniri, quæ auditu sunt prædita; & iterum auditum conferre multum ad prudentiam, & longè magis necessarium esse ad intellectum & mẽtem, quàm visum: quia sermo audibilis est. Inde Scriptura sacra nostras potissimùm aures excitat pro disciplina fidei: vti cùm pater æternus Apostolos monuit inquiens in transfiguratione filij; *Ipsum audite*, & Dauid; *Audi filia & vide*, & Esaias fidei prædicationem vocauit auditum, dicens; *Domine quis credidit auditui nostro?* & tandem Paulus scripsit, *fides ex auditu*. Huius gratia discipuli vocantur audientes, siue auditores: eo quod auditu instruuntur præ omnibus aliis sensibus. Is autem ad disciplinam adeò promptus atque aptus est, vt per illum etiam hebetes & ferales institui valeant, dicente Horatio,

Esaiæ 6. 9.

Arist. 1. Metaph. c. 1.

Idem de sensu & sensibili cap. 1.

Matth. 17. 5.
Psal. 44. 11.

Esaiæ 51. 1.

Rom. 10. 17.

Horat. lib. 1. epist. 1.

Nemo adeò ferus est qui non mitescere possit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Deo item ipso asserente; *Israël si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum: ego enim sum Dominus Deus tuus.* Vbi apprimè notandum est, ly, *si audieris me.*

5. Notandum deinceps quod non dicitur in verbis prologi, *audi ô fili*, sed, *ausculta ô fili*, eo quod ly *ausculta* aliquid amplius importat quàm ly *audi*: vtpote intento animo quæ proponuntur captare, & mente percipere; adeò vt propter hoc significet idem quod obseruare & prospicere, iuxta illud Nonij; Ludos hinc auscultaui procul: & idem quod meditati & alta mente perpẽdere, siquidem propter hoc meditationes & obseruationes physicę, medicę, Theologicæ, & similes, quæ in scholis & ad scholas tradũtur, auscultationes vocantur. Quare in idem recidit, *ausculta ô fili*, ac si dictum esset illud psal. *Audi fili, & vide.* Significat etiam idem quod obedire, dicente Marco Varrone; Ab audiendo etiam auscultare declinamus, quod hi auscultare dicuntur qui auditis parent: item & Plauto, *Qui mihi auscultabunt, facient obsequelam.* & tandem Cicerone; Mihi ausculta, vide ne tibi desis. Inde in Apostolorum Actis, *cui auscultabant omnes*, id est, obediebant. Quare postly *ausculta*, subiicitur ly *præcepta*, dum dicitur; *Ausculta ô fili præcepta magistri*, vtpote quod præceptis obediendum est, & per omnia parendum.

Psal. 44. 12.

Varro lib. 5. ling. Lat.

Plaut. Asin.

Cicero pro Rostris.

Præcepta magistri. Magistri inquit, non domini. Distant enim longè præcepta magistrorum à præceptis dominorum, magistratuum, prælatorum, atque similium, quoniam hæc saltem ad tempus dispensabilia sunt, quatenus pro temporum, locorum, conditionum, personarumve qualitate dispensari contingit: at illa indispensabilia prorsus atque inuariabilia sunt; adeò vt citra notam erroris, solecismi, aut barbarismi violari nõ liceat: sunt enim rudimenta artis, elementa

4.

menta doctrinæ, & diſciplinæ leges. Quare dum hîc monemur magiſtri auſcultare præcepta, commonemur ad eorum inuariabile obſequium cultumque.

5. *Fili.* Sanè cùm magiſtri ſint velut patres diſcipulorum ſuorum, adeò vt propter hoc Doctores Eccleſiæ, qui fideles ad iuſtitiam erudiunt, & eos per Euangelium generant, Eccleſiæ patres dicantur; & Angeli ſuperiores nuncupentur inferiorum patres, quia illos de ſupernis illuminant, vt ex Dionyſio notauit D. Thom. propter id ad Epheſios, *à quo omnis paternitas in cœlis & in terris nominatur.* Cùm igitur magiſtri ſint velut patres diſcipulorum ſuorum, ideo magiſtri exhortatio hic ad filium dirigitur, cùm habetur, *Auſculta ô fili præcepta magiſtri.* Etenim vt magiſtri dicuntur diſcipulorum patres, ita diſcipuli dicuntur magiſtrorum filij; vt patet in prophetarum diſcipulis, quos propterea nominat Scriptura filios prophetarum. Vnde Iſidorus. Cuius doctrinam quiſque ſequitur, huius & filius nuncupatur.

D. Th. 1. p. q. 45. art. 5.
Epheſ. 3. 15.
Iſid. 1. Sent. cap. 16.

6. *Et inclina aurem cordis tui.* Scriptura non ſemel aures tribuit cordi. Salomon enim inquit; *Suſcipiat verbum cor tuum,* Eſaias; *loquimini ad cor Ieruſalem*, & Oſeas; *loquar ad cor eius.* Vnde hic legifer noſter; *Inclina aurem cordis tui.* Quæ loquutio cùm metaphorica ſit, metaphoricum ſenſum importat: vtique auiditatem audiendi. Aures enim cordis (vt ante me notarunt Baſilius & Clemens Alexand.) audiendi promptitudinem, diſcendi atque obediendi propenſionem ſignificant. Cùm enim ea quæ cordis ſunt, animi appetitionem referant, conſequens eſt, vt auris cordis, idem ſit quod auris amoris, ſiue auris amans audire, & anxia auditus: non ſecus atque oculus cordis, idem quod cor auidè in viſionem inhians. Sanè ſi (vt Ariſt. habet) anima in corde eſt ignita: cur non auris? & proinde ardenter appetens & deperiens audire. Vnde in Scripturis appellatur auris audiens, & auris ad audiendum; quod tamen non conuenit auribus corporis, eo quod ſæpe audire detrectant, & obturantur aliquando ne audiant, quare potiùs deſeruiunt viſui quàm auditui, & fiunt aures non ad audiendum, ſed ad videndum, hoc eſt, vt videantur, ne caput auribus mutilum & detruncatum appareat. Vnde Beda; aures audiendi, aures ſunt cordis.

Prou. 4. 4.
Eſaiæ 40. 2.
Oſeæ 1. 13.
Baſil. initio Prou.
Clem. lib. 5. Strom.
Ariſt. de iuuent. & ſenectute c. 2.
Iob. 29. 11.
Matth. 13. 49.
Beda ſup. Marc. 4.

7. Aurem igitur cordis hic noſter legiſlator afflagitat, hoc eſt, aurem beneuolam, gratam & alacrem; quoniam quæ ſic non excipiuntur, ægrè retinentur, imò rarò intelliguntur: quæ verò ſic audiuntur, mirum in modum proſunt. Vnde non legimus, *qui habet aures audiat*; ſed, *qui habet aures audiendi, audiat*, eo quod iſti tantùm cum gaudio ſuſcipiunt verbum, & fructum afferunt in patientia. Corde enim ſapientiam recondunt, pro qua ſcriptum eſt; *Si intrauerit ſapientia cor tuum; & ſcientia animæ tuæ placuerit, conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te.*

Luc. 8. 8.
Apoc. 2. 11.
Luc. 8. 13.
Prou. 4. 10.

8. *Et admonitionem pij patris libenter excipe.* Proprium epitheton patris, pietas: quia patris præsertim spiritalis est cultu Dei filios suos imbuere. Legimus quippe. *Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filiis suis, vt cognoscat generatio altera. Filij qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filiis suis, vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant.* & rursum; *Pater filiis notam faciet veritatem tuam.* Vnde de Abrahamo Deus. *Scio quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam*; & de Tobia dicitur quod ab infantia docuit filium suum timere Dominum, & abstinere ab omni peccato. Etenim cap. 4. dixit ad eum: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Dei nostri.* & rursum ad illum, & ad alios: *Audite ergo filij mei patrem vestrum. Seruite Domino in veritate, & inquirite vt faciatis illa quæ placita sunt ei, & filiis vestris mandate, vt faciant iustitias, & eleemosynas, vt sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in omni virtute sua.* Dauid etiam sic Salomonem monuit; *Confortare & esto vir fortis, & obserua custodias Domini Dei tui, vt ambules in viis eius.* Quare Polycarpus Episcopus sic ad omnes parentes: Filios erudite in omni disciplina & timore Dei.

Psal. 77. 5.
Esaiæ 38. 19.
Gen. 18. 19.
Tob. 1. 11.
Tob. 4. 6.
Tob. 14. 10.
3. Reg. 2. 2.
Polycarpus epist. ad Philippen.

9. Itaque patris est, & maximè spiritalis, cultu Dei suos filios imbuere. Vnde cùm pietas idem quod cultus Dei sit, iuxta illud Augustt. Verus veri Dei cultus pietas est; conuincitur germanum patris, & maximè spiritalis attributum pietatem esse. Pium autem patrem quæ pietatis sunt piè monentem (nam etiam castigationes illius pietas, non crudelitas sunt, vt habet Hieronymus) quis sanę mentis filius non reuerenter & amicè audiet, nedum clementer? Iure igitur hic admonentur pij patris admonitionem libenter, siue clementer (sic aliqui legunt) excipere.

Aug. tom. 2. epist. 52. & lib. 13. de Ciuit. cap. 5.
Hier. epist. ad Ripar. contra Vigilant. & habetur 23. q. 8. cap. legi.

10. *Et efficaciter comple.* Aliàs sicut fides sine operibus mortua est, sic admonitio quantumuis pia, & auditio quantumuis grata, irrita erunt. *Non enim auditores legis* (ait Paulus) *iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* & Christus; *Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Et omnis qui audit verba mea, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam supra arenam.* Opere igitur præstanda sunt opera salutaria. Ad hoc enim auscultari, & intenta aure cordis excipi iubentur. Nam quæ cordi insunt, siue bona, siue mala, facilè in opus prodeunt. Exquo enim Diabolus misit in cor Iudæ vt traderet Christum, cito id citiùs præstitit. Et cùm primùm aperuit Dominus cor Lydiæ purpurariæ intendere his quæ dicebantur à Paulo, illicò baptizata est cum omni domo

Iacob. 2. 20. & 26.
Rom. 2. 13.
Matth. 7. 24.
Iohan. 13. 4. & 27.
Act. 16. 14.

mo sua,& coëgit Paulum intrare in domum suam, ibíque manere.

11. *Vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras.* Ecce quæ nos impellunt auscultare præcepta magistri,corde excipere,& opere exequi, vtique vt contraria contrariis curemus;videlicet inobedientiæ mala per obedientiæ bona:veluti cùm Gregorius Nazianzenus dixit. Ieiunamus quia non ieiunauimus: vt quod eo non seruato perdidimus, seruato recuperemus. & Paulus ; *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam vnius hominis iusti constituuntur multi.*

Nazian. Orat. 2. in Pascha.

Rom.5.19.

12. Notanter autem dicitur, *per obedientiæ laborem.* Obedientia siquidé labore plena est; eo quod (vt noster Gregorius inquit)per obedientiam voluntas propria mactatur. Et subiungit,ideo scriptum esse ; *Melior est obedientia quàm victima*, quia per victimas aliena caro,per obedientiã propria voluntas mactatur. Qualis igitur labor erit quem victimæ non adæquant ? Quare alibi idé ipse subiecit. Fortasse laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semetipsũ. Minus quippe est abnegare quod habet, valde autem multum est abnegare quod est, vtique suæ voluntatis dominum, & libertatis vindicem. Appositè autem tantus obedientiæ labor incutitur, quia inobedientiæ desidia, vt morbus sanè pestilens; non minori agone desudatur, & vt pondus grauissimum leuiori conamine non attollitur.

Gregor. 33. mor. c.12.

1. Reg.15.12.

Idem homil. 32. in Euãg.

13. *Ad te ergo meus sermo dirigitur, quisquis abrenuncians propriis voluntatibus, Domino Christo vero Regi militaturus, obedientiæ fortissima atque præclara arma assumis.* Macte, vt non est sermo effundendus vbi non est auditor,iuxta Ecclesiastici monitum:sic nec religionis & propriæ abnegationis præcepta intimanda his qui religionis affectu non tanguntur. Esset enim agere cum irreligioso de sanctitate, cum iniusto de iustitia, cum timido de bello, cum impio de pietate, & de honestate cũ inhonesto; quæ omnia & similia deridet Spiritus sanctus. Nec iniuria: quoniã sicut vnusquisque loquitur secundum ea quibus est affectus, vt Philosophus dixit, ita vnicuique loquendum est secundum ea quibus afficitur:aliàs audiens ipse non audiet, nam audiens nõ intelliget; vt neque intellexerũt Apostoli verba quæ Christus Dominus de passione sua habuit ad illos ; non quia perspicua non essent, sed quoniam ipsi aduerso nimiùm affectu laborabant circa Magistri sui incolumitatem.

Eccli. 36.6.

Eccli. 37.12.

*Luc.*18.34.

14. Inde Augustinus cùm amatorum Dei delicias inumbrasset, dulcedinésque tetigisset, prosiliit in hæc verba. Da amantem; & sentiet quod dico: da desiderantem, da feruentem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem,& fontem æternæ patriæ suspirantem, da talem, & sciet quid dicam. Si autem frigido loquor, nescit quod loquor. Huius gratia præceptor

Aug. tract. 26. in Ioan.

8. *Et admonitionem pij patris libenter excipe.* Proprium epitheton patris, pietas: quia patris præsertim spiritalis est cultu Dei filios suos imbuere. Legimus quippe. *Quanta mandauit* Psal.77.5. *patribus nostris nota facere ea filiis suis, vt cognoscat generatio altera. Filij qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filiis suis, vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant.* & rursum; Esaiæ 38.19. *Pater filiis notam faciet veritatem tuam.* Vnde de Abrahamo Deus. Gen. 18.19. *Scio quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam*; & de Tobia dicitur quod ab infantia docuit filium suum timere Dominum, & abstinere ab omni peccato. Etenim cap. 4. dixit ad eum: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Dei nostri.* & rursum ad illum, & ad alios: *Audite ergo filij mei patrem vestrum. Seruite Domino in veritate, & inquirite vt faciatis illa quæ placita sunt ei, & filiis vestris mandate, vt faciant iustitias, & eleemosynas, vt sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in omni virtute sua.* Dauid etiam sic Salomonem monuit; *Confortare & esto vir fortis, & obserua custodias Domini Dei tui, vt ambules in viis eius.* Quare Polycarpus Episcopus sic ad omnes parentes: Filios erudite in omni disciplina & timore Dei.

Tob. 1.11. Tob. 4.6. Tob. 14.10. 3. Reg 2.2. Polycarpus epist. ad Philippen.

9. Itaque patris est, & maximè spiritalis, cultu Dei suos filios imbuere. Vnde cùm pietas idem quod cultus Dei sit, iuxta illud Augustt. Verus veri Dei cultus pietas est; conuincitur germanum patris, & maximè spiritalis attributum pietatem esse. Pium autem patrem quæ pietatis sunt piè monentem (nam etiam castigationes illius pietas, non crudelitas sunt, vt habet Hieronymus) quis sanę mentis filius non reuerenter & amicè audiet, nedum clementer? Iure igitur hic admonentur pij patris admonitionem libenter, siue clementer (sic aliqui legunt) excipere.

Aug. tom. 2. epist. 52. & lib. 13. de Ciuit. cap. 5.

Hier. epist. ad Ripar. contra Vigilant. & habetur 23. q. 8. cap. legi.

10. *Et efficaciter comple.* Aliàs sicut fides sine operibus mortua est, sic admonitio quantumuis pia, & auditio quantumuis grata, irrita erunt. *Non enim auditores legis* (ait Paulus) *iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* & Christus; *Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Et omnis qui audit verba mea, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam supra arenam.* Opere igitur præstanda sunt opera salutaria. Ad hoc enim auscultari, & intenta aure cordis excipi iubentur. Nam quæ cordi insunt, siue bona, siue mala, facilè in opus prodeunt. Ex quo enim Diabolus misit in cor Iudæ vt traderet Christum, cito id citiùs præstitit. Et cùm primùm aperuit Dominus cor Lydiæ purpurariæ intendere his quæ dicebantur à Paulo, illicò baptizata est cum omni domo

Iacob. 2. 20. & 26. *Rom. 2. 13.* *Matth. 7. 24.* *Iohan. 13. 4. & 27.* *Act. 16. 14.*

mo ſua,& coëgit Paulum intrare in domum ſuam, ibíque manere.

11. *Vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ deſidiam receſſeras.* Ecce quæ nos impellunt auſcultare præcepta magiſtri,corde excipere,& opere exequi, vtique vt contraria contrariis curemus;videlicet inobedientiæ mala per obedientiæ bona:veluti cùm Gregorius Nazianzenus dixit. Ieiunamus quia non ieiunauimus: vt quod eo non ſeruato perdidimus, ſeruato recuperemus. & Paulus ; *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per obedientiam vnius hominis iuſti conſtituuntur multi.*

Nazian. Orat. 2. in Paſcha.

Rom.5.19.

12. Notanter autem dicitur, *per obedientiæ laborem.* Obedientia ſiquidé labore plena eſt; eo quod (vt noſter Gregorius inquit)per obedientiam voluntas propria mactatur. Et ſubiungit,ideo ſcriptum eſſe ; *Melior eſt obedientia quàm victima,* quia per victimas aliena caro,per obedientiã propria voluntas mactatur. Qualis igitur labor erit quem victimæ non adæquant ? Quare alibi idé ipſe ſubiecit. Fortaſſe laboriоſum non eſt homini relinquere ſua, ſed valde laborioſum eſt relinquere ſemetipsũ. Minus quippe eſt abnegare quod habet, valde autem multum eſt abnegare quod eſt, vtique ſuæ voluntatis dominum, & libertatis vindicem. Appoſitè autem tantus obedientiæ labor incutitur,quia inobedientiæ deſidia, vt morbus ſanè peſtilens; non minori agone deſudatur, & vt pondus graуiſſimum leuiori conamine non attollitur.

Greger. 33. mor. c.12.

1.Reg.15.12.

Idem homil. 32. in Euãg.

13. *Ad te ergo meus ſermo dirigitur, quiſquis abrenuncians propriis voluntatibus, Domino Chriſto vero Regi militaturus, obedientiæ fortiſſima atque præclara arma aſſumis.* Macte, vt non eſt ſermo effundendus vbi non eſt auditor,iuxta Eccleſiaſtici monitum:ſic nec religionis & propriæ abnegationis præcepta intimanda his qui religionis affectu non tanguntur. Eſſet enim agere cum irreligioſo de ſanctitate, cum iniuſto de iuſtitia, cum timido de bello, cum impio de pietate, & de honeſtate cũ inhoneſto; quæ omnia & ſimilia deridet Spiritus ſanctus. Nec iniuria : quoniã ſicut vnuſquiſque loquitur ſecundum ea quibus eſt affectus, vt Philoſophus dixit, ita vnicuique loquendum eſt ſecundum ea quibus afficitur:aliàs audiens ipſe non audiet,nam audiens nõ intelliget; vt neque intellexerũt Apoſtoli verba quæ Chriſtus Dominus de paſſione ſua habuit ad illos ; non quia perſpicua non eſſent, ſed quoniam ipſi aduerſo nimiùm affectu laborabant circa Magiſtri ſui incolumitatem.

Eccli.36.6.

Eccli.37.12.

Luc.18.34.

14. Inde Auguſtinus cùm amatorum Dei delicias inumbraſſet, dulcedinéſque tetigiſſet, proſiliit in hæc verba. Da amantem; & ſentiet quod dico : da deſiderantem, da feruentem, da in iſta ſolitudine peregrinantem,atque ſitientem,& fontem æternæ patriæ ſuſpirantem, da talem, & ſciet quid dicam. Si autem frigido loquor, neſcit quod loquor. Huius gratia præceptor

Aug. tract. 26.in Ioan.

noſter ſanctiſſimus acturus de perfectione monaſtica, illos tantùm alloquitur qui perfectionis monaſticæ zelo tincti ſunt, ne videretur ſurdis (quod dici ſolet) canere.

15. *Abrenuncians propriis voluntatibus.* Quænam ſint propriæ voluntates, & cur reſecãdæ, imò radicitus euellendæ, explicat Bernardus inquiens. Volũtatem dico propriam, quæ nõ eſt communis cum Deo & hominibus, ſed noſtra tantùm, quando quod volumus non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum, ſed propter nos ipſos facimus: non intendentes placere Deo, & prodeſſe fratribus, ſed ſatisfacere propriis motib. animorum. Huic enim contraria eſt recta fronte charitas. hæc Bernardus. Propter quod Baſilius ait. Propria volũtate vti alienum eſt à recta ratione. Et apud Eſaiam reprobantur ieiunia, obſequia, & genuflexiones multorum, eo quod infectæ propriæ voluntatis contagio. Sanè querulo, & propterea quærenti populo; *Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras, & neſciiſti?* reſponſum eſt; *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.*

Bern. Serm. 3. de Reſur.

Baſil. reg. 133. ex breuior.

Eſaiæ 58. 3.

16. *Chriſto Domino vero Regi militaturus.* Altera hæc eſt ratio cur voluntas propria abiicienda ſit. Miles enim illius tantùm cui militat debet voluntati inſeruire: dicente Ambroſ. Miles non diſponit ſibi, ſed præſcripto ordine incedit, & id quidem citra contumaciam. Lege enim 6. de re militari. §. de contumacia, ſtabilitũ eſt; Contumacia omnis militis aduerſus præſidem, vel ducem capite puniatur. *Eſt enim* (vt Scriptura docuit) *quaſi peccatum ariolandi, repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.* Inde Ieremiæ monitum; *Effunde ſicut aquam cor tuũ*: vtique quoniam (vt Auguſtinus inquit) nihil cordis noſtri intra nos retinendum eſt. Nolite (hæc ſunt verba Auguſtini) corda veſtra retinere intra corda veſtra: effundite illa, non periit qui effundit, quia Deus ſuſceptor eſt.

Ambroſ. Ser. 8. in pſal. 118.

1. *Reg.* 15. 23.

Thren. 2. 19.

17. *Fortiſſima atque præclara obedientiæ arma aſſumis.* Iure de fortitudine laudatur obedientia: cùm ſcriptum ſit; *Vir obediens loquetur victorias.* Victorias, inquit, vtpote quod non vnum, vel alterum, ſed cunctos obedientia valet profligare inimicos, ipſos etiam malignos ſpiritus, Gregorio magno dicente. Cum hominibus pro Deo ſubiicimur, ſuperbos ſpiritus ſuperamus. Cæteris quidem virtutibus Dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Imò (quod ſeuerius eſt) & nos ipſos, noſtráſque prauas affectiones obediendo ſuperamus, dicente S. Auguſtino. Agnoſce ordinẽ, quære pacem; tu Deo te ſubiice, tibi caro, tu maiori, minor tibi. Serui tu ei qui fecit te, vt tibi ſeruiat quod factum eſt propter te.

Prou. 21. 28.

Greg. lib. 4. *ſup. Reg.*

Aug. in pſal. 143.

18. Præclara itẽ aſſerit arma obedientiæ, vt quæ præclaros ſemper comitata eſt viros, maximè ſacros, videlicet Abrahamum, Iſaacum, Iacobum, Ioſephum, Moyſem, Ioſue, Dauidem, & ſimiles, vſque ad Chriſtum ipſum & Apoſtolos eius; & hos quidem ad præclara illuſtriáq; multum

rum facinora, ob quæ clariſſimã ipſi gloriam adepti ſunt. Etenim
Gen. 22.9. Abraham obedientia ſeſe accin-
Gen. 22.15. xit offerre filium ſuum primogenitum, quem diligebat, Iſaac, & eadem armatura obedientiæ ſeſe neci Iſaacus expoſuit: ob quæ vterque omnium gentium benedictionem adepti ſunt. Iacob etiam eo quod audiuit vocem patris ſui Iſaac, præcipientis ire in Meſopotamiam Syriæ, & inde accipere vxorem de filiabus Laban, vidit ſcalam cacumine tangentem cœlos, Angelóſque aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ, & audiuit quod patres eius; vtique, *benedicentur in ſemine tuo cunctæ tribus terræ*. Ioſeph ex præcepto patris ſui Iacob quærens errabundus fratres ſuos, & ab illis diuenditus in Ægypto, Ægypti Princeps conſtitutus eſt. Moyſes prętercea iuſſa Domini complens, & Pharaonem viriliter adiens, eduxit populum Iſraël de captiuitate duriſſima, propter quod Deus Pharaonis creatus fuit. Ioſue ſimiliter cunctis iuſſionibus Domini vltrò ſe ſubmittens, iuſſione ſua fecit ſtare, imò ſiſtere Lunam & Solem. Dauid obedientia factus ſecundum cor Dei, pater Chriſti Domini inauguratus eſt.

Geneſ. 28.1. 12.14. *Gen.* 37.5.9. & *Gen.* 41. 40. *Exod.* 3.4.5. 6.7. *Ioſue* 10. *Pſal.* 131.11.

19. De Chriſto autem quid dicã? Sanè quod Paulus; *Factus eſt obediens vſque ad mortem Crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomẽ quod eſt ſuper omne nomen*, &c. Quid etiam de Apoſtolis? Certè quod Marcus deſcripſit, nimirum quod *profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Quod Gregorius magnus dum exponit, dicit. Quid hic conſiderandum eſt? quid memoriæ commendandum, niſi quod præceptum obedientia; obedientiam verò ſigna ſequuta ſunt? Si igitur obedientia præclaros reddit illos quos ſedulò comitatur, iure obedientiæ arma præclara inſcribuntur. Et quidem adeò præclaros reddit quoſcumque obſequentes Deo, vt dicat ipſe per Ieremiam. *Audite vocem meam, & facite omnia quæ præcipio vobis, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Circa quod Hieronymus. Non propter generis priuilegia, non propter circumciſionis iniuriam, & Sabbati otium, ſed propter obedientiam, & Deus efficitur populi Iſraël, & Iſraël populus Dei. & in Euangelio Chriſtus; Vos amici mei eritis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.

Greg. homil. 11. in Euãg. *Ierem.* 11.4.

20. *In primis vt quidquid agendum inchoas boni, ab eo perfici inſtantiſſima oratione depoſcas.* Equidem vt vitio vertitur & ludibrio, ædificium incipere, & non perficere, iuxta illud Chriſti apud Lucam; *Incipient illudere ei dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, & nõ potuit conſummare*: ſic cõuicio datur incipere, & nõ abſoluere inceptum bonum. Adeò vt (notante Origene) quoniam lex Moyſi nihil (vt dixit Paulus) ad perfectum adduxit, ideo facies Moyſis glorificata aliàs, velo obtecta inſcribatur, quaſi pudefaceret Moyſem ſuæ legis debilitas.

Luc. 14.30. *Orig. homil. 12. in Exod.* *Heb.* 7.19. *Exod.* 34.33.

21. Et nõ tantùm conuicio datur inci

incipere bonum,& non perficere,verùm & extremo dispendio: siquidem nisi eamus de virtute in virtutem,non videbimus Deũ Deorum in Sion, vtpote quod *nemo mittens manum suam ad aratrum, retrò respiciens, aptus est regno Dei*, vt ipse Christus dixit. Et meritò: quoniam(vt Hieronymus monuit) inchoasse non sufficit,sed perfeciisse iustitia est; & vt Augustinus habet: Videtis quia viatores sumus. Dicitis, quid est ambulare? Breuiter dico,proficere. Vt ergo non beantur nisi viatores, pariter (dum tempus habent)nisi proficientes. Ergo licet nobis adiaceat velle, quia tamen perficere non inuenimus, nisi opitulante Deo, qui dat velle & perficere pro bona voluntate sua, vt qui solus incrementum dat:ideo legifer noster tam sedulò nobis iniungit vt instantissima prece efflagitemus ab eo incepti boni consummationem, perfectionem & finem. Ab eo, (inquit) vtique à Christo, de quo proximè egit. Cùm enim Christus Dominus consummatoris nomẽ obtineat, iuxta illud Pauli, consummatorem Iesum,& eius sit facere consummationem & abbreuiationẽ, sicut Esaias prædixit, iure ab eo boni operis cœpti consummatio expectatur, efflagitatur ac deposcitur.

Hieron. epist. ad Calantiã.

Aug. s. 9. Ser. 15. de verb. Apostoli.

Rom. 7. 18. Philip. 2. 13. 1. Cor. 3. 7.

Heb. 12. 2.

22. *Vt qui nos tam dignatus est in filiorum numero computare, non debeat aliquãdo de malis nostris actibus contristari.* Ecce quod periculum subeant qui cœpti boni consummationem negligũt: vtique dyscolis dare operam actibus, quibus Deũ irritent, & eius stomachũ prouocent. Quare sapienter (vt assolet) D. Bernardus dixit quod in via Dei non progredi, retrocedere est. Non secus ac retrorsum vertitur, qui aduerso in flumine positus progredi non cõnatur. Vnde Euangelij illa; *Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.* Ex quibus coniici datur, quantopere Monachorum inertia erga suæ perfectionis progressum Deo ingrata sit.

Luc. 11. 23.

23. Etenim Monachus negligens processum perfectionis monasticæ, quam opitulante Deo solemniter professus est, similis per omnia fit ei qui vnico talento ditatus, neglexit operari cũ eo, quo tamen si negotiaretur locupletior fieret, iuxta Christi parabolam. Huius gratia non tantùm Deo, verùm & hominibus ipsis omnino laicis & seculi anxietatibus deditis tam sæuum desidię genus odio est. Nam si(vt Chrysostomus inquit) Agricola nihil peculij nostri dissipans, neque dolis furto subripiens, si tamen manus compressas domi tenens, semina non spargit, rura nõ scindit, vites non colit, inuisus nobis fit, quid Deo ille, qui inchoata instituti prioris magno molimine officia & studia negligit, & quasi pro minimo ducit? Etenim vt turpiùs eiicitur quàm nõ admittitur hospes; sic turpiùs inceptũ deseritur, quàm non inchoatur bonum. Quare D. Petrus sapientius iudicat viam iustitiæ non agnoscere, quàm agnitam negligere: vt minus damni est non arripere iter, quàm arreptum non prosequi.

Matth. 25. 24.

Chrysost. Ser. de virtute & vitiis.

2. Petr. 2. 21.

24. Et licet teneantur omnes declinare

clinare omnia quæ Deo tristitiã ingerere, vel offensionẽ possunt: maximè tamen illi qui in filiorũ eius numerũ cooptati sunt. Nam si tam iniquè ferendum est quod aliquẽ suus incuset amicus, iuxta illud psal. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: tu vero ò homo vnanimis, dux meus, & notus meus.* quid quod filij Dei Deum? Maximè quod cùm illos voluntariè genuerit Deus verbo veritatis, iuxta Iacobi elogium, tenentur maxlmè illius se voluntati veritatíque conformare, vt omnis citrà monstri vitium cõformatur effectus suis causis. Quare quos à voluntate diuina veritatéque illius degeneres vidit Deus, non suos; sed alienos filios vocat, dicens per Psalmistam; *Filij alieni mentiti sunt mihi.* Mentiti, inquit, quia expectati vt facerent vuas omnis boni ac veri (tanquam germen illius veræ vitis) fecerunt labrusças mali omnis & falsi. Quod fallẽdi genus mẽdacium nuncupatur, iuxta illud Abacuc; *Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum*: & iuxta phrasim vulgarem, qua dicimus mentiri vineas fruteráque, quãdo concepta de illis nos fallit spes. Propterea mẽtiri frequenter accipitur pro eo quod est peccare, vti apud Salomonẽ: *Os quod mentitur, occidit animam*, id est, os grauiter delinquens & peccans; & mendacium pro eo quod est peccatũ, vti apud Oseã: *Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacij.* Inde cùm Deus sit verax, & veritatis Deus, quinimò & ipsa veritas, meritò dicuntur filij alieni qui modo supradicto mentiuntur: omne siquidem mendacij genus Deo alienum, & prorsus repugnãs est, & maximè peccata maxima, quibus obstricti erant alieni isti. Vnde subiicitur de illis; *Filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.* Psal. 17. 46.

Non sic filij Dei, non sic: siquidem, vt Ioannes inquit, *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Quod intelligendum venit in sensu composito, id est, iuxta diuini seminis exigentiam: ad eum modum quo nos frequenter dicimus, nobiles ignobilia non facere, sed neque facere posse, quia regia qua sunt sati prosapia, inciuiliter eos viuere non permittit. Cum quo tamen stat, eos non semel tanquam ingenuitatis monstra, ignobilia patrare: sed illo dicendi genere significamus, sanguinis claritatem obscuris & inciuilibus moribus mirum in modum repugnare. Quod si id de nobilitate humana, quid de ingenuitate diuina? Summis ergo religionis vinculis obstricti sunt filij Dei ad declinanda omnia in eum offendicula. Summa enim est filiorum obligatio erga parentum obsequium cultúmque. 25. 1. Ioan. 3. 9.

Inde plena emphasis amantissima illa querimonia Sacratissimæ Virginis ad Christum. *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Etenim vt doloris causam impensiùs exprimeret, filij atque patris nominibus (rarò aliàs repetitis) vsa est. Emphasis etiam plena obiurgatio illa Moysis aduersus degenerem populum Dei. *Hæc-* 26. Luc. 2. 48.

Deut. 32. 6. *cine reddis Domino populе ſtulte & inſipiens? nonne ipſe eſt pater tuus?* Item & incuſatio illa Domini

Eſaia 1. 2. apud Eſaiam; *Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.*

Suet. in vita Iul. Cæſ. Non ſecus atque illa Iulij Cæſaris ad Brutum filium pugionibus impetentem eum; & tu quoque fili? Valde igitur Deo obſtricti ſumus quotquot filiorum eius nomine decoramur, ne aliquam moleſtiæ illi, vel iracundiæ cauſam ſubminiſtremus.

27. *Non debeat aliquando de malis actibus noſtris contriſtari.* Licet perturbationes humanæ longè à Deo ſint, vtpote quod æternâ illam & incommutabilem beatitudinem non poſſunt lædere: metaphoricè tamen prædicantur de illo, vt patet de ira, furore, indignatione & odio, ibi; *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* & ibi; *Ira in indignatione eius.* & ibi: *Odio ſunt Deo impius & impietas eius.* Non quod Deo verè inſint iſtiuſmodi affectus, vt inter alios monuerunt Origenes, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, & Auguſtinus: ſed quia ſic ſe gerit aliquando Deus, ac ſi verè iratus furore & indignatione plenus commoueretur. Ad quem prorſus modum triſtari & affici dolore intelligendum eſt. Dicitur enim *tactus dolore cordis intrinſecus.* & iterum; *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum.* Non quidem quaſi triſtitiæ ſit obnoxius aut capax, ſed quia ad modum dolentis tunc & triſtis ſe gerit, pœnas vtique afflictoribus ſuis infligendo, de quo mox. Et idem eſt quoties humana membra, vtique caput, oculi, manus, & ſimilia, attribuuntur Deo, de quibus Auguſtinus multa.

Pſal. 6. 1. Pſal. 29. 6. Sap. 14. 9. Orig. hom. 2. in c. 2. Iudicum. Baſil. ſup. pſal. 37. Nazian. carmine iamb. 21. Auguſt. ep. 157. Gen. 6. 6. Epheſ. 4. 30. Aug. tom. 1. lib. 1. de Geneſi contra Manich. cap. 17. & t. 2. ep. 111.

28. *Ita enim omni tempore de bonis ſuis in nobis parendum eſt, vt non ſolùm vt iratus pater ſuos non aliquando filios exhæredet, ſed nec vt metuendus Dominus irritatus malis noſtris, vt nequiſſimos ſeruos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum noluerint ſequi ad gloriam.* Explicat hic author quid ſit Deum malis actibus noſtris triſtari: vtique inobedientes ſibi durè admodum (quod s. tetigi n. 27.) ac ſeuerè punire. Vti cùm Geneſis 6. dicitur tactum fuiſſe dolore cordis intrinſecus, mox explicationis gratia in perſona Dei attexitur: *Delebo hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vſq; ad animantia, à reptili vſque ad volucres cæli.* Gen. 6. 6.

29. Quia autem inobedientiæ crimen licet vbique teterrimum ſit, maximè tamen in filiis reſpectu parentum, & in ſeruis reſpectu dominorum ſuorum, eo quod ſtrictiori ſubiectionis vinculo tenentur: ideo præceptor noſter noſtram inobedientiam ad Deũ, inobedientiæ filiorum ad patrẽ, & ſeruorum ad dominum comparat, & pœnas vtraque condignas illi aptat: nimirum exhæredationis in filios, & torturæ interminabilis in ſeruos, quæ omnium ſeueriores ſunt. Sanè ſi filius exhæredatus habetur (iuxta leges) pro mortuo, conſequens eſt, vt exhæredare filium, ſit illũ quaſi morti tradere, & (quod durius eſt) paternam manum illi necem inferre. Item ſi Eccleſia exhęredati filij non debet hæreditatem, etiam ſibi ſponte oblatam ſuſcipere, vt habẽt ſacri Canones,

Leg. 1. §. ſed ſi patronus. ff. de coniugibus cùm emancipãtur. Textus in c. vlt. 17. q. 4.

nones, ſignum eſt tam inobedientem filium, quàm eius bona Deo inuiſa eſſe; aliàs ab ingreſſu domus ſuæ non ita arcerentur.

30. Seruo etiam, cui tantùm de cauendis ſuppliciis cura eſt, vtpote qui timore tantùm ſeruili actus ſeruit, nihil acerbius pœna & tortura eſt: quare dum his afficitur, omni malo quod timet, conſternatur. Inde apud Lucam; *Luc. 12. 47.* *Seruus ſciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit plagis multis.* Dicit autem author Deũ iſtos adigere ad pœnam æternã, quia noluerunt illum ſequi ad gloriam. Vtique quia conuincitur nolle finem, qui non applicat efficaciter vnica media ad illum: ſicut conuincitur nolle ſanitatem, qui medicamenta ſine quibus haberi non poteſt, refugit. Quare paralytico piſcinæ dictum à Chriſto eſt; *Vis ſanus fieri?* quia non præſumitur voluntas finis, quando mediorum (etiamſi difficilium, vt illa) applicatio non probatur.

Dicitur etiam in textu nobis 31. Deo parendum eſſe de bonis illius: vtique quia ipſius factura ſumus creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, iuxta doctrinam Pauli. Quare (iuxta eumdem) nihil habemus quod non ab illo acceperimus; huius gratia dicimus, quæ de manu tua accepimus reddimus tibi. Igitur quia nos & noſtra Dei ſunt, vtpote qui dat velle & perficere, & qui omnia opera noſtra operatur in nobis, ideo de bonis Dei parendum eſt illi; imò aliter parere non datur. *Epheſ. 2. 6.*

§. II. TEXTVS.

REſurgamus ergo tandem aliquando, excitante nos Scriptura, ac dicente; Hora eſt iam de ſomno ſurgere. Et apertis oculis noſtris ad deificum lumen attonitis auribus audiamus, diuina quotidie clamans quid nos admoneat vox dicens: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Et iterum. Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis. Et quid dicit? Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Currite dum lumen vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos comprehendant. Et quærens Dominus in multitudine populi ſui, cui hæc clamat, operarium ſuum, iterum dicit. Quis eſt homo qui vult vitam, cupit dies videre bonos? Quod ſi tu audiens reſpondeas, ego; dicit tibi Deus: Si vis habere veram & perpetuam vitam, prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo, & fac bo

bonum, inquire pacem, & persequere eam. Et cùm hæc feceritis, oculi mei super vos: & aures meæ ad preces vestras, & antequam me inuocetis dicam, ecce adsum. Quid dulcius nobis hac voce Domini inuitantis nos, fratres charissimi? Ecce pietate sua demonstrat nobis Dominus viam vitæ.

32. RESVRGAMVS *ergo tandem aliquando, excitante nos Scriptura, ac dicente; Hora est iam nos de somno surgere.* Prædixerat sanctissimus Doctor nos per inobedientiæ desidiam à Deo recessisse: explicans autem nunc istud desidiæ genus, dicit somnolẽtiam esse, vel somnum. His enim (quod ante me notarunt Augustinus, Ambrosius, Gregorius & Bernardus) tantum desidiæ est, vt propterea dormire & somno laborare, vsurpetur in sacris literis pro eo quod est negligere, veluti cùm in psalmo dicitur; *Exurge, quare obdormis Domine?* id est, quare negligis? & in Prouerbiis. *Vsquequò piger dormies? Veniet tibi quasi viator egestas & paupertas. Si verò impiger fueris, veniet vt fons messis tua.* Vnde virgines fatuæ introducuntur in Euangelio dormientes, vt significentur pigræ circa suam salutem. Et apud authores prophanos somnus ignauus dicitur, nec mirum, cùm Aristoteles dicat; Somnus est vinculũ & immobilitas sensus. & Augustinus: Somno membra languescunt; & assignans rationem inquit, quoniam iuxta Medicorum sententiam somnus frigido & humido generatur.

Aug. ep. 120. c. 32. *Ambr Apolog. pro Dauid.* *Gregor. 3. p. past. adm. 32.* *Bern. Serm. 52. in Cant.* *Psal. 43. 23.* *Prouer. 6. 9.* *Matth. 25.* *Ouid. 11. Metam. v. 119.* *Aristot. de somn. & vig. c. 1.* *Aug. t. 1. l. de quant. anim. c. 22.*

33. Quia tamen (vt etiam Aristoteles habet) nullus est somnus qui expergiscibilis non sit, ideo iste abrumpi iubetur: ne mollis (si modò est) ferreus postea fiat, in æternam (quod ille alius dixit) claudens lumina noctem. Vt enim D. Tho. ait, somnus potest esse peccatum mortale, quando ex hoc omittitur illud quod sub mortali facere tenemur. Verbũ autem quo hic excitari iubemur Scripturæ voce, Pauli est dicentis; *Hora est iam nos de somno surgere.* Nimirum non de somno naturæ, de quo apud Ioan. *Si dormit, saluus erit:* nec de somno mortis, de quo apud Paulum; *Nolumus vos ignorare de dormientibus*: sed de somno negligentiæ & pigritiæ, de quo apud Salomonem; *Vsquequò piger dormies?* Somnus etenim iste omnino fugandus est, & ab illo surgendũ, vtpote stupor & lãguor ad omnia bona, & proinde ad obedientiam diuinam.

Virg. 10. Æn. v. 149. *D. Th. 1. 2. q. 71. a. 5.* *Rom. 13. 11.* *Iohan. 11. 12.* *1. Thessal. 4. 13.* *Prouer. 6. 4.*

34. *Et apertis oculis nostris ad deificum lumen attonitis auribus audiamus, diuina quotidie clamans quid nos admoneat vox dicens: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Nihil est quod somno obstrictos ita reseret oculos, vt ingentis luminis ictus, fulmenve, præcipuè sydereũ. Est enim grauatis præ somno oculis acerba lux. Dum enim incurrit in eos, sic vrget illos, vt momento vigiles faciat & oculatissimos reddat. Cùm igitur de

exci

excitãdis à ſomno pigritiæ oculis cura authori noſtro nunc ſit, appoſitè monitũ contuendi deificũ lumen prouiſum eſt, quia ad hoc tantũmodo pertinet tantorum bonorũ impeditiuum ſomnum fugare. Vnde Saulus exquo tali ſe circũfuſum lumine notauit, protinus inclamauit; *Domine quid me vis facere?* Expeditum enim ad quoduis extunc ſe bonum vidit.

35. Sed quid eſt quod ſubiicitur, *attonitis auribus audiamus*? Numquid conducibilius non eſſet attentis patuliſque, & non potiùs attonitis audire? Sanè attonita auris idem eſt quod perturbata: perturbata autem auris quando, aut quomodo docilis erit? Sed nihilominus iudicij plena vox iſta eſt. Etenim ly *attonitus* idem apud peritos linguæ Latinæ eſt quod ſenſus, cui caſus vicini fulminis, & ſonitus dat ſtuporem, iuxta Virgilij illud,

Virg. 3. Æn. *Talibus attonitus viſis ac voce Deorum.*

& iuxta illud Liuij. Ad belli terrorem vos attoniti eſtis. Cùm igitur deificum lumen, & vox diuina (quæ inſtar fulminis tonitruique ſunt) hic planè incurrant, neceſſum eſt attonitas (pro tunc ſaltem) relinquere aures: aures inquam, de quibus hic Sanctus Doctor, vtique cordis; & proinde aut nullis, aut ſaltem attonitis auribus ſydeream iſtam vocem excipere. Præterquàm quòd ſi oculis attonitis videre aliquid, idem eſt quod continuo intuitu, & nuſquam aliò verſa acie videre, iuxta Claud. illud,

Claud. 3. paneg. 14. *Quantum profueris, quantam ſeruaueris vrbem,*

Attonitis metire oculis.

Etiam attonitis auribus aliquid audire, idem præſtabit, ac perpetuis, immobilibus, ac perpete defixis in rem quæ profertur auribus. Perpete autem diuinam iſtam vocem audire magni momenti eſt. Et hæc proculdubio mens authoris noſtri: vtique non vt interdum, ſed quandiu vox hæc inſonuerit, noſtras continuò continuéque pulſet aures. Vnde ſubiicitur: *Hodie ſi vocem eius audieritis.*

36. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Verba hæc ſunt pſal. 94. quibus ad prõptam diuinæ vocis auſcultationem, & obeditionem monemur: hæc enim procraſtinare, & de die in diem differre lethale eſt, dicente Auguſt. Ipſa res quæ multos occidit, cùm dicũt, cras, cras, & ſubitò oſtium clauditur: remanent enim foris cum voce coruina, qui non habent gemitum columbinum. Cras, cras, vox corui eſt. Et poſt pauca. Cõcedo & cognoſco quia Deus indulgentiam promiſit tibi, craſtinum tamen diem quis tibi promiſit? Vbi legis indulgentiam te accepturum ſi te correxeris, lege ibi quantum victurus ſis. Non lego, inquis: neſcis ergo quantum victurus ſis. Eſto ergo correctus & ſemper paratus. Baſilius etiam. Ars diaboli eſt, vt homines hodiernum ſibi, ctas Deo velint.

Pſal. 94. 8.

Aug. Ser. 16. de verb. Domini ſecundum Matth.

Baſil. hom. 3. exhortat. ad Baptiſ.

37. Dicitur autem ſub conditione, *ſi vocem eius audieritis*: tum quia non omnium, ſed ouium tantùm eſt paſtoris vocem audire, dicente Domino; *Qui intrat per oſtium, paſtor eſt ouium, & oues*

Ioan. 3. 15.

Ioan. 3. 26.

vocem eius audiunt, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. & rursum: *Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis; oues meæ vocem meam audiunt.* Tum quia si auxilium necessarium ad conuersionem nō adest perpetè peccatoribus, sed interdum, aliquando, certisque temporibus, prout ex Scriptura & Patribus Bellarminus affirmat, certum est vocem istam non quotidie & sine intermissione, sed statutis à Deo temporibus auribus nostris insonare, & proinde non semper audiri.

Bellar. to. 3. lib. 2. de gratia & lib. arbit. c. 6.

38. *Nolite obdurare corda vestra.* His in primis (vt Augustinus notauit) nostræ libertatis tam ad bonum, quàm ad malum monemur, siquidem arbitrio nostro relinquitur cedere, vel non cedere vocationi diuinæ, cerea, vel ænea illi corda præstare. Vnde Zachariæ illud. *Noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentem, & cor suum posuerunt vt adamantem.* & illud Actorum; *Dura ceruice, & incircumcisi corde, vos semper Spiritui sancto resistitis.* Innuitur etiam tantam esse diuinæ vocis virtutem, vt nisi data opera corda obduremus illi, ipsa per se liniret ac emolliret ea. Ex quo sequitur, vitio nostro esse quando vocationes diuinæ nostra non penetrant & emolliunt corda.

Aug. de gratia & lib. arbit. c. 14.

Zachar. 7. 11.

Actor. 7. 51.

39. *Et iterum. Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Aures audiendi dicuntur apud Gregorium internæ cordis aures. Cùm enim aliud munus non subeant præter hoc, quod est audire, in quo ab exteris, id est, corporeis distinguuntur, quæ etiam ad decorē capitis & speciem deseruiunt, tanquam partes integrales illius, iure aures audiendi nuncupantur. Apud Augustinum autem idem sonat auris audiendi, quod auris obediendi: eo quod ly *audire* frequenter sumitur pro eo quod est obedire, vt in Deuteronomio. *Quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta eius.* Ego dicerem aurem audiendi significare veram & propriè dictam aurem, ad differentiam figuratæ & fictæ, qualis illa, de qua in psal. *Aures habent, & non audient;* vtique quoniam non sunt aures audiendi, imò neque aures, sed aurium simulachra, quia videntur aures, sed non sunt. Vnde idem est dicere: Qui habet aures audiendi, audiat, ac dicere, qui verè veras habet aures, & non tantùm ad speciem, vti sunt aures surdorum, sed ad rem, quales sunt aures audientium, & ad vsum atque officium aurium, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

Greg. hom. 15. in Euangelia.

August. sup. psal. 49.

Deut. 18. 13.

Psal. 113. 14.

40. *Et quid dicit? Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos.* Digna sanè Doctore summo doctrina hæc summa. Vt enim alij Theologiam, alij Astrologiam, sic Deus timorem sui tanquam publicus præceptor edocet: eo quod, vt in psalmo habetur, *Initium sapientiæ timor Domini*, id est, sapientiæ summum & optimum. Id enim sonat ly *initium*, vti cùm in Ecclesiastico dicitur: *Initium dulcoris habet fructus apis*, quod est dicere, dulcedinum suauissimum est mel. & rursum: *Initium superbiæ hominis*

Psal. 110. 10.

Eccli. 10. 17.

Eccli. 10. 14.

apostæ

apoſtatare à Deo, id eſt, ſuperbiæ ſummum. Vnde ſacris initiare, idem eſt quod ſacris imbuere;& literis initiari, idem quod in literis authorari,hoc eſt,licentiatus lauream accipere.

41. Nec iniuria tantum ſapientiæ defertur timori Domini, cùm ſcriptum ſit: *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia*; & apud Eſaiam: *Diuitiæ ſalutis, ſapientia & ſcientia;timor Domini,ipſe eſt theſaurus eius.* Vtique quia duo hæc in timore Domini, tanquam in theſauro recondita habentur: ſeu, locupletiſſimum ſapientiæ timor Domini.Quare poſt recenſita ſapientiæ, ſcientiæ, intellectus,conſilij, & ſimilium dona, ſubiicitur apud eumdem prophetam timoris Dei abundantia, vt ſic tantorum fluminum fons innoteſceret.Dicitur quippe; *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Vbi apprimè notandum eſt ly *replebit*, quod de ſolo timore iſto aſſeritur tanquam de abyſſo multa,à qua prædicta flumina deriuãtur. Eſt ergo timor Domini ſapientiæ ſummum.Sapientiæ autem ſummæ quis dignus aut idoneus doctor præter ſapientiæ abyſſum Deum? Vnde ipſe hic; *Venite filij, audite me.* Me (inquit) vnicum ſapientiæ principem, legitimumque præceptorem.

Iob.28.28. *Eſaiæ 33.6.* *Eſaiæ 11.2.*

42. Ait etiam, *Venite*, quia elongati à Deo, & qui procul fiunt ab illo,capaces tantæ diſciplinæ non ſunt. Neceſſum quippe eſt appropinquare pedibus eius, ad accipiẽdum aliquid de doctrina illius,iuxta illud Deuteronomij: *Qui appropinquant pedibus Dei, accipient de doctrina illius.* Illius, inquit, id eſt, quæ propria Dei eſt,videlicet timoris ipſius:Deus enim vt propriam moderatur, cathedram timoris diuini,vt alij inferioris notæ alias. Ly autem *Audite* ſignificat quod hæc doctrina non ſcripto, ſed viua Dei voce traditur, illa videlicet qua loquatur homini ad cor, & in corde:loquitur enim nõ tantùm ad nos, dum tantam edocet diſciplinam;ſed intra nos & in nobis,iuxta id pſal.: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Denum inquit,*docebo vos*,quia non omnes,ſed filios tantùm appropinquantes ſibi timore iſto imbuit,& hanc diſciplinam docet.

Deut 33.3. *Pſal.84.9.*

43. Sed cùm timere concernat, non filios, qui amore ducuntur, ſed ſeruos, qui metu gubernantur; quomodo conuocantur nũc filij ad audiendum, & mente concipiendum timorem? Dicitur enim:*Venite filij, audite me,timorem Domini docebo vos.* Etenim D. Paulus, diſcernens ſeruos à filiis in hac parte, dixit Romanis: *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed ſpiritum filiorum Dei, in quo clamamus, Abba pater.* Et auget difficultatem, quod charitas eſt quæ filios Dei generat, iuxta illud Ioan. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater,vt filij Dei nominemur & ſimus. Perfecta autem charitas* (vt etiam ipſe Ioannes dixit)*foras mittit timorem,& timor non eſt in charitate.*

Rom.8.15. *1.Ioan.3.1.* *1.Ioan.4.18.*

44. At præmiſſa diſtinctione timoris in filialem & ſeruilem(de quibus

D.Th.2.2.q. 19.art. 1. Mag.in 3.d. 34.

quibus D.Thom. cum Magistro Sententiarum) facilis erit nodi solutio. Etenim tam filij quàm serui Dei,habent timere Deum; aliàs citò defluerẽt,ac relaberentur , siquidem non solùm scriptum habemus apud Ecclesiasticum; *Qui sine timore est , non poterit iustificari* : sed etiam, *Nisi in timore Domini tenueris te , citò subuertetur domus tua.* Est enim (vt vidit Hieronymus) timor Domini castos virtutũ,nam securitas ad lapsum est facilis. Vnde Chrysost. Timor Domin inihil aliud est quàm murus & munimentum,& turris inexpugnabilis.Propterea de timente Dominum scriptum est; *Iustitia eius manet in saculum saculi.* Huius gratia ad timorem cuncti excitamur,Scriptura dicente: *Timete Dominum omnes Sancti eius.* & rursum; *Metuant eum omnes fines terra.*Singulariter etiam vnicuique dicitur : *Ne sis sapiens apud temetipsum, sed timi Deum, & recede à malo.* Valde timendum est separari à Deo , & malo culpæ inquinari.

Eccli.1.28.

Eccli.27.4.

Hieron.epist. 127 ad Fabiolam mãsione 3. Chrys. hom. 15.ad pop.

Psal.32. 10.

Psal.66.8.

Prou.3.7.

45. Est tamen latum discrimen inter duos istos timores , quoniam filij timent separationem istam à Deo,propter amorem & affectum , quo prosequuntur illum , & propter rationem offensæ affixam culpæ separantis à Deo. Vnde Aug. dixit. Timore casto (talis est filialis apud eũ)timet homo separationẽ à Deo.Et Scriptura Deuteronomij: *Et nũc Israël , quid Dominus Deus tuus petit à te , nisi vt timeas Dominum Deum tuum , & ambules in viis eius,& diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo , & in tota anima tua*?Et certè timor ille, de quo suprà n.40.diximus, esse summũ & inclytum sapientiæ , timor filialis est ; quia hoc tantùm est veræ sapientiæ culmen , omnia humana nostra rationibus diuinis regulare , & illis per omnia subiicere: item tales nos Dei æstimatores & cultores facere , vt in omnibus voluntatem eius nostris voluptatibus præferamus,& tandem vt in gratiam , & ob gratiam prorsus illius ab omnibus nos retrahamus excessibus. Vnde in psalmo dicitur. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.* Nimis,inquit,quoniam qui sic timet Dominum , potiùs eligit mille mortes obire , quàm aliquod mandatorum Dei vel semel violare. Cùm enim non formidine pœnæ,sed Dei & virtutis amore timeat separationem à Deo , nihil moratur omnem subire pœnam, modò non incurrat culpam. Hoc enim est velle nimis in mandatis Dei, id est , velle ad summum vsque mandata eius:vltrà enim procedere nemini datur.

Psal. 111.1.

Augustin.to.9. tract. 19. in epist.Ioan.

Deut. 10.12.

46. Serui autem Dei timẽt etiam malum culpæ , & separationem à Deo,at ob aliam longè diuersam rationem , vtique vt effugiant pœnam correspondentem culpæ;quibus propterea dictum est : *Nolite timere eos qui occidunt corpus , & posthac non habent amplius quid faciant ; timete eum qui postquam occiderit,habet potestatem mittere in gehennam.* Etenim (vt Aug.monuit) sunt homines qui propterea timent Deũ,ne mittãtur in gehennã. Timor autẽ iste nondũ est castus,quia non venit

Luca 12.5.

Augustin. vbi sup.

ex

ex amore Dei, ſed ex timore pœnę. Dū enim propter pœnā times Deum, nondū amas quem ſic times. Verba ergo pſalmi, quibus vocantur filij ad doctrinam timoris, intelligenda veniunt de timore filiali, non verò de omnino ſeruili. Quid autem ſignificem per ly *omnino ſeruile*, numero ſequenti explicabo.

47. Neq; obſtāt quæ de charitate obiecta ſunt: nō enim de charitate vt ſic, ſeu de charitate ſimpliciter dicta aſſeritur quod foras mittit timorem, ſed ſolùm de charitate perfecta: dicitur enim; *perfecta charitas foras mittit timorem*. Et adhuc non omnem, ſed tantùm ſeruilem, quoniam de filiali ſcriptum eſt; *Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſæculi*, vtpote quod huiuſmodi timor ex amore eſt, & proinde ſtabilior, quo ſtatus charitatis perfectior. Seruilis autem timor cùm ex metu gehennæ tantùm ſit, non poteſt cum charitate perfecta cohærere, ſed potiùs ad menſurā perfectionis illius minorari, & tandē ad charitatis cōſummationē loco cedere: dicēte Aug. Tāto minor fit timor, quāto patria quò tendimus, propior: maior enim timor debet eſſe peregrinantium, minor propinquantium, nullus perueniētium.

Pſal. 108.9.

Auguſt. Ser. 214. de tempore.

48. Et certè hoc eſt quod dicitur: *In charitate non eſt timor*; &, *perfecta charitas foras mittit timorem*, Vulg. *ſeruilem*. Veluti (quod notauit Origenes) Sara domina & libera foras miſit ancillam Agar. Meridiana autem lux exuit matutinam, cui meridiana ſuccedit. Vnde Aug. Iſte timor eſt ille qui introducit charitatem, ſed ſic introrat vt exeat. Propterea de timore iſto dicere etiā poſſumus quod de filiali diximus, nimirum eſſe initiū ſapientiæ, ſumendo tamen initium pro inchoatione, ſed non pro conſummatione, quia licet ab illo incipiant peccatores ſapere, non tamen perfectè ſapiunt, vtpote qui nondum ſciūt cauere mala ex amore Dei, ſed ex timore gehennæ. Conuocat ergo Deus filios ſuos, vt eos timorem ſuum doceat, propter maximum operæpretium eius: ſcriptum quippe eſt; *Nihil deeſt timentibus eum. Dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum. Timentes autem Dominum glorificat.*

Orig. hom. 7. in Geneſ.

Auguſt. vbi ſuprà.

Pſal. 33.10.
Pſal. 60.6.
Pſal. 14.4.

49. *Currite dum lucem vitæ habetis, ne tenebræ vos comprehendant.* Hæc etiam diuina vox apud Ioannem clamat. Senſus autem illorū exploratiſſimus eſt. Cùm enim corporeæ tenebræ impedimento ſint ad greſſum & ad inceſſum corporis; adeò vt propter hoc Ægyptij, quia tenebris preſſi, pedem per triduum mouere non valuerint, iuxta quæ recenſet ſacra pagina: & tenebræ incorporeæ non minus, ſed longè magis impedimento ſint greſſibus mentis, vtpote quod neſciens æquiparatur non videnti, & in præallegato elogio ſubiicitur: *Qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat*; neceſſum eſt viatori tempora lucis non negligere, ſed potiùs ambulando lucrari, ne poſtea tenebris comprehenſus gradum, velit nolit, ſiſtat. Vnde vel ipſe Chriſtus dixit: *Me oportet operari quamdiu dies eſt*; & opera ſtudioſa dicuntur opera lucis, & econtrà improbè facta, dicuntur opera tenebra

Ioan. 12.35.

Exod. 10.23.

Ioan. 12.35.

Ioan. 9.4.

Rom.13.12. nebrarum, iuxta illud Pauli; *Abiiciamus ergo opera tenebrarũ, & induamur arma lucis.* Huius autem tota ratio est, quod quæ ad lucem patrantur, rectè geri possunt, quæ verò in tenebris, nõ nisi obliquè. Quare nocturnis tenebris operari censetur proprium brutorũ, diurna verò luce hominum, iuxta illud psal. *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ. Ortus est Sol, & congregati sunt, exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.*

Psal.103.20.

50. Est tamen notandum, apud Ioannem non haberi vt hic, *currite*, sed *ambulate*, quod lentius quid atque tardius est. Currere enim plus velocitatis quàm ambulare importat, sed aptè illic ambulare, hic verò currere iniungitur. Illic enim sermo est ad omnes cuiuscumque conditionis ac status, ex quibus quamplurimi præpediti seculi curis, ponderibusque prægrauati, vix in via Dei gradum facere possunt, & satis est si ambulent. Hic verò sermo est ad illos qui relictis omnibus, Christum alacriter atque expeditè sequi profitentur: quare illis ambulare parum, currere autem conuenientissimum est. Ad quid enim ab omnibus se abstinent in stadio suo, nisi vt currant, vt sic brauium accipiant, atque comprehendant? Maximè quod cùm dilatato corde curratur via mandatorum

Psal.118.32. Dei, iuxta illud psal. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*; necessum est Monachos viam istam currere, cùm cor illorum adeò dilatatum sit, vt omnia mundi pro nihilo habeant, & vt stercora spernant, & illis præter Deum nihil sit in terra, nihil sit in cœlo. Aptè ergo ly *ambulare*, conuersum est in id quod est *currere.*

51. Dicitur autem, & indicitur currere dum lucem vitæ habetis, hoc est, lucem viuificantem, de qua apud Ioannem, *Vita erat lux hominum*; & Christus ipse: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, id est, lumen viuificum. Etenim cùm lux ista vitæ sit verbum Dei, quo ad vitam ducimur & docemur, iuxta id psal. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*: & verbum Dei viuificum sit, iuxta illud Christi; *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt*, & iuxta illud Petri, *Domine, quò ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Cuius gratia dixit Iacobus, *voluntariè genuit nos verbo veritatis*, & Paulus, *per Euangelium ego vos genui*: meritò lumen, quod mentes illustrat ad vitam æternam, dicitur lumen vitæ.

Ioan.5.4. Ioan.8.12. Psal.118.104. Ioan.14.10. Ioan.6.68. Iacob. 1. 1.Cor.4.

52. Cùm etiam dicitur, *ne tenebræ vos comprehendant*, de tenebris proculdubio ignorantiæ inferentis mortem sermo est, vtique de illis de quibus in sacro eloquio, *illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent*; &, *illuminabit abscondita tenebrarum*: &, *eratis aliquando tenebræ*; &, *qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen suum.* Equidem sicut est lumen vitæ, ita & tenebræ mortis. Quare cùm scriptum sit: *Qui diligit fratrem*

§2. Luc. 1.79. 1.Cor.4.5. Ephes.5.8. 1.Pet.2.9. 1.Ioan.2.9.

fratrem ſuum, in lumine manet, & qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, mox apud eundem (vt explicaretur quid intelleXiſſet lucis nomine ac tenebrarum) ſubiicitur; *Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* 1. *Ioan.* 3. 14. Vtpote quod nomine lucis vitam, nomine verò tenebrarum mortem ſubindicauit, & certè non qualemcumque, ſed æternam, quia huius tantùm eſt, quos ſemel corripit, dimittere numquam.

53. *Et quærens Dominus in multitudine populi ſui, qui hæc clamat, operarium ſuum, iterum dicit. Quis eſt homo qui vult vitam, cupit dies videre bonos?* Senſus eſt; Quærens Dominus operarium ſuum in multitudine populi ſui, clamat ad ipſum populum dicens iterum; *Quis eſt homo*, &c. Quaſi diceret, quia multitudo populi confuſa ſemper, & tumultuaria eſt, ideo clamoribus vel ipſe Deus agit cum illa, vt ſic inualeſcant voces eius & poſſint audiri. Inde ad Eſaiam Dominus: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* *Eſaiæ* 58. 1. Sed bone Deus, ad quid tantus clangor? Sequitur; *annuncia populo meo* (populo inquit) *ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum*, quia ſcilicet vbi multus populus, ibi multitudo, & vbi multitudo, ibi confuſio; & proinde aut non auditio, aut nimius & vehemens ſtrepitus. Propterea enim ſcriptum eſt; *aquæ multæ populi multi*, & voces aquarum multarum præualidas ac vehementes eſſe. Ad ſuperandam igitur tantæ multitudinis vociferationem, quanta qualique (rogo) erit opus tuba? certè canora, vocalique nimiùm. Ideo vel ipſe Deus dicturus aliquid in multitudine populi clamans dicit, hoc eſt, vehementiori vocationis, & excitationis affectu, veluti cùm tacito Moyſi dixit Deus, *quid clamas ad me*? Adeò periculoſum eſt in turba deſidere, vt vel ad excipiendas vocationes diuinas validiori impulſu monitúque nobis opus ſit.

54. Quærit autem Dominus operarium in multitudine populi ſui, ſi fortè inter tot operarios ſeculi inueniat vnum, vel alterum cœli. Cùm enim de eo ſcriptum ſit: *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum*, de filiis autem hominum ſic; *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*: repetit denuò eamdem explorationem & diſquiſitionem, vtpote qui vt verus paterfamilias diuerſis in forum prodit horis, quærens operarios etiam ex otioſis tota die, in vineam ſuam: & quos in foro non inuenit, per viarum exitus indagari facit, & ſemel inuentos, etiamſi claudos ac debiles, domo nihilominus recipit: quoniam meſſis quidem multa, operarij autem pauci, & adeò pauci, vt contentus ſit quærere operarium, cùm non vno, vel altero, ſed propemodum infinitis ad tantam meſſem

Pſal. 13. 2.
Ibi. 3.
Matth. 20. 8.
Luca 14. 23.
Matth. 9. 37.

sit opus : sed malitia temporum ad has cum angustias reduxit.

55. *Quis est homo qui vult vitam, cupit dies videre bonos ? Quod si tu audiens respondeas, ego ; dicit tibi Deus : Si vis habere veram & perpetuam vitam, prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Id est, qui miserè perire non vult, sed fœliciter & beatè vitam transigere, lapsus & morsus linguæ caueat, maledicentiam & fraudes toto cœlo fugiat. Etenim si *vir linguosus non dirigetur in terra*, (vt habetur in psalm.) & *os stulti contritio illius est, & labia ipsius ruina anima eius*, (vt est in Prouerbiis) & *labia insipientis præcipitabunt eum*, (vt est apud Ecclesiastem) & *os quod mentitur occidit animam*, (vt est in libro Sapientiæ) & *terribilis in ciuitate sua homo linguosus, & odibilis in verbo suo* (vt Ecclesiasticus dicit,) quomodo qui non prohibet linguam suam à malo, & labia sua ne loquantur dolum, vita viuet fœlici faustáve ? Maledicus enim, fraudulentus atque dolosus, vbique odiosus est, & proinde periculis septus & obnoxius : quoniam (vt habet Cicero,) Quem quisq; odit, periisse expetit ; quid si vniuersus illum odio habet populus ? Populo enim multæ manus, maledico autem homini vna tantùm ceruix est. Et quidem non modò beatè perenniterque non viuet, sed miserè subitóque perire necesse est.

Ps. 139. 12. *Prou.* 18. 7. *Eccles.* 10. 12. *Sap.* 1. 11. *Eccli.* 9. 23. *Cicero* 2. *de Officiis.*

56. Quia verò *qui custodit os suum & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam*, vt in Prouerbiis est, & *est beatus qui non est lapsus verbo ex ore eius*, iuxta quæ Ecclesiasticus dicit, & ideo *habitabit in tabernaculo Dei, qui loquitur veritatem in corde suo, & non egit dolum in lingua sua*, iuxta verba psalmi, vtpote quod *qui non offendit in verbo, hic perfectus est vir*, vt dicit Iacobus; meritò fœlix faustaq; vita promittitur ei qui suæ linguæ custos & æquus moderator est. Inde liquidò haurire datur quanto iure in Prouerbiis dictum; *Mors & vita in manibus linguæ, qui diligunt eam, comedent fructus eius*, fructus vtique vitæ, aut mortis: quoniam suæ linguæ sortem quisque subibit, siue bonam, siue malam.

Prou. 21. 23. *Eccli.* 14. 1. *Psal.* 14. 2. *Iacobi* 2. 3. *Prou.* 18. 21. *Iob.* 7. 6. *Psal.* 101. 4. *Gen.* 3. 19.

57. *Veram & perpetuam vitam.* Dicit vt indicet legifer noster breuem hãc desultoriamqùe vitam, speciem quidem vitæ retinere, rem verò minimè. Si enim omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, vt in libris Regum habetur, & dies nostri velociùs transeunt quàm à texente tela succiditur, & consumuntur absque vlla spe, vt de se dixit Iob : imò si sicut vmbra dies nostri sunt super terram, vt iterum dicit idem, & velut fumus deficiunt, vt dictum est in psalmo, quid vitalitatis, & non potiùs vanitatis hæc vita nostra habet? Quare iure dixit Dauid: *Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt.* Item si in sudore vultus nostri vescendum nobis est pane nostro, iuxta definitiuam sententiam Dei : & cuncti dies

2. Reg. 14. 14.

dies nostri doloribus & ærumnis pleni sunt, (vt dixit Ecclesiastes) adeò vt dicatur in Psal. quod vita nostra inferno appropinquauit, vtpote quod nihil in illa nisi labor, & dolor, & afflictio spiritus, vt notauit Salomõ: quid vitæ vita hæc retinet, & non potiùs mortis, & quidem teterrimæ & duræ? Quare scripsit Iob: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.*

Eccl. 2. 23. *Psal.* 87. 4. *Eccli.* 1. 14. *Iob.* 14. 1.

58. Inde noster Gregorius magnus. Quotidianus nostræ fragilitatis excessus, quid est aliud quàm quædam prolixitas mortis? & Bernardus. Hæc vita qua viuimus, magis mors est, nec simpliciter vita, sed vita mortalis. Moritur homo, dicimus, quando morti certissimè appropinquat. Quid verò agimus exquo primùm incipimus viuere, nisi morti appropinquare, & incipere mori? Sed & dies qualescũque vitæ huius pauci & mali sunt, sicut sanctus Patriarcha testatur. Inde etiam meritò dixit Iob; *Tentatio est vita hominis super terram*, aliàs, *militia*, & quidẽ acerrima, & vndiq; ardua. Quoniam (vt Augustinus ex mente Cypriani obseruauit) si depresseris auaritiam, exurget libido; quod si libidinem superabis, succedet ambitio: & si ambitio à te fuerit deuicta, ira, zelus, æmulatio, inuidentia, superbia, ebriositas, cum cæteris suis pestiferis sociis in vnum contra te militantia castra constituent. Propterea alibi idem Augustinus monuit quærendam quidem bonam esse vitam, sed in regione sua, hoc est, in æterna patria, non autem in ista, quæ dumtaxat corporum, non autem animorum patria est, sed peregrinatio & exilium.

Greg. homil. 37. in Euãg. *Bern Ser. 17. in psal. Qui habitat.* *Gen.* 47. 9. *Iob.* 7. 1. *Augusti. Ser. de cataclismo. cap.* 1.

59. Sola igitur cœlestis patriæ vita, vera vita est, vtpote dierum pariter ac bonorum plena: dierum siquidem, quia æterna est, æternum Deo fruens, est enim vita æterna videre Deũ Deorum in Sion: bonorum, quia replet in bonis desiderium nostrum. Inde Gregorius Nyssenus. Beatitudo est illa immortalis & incorrupta vita, ineffabile pariter, inamissibile, atque inexcogitabile bonum. Et Gregorius Nazianzenus. Hic desiderium omne sistit, ac figitur. Etenim rerum omnium expetendarum extremum est, quò cùm peruenerimus, conquiescit rerum omnium speculatio. Hanc ergo vitam, hanc velimus, rogatur, & demonstratur via quæritur ad eam. Cuius viæ ingressus in eo consistit, vt linguas nostras prohibeamus à malo, & labia nostra ne loquantur dolum. Vnde scriptum est: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, vtpote quod paruus error in principio maximus fit in fine; quod maximè in itineribus verificari nouimus.

Ioan. 15. 1. *Psal.* 102. 5. *Nyssen. lib. de beatitudine.* *Nazianz. de laudibus Athanasii.* *Psal.* 5. 7.

60. *Diuerte à malo & fac bonum.* Similia sunt hæc verba illis Esaiæ: *Quiescite agere peruersè, discite bene facere*; & illis Pauli, *odientes malum, adhærentes bono.* & iterum, *expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum*; & aliis multis in quibus iustitiæ nostræ ratio sita est, dicente Augustino. Iusti-

Esaiæ 1. 6. *Rom.* 12. 9. *Coloss* 3. 9. *Idem in Ps.* 33. 13. *Aug. Ser.* 59. *de tempore.*

tia nõ eſt aliud quàm nõ peccare;non peccare autem,quàm legis præcepta ſeruare , præcepta autem ſunt non facere prohibita,& implere mandata. Bernardo etiam noſtro. In his duobus mãdatis tota lex pendet & Prophetæ , quæ ſunt declinare malum,& facere bonum.Inde ſcientia reprobandi malum , & eligendi bonum adeò commendabilis facta eſt , vt de ipſo Emanuele Chriſto apprimè prædicetur Eſaia dicente: *Butyrum & mel comedet , vt ſciat reprobare malum,& eligere bonum.* Et impoſtor ille humani generis hoſtis primos noſtros circumuenit parentes dicendo ; *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum* , vtique ad cauẽndum iſtud , & proſequendum illud.

Bern. Ser. 5. in Vigilia Natiuit. Domini.

Eſaiæ 7.15.

Gen.3.15.

61. Quod ſi Dei eſt ſcire bonum & malum, quid circa vtrumque conuenit nos gerere? Dono ſanè Dei adſcribendum eſt, cuius nos gratia poſſumus, quæ circa hæc poſſumus. Vnde D. Bernardus. Quia mandatum accepimus , vt declinantes à malo faciamus quod bonum eſt,vide quomodo Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.Nam diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Propterea ad declinãdum à malo tria operatur in nobis, compunctionem , ſupplicationem, remiſſionem. Porrò ad faciendũ bonum monet, mouet & docet: monet memoriam,rationem docet , voluntatem mouet. Quia autem magnos magna decent, magnorúmque operum magna eſt apud Deum retributio , inde ſcriptum eſt: *Multa bona habebimus ſi receſſerimus à peccato , & faecerimus bene.* & rurſum: *Sapiens cor & intelligibile abſtinebit ſe à peccatis,& in operibus iuſtitiæ ſucceſſus habebit.*

Bern. Ser. 1. Pentecoſtes.

Tobiæ 4.23.

Eccli.3.32.

Et licet minus ſit mala non agere, (vt magnus noſter Gregorius dixit) niſi etiam ſtudeat quiſque bonis operibus inſudare : illud tamen in maximis habendum eſt , cùm Scriptura mirum in modum laudet eum qui potuit tranſgredi , & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit. Dicitur enim beatum eſſe , & ſtabilita habere bona ſua in Domino. Præterquàm quod à minimo iſto peruenitur ad illud extremum maius , ſiquidem prius & proprius eſt declinare à malo quàm facere bonum , Auguſtino dicente. Quomodo dicturus ſum ei,veſti nudum,qui adhuc ſpoliare vult veſtitum ? Et qui premit ciuem ſuum,quomodo habet ſuſcipere peregrinum? Ergo per ordinem priùs declina à malo, & fac bonum:priùs accinge lumbos tuos, & tunc lucernam accende.

62.

Greg. homil. 15. in Euãg.

Eccli.31.10.

Auguſt.t.10. Serm. 39. de verb. Dom. ſecũdũ Ioan.

Inquire pacem , & perſequere eam. Vtique pacem Dei,quę exuperat omnem ſenſum, & cuſtodit corda noſtra,& intelligẽtias noſtras in Chriſto Ieſu Domino noſtro , iuxta quæ nos docuit Paulus.Eſt enim iſta pax(vt Auguſtinus notauit)ſerenitas mentis,tranquillitas animi,ſimplicitas cordis,amoris vinculum,cõſortium charitatis : eſt quæ ſimultates tollit,bella compeſcit, comprimit iras,ſuperbos calcat, humiles amat , diſcordias ſedat, inimicos concordat. Hanc igitur qui accipit, teneat,qui perdidit, repetat, qui amiſit,exquirat,

63.

Philip.4.7. Auguſt. Ser. 57.de verbis Dom.

rat;quoniam qui in ea non fuerit inuentus, abdicatur à patre, exhæredatur à filio, & efficitur alienus à Spiritu ſancto. Gregorius item Nazianzenus. Pax amica meditatio mea & decus meũ, quam Dei, & cuius Deum, & quam Deum eſſe audimus, velut in illis ad Philipp. 4. pax Dei. & ad Corinth. Deus pacis, & ad Epheſios, ipſe eſt pax noſtra. Pax amica bonum ab omnibus laudatur. Et poſt multa. Latrones quos ſcelus inter ſe deuinxit, pacem colunt, & tyrannidis ſocij, & furti conſortes, & ad ſeditionem coniurati.

Philip.4.7. *1.Cor.13.13.* *Epheſ.2.14.*

64. Inquirenda igitur & perſequenda à nobis pax iſta eſt, id eſt, velit, nolit, tenenda, amplexanda & retinenda inuenta ſemel, & diu noctúque inueſtiganda, terra marique, vel cœlo potiùs exploranda, vſque dum inueniatur, & manu contrectetur: eſt enim promiſſa hominibus bonæ voluntatis. Qui autem potioris voluntatis inter homines, illis qui ſe deuinxerunt ad ſemper declinanda mala, & perſequenda bona? Et certè non aliis lucernis inquiri, & vinculis trahi poteſt attrahique iſta pax, quàm hac iuſtitia legali, quæ mala cauet, & boni præcepta implet: vt enim ſcriptum eſt, *Non eſt pax impiis, dicit Dominus Deus.* & iterum: *Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ; non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum*; id eſt, propter mea peccata, vel ad præſentiam, ſeu ad conſcientiam & recordationem peccatorum meorum. Ita decantatum cœlitus inuenimus; *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* & iterum: *Pax multa diligentibus legem tuam.* & rurſus; *erit opus iuſtitiæ pax.*

Eſaiæ 48.22. *Pſal.37.4.* *Luc.2.14.* *Pſal.118.165.* *Eſaiæ 32.17.*

65. *Et cùm hæc feceritis, oculi mei ſuper vos, & aures meæ ad preces veſtras.* Ecce bonorum quæ retulimus fructum præcociſſimũ, vtique beneuolentiam Dei in eos qui à malo ſe continent, & omni bono indulgent: ſcilicet prouis oculis auribúſque ab ipſo Deo proſpici & audiri. Vt enim mundi ſunt oculi eius ne videãt malum, & reſpicere ad iniquitatem non poſſunt, iuxta Prophetæ verbum; ſic quia iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem videt vultus eius. Et ſicut dum iniquitatem aſpicimus in cordibus noſtris, non exaudit Deus; ita *ſcimus quod ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* Quorum vtrumque trigeſimi tertij pſalmi complectuntur verba; *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum.* Inde Auguſtinus. Oratio iuſti clauis eſt cœli; referat enim illud, vt expeditiùs videatur, & audiatur iuſtus deprecans.

Abacuc 1.13. *Pſal.*10.7. *Pſal.* 65.18. *Ioan.* 9.31. *Aug. Ser.*22. *de tempore.*

66. *Et antequam me inuocetis dicam, ecce adſum.* O maximum beneuolentiæ pignus! Sanè ſi magnum eſt propè eſſe Deum omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate, vt in pſalmo dicitur, & iuxta id quod apud Eſaiam legitur, vtique; *Erit antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus, ego audiam*, quidni ante clamorẽ, & ante inuocationẽ adeſſe, erit maximum? Maximè quod *adeſſe* in ſacris literis non ſolùm ſignificat præſtò eſſe, verùm iuuare & fauere: veluti cùm dixit Iacob.

*Pſal.*144.18 *Eſaiæ* 65.24.

Niſi

Gen.31.42. *Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac adfuisset mihi forsitan modò nudum me dimisisses.* &
Deut.4.7. & Moyses: *Deus noster adest cunctis*;
Sap.10.11. & Sapiens de sapientia iusti. *In fraude circumuenientium adfuit illi, & honestum fecit eum.* Vnde & nos dum imploramus Spiritus sancti opem, dicimus; *Sancti Spiritus adsit nobis gratia.* Cui autem fauet, præstóq; Deus est, quis inficiabitur? Vnde non immeritò Iob dixit ad Deum;
Iob.17.3. *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.*

67. Ideo antequam inuocẽt adest his omnibus Deus, quia præterquàm quod
Psal.10.17. *desiderium pauperum exaudit Dominus, & præparationes cordis eorum audit auris eius*; ipsa vitæ ratio quæ diuinæ concordat voluntati (vt Basilius notauit) dici promeretur continua & indiuulsa oratio. Quare non dicitur, antequam oretis, adsum, sed antequam inuocetis: illud enim orationis genus sicut sine intermissione est, ita sine clamorosa, aut etiam articulata inuocatione: de quo sanè Paulus; *Sine intermissione orate.*

Basil.hom.in Martyrẽ Iulitam.

1. ad Thess. 5.17.

Quid dulcius hac voce Domini 68.
inuitantis nos, fratres charissimi? Ecce pietate sua demonstrat nobis viam vitæ. Equidem si tanta est multitudo dulcedinis Domini quam abscondit timentibus se, vt præmonuit Dauid, quomodo Psal.30.20.
dulcis non erit Dominica vox ad tantam degustandam dulcedinem seriò nos inuitans? Item Matth.11.
si iugum Christi, quia Christi, 30.
suaue est: quid verbum Christi non ad iugum, sed ad requiem, & ad regnum, idéinque æternum nos vocans? Rursum si sonus auium suauis à Sapiente dicitur, quia diem prænuncians, Sap.17.17.
nos ad eius vsuram excitat; quid diuina vox ad ætheream æternámque nos suscitans lucem? Demum si ex dulcedine diuinæ bonitatis prouenit legem præscribere illis, qui per viam oberrant, iuxta illud psal. *Dulcis &* Psal.24.8.
rectus Dominus propter hoc legem dabit delinquẽtibus in via; quidni maximæ dulcedinis erit per viã vitæ nos ducere, & sic nos instruere, vt non aberremus per eam?

§. III. TEXTVS.

SVccinctis ergo fide, vel obseruantia bonorum actuum lumbis nostris, & calciatis in præparatione Euangelij pacis pedibus, pergamus itinera eius, vt mereamur eum, qui nos vocauit, in regno suo videre. In cuius regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis operibus currendo minimè peruenitur. Sed interrogemus cum Prophe-ta Dominum dicentes ei: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Post

hanc

hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum reſpondentem,& oſtendentem nobis viam ipſius tabernaculi,& dicentem.Qui ingreditur ſine macula,& operatur iuſtitiam. Qui loquitur veritatem in corde ſuo,qui non egit dolum in lingua ſua.Qui non fecit proximo ſuo malum,& opprobrium non accepit aduerſus proximum ſuum. Qui malignum diabolum aliqua ſuadentem ſibi, cum ipſa ſua ſuaſione à conſpectibus cordis ſui reſpuens deduxit ad nihilum, & paruulos cogitatus eius tenuit, & alliſit ad Chriſtum.

69. SVCCINCTIS *ergo fide, vel obſeruantia bonorũ actuum lumbis noſtris, & calciatis in præparatione Euangelij pacis pedibus, pergamus itinera eius, vt mereamur eum qui nos vocauit, in regno ſuo videre.In cuius regni tabernaculo ſi volumus habitare, niſi illuc bonis actibus currendo minimè peruenitur.* Dictorum quaſi epitome & concluſio iſta periodus eſt. Pro cuius intelligentia duo hic notanda ſunt.Primum,quod ly *accingere lumbos*, idem ſignificat hic quod parari, & promptum ad currendam viam fieri: veluti cùm in Exodo dicitur ad eos qui more properãtium viatorum celebraturi erant Phaſe: *Renes veſtros accingetis, & calciamenta habebitis in manibus veſtris, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter, eſt enim Phaſe,id eſt,trãſitus:*& cùm apud Numeros dixerunt pedites illi milites;*Nos ipſi armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Iſraël:* & cùm de Elia 3.Regum dicitur;*Accinctis lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Iezraël:*& cùm 4.Reg. dixit Eliſæus ad Giezi; *Accinge lumbos tuos,& tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum,& ſi reſalutauerit te quiſpiam,non reſpondeas illi.*

Exod.12.11.
Num.32.17.
3 Reg.18.46.
4.Reg.4.29.

70. Secundum, quod quia proprium cinguli eſt premere, & veſtes defluentes aſtringere,ideo fidei boníſque actibus noſtris nomen cinguli vel ipſæ Scripturæ aptant,dicentes apud Iſaiam; *Et erit iuſtitia cingulum lumborũ eius,& fides cinctorium renũ eius.* Fides enim(ſi credendorum eſt) non ſinit nos fluctuare & circumferri (quod dixit Paulus) omni vento doctrinæ. Si autem promiſſorum, ſponſorem perſtringit ad ſtandum promiſſis: verba ſiquidem ligant homines, præſertim promiſſoria. Bona enim opera cùm rectificent, & nos in officio contineant, in tranſuerſum effluere non patiuntur.

Eſaiæ 11.5.
Epheſ.4.14.

71. His poſitis, idem eſt dicere, ſuccinctis fide, vel obſeruantia bonorũ actuum lũmbis, pergere Euangelica itinera, ac ſi diceret, quod expediti fide(cuius eſt purificare corda)ſiue bonis actibus(quorum exercitatione prõptiores reddimur ad progreſſum virtutum) Euangelica pergamus

itinera, id est, viam mandatorum Dei, quæ duces simul itineris
Prou.6.23. sunt, vtpote quod *mandatum lucerna est.*

72. Notanda iterum duo alia. Primum est, necessitatem præcingendi nos fide & operibus, explicari hic, dum subiicitur, *vt mereamur eum qui nos vocauit, in regno suo videre.* Cùm enim ex vno capite accedentem ad Deũ oporteat credere, vtpote quod
Hebr.11.6. *sine fide impossibile est placere*
Iacob.2.26. *Deo*: ex altero autem, *fides sine operibus mortua sit, nam etiam damones credunt & contremiscunt*; ideo viatores adulti necesse habent huiusmodi commeatu, si ad patriæ portum, vtique ad visionem beatam fœliciter perventuri sunt. *Non enim* (ait Christus ipse qui venit nos vocare) *omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris*
1. ad Thess. *mei.* Voluntas autem Dei est sanc-
4.3. tificatio nostra, quæ fidem in nobis pariter atque opera exi-
Iacobi 2.24. git, dicente Iacobo; *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.* &
Galat.5.6. Paulo: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.* Vnde Clemens Ale-
Clem lib.5. Strom. xandrinus. Quando audimus, fides tua te saluum fecit, non accipiamus absolutè eos saluos futuros qui quodammodo crediderint, nisi facta quoque fuerint consequuta. Et Hieronymus versans illud Esaiæ, *Murus & antemurale*, dicit murum esse
Hieron. sup. Esaiæ 26.1. bonorum operum, antemurale verò fidei.

73. Secundum, rationem præcingendi lumbos explanati hic cùm dicitur; *In cuius regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus currendo minimè peruenitur.* Etenim processus huius viæ ad patriam cursus appellatur, Paulo dicente; *1.ad Tim.4.7.* *Cursum consummaui*, & iterum, *Act.20.24.* *dumodo cõsummem cursum meũ.* Ratio autem est, quod si *nemo* *Luc.6.62.* *mittens manum suam ad aratrum, retrò respiciens, aptus est regno Dei*, vtpote quod sic retardatur cursus, vel sulcus; necessum erit non tantùm ambulare rectà, verùm properare & currere viam Domini, vt eius ingrediamur tabernaculum. Itẽ si virgines fatuæ, quia tardè *Matth.25.* venientes intrare non potuerunt domum nuptialem, necessum erit maturare gressum, si volumus in Dei tabernaculo recipi.

74. Inde illud Pauli; *Festinemus ergo ingredi in illam requiem,* *Heb.4.4.* vtique quia (vt notauit Diuus Thomas) via æternæ vitæ, id *D. Tho. sup. ad Hebr. 4. lect.2.* est, ad æternam vitam, longissima est, iuxta illud Prouerbiorum, *Abijt via longissima,* & *Prou.7.19.* iuxta illud Lucæ, *Abijt in regionem longinquam.* Et hoc (subiicit Diuus Thomas) propter *Luc.15.13.* distantiam status, quia ibidem plenitudo omnis boni & immunitas ab omni malo, hic autem econtrà est. Item (ait idem) propter vitæ huius breuitatem, iuxta illud Iob, *breues dies hominis sunt.* Et tandem quia tem- *Iob.14.5.* pus vitæ incertum est, dicente Ecclesiastico; *Nescit homo finem suum, & quid superuentura pariat dies.* Constat autem *Eccli.9.12.* quod vbi ad longissimam viam

non

hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum reſpondentem,& oſtendentem nobis viam ipſius tabernaculi,& dicentem. Qui ingreditur ſine macula,& operatur iuſtitiam. Qui loquitur veritatem in corde ſuo,qui non egit dolum in lingua ſua. Qui non fecit proximo ſuo malum,& opprobrium non accepit aduerſus proximum ſuum. Qui malignum diabolum aliqua ſuadentem ſibi, cum ipſa ſua ſuaſione à conſpectibus cordis ſui reſpuens deduxit ad nihilum, & paruulos cogitatus eius tenuit, & alliſit ad Chriſtum.

69. SVCCINCTIS *ergo fide, vel obſeruantia bonorũ actuum lumbis noſtris, & calciatis in præparatione Euangelij pacis pedibus, pergamus itinera eius, vt mereamur eum qui nos vocauit, in regno ſuo videre. In cuius regni tabernaculo ſi volumus habitare, niſi illuc bonis actibus currendo minimè peruenitur.* Dictorum quaſi epitome & concluſio iſta periodus eſt. Pro cuius intelligentia duo hic notanda ſunt. Primum,quod ly *accingere lumbos*, idem ſignificat hic quod parari, & promptum ad currendam viam fieri: veluti cùm in Exodo dicitur ad eos qui more properãtium viatorum celebraturi erant Phaſe: *Renes veſtros accingetis, & calciamenta habebitis in manibus veſtris, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter, eſt enim Phaſe,id eſt,trãſitus:* & cùm apud Numeros dixerunt pedites illi milites; *Nos ipſi armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Iſraël*: & cùm de Elia 3. Regum dicitur; *Accinctis lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Iezraël*: & cùm 4. Reg. dixit Eliſæus ad Giezi; *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum,& ſi reſalutauerit te quiſpiam,non reſpondeas illi.*

Exod. 12. 11.
Num. 32. 17.
3 Reg. 18. 46.
4 Reg. 4. 29.

Secundum, quod quia proprium cinguli eſt premere, & veſtes defluentes aſtringere,ideo fidei boníſque actibus noſtris nomen cinguli vel ipſæ Scripturæ aptant,dicentes apud Iſaiam; *Et erit iuſtitia cingulum lumborũ eius, & fides cinctorium renũ eius.* Fides enim(ſi credendorum eſt) non ſinit nos fluctuare & circumferri (quod dixit Paulus) omni vento doctrinæ. Si autem promiſſorum, ſponſorem perſtringit ad ſtandum promiſſis: verba ſiquidem ligant homines, præſertim promiſſoria. Bona enim opera cùm rectificent, & nos in officio contineant, in tranſuerſum effluere non patiuntur. 70.

Eſaiæ 11. 5.
Epheſ. 4. 14.

His poſitis, idem eſt dicere, ſuccinctis fide, vel obſeruantia bonorũ actuum lũmbis, pergere Euangelica itinera, ac ſi diceret, quod expediti fide(cuius eſt purificare corda)ſiue bonis actibus(quorum exercitatione prõptiores reddimur ad progreſſum virtutum) Euangelica pergamus 71.

itinera, id est, viam mandatorum Dei, quæ duces simul itineris
Prou.6.23. sunt, vtpote quod *mandatum lucerna est.*

72. Notanda iterum duo alia. Primum est, necessitatem præcingendi nos fide & operibus, explicari hic, dum subiicitur, *vt mereamur eum qui nos vocauit, in regno suo videre.* Cùm enim ex vno capite accedentem ad Deũ oporteat credere, vtpote quod
Heb.11.6. *sine fide impossibile est placere*
Iacob.2.26. *Deo*: ex altero autem, *fides sine operibus mortua sit, nam etiam dæmones credunt & contremiscunt*; ideo viatores adulti necesse habent huiusmodi commeatu, si ad pâtriæ portum, vtique ad visionem beatam fœliciter peruenturi sunt. *Non enim* (ait Christus ipse qui venit nos vocare) *omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris*
1. ad Thess. 4.3. *mei.* Voluntas autem Dei est sanctificatio nostra, quæ fidem in nobis pariter atque opera exi-
Iacobi 2.24. git, dicente Iacobo; *Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm.* &
Galat.5.6. Paulo: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.* Vnde Clemens Ale-
Clem lib.5. Strom. xandrinus. Quando audimus, fides tua te saluum fecit, non accipiamus absolutè eos saluos futuros qui quodammodo crediderint, nisi facta quoque fuerint consequuta. Et Hieronymus versans illud Esaiæ, *Murus*
Hieron. sup. Esaiæ 26.1. *& antemurale*, dicit murum esse bonorum operum, antemurale verò fidei.

73. Secundum, rationem præcingendi lumbos explanati hic cùm dicitur; *In cuius regni tabernaculo si volumus habitare, nisi illuc bonis actibus currendo minimè peruenitur.* Etenim processus huius viæ ad patriam cursus appellatur, Paulo dicente; *2. ad Tim.4.7.* *Cursum consummaui*, & iterum, *Act.20.24.* *dummodo cõsummem cursum meũ.* Ratio autem est, quod si *nemo* *Luc.6.62.* *mittens manum suam ad aratrum, retrò respiciens, aptus est regno Dei*, vtpote quod sic retardatur cursus, vel sulcus; necessum erit non tantùm ambulare rectà, verùm properare & currere viam Domini, vt eius ingrédiamur tabernaculum. Itẽ si virgines fatuæ, quia tardè *Matth.25.* venientes intrare non potuerunt domum nuptialem, necessum erit maturare gressum, si volumus in Dei tabernaculo recipi.

74. Inde illud Pauli; *Festinemus ergo ingredi in illam requiem,* *Heb.4.4.* vtique quia (vt notauit Diuus Thomas) via æternæ vitæ, id est, ad æternam vitam, longissima est, iuxta illud Prouerbiorum, *Abijt via longissima,* & *D. Tho. sup. ad Hebr. 4. lect.2.* *Prou.7.19.* iuxta illud Lucæ, *Abijt in regionem longinquam.* Et hoc (subiicit Diuus Thomas) propter distantiam status, quia ibidem plenitudo omnis boni & immunitas ab omni malo, hic autem econtrà est. Item (ait idem) propter vitæ huius breuitatem, *Luc.15.13.* iuxta illud Iob, *breues dies hominis sunt.* Et tandem quia tempus vitæ incertum est, dicente *Iob.14.5.* Ecclesiastico; *Nescit homo finem suum, & quid superuenura pariat dies.* Constat autem *Eccli.9.12.* quod vbi ad longissimam viam

non

non datur niſi breue tempus, & adhuc hoc incertum, quod viator tenetur non ſolùm currere, verùm properare curſum, ſi modò optatum appetit appellere ad portum. Doctè ergo ac piè noſter præceptor aſſerit, ad Dei tabernaculum non peruenîri niſi currendo. Præterquàm 2 *Cor.* 5. 14. quod cùm charitas Chriſti vrgeat nos, & hæc ſit diffuſa in *Rom.* 5. 5. cordibus noſtris, quomodo nos non impellet & exuret ad curſum? Vt igitur ſine charitate ad illud tabernaculum non peruenitur, pariter nec ſine curſu aliquo, ad quem ipſa charitas vrget.

75. *Et calciatis in præparatione Euangelij pacis pedibus.* Dicit autem *calciatis*, &c. vt nos commouefaciat virilitatis & virtutis, quibus via iſta Domini aggredienda eſt, & eius curſus implendus. Quia enim pes calciatus fortiùs quàm nudus, ſecuriúſque ſolo figitur & infigitur, ideo calciati pedes ſymbolum ſunt conſtanter intrepidéque aggredientium res difficiles. Sunt etiam ſymbolum eorum qui promptos habent, ac bene diſpoſitos affectus, quoniam calciati pedes ad motum & greſſum præſtò ſunt. Vnde *D. Tho. ſup. ad Epheſ. 6. lect. 4.* Diuus Thomas verſans locum Pauli, vnde verba iſta deſumpta ſunt, dicit. Calciati pedes, id eſt, affectus diſpoſiti. In cuius ſignum miſit Apoſtolos Dominus calciatos ſandaliis, quæ habent ſubtus ſoleas, *Marc.* 6. 9. per quod ſignificatur alienatio mentis à terrenis; & aperta ſunt ſuperiùs, per quod ſignificatur promptitudo ad perfectam ſapientiam. Et meritò Diuus Thomas in hoc calciamentorum genere myſterium agnouit, quoniam Matthæi 10. calciamenta alia interdicta ſunt, *Matt.* 10. 10. dicente Domino diſcipulis ad prædicationem directis; *Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calciamenta.* Calciamenta (inquit) communia, *Ibi.* 4. non ſandalia, de quibus Marci 6. præcepit eis ne quid tollerent in via niſi virgam: non panem, non peram, neque zonam, &c. ſed calciatos ſandaliis. Præparatio autem Euangelij pacis, idem eſt ac promptos paratóſque nos exiſtere (ita Chryſoſtomus) ad Euangelium (id eſt, ad ſequenda monita conſiliáque Euangelij, quia præparatio Euangelij quid eſt niſi vita optima?) Pacis. Quia pax multa diligentibus legem eius, maximè maximam, qualis eſt Euangelij.

76. *Sed interrogemus cum Prophetа Dominum, dicentes ei: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo; aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Quaſi diceret: vt plena alleguamini mente quanto iure monui, & præmonui vos, cauenda eſſe mala & facienda bona, itineráque Euangelica curſu peragranda, conſulite Deum ipſum, qui vos ad cœleſtia regna vocauit, & videbitis quidnam reſpondeat vobis; interrogate autem illum quis dignus ſit habitatione cœleſti, quæ reapſe eſt illa, de qua prædixit Dauid; *Vnam petij à Domino, hanc requiram.* *Pſal.* 26. 4.

77. Hic obiter notandum eſt, quod licet ly *tabernaculum* pro-

priè significet tétorium castrense, vt Augustinus monuit, & constat ex illis 2. Paralip. *Reuertere Israël in tabernacula tua,* propter quod Ecclesia militans propriè tabernaculum nuncupatur, dum in Apocalypsi dicitur; *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus:* significet etiam pastorum & peregrinantiũ vimbraculum, qualia erant tabernacula Cedar, de quibus Ieremias; *Ascendite ad Cedar: tabernacula eorum, & greges eorum capite.* Et licet tabernaculum sit ædificium extemporaneum, caducum valde ac debile, propter quod Esaias dixit; *Auferetur sicut tabernaculum vnius noctis,* & Ezechias; *Sicut tabernacula pastorum praciſa est velut à texente vita mea.* Quare vitio vertitur verbum illud Petri in transfiguratione, *faciamus hic tria tabernacula,* cùm glorificato principi temporaneum tugurium non expediat. Licet igitur ly *tabernaculum* significet papilionem castrensem, vel tugurium subitarium, nihilominus quia tabernaculorum est protegere, & tutos quos includunt seruare, iuxta illud psal. *Abscondit me in tabernaculo suo in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui,* ideo ipsa Ecclesiá triumphans dicitur tabernaculum.

Aug. ad ps. 14.1.
2. Paral. 10. 16.
Apoc. 21. 3.
Ierem. 49. 28.
Esaiæ 24. 20.
Esaiæ 38. 12.
Matth. 17. 4.
Psal. 26. 25.

78. Patet hoc in primis ex illo psalmi; *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.* & ex illo Christi Domini: *Facite vobis amicos de mãmona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* & tandem ex illo Pauli; *Talem habemus Pontificem qui sedet in dextera sedis magnitudinis in cœlis, Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo.* Et sic accipitur in præsenti, vtique pro triumphante Ecclesia cœlesti Ierusalem, quæ est mater nostra. Idem est dicendum de monte. Ob eminentiam siquidem & celsitudinem montium, meritò cœlestis patria appellatur mons, vt cùm in Exodo dicitur; *Mons hæreditatis tuæ,* & cùm in parabola ouis perditæ dicuntur nonaginta nouem relictæ in montibus, hoc est, in cœlestibus pascuis. Sensus igitur interrogationis est, Domine quis habitabit in cœli tui palatio, requiescétque in perpeti regno illo tuo?

Psal. 42. 3.
Luc. 16. 9.
Psal. 14. 1.
Exod. 15. 18.
Luc. 15. 4.

79. *Post hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum respondentem, & ostendentem nobis viam vitæ.* Quasi diceret, cùm inciuile sit & inurbanũ respõdentem ad interrogata non attendere, maximè si Deus sit qui respondet, eo quod seriò rogatus non semper dignatus est respondere, vt visum est in Chananæa, cui non respondit verbum, & in Herode, de quo Lucas, *interrogabat autem eum multis sermonibus, at ipse nihil illi respondebat,* & in Pilato præside, de quo Matth. *Non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præses vehementer:* necessum est, Deum respondentem interrogationi nostræ expectare, ne incurramus in absurditatem Pilati, qui quærens à Christo; *Quid est veritas?* ante responsionem disparuit.

Matth. 15. 25.
Luc. 23. 9.
Matth. 27. 14.
Ioan. 18. 38.

80. *Qui ingreditur sine macula, & operatur*

operatur iustitiam. Sic infit respõsio Domini, cuius adæquatus sensus est, longè fieri ab omni malo, & facere bonum, seu (vt Theodoretus explicat) ab omni esse reprehensione liberum, omnemque virtutem studiosè percurrere. Per maculam enim propriè Theologi intelligunt (cum Chrysostomo sup. verba psalmi) peccati infectionem habitualem, hoc est, statum peccati, & peccatoris tam veniali quàm etiã mortali infecti. Licet enim sola macula peccati mortalis sit absolutè & simpliciter macula, vtpote quæ sola est priuatio habitualis gratiæ, ordinis ac nitoris animæ, vt habet D. Thom. & proinde quæ sola reddit hominem simpliciter maculatum, impurum & immundum, & consequenter iure à iure regni Dei & facialis visionis excluſum: nihilominus quia peccatum veniale infert etiam aliqualem maculam in anima, vt ipse quoque D. Thom. asseruit; & potest colligi ex eo quod qui à venialibus absoluuntur, dicuntur etiã iustificari & mundari; & quia fidelium defunctorum animæ nisi vel pœnitentia in hac vita, vel igne purgatorio in alia purificentur ab eis, detinentur ab ingressu regni cœlorum, eo quod nihil coinquinatum illuc intrabit. Quare cùm hic sermo de ingressu in beatitudinem sit, & non tantùm de iure illuc intrãdi, necessum est, nomine maculæ subintelligere omnem omnis culpæ maculam, mortalis scilicet & venialis, in quibus omne malum vitandum, fugandum, & cauendum à nobis consistit.

Theod. in ps. 14. 2.

Chrysost. sup. psal. 14. 2.

D. Th. 1. 2. q. 86. art. 1. ad 2.

Idem 3. p. q. 87. ar. 3.

Apocalyp. 21. 27.

Scio D. Thom. aliquando negasse ex veniali peccato deriuari maculam in animam. At intelligendum est de macula simpliciter dicta, quæ simpliciter inficit animam, & eam immũdam reddit. Hæc enim relinqui non potest ex veniali culpa, quæ quantumuis grauis, adhuc si absque mortali est, nec reddit, nec nominat animam immundam, sed potiùs relinquit mundam, & simpliciter immaculatam, & tãtum secundum quid impuram, dicente Domino: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet. sed est mundus totus*; vtique adinstar illius qui à balneo egrediens pedes figit in limosa terra. Is enim licet antequam se calceis induat, opus habeat, luto infectas plantas abluere, nihilominus tamen absolutè dicitur lotus & totus mundus, impurus autem non nisi secundum quid. Sensus igitur huius primæuæ conditionis est, cœli palatia ingressuros procul fieri debere ab omni malo, siue cauendo illud per innocentiam, siue expellendo ipsum per veram pœnitentiam, siue per alia media ad huiusmodi commodum instituta. 81.

D. Th. 1. 2. q. 89. ar. 1.

Ioan. 13. 10.

Et operatur iustitiam. Hoc est omne virtutis opus iniunctum. Licet enim non omne debitum sit ex iustitia, quia plura sunt ex æquitate, ex charitate, ex pietate, ex præcepto, atque similibus, omne tamen debitum honestatis & studiositatis ex iustitia dicitur apud literas sacras: vt patet vel in ipsis misericordiæ operibus, v. g. eleemosyna, quæ quatenus egentibus ex charitate debita appellatur iustitia apud Matthæum, 82.

Matth.6.1. thæum, vbi dicitur: *Videte ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* & in psal. *Dispersit, dedit pauperibus,* *Psal.111.7.* *iustitia eius manet in seculum seculi.* Quare cùm in Actis Apo- *Act.10.35.* stolorum dicitur; *In omni gente qui operatur iustitiam, acceptus est illi*, de vniuersali virtute inter- pretantur Chrysostomus, Oecumenius, & alij. Nec mirum: vt enim ipse Arist. asserit, iustitia in se virtutes cõtinet omnes. Quia verò quæ de præcepto sunt, maximè sub debito sunt, ideo maximè dici possunt iustitia quam operari tenemur, cùm scriptum sit; *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Chrysost. & Oecum. sup Act.10.35. Arist.5.Ethicorum.

Matth.19.17.

83.

Nomine item iustitiæ non incongruè posset hic intelligi ipsamet gratia habitualis Dei, quam Concilia & Patres crebrò iustitiam appellant; imò & ipsæ sacræ literæ, iuxta illud psal. *Ego* *Psal.16.15.* *autem in iustitia apparebo in conspectu tuo. Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* & iuxta illud Za- *Luc.1.75.* chariæ, *in sanctitate & iustitia coram ipso*: & iuxta illud Petri, *pec-* *1.Petr.2.24.* *catis mortui iustitiæ viuamus.* Ratio autem est, quoniam sola habitualis gratia iustos & sanctos nos reddit. Et certè cùm hæc sola sit formaliter expultrix mortalis maculæ proximè dictæ, videtur de illa intelligendum hic huiusmodi verbum, quandoquidem sine iustitia ista non expellitur illa.

84. Et licet iustitia hæc (quę gratia Dei est) à solo Deo sit, quia solius Dei est dare gratiam & gloriam: tamen quia sicuti non dat gloriam adultis, nisi dignè promerentibus eam, sic nec huiusmodi gratiam, nisi disponentibus se ad illam, & quidem per acerrimos actus credendi, sperandi, amandi, veréque de peccatis commissis dolẽdi. Propter quod dixit Paulus, *factores legis iustificabuntur*, & Iacobus; *Videtis quo-* *Rom.2.13.* *modo ex operibus iustificatur homo*; ex operibus vtique supernis, *Iacobi 2.24.* quæ moraliter disponunt ad gratiam, licet non meritoriè. Qui ergo sic operatur iustitiam, requiescet in monte sancto Dei, quoniam sic facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, quæ maculam omnem abstergit, sed potiùs dat gloriam.

85. *Qui loquitur veritatem in corde suo qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit aduersus proximos suos.* Hæc est secunda pars responsionis Dominicæ, qua peccata in proximum prohibentur: non quia in proximum tantùm peccare contingat, cùm etiam peccemus in Deum, atque in nos ipsos, vt patet ex diuisione peccati apud D. Tho- *D. Tho.1.2.* mam; sed quia peccata in proxi- *q.71.* mos sunt in quæ magis incurrimus, & quæ minus curamus, præsertim ista mentiendi, decipiendi, nocendique illis, & pronis auribus excipiendi probra quæ audimus in eos; de aliis autẽ peccatis dicetur à numero 95.

86. Dicitur autem in primis; *Qui loquitur veritatem in corde suo*, id est, qui veritatis studiosus est, & verè amicus veritatis: vtpote quod inter ornamẽta & pignora honesti viri ac probi, primum & potissimum est, & quasi aliorum radix esse veritatis amatorem. Ex quo Ecclesiastici illud; *Ante* *Eccli.37.20.*

omnia

omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum cõſilium ſtabile, vtpote quod ſic omnia rectè fient. Item & illud de Anania principe in 2. Eſdræ; *Ipſe quaſi vir verax, timẽs Deum plus cæteris videbatur.* Quare vel ipſa omnia virtutum exercitamenta ſub veritatis nomine cõprehenduntur, dicente Domino; *Qui facit veritatem venit ad lucem, vt videantur opera eius, quia in Deo ſunt facta.* Contrà verò prima improbi hominis nota, & quaſi aliarum ſcaturigo eſt, eſſe mendaciorum atque figmentorum ex corde architectũ, iuxta Eſaiæ illud; *Numquid nõ vos filij ſceleſti, ſemen mendax?* & iuxta illud Pauli, *Cretenſes ſemper mẽdaces, ventres pigri, malæ beſtiæ.* Vnde apud Ioannem diabolus malorum omnium opifex, pater mendacij appellatur. Propterea vt Deum omnis boni fontem, hominem verò omnis mali fontem, Deum omni bono conſpicuum, hominem verò omni malo obnoxium, ſubindicaret Paulus, dixit; *Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.*

2. Eſdræ 7. 2.
Eſaiæ 57. 4.
ad Tit. 1. 12.
Ioan. 8. 44.
Rom. 3. 4.

87. *Qui non egit dolum in lingua ſua.* Ab eo qui loquitur veritatem in corde ſuo, iure exigitur ne agat dolum in lingua ſua: aliis autem, eſſet ſurdis canere, ſiquidem *ex abundantia cordis os loquitur.* Cordi enim maximè congruit illud; *Arbor bona non poteſt malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere,* & proinde cor veritatis non poterit falſa & deceptoria loqui, nec cor falſitatis vera. Cui enim veritas cordi eſt, & labiis erit; cui verò dolus, dolosè aget: at non impunè, cùm ſcriptum ſit; *Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus.* & iterum, *muta fiant labia doloſa,* & tandem, *propter dolos poſuiſti eos,* id eſt, deposuiſti ac deturbaſti. Nec mirum, nam *abominatio eſt Domino omnis illuſor*, & *maledictus doloſus*, vtique à Deo & hominibus, cuius memoria perpete in maledictione eſt. Cùm igitur id valde diſſentaneum ſit montem Dei ſanctum ingreſſuris, vtpote qui non maledicti, ſed benedicti patris dicendi erunt, conformesque futuri imagini filij Dei, de quo ſcriptum habemus, *qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*; neceſſum eſt ab omni dolo longè facere linguam.

Ioan. 3. 21.
Pſal. 5. 7.
Pſal. 30. 18.
Pſal. 72. 18.
Prou. 3. 32.
Malach. 1. 14.
1. Petr. 2. 22.

88. *Nec fecit proximo ſuo malum.* Vtique non tantùm oris, (de quo præcedẽti verbo) ſed neq; operis, & proinde nullum. Et meritò quidem: nam ſi retalliare, & malo malum penſare non permittitur, iuxta illud Petri, *nulli malum pro malo reddentes, neque maledictum pro maledicto*, conſequens eſt vt multo minus detur impetere, & primò aggredi, & mali originem fieri. Maximè quod ſi natura mõſtrante Decalogi lege inſtruimur; Quod tibi nõ vis fieri, alteri ne feceris, ſeu, quod ab alio oderis fieri tibi, alij ne feceris, neceſſum eſt quod ſicut naturaliter abhorremus malanobis fieri, ita & à nobis. Vnde Chryſoſtomus. Homini præter naturam eſt feritas, feris autem præter naturam mãſuetudo. Vtpote quod rationalis natura in proximorum propendet indemnitatem, (quia ſumus inuicem membra)

1. Petr. 2. 22.
Matth. 12. 34.

membra) nō autem irrationalis. Et nihilominus ipſemet Chryſoſtomus monuit homines ſæpe crudeliores feris inueniri: quòd ſatis liquet ex illis verbis pſal. *Cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutiſſent nos.* Quæ enim tam immanis fera, quæ viuum deglutiat, & non potiùs dilaceratum hominem?

89. Cùm igitur abſque charitate nemo viſurus ſit Deum, charitas autem non ſolùm non faciat, verùm neque cogitet malum, nec quidquam agat perperam, vt
1. *Cor.* 13. 3. Paulus nos docuit, conſequens eſt quod ad beatitudinis portum peruenire non valeat qui proximo ſuo malum intulerit.
1. *Ioan.* 3. 15. Vnde Ioan. *Omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt*; &, *ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo*
Hebr. 12. 15. *manentem*; & Paulus, *contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei*: ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.

90. *Et opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos.* Triplex huius verbi ſenſus eſt. Primus Auguſtini dicentis, opprobrium nō accipere aduerſus proximos, eſſe idem ac non libenter, aut temerè credere criminatori. Cùm enim graue admodum ſit non ſolùm effutire probra & conuicia in proximos, verùm conuiciatoribus credere, & illis fidem leuiter facere, iure cauetur hoc incommodum, non ſolùm quia de ſic credentibus apprimè verificantur illa Eccleſiaſtici verba,
Eccli. 19. 4. *qui credit citò, leuis eſt corde*; ſed etiam quia credulitas hæc cedit in maximum proximi præiudicium: vtpote quod immeritò priuatur honore, quem iure apud tales habere debebat.

91. Secundus eſt Theodoreti, exponentis eatenus probra in proximos non accipi, quatenus illis non inſultamus, aut irridemus propter notas ac defectus aliquos, in quos nouimus, vel audiuimus prolapſos fuiſſe. Etenim vt accipere opprobrium aduerſus proximos, idem eſt ac ſe armare & munire conuiciis hinc vel inde auditis, aut fortè machinatis, ad ſugillandos, quando libuerit, proximos: ſic opprobria aduerſus illos non accipere, eſt audita aduerſus illos opprobria non curare, ſed procul abiicere; quia ſcriptum eſt: *Audiſti verbum contra proximum tuum, ſtatim moriatur in te.* Si enim Sol non debet occidere ſuper iracundiam noſtram, iuxta Pauli *Eccli.* 19. 10.
Epheſ. 4. 25. verbum, ad quid iracundię arma diu retinenda ſunt?

92. Tertius ſenſus eſt, audienda nō eſſe opprobria aduerſus proximos noſtros. Etenim ly *accipere* frequenter apud literas ſacras ſignificat idem quod ly *audire*, vti cùm ad Galatas dixit
ad Galat. 1. 11. Paulus; *Euangelium quod euangelizatum eſt à me, non eſt ſecundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici.* & alibi: *Cùm accepiſſetis à nobis verbum*
1. *Theſſ.* 2. 13. *ſalutis Dei, accepiſtis illud non ſicut verbum hominum, ſed ſicut verè eſt verbum Dei.* Quare opprobria non accipere, idem eſt quod gratas & alacres detractoribus aures non præbere, ſed potiùs illas auertere, & penitus obturare. Et meritò ingreſſuris cœlum hoc prærequiſitum intimatur,

matur, quia non tantùm oportet conuicia in proximos non iactare, verùm neque dum iactãtur, vel etiam dum referuntur, audire: ſed potiùs obturare aures, iuxta Eccleſiaſtici monitum;

Eccli.28.29. *Sepi aurem tuam ſpinis, & noli audire verbum nequam.* Vel ſaltem ingratam aurem, vultumque toruum detractoribus exhibere, vt ſic à detrahendo deſiſtant,

Prou.25.23. quia ſcriptum eſt, *Ventus aquilo diſſipat pluuiam, & facies triſtis linguam detrahentem.* Vnde Hie-

Hieron. apud D. Tho. ſup. pſal.14. rony. Si non eſt auditor, non eſt detractor. Quare tam malè audiũt audiẽtes detractores, quàm

Bern. 2. de Conſid. detractores ipſi, dicente Bernardo. Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius ſit, non facile dixerim. Sed de

D.Th.2.2.q. 73.art.4. his multa D.Thom. Itaque eloquio iſto monemur detractoribus non leuiter habere fidem, neque inſiſtere dictis illorum, & demum non præbere aures detractionibus eorum.

93. *Qui malignum diabolum malignè ſuadentem ſibi cum ipſa ſuaſione ſua à conſpectibus cordis ſui reſpuens deduxit ad nihilum, & parvulos cogitatus eius tenuit, & alliſit ad Chriſtum.* Verba pſalmi habent; *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus*, quæ de malignante homine expoſitores accipiunt, ita vt ſenſus ſit: ingreſſurus montẽ Domini, non tantùm non debet curare, attendere, aut expectare detrahentium verba & opprobria, verùm malignantes ipſos, etiam ſi aliàs optimates & proceres, omnino deſpicere, nec pili facere ac pro nihilo habere; econtrà verò timentes Deum, etiamſi yiliſſimos & abiectiſſimos mundi, magni facere: hoc enim eſt quod ſubiicitur: *Timentes autem Dominum glorificat.*

94. At præceptor noſter de malignante diabolo verbum iſtud intelligit, vt etiam intellexit Hieronymus. Fortè quia malignantium primas diabolus eſt, & quoniam ſermo eſt (vt dicam) ad Monachos. Monachi autem ſunt (vt Chryſoſt. habet) qui vrbes & tumultum plateãrum fugientes, in montibus viuere maluerunt, vbi nihil ſibi cum his rebus ſecularibus commune eſt. Vbi nihil humanarum rerum perturbat moleſtia, non dolor, non acerbior cura, non pericula, non liuor, non turpis amor, non alia huiuſmodi, ſed quæ ſunt futuri regni iam meditantur. Ex quo ſequitur, Monachorum colluctationem non tam fieri aduerſus carnem & ſanguinem, quàm aduerſus principes & poteſtates tenebrarum harum, & aduerſus ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus, vtique aduerſus diabolos. Quare qui maximè Monachos diuexarunt, diaboli ſunt, vt patet in Antonio magno & Benedicto ipſo: & qui diabolũ maximè deuicerunt, & deduxerunt ad nihilũ, Monachi fuerũt, vtique Antonius magnus, & Benedictus ipſe: & ideo ſuos Monachos monuit Pater iſte ſanctiſſimus malignum diabolum malignè nobis ſuadentem ad nihilũ deducere, fugare, & retrò pellere, *quoniam qui malignantur* (ait Dauid) *exterminabuntur.* Tunc autem verè exterminatur, quando (vt hic dicitur) cum ipſa ſua ſuaſione à

Hier. ſup. pſ. 14.

Chryſ. hom. 69. in Matth.

Pſal 36.8.

conſpectibus cordis reſpuitur, id eſt, toto corde irridetur, & prorſus illiminatur. Sic autem fugato deuictoque aduerſario iſto, magna nobis ſpes affulget cauendi peccata, non ſolùm contra proximos, de quibus hactenus, verùm & contra nos ipſos, & contra ipſum Deum, de quibus in ſequentibus.

95. *Et paruulos cogitatus eius tenuit, & alliſit ad Chriſtum.* Hæc verba iam non ex pſal. 14. ſed ex pſal. 136. deſumpta ſunt. Verba enim pſal. 14. habent; *Qui iuxta proximo ſuo, & non decipit, qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.* At quia hæc longè à Monachis, & à Monachorum ſtudio valde ſunt aliena, ideo illis prætermiſſis, quæ Monachos tangunt tam in ordine ad proximos, quàm etiam ad Deũ, atque ad ſeipſos, ſubiicere noſter legifer voluit dicens, & *paruulos cogitatus eius tenuit, & alliſit ad Chriſtum.* Quæ adhuc non ſunt verba pſalmi 136. ſed illorum commentarium atque expoſitio. Pſalmi enim elogium habet; *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* At quia per ly *paruulos* intellexerunt Hieronymus & Auguſtinus cogitationes prauas, & cupiditates improbas ſenſim & fraudulenter ſuborientes, nondum robore præſtantes, aut conſuetudine vigentes: per ly autem *petra*, Chriſtum, vtpote cuius ſoliditate & virtute vt optima quæque ſubſiſtunt, ita improba omnia concidunt: meritò vice textus gloſſam Diuus Pater attexuit dicens, & *paruulos cogitatus eius tenuit, & alliſit ad Chriſtum.*

Pſal. 136. 9.

96. Cùm enim non ſit datum aliud nomen hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, vtpote quod ſine ipſo nihil poſſumus facere, neceſſum eſt ad Chriſtum confugere, vt etiam minimas affectuum improborum cogitationes allidamus: ipſe enim redemit nos de maledicto legis, hoc eſt, de tranſgreſſionibus, & proinde de comminationibus quæ legem comitantur; ab his autem redemit, quatenus meruit nobis auxilia gratiæ, quibus irritamenta omnia ad culpam ſuperaremus. Quod ſi vt paruulos cogitatus allidamus, opus eſt cõfugere ad Chriſtũ, quid vt maiores & arduos? Licet ad declinãdos iſtos opus ſit ſuperare & non negligere illos, quia ſcriptũ eſt, *qui ſpernit modica paulatim decidet.* Maximè quod quæ debilia & parũ nobis robuſta videntur, ſæpe tranſcurſu temporis acerrima deprehenduntur, vt patet in febri quæ nimius eſt calor oſſium: hæc enim lenta dicitur, & tamen cæteris truculentior eſt, vtpote ethica, quæ terminatur in tabe. Inde myſticè ſcriptum habemus; *Capite nobis vulpes parulas quæ demoliuntur vineas,* hoc eſt, cohibete prauas leuiter ſe inſinuantes cogitationes, quæ exterminant (ait Auguſtinus) ex anima virtutum flores, & fructum fidei interimunt.

Ioan. 15. 5.

Eccli. 19. 1.

Cant. 2. 15.

§. IV. Textus.

§. IV. TEXTVS.

QVI timent Dominum, de bona obſeruantia ſua non ſe reddunt elatos: ſed ipſa in ſe bona non à ſe poſſe, ſed à Domino fieri exiſtimantes, operantem in ſe Dominum magnificant, illud cum propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Sicut nec Paulus Apoſtolus de prædicatione ſua ſibi aliquid imputauit dicens; Gratia Dei ſum id quod ſum. Et iterum ipſe dicit: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Vnde & Dominus in Euangelio ait; Qui audit verba mea hæc, & facit ea, ſimilabo eum viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram. Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit, quia fundata erat ſupra petram. Hæc complens Dominus, expectat quotidie his ſuis monitis ſanctis, factis nos reſpondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum huius vitæ dies ad inducias relaxantur, dicente Apoſtolo: An neſcis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? nam pius Dominus dicit: Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat. Cùm ergo interrogaſſemus Dominum, fatres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum. Sed ſi compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cœlorum.

97. QVI *timent Dominum, de bona obſeruantia ſua non ſe reddunt elatos: ſed ipſa in ſe bona non à ſe poſſe, ſed à Domino fieri exiſtimantes, operantem in ſe Dominum magnificant, illud cum propheta dicentes: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriã. Sicut nec Paulus Apoſtolus de predicatione ſua ſibi aliquid imputauit, dicens; Gratia Dei ſum id quod ſum. Et iterum ipſe dicit: Qui gloriatur, in Domino glorietur.* His proponit S. Doctor & probat honorandum à nobis eſſe Deum tanquam omnium bonorum noſtrorum authorem & opificem. Quod adeò verum eſt, vt Concilium Arauſicanum II. definiendo dicat. Diuini muneris eſt cùm & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & iniuſtitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiſcum vt operemur, operatur. Et rurſum. Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum. Siquis autem homo habet veritatem, atque iuſtitiam, ab illo fonte eſt quem

Conc. Arauſ. can. 9.

Idem can. 24.

debemus sitire in hac Eremo, vt ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via. Et D. Bernardus. Homo nihil boni habet proprium, cuius via non est eius; testante prophetа, Scio Domine quia non est hominis via eius, neque viri vt ambulet, & dirigat gressus suos. Et post multa. Idco solus Deus dicitur bonus, quia solus per se bonus est. Vt ergo (quod Esaias dixit) non potest exaltari serra contra eum qui secat in ea: sic nec homo in Deum, qui bene & ad omnia bona vtitur illo.

Bern. de modo viuendi Ser. 3.

Ierem. 10. 23.

Esaiæ 10. 23.

98. *Vnde Dominus in Euangelio ait; Qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit, quia fundata erat supra petram.* Etenim cùm in fine psalmi 14. (vnde potiora responsionis istius desumpta sunt) legatur; *Qui facit hæc, non mouebitur in æternum*, progreditur S. Pater agere de securitate stabilique firmitate perfectorum dicens, quod obtemperantes prædictis monitis Dei, inconcussi ad omnem incursum erunt, non secus ac domus supra firmam fabrefacta petrã. Quod satis corroboratum videmus illo verbo Petri: *Satagite vt per bona vestra opera certam faciatis vestram vocationem & electionem. Hæc enim facientes non peccabitis.* & etiam illo Pauli: *Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Quæ omnia maximè pro beatorum statu intelligenda sunt, vtpote quod omnis & solus beatus extra aleam est, cùm ad illum nullum accedat malum, neque flagellum appropinquet tabernaculo suo, eo quod absconditus est in abscondito faciei Dei. Nihilominus etiam congruenter accipiuntur de viatoribus, voluntatem Dei per omnia exequentibus, quos persequutionum impetus non deturbant, nec de gradu eiiciunt, dicente Paulo: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia?* &c.

Esaiæ 10. 23.

Rom. 8. 35.

Assimilatur autem qui audit, & facit verba Dei, sapienti qui ædificauit domum suam supra petram, quoniam vt opificium domus stabilis & permanentis non vna vel altera, sed multis operationibus coalescit: sic & erectio fabricæ, per quam ad æternæ vitæ fastigium tutò procedendum & ascendendum est. Quare habemus in psalmis: *Tunc non confundar cùm perspexero in omnibus mandatis tuis*; & apud Iacobum, *Qui peccat in vno, factus est omnium reus.* Vnde opus est plenitudine legis ad plenitudinem securitatis.

99.

Psal. 118. 6.

Iacobi 2. 10.

Hæc complens Dominus expectat quotidie his monitis suis sanctis, factis nos respondere debere. Ideo nobis propter emendationem malorum huius vitæ dies ad inducias relaxantur, dicente Apostolo: An nescis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? nam pius Dominus dicit: Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Quia Deus conuentis stat, expectat quotidie an stemus

100.

2. Petr. 1. 10.

1. ad Thess. 3. 13.

etiam

ętiam & nos, ad quod sanè dies vitæ nostræ producit, nósque ad pœnitentiam patientia sua prouocat, quia non vult mortem animæ nostræ, sed potiùs vitam æternam illius. Etenim si Deus, cuius nihil interest præter commodum nostrum, tam promptus atque præstò est, quinimò tam profusus in adimpletione illorum quæ nobiscū fœdere iniit: quid nos oportebit esse, cùm in eo omnis res nostra agatur, totámque nostram rem res ista contineat? At his planè hauri-
1. *ad Tim.* 2. 4. mus quanto iure de Deo Paulus dixerit; *Qui vult omnes homines saluos fieri*: vtpote quod sensus
D. Tho. *sup. ad Titum cap.* 2. & 1. p. q. 22. art. 2. huius verbi est, iuxta D. Thomam & alios, Deum exhibere omnibus omnia quæ ad salutem sufficiunt, ita vt ni per illos stet, infallibiliter salui fiant, vtpote qui salui fieri possunt. Hoc enim quod est conuenire Deum cum hominibus, & pacisci cum eis, vt si declinauerint mala, & fecerint bona quæ ipse ostendit eis, & ad quæ cauēda & prosequenda ministrat prærequisita auxilia, & quasi sub manu consilij corū relinquit, citò securi erunt, & perpete fruentur illo; quid aliud est quàm verè ac syncerè velle eos saluos fieri? Sicut applicare media congruentia & proportionata fini, quid aliud esse potest quàm velle re ipsa finem? hoc est, adeptionem finis.

101. Maximè quod Deus ipse non tantùm quæ sui muneris sunt exitu complet, verùm totos integros dies insumit expectando semper, atque speculando an etiam homines quæ ad illos pertinent, opere & euentu perficiant; & quia videt illos de die in diem facienda differre, & semper procrastinare, dies supra dies illorum adiicit, induciásque sic illis præbet, si fortè qui minus hodie, cras magis aptus sit: dicente Augustino. Omnis malus ideo viuit, vt corrigatur. *Aug. sup. ps.* 54. 1.

Inde D. Petrus: *Non tardat* 102.
Deus promissionem suam, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam venire. Constat igitur velle Deum omnes homines saluos fieri, voluntate vtique signi, cùm tot huius voluntatis argumenta & signa erogauerit, vt iure apud Esaiam roget; *Quid est quod vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci?* Sed vtinam non inclamet quod eo loci sequitur. *Expectauit vt faceret vuas, fecit autem labruscas.* Sed apage ô Deus tantum nefas à vinea Benedictinorum ista, quam iura sacra agrum Dominicum vocant in Clementina, *Ne in agro Dominico*, ex Conc. Viennensi.

Cùm ergo interrogassemus Dominum, fratres, de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum. Sed si compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cælorum. Conclusio hæc est edictorum & prædictorū compendium, quo monemur promissionem regni cœlestis, non quidem absolutam, sed conditionatam esse: & proinde eatenus exequutioni dandam, quatenus nos pacti & conuentionis leges seruauerimus, non aliter, neque alio modo. Quod sanè est illud Matth. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* & illud *Matt.* 19. 17.

Rom.8.17. Pauli ; *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, vt & conglorificemur. &* rursum; *Fidelis sermo: nam si commortui sumus, & conuiuemus. si sustinebimus, & conregnabimus.* 2.ad Tim.2. 11.

§. V. TEXTVS.

ERgo præparanda sunt corda nostra & corpora sanctæ præceptorum obedientiæ militatura. Et quod minus habet in nobis natura possibile, rogemus Dominum, vt gratiæ suæ iubeat nobis adiutorium ministrari. Et si fugientes gehennæ pœnas ad vitam volumus peruenire perpetuam, dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus, & hæc omnia per hanc lucis viam vacat implere, currendum, & agendum est modò, quod in perpetuum nobis expediat. Constituenda est ergo à nobis Dominici scholа seruitij. In qua institutione nihil asperum, nihilque graue nos constituturos speramus. Sed & si quid paulum restrictiùs, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, vel conseruationem charitatis processerit, non illicò pauore perterritus refugias viam salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda. Processu verò conuersationis & fidei dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mãdatorum Dei: vt ab ipsius numquam magisterio discedentes, in eius doctrina vsque ad mortem in Monasterio perseuerantes, passionibus Christi per patientiam participemus, vt regni eius mereamur esse consortes. Amen.

104. ERGO *præparanda sunt corda nostra & corpora sancta præceptorum obedientiæ militatura.* Hic exhortamur præparare non tantùm corda, verùm & corpora: quia sicut non tantùm corde, sed etiam corpore regnandum est, ac requiescendum, ita & laborandum. Propter quod dixit Dauid : *Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos & cor meum.* & Paulus ; *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei,* vtpote quod tam corporis quàm etiam spiritus anxietatibus promerendum est. Conditionalis igitur pactio ista de cœli consequutione facta est. Vnde Ambrosius explicans illud Pauli ; *Qui vult omnes homines saluos fieri,* dicit: In loquutione sensus est, cõditio latet. Et mox. Vult omnes homines saluos fieri, sed

Ps.25.2. Act.4.22.

ſed ſi accedant ad eum. Iure igitur præceptor ſanctiſſimus commonet hic catenus nos habitatores futuros tabernaculi Dei, quatenus habitatoris officium ſanctè compleuerimus.

105. *Quod minus habet in nobis natura poſſibile, rogemus Dominum, vt gratiæ ſuæ iubeat nobis adiutorium miniſtrari.* Vnum hic ſupponitur, & alterum præcipitur: ſupponitur quidem vires naturæ noſtræ non ſufficere ad omnia quæ requirit ſalus animæ noſtræ, ſed Dei gratiam ad hæc neceſſariò deſiderari. Quod ſanè Catholicum dogma eſt, vtpote quod non ſolùm ad meritum, & propter meritum æternæ patriæ prærequiratur gratia, (vt latè à D. Thoma oſtenditur, & ab Auguſtino aſſeritur, dum dicit, quod ſine gratia in nullo ſtatu meritum eſſe potuit) ſed etiam propter multa præclara & excellentia opera, ad quæ præceptorum legibus obligamur, vt etiam ex profeſſo D. Thomas monſtrauit, & Auguſtinus oſtẽdit dicens. Liberum arbitrium ad malum ſufficit; ad malum autem parum eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono.

D. Tho. 1.2. q. 114. art. 2. Aug. in Enchir. c. 106.

D. Tho. 1.2. q. 109. art. 2. Aug. de corr. & gra. c. 11.

106. Inde pſalmorum illa oracula. *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum. In te inimicos noſtros ventilabimus cornu. & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis. In Deo faciemus virtutem.* Et illud Pauli; *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.* Et illud Ezechielis; *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.*

Pſal. 17. 30. Pſal. 43. 6. Pſal. 59. 14. Rom. 8. 23. Ezech. 36. 27.

107. Quod autem præcipitur id eſt, vt hanc Dei gratiam nobis affuturam rogemus, & ore petamus. Quod iure ſubiunctum eſt: tum quia ſic magis indigentiam noſtram coram ſummo Deo profitemur; vti cùm quotidianum panẽ ſolemni prece ab illo quotidie efflagitamus. Tum quia ſic magis deſiderium noſtrum exercetur, cordáque ad recipienda quæ petimus digniùs præparátur, dicente Auguſtino. Qui nouit bona data dare filiis ſuis, petere nos & quærere, & pulſare compellit, quod quare faciat, qui nouit quid nobis neceſſarium ſit, priuſquàm petamus ab eo, mouere animum poteſt, niſi intelligamus quod Dominus & Deus noſter non voluntatem noſtram ſibi velit innoteſcere, quã non poteſt ignorare, ſed exerceri orationibus deſiderium noſtrum, quò poſſimus capere quod præparat dare. Illud enim valde magnum eſt, ſed nos ad accipiendum parui & anguſti ſumus. Et alibi. Non potuit dici, mandata eius grauia non ſunt, niſi quia petimus id quo deſtituimur, vt impleatur quod iubetur. His ſubiiciamus Leonem magnum dicentem. Si quid impoſſibile aut arduũ in mandatorum effectibus experimur, ad iubentem recurramus, qui ideo dat præceptum, vt exalter deſiderium.

Aug. ep. 121. cap. 8.

Idem de gra. & lib arb. c. 69.

Leo Ser. 4. in Quadrageſima.

108. Neque obſtant quæ ſuprà numer. 100. diximus, vtique Deum ſuppeditare omnib. omnia prærequiſita ad ſalutem: illud enim potiùs arguit, quàm redarguit iſtud, vtpote quod vt decreuit Deus conuerſionem Pauli, ſic

& orationes Stephani tanquam media consona ad talem finem; vt etiam salubres saturosque pariter decreuit annos, non vtcumque, sed dependenter ab Ecclesiæ precibus & orationibus, licet tam salubritas quàm saturitas habeant determinatas & necessarias causas, vtpote naturales, de quibus D. Thomas. Quare licet Deus sanxerit apud se, auxilia prærequisita ad salutem præstare omnibus, simul cum hoc stat decreuisse collationem eorum futuram dependenter ab orationibus illorum qui talibus auxiliis vsuri sunt. Vt enim D. Thomas obseruauit, ex diuina prouidentia non solùm disponitur qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, & quo ordine proueniant. Inter alias autem causas sunt orationes: quia (vt Gregorius dicit) orationibus homines merétur accipere, quæ Deus omnipotens ante secula eis disposuit dare. Inde scriptum est; *Petite, & accipietis.* Certè eadem, & non alia, quæ priùs Deus nobis dare constituit.

D.Tho. 2.2. *q.*83. *art.*2.

Idem ibidē.

109. *Et si fugientes gehennæ pœnas, ad vitam volumus peruenire perpetuam, dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus, & per hanc lucis vitam vacat implere, currendum, & agendum est modò, quod in perpetuum nobis expediat.* Vt eodem motu quo recedimus à sinistra, tendimus in dextram, nec datur medium inter hoc quod est deserere terminum à quo, & acquirere terminum ad quem: sic eodem gressu & actibus quibus à morte æterna, & gehennæ ignibus deuiamus, ad æternam vitam, & gaudia cœlestis patriæ perducimur. Idcirco palmitibus comparamur, dicente Domino; *Ego sum vitis, vos palmites.* Vt pote quod (vt obseruauit Augustinus) vnum de duobus palmiti congruit, aut vitis aut ignis. Vt ergo in igne non sit, in vite sit. Hoc est, vt extra Dei gratiam non sit, in eius gloria permaneat; vt fugiat pœnas æternas, æterna præstoletur gaudia: vt terga inferno vertat, cœlestium iter arripiat; & tandem vt tartarea abhorreat, ætherea percupiat.

*Ioan.*15.1. *Augusti.ibid.*

Dicitur autem, *dum adhuc vacat, & in hoc corpore sumus,* quoniam merendi, sicut & demerendi apud Deum tempus præfinitum est & limitatum, vtique vita præsens, extra quam sicuti non est via, neque viator, ita neque meritum, aut demeritum, vt habent vniuersi Theologi, maximè D. Thomas, Alexander, Albertus, Bonauentura, & alij. Apud quos propterea in confesso est, quod neque beati, quantumuis bonis actibus affluentes, aliquid de facto merentur; neque damnati, quantumuis superbè & blasphemè agentes, propriè aliquid demerentur: imò neque purgatorij animæ, sed neque Henoc & Helias supernè certo in loco seruati vsque in diem Iudicij, eo quod omnes isti extra viam sunt.

110. *D.Tho.* 3. *p.* *q.*19. *art.*3. *ad* 1. *Alexan.* 3. *p.* *q.* 17. *m.* 1. *ad* 2. *Albert. in* 3. *d.* 18. *art.* 1. *ad* 1. & 3. *Bonau. ibid.* *q.*2. *ad* 2. *Durād. ibid.* *q.*5. *n.*5. *Gabriel q.* 1. *a.*1. & *Scholast sut.* 1.2. *q.*114.

Nec mirum, nam vel ipse Christus de se, deque omnibus perhibuit dicens; *Me oportet operari opera eius qui misit me, quamdiu dies est. Venit nox quando nemo potest operari.* Hic enim, iuxta Origenē, Chrysostomum, Ruper

111. *Ioan.*9.4. *Orig.hom.*3. *in psal.*36. *Chrysost.* & *Rup.in id loci.*

Rupertum, & alios, per diem ſubintelligitur tempus huius ſeculi; per noctem verò tempus alterius. Et iuxta Auguſtinum, Bedam, Cyrillum, & alios, per diem ſubintellexit tempus vitæ ſuæ: per noctem verò tempus alterius vitæ. Per Iy autem *operari* cùm non poſſit intelligere ceſſationem ab omni prorſus opere, vtpote quod Chriſtus ipſe aſſiduus & æternus eſt, eritque in bonis operibus, ſequitur quod intellexerit ceſſationem ab operibus meritoriis prout ſic: quoniam peracto huius viræ curſu, etiam in ipſo Chriſto ceſſabit ratio meriti, D. Thoma dicente de illo. Quia nunc non eſt viator, non eſt in ſtatu merendi. Quod ſi hæc in Chriſto capite, quid in membris illius? Vnde Benedictus hic conſultò vſus eſt verbo currendi & agendi, & nomine viæ, dicendo: *Currendum & agendum eſt modò per hanc lucis viam*; quoniam tamdiu agendum & currendum eſt, quamdiu in via ſumus, hoc eſt, in præſenti vita: hac enim finita, ſtatim in termino hæremus, cui curſus & motus repugnant, progredi & procedere.

Aug. & Beda ſup. Ioan. 9.4. Cyrill. ibi. in Catena Græca.

D. Tho. 3. p. q. 19. art. 3. ad 1.

112. Inde ſcriptum eſt; *Ante mortem operare iuſtitiam.* & rurſum; *Ante iudicium iuſtitiam para tibi.* Cuius gratia in parabola quinque talentorum vnuſquiſque recepit, prout lucratus fuerat, ante rationem à Domino poſtulatam: poſtulatur autem in morte. Paulus etiam dixit; *Vnuſquiſque recipiet propria corporis prout geſſit.* In cuius ſignum (vt notauit Origenes) ea tantùm quiſque ex filiis Iſraël edebat Sabbato, quæ feria ſexta collegerat.

Eccl. 14. 17. cap. 18. 19. Matth. 25.

2. Cor. 5. 10.

Orig. hom. 3. ſup Pſal. 36. Exod. 16. 18.

Conſtituenda ergo nobis eſt Dominici ſchola ſeruitij. Ly *Schola* literarum ludum, & locum iſtiuſmodi ludi & exercitationis ſignificat, à verbo Græco σχολάζειν, quod vacare denotat, eò quod omiſſis cæteris rebus, vacandum in huiuſmodi ludo bonis artibus ſit. Quare Dominici ſchola ſeruitij, idem eſt quod exercitatio & ludus vacandi & inſudandi tantùm diuinis obſequiis, omnib. aliis ſpretis occupationibus; & locus vbi ad huiuſmodi exercitamenta conuenientia documenta traduntur. Iure autem inſcribitur ſchola, ſiue ludus, eo quod ludus tribus eſſentialiter conſtat atque coaleſcit, vtique exercitio, delectatione, & metu. Exercitio quidem, quia vel lingua, vel manu, vel pede, vel ſimilibus agitandus eſt. Delectatione, quia is eſt finis, vel etiam effectus ludi, dicente D. Tho. Ludus eſt propter delectationem. & Ariſt. Ludi omnes iucundi ſunt; ſunt autem iucundi, quia in ipſis victoria eſt. Metu, quia fit cum repugnantia alterius partis colludentis, & ideo euentus in ancipiti eſt, & proinde non abſque metu & formidine vtriuſque partis. 113.

D. Tho. 2. 2. q. 168. a. 1. & in 4. d. 6. Ariſt. 1. Rhet. cap. 11.

Quod autem in famulatu Dei, quem Monachi profitentur, tria hæc abundè concurrant in aperto eſt. Nam in primis de exercitio quis ambigit, cùm corpore, & anima, mente & ſpiritu, in his quæ Dei ſunt, occupentur, laborantes manibus ſuis, vt habeant vnde tribuant neceſſita- 114.

1. Cor. 4. 12.

tem patientibus, in noctibus extollentes manus suas in Sancta, & benedicentes Dominum, imò benedicentes illum in omni tempore, sempérque laus eius in ore eorum? nam adhuc in ipsa media nocte surgunt ad cõfitendum ei. Maximè quod obedientiæ voto se seruos aliorum constituunt, castitatis autem & paupertatis suæ aduersarios se faciunt, continuè contra carnis illecebras litigantes, rixantes, frementes, & corpora sua castigantes, ne cùm aliis prædicauerint, ipsi reprobi efficiantur. De gustu item & delectatione, præterquàm quod in psalmo scriptum est; *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fatres in vnum*, de omnibus Deo obsecundantibus, Bernardi brocardicum habemus; Seruire Deo regnare est. Præsertim quod Monachi non coactè, sed spontanèe monachatum subeunt, & militiam aduersus carnem & sanguinem, mundum & diabolum exercent, vt sic contra carnis & spiritus nequitias victores euadant, quod apprimè iucundum est. De timore denique non est cur dicamus, cùm Domino in timore seruiendum sit, iuxta illud psal. *Seruite Domino in timore*: & omnibus etiam dextrè & extremè pugnantibus aduersus quoscumque acres & validos hostes, anceps sit, & varius belli exitus, ac proinde formidolosus.

Psal. 90. n. penult. *Psal. 33. 2.* *Psal. 118. 62.* *1. Cor. 9. 27.* *Bern. Ser. 3. de Sancto Andr.* *Psal. 2. 5.*

115. Et licet omnia seruiant Deo, iuxta illud psal. *Quoniam omnia seruiunt tibi*, hoc est, omnia, (ait Augustin.) quæcumque fecit in cœlo & in terra: atta-

Psal. 118. 1. *Aug. sup. Ps. 134. 6.*

men seruire illi non temerè, & indoctè, sed peritè & scienter, peritia & scientia acquisita in schola seruitij Dei, maximum encomium est: non secus atque inter literarum professores inclytum reputatur apud aliquod insigne Collegium collegam extitisse, & ibi literis imbutum esse. Eruditi ergo erga famulatum Dei in schola seruitij eius, hoc est, in Monasteriis, & inter Monachos, atque cum illis, præclarum & eximium erit.

116. *In qua institutione nihil asperum, nihilque graue constituturos speramus.* Bone Deus! quid ais sanctissime Pater? Nihil in hac Regula graue, nihil asperum constituere polliceris? Vtinam. Sed vbi te præteriit pollicitatio hæc, quando in capite 68. præcipis, quod si Monacho impossibilia iniungantur, ad impossibilia se accingat, & morem præcipienti gerat? Numquid non asperum hoc & valde oneroſum est? Imò incomportabile & inaccessibile prorsus. Vnde commune brocardicum; Ad impossibilia nemo obligatur. Maximè quod nescio an vnũ ex capitulis huius sanctæ Regulæ sit quod graue aliquod non importet onus, modò præfectis, modò subditis, aut quod importare non debeat, vtpote quod omnia tendunt, non tantũ in bonorum exequutionem, verùm antè omnia, & super omnia, in propriæ volũtatis abnegationem, cupiditatum abscissionem, & abdicationem libertatis, quæ grauia nimiùm & acerba sunt: saltem quoniam (vt ille alius dixit, & vel cæci vident) libertas

Sallustius ad Cæsarem.

iuxtà

iuxtà bonis & malis, ſtrenuis & ingenuis optabilis eſt. Ex quo planè ſequitur, monitum quod libat aut lædit, nedum quod decerpit & obſtringit, graue admodum & acre neceſſariò eſſe.

117. At ſi iugum Domini ſuaue
Matt. 11.30. eſt, & onus eius leue, etiamſi tot dura & acerba onera importet, videlicet inimicorum dilectionem, porrectionem ſiniſtræ maxillæ percutienti dextram, vocalem, ſacramentalem, integram omnium peccatorum confeſſionem, & ſimilia, quid mirum ſi nec grauia, neque aſpera dicantur, quæ hic tanto his leuiora traduntur, etiam ſi multa ex illis ponderi dorſo ſint, & inſuauia guſtui? Nam vt pondus illud dicitur leue, & eſt, non quidem ſecundum ſe, & per ordinem ad vires naturæ, quæ ſæpe illi impares ſunt, ſed per ordinem ad gratiam Dei, & adiutorium eius, quibus confortamur ad omnia quantumuis arduа,
Pſal. 17.30. iuxta illud pſal. *In Domino meo*
Philip. 4.13. *tranſgrediar murum*; & illud Pauli, *Omnia poſſum in eo qui me confortat*: ſic nihil aſperum, nihilque graue dicitur in hac lege ſanciri, non quidem propter ſe, aut propter nos ex natura rei, & ex conditione noſtra conſideratos, ſed propter auxilia gratiæ, quæ ipſe legifer noſter ſuperiùs, vtique numer. 105. à Deo petenda & imploranda mandauit. Inde Athanaſ. Nolite quæ-
Athanaſ. in vita Anton. ſo virtutis tanquam impoſſibile nomen pauere, nec peregrinum vobis, aut procul poſitum videatur hoc ſtudium, quod ex noſtro, Dei gratia præcedente, pendet arbitrio. Tenendus eſt continuus inſtituti vigor habentibus Deum auxiliatorem, ſicut ſcriptum eſt, quia omni proponenti bonum Deus cooperatur.

Simile eſt quod Theophylacto placuit, dicenti iugum 118.
Chriſti eſſe humilitatem eius. Nec immeritò ſanè, nam verba textus id ſubindicare videntur, quia ſic habent. *Diſcite à me quia* *Matt.* 11.30.
mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. *Theoph ibid.*
Vbi requiem promittēs humilibus, dicit quod iugum eius ſuaue eſt. Aptè ergo iugum Chriſti eius humilitas dicitur. Appellatur autem iugum hoc ſuaue, & onus leue, quia humili nihil terribile, nihilque quod eum interturbet, eſt, ſed in omnibus (ait Theophylactus) requiem inuenit, & imperturbatus manet. Vnde cùm legifer noſter humilitatem vſque ad ſummum eius ſuis Monachis commendandam curaſſet, vt patet ex cap. 7. Regulæ, non mirum ſi Regulæ grauia leuia fore promiſerit.

Præterquàm quod quid du- 119.
rum potuit ſanctiſſimus Doctor conſtituere in Regula, in qua omnis iuſtitiæ obſeruationem conſultò ſancire noluit, vt palàm ipſe cap. vltimo exarauit? Ad quid enim tam rigidus iuſtitiæ cultor, iuſtitiæ rigorem aliquem præteriiſſet in lege quam aliis ſanxit, niſi quia noluit eos auſteritatis ſpecie perterrefacere, quos ad monachatus ſcholam ſtudebat allicere? *Fruſtra* *Prou.* 1.17.
enim iacitur rete ante oculos pennatorum. Vnde inter varia enco-

mia quibus Gregorius magnus, & alij Regulam istam efferunt, vnum est, quod sit discretione præcipua. Præcipuum autem discretionis in legislatoribus est, attemperare se humeris viribusque subditorum suorum; atque adeò non imponere illis onera grauia & incomportabilia, sed quæ ipsi (quoties opus fuerit) digito amouere valeant. Non enim homines Angelorum legibus moderandi sunt, neque multorum Respublica vnius vel alterius robusti austeritate metienda, siquidem qui secus faceret omnia perderet, atque adeò indiscretionis vitio laboraret. Quod adeò sanctissimus Doctor in his rebus abhorruit, vt ne in Quadragesima quidem permiserit Monachis, aliquid specialis parsimoniæ & singularis inediæ inconsulto Abbate tentare; ne nimij, aut parum cordati in hac parte forent, sed rationabile obsequium vbique præstarent.

120. Neque obstant quæ de impossibilium obedientia obiiciũtur; quoniam hæc non ideo commendantur, vt fiat quod fieri repugnat, sed vt numquam repugnemus his, quæ fieri possunt, sub prætextu & arbitratu nostro quod sunt impossibilia. Præcluso autem effugio isto, non est cur imperata detrectemus, sed in fide præcipientis aggrediamur opus, vt possibile; quia *omnia possibilia sunt credenti.* Si enim cæca obedientia commendatur, cur non cœlica, qualis est illa quæ diuinis tantùm auspiciis prorumpit in opus? Vti cùm Petrus per totam noctem laborans nihil piscatione cepisset, in verbo autẽ Christi laxando rete, eduxit copiosam piscium multitudinem, ita vt rete penè rumperetur. Quod sanè in ostẽtum commodi quod obedientia erga impossibilia reportat, factum est. Impossibile enim videbatur, quod tanta piscium multitudo vno iactu per diem prenderetur, cùm pluribus per noctem, nec vnus comprehensus esset, licet faciliùs per noctem quàm per diem pisces capiantur.

121. Ad illud etiam quod opponitur de libertatis abdicatione, respondeo, quod cùm obedientiæ votum à nemine extorqueatur, sed sponte & liberè à suis professoribus nuncupetur, non est cur in eius exequutione crucientur Monachi, nam ea tantùm reddunt obsequiis suis, quæ distinxerunt labiis suis. Præsertim quod nullum votum quantumuis solemne lædit, nedum decerpit ab intrinseco libertatem, sed tantùm ab extrinseco comprimit illam; quatenus sub reatus discrimine obligat & obstringit ad aliquid: quod tamen præceptis omnibus, etiam politicis, & œconomicis, aliàs domesticis, commune est. Vnde sicut ista in omni Republica necessaria sunt, ita & in monastica illa, quorũ scopus est reddere nos Deo mortificatos quidẽ carne, viuificatos autem spiritu.

Marc. 9. 23.

122. Sed age, vltimam, ne dicam germanam, huic nodo solutionem adhibeamus. Sanè eatenus Doctor sanctissimus nihil graue, nihil asperum in sua Regula constituere speranit, quatenus

nius ab his quæ inſtituta omnia acerba & grauia reddunt(vtique præcepta, & Eccleſiaſticæ cenſuræ) quoad eius fieri potuit, abſtinere ſtuduit. Licet enim D. Pater noſter Bernardus dicat inſtitutiones Regulæ profitentibus eſſe præcepta, & præuaricantibus crimina, quia tamen generalis regula eſt, (quam ex Clemente V. in Clementina, exiuit de paradiſo, de verborum ſignificatione, deſumpſere Theologi pariter & Iuriſperiti) illa tantùm præcepta eſſe & mandata quæ per verbum præcepti, aut inhibitionis, vel æquipollentis præcepto, aut inhibitioni, obligãt ſub reatu culpæ: verba autem præcepti eſſe, præcipio, mando, iubeo, prohibeo, inhibeo, veto, interdico; æquipollentia verò eſſe, debeãt, teneantur, neceſſariò, neceſſe eſt, non licet, non poteſt: verbum Bernardi (cui omnes ſubſcribere neceſſarium pariter atque glorioſum eſt) intelligendum venit iuxta regulam iſtam. Non enim licet commentari præcepta, vbi ſpecies præcepti non eſt; maximè quod vltra præcepta, multa in Regula continentur, quæ conſilij, admonitionis, conſuetudinis, correctionis, animaduerſionis, atque ſimilium rationem habent.

Bern. de præcepto & diſpenſatione cap. 2. Ioan. de Medina Codice de ieiunio. quæſt. 7. Alphonſus de Caſtro lib. 1. de lege pœnali. c. 4. documento 4. Silueſt. verb. præceptum. quæſt. 2. Armilla ibi. num. 7. Nauarr. in Summa. cap. 23. n. 30. Couarr. in regula Peccatum. 2. p. §. 15. num. 2. & 3. Vazquez 1. 2. diſp. 158. n. 20. & 21.

123. Quia igitur præceptor noſter præceptis non abundauit, ſed (quoad eius fieri potuit) abſtinuit, ideo conuenienter dicere potuit, ſe grauia & aſpera in Regula non conſtituturum. Grauia enim & aſpera monaſticæ inſtitutionis non alia habentur, nec ſunt, quàm præcepta formalia & cenſuræ, quibus innodamur ob illa quæ tanto pretio digna non apparent. Quare conſtitutio & regula, quarum violatio ad pœnam dumtaxat temporalem obligat, ſuauis & lenis cenſetur; quæ verò ad ſpiritualem, acerba, niſi violatio ſit vt crimen læſæ majeſtatis, qualis eſt votorum ſolemnium, ſimiliumque tranſgreſſio.

124. *Sed & ſi quid paululum reſtrictius dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, vel conſeruationem charitatis proceſſerit, non illicò pauore perterritus refugias viam ſalutis, quæ non eſt niſi anguſto initio incipienda.* Ecce quæ ſuprà monui ex mente præceptoris noſtri: videlicet à duriorum monitis conſultò abſtinuiſſe, ne aliquos rigiditatis ſpecie à monachatu perterrefaceret. Si enim quia dixit Chriſtus; *Niſi manducaueritis carnem filij hominis*, & ſimilia, multi ex diſcipulis eius dixerunt; *Durus eſt hic ſermo*: & quia alibi dixit; *Nemo poteſt venire ad me, niſi datum fuerit ei à Patre meo*, multi ex eiſdem diſcipulis abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant; quid ſi præceptor noſter in Regula propoſuiſſet terrifica dogmata, inſtituta, decreta? At quia ſeueritate aliquando & diſtrictione opus eſt his qui alios erudiunt, corripiunt, & expoliunt, dicente Domino. *Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat? Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem ſcientiam?* Ideo ſanctiſſimus Pater præmittit non licere prorſus ab omni diſtrictione abſtinere,

Suprà n. 119.

Ioan. 6. 54.

Ibi. n. 60.

Ibi. n. 66.

Pſal. 93. 9.

ſed aliqua interdum vti, quæ tamen non propterea debet terrorem incutere, & animum à monachatus ſtudio auocare, quoniam omnis ad ſalutem via ſalebroſa eſt, maximè tyronibus. Ideo Seneca ait. Quid mirum ſi generoſos ſpiritus durè Deus tentat? Numquam virtutis molle documentum eſt.

Seneca de prouidentia cap. 4.

125. Ad vitiorum emendationem, inquit Doctor ſanctiſſimus diſtrictionem aliquando neceſſariam eſſe, vtpote quod ſæpe correctio in ſpiritu lenitatis (vt Paulus monuit) facta, nec prodeſt, nec prodeſſe ſperatur; & ideo durioribus vtendum eſt, vt Paulus ipſe vtendum cum incorrigibilibus Cretenſibus ſanxit, dicens. *Increpa illos durè, vt ſani ſint in fide.* Hoc eſt, ait Chryſoſt. profundiorem infige plagam. Neque enim pari modo omnibus infligendum eſt vulnus increpationis, ſed diſcretim & variè, pro vniuſcuiuſque ſubditorum ratione. Vnde de præcipiti filio ad patrem: *Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans eſt.* Et hoc ideo, quoniam, vt Prouerb. 20. habetur, *liuor vulneris abſterget mala, & plagæ in ſecretioribus ventris.* Hoc eſt, iuxta Gregoriũ & Bedam, exterior animaduerſio & afflictio quæ interiùs compunctionem cauſat.

ad Gal. 6.1.
ad Titum 4. 13.
Chryſoſt. Ser. 111.
Eccli. 30.12.
Prou. 20. 30.
Greg. 3. p. paſt adm. 13.
Beda ibi.

126. Ad conſeruationem etiam charitatis, ait diſtrictionis rigorem conducere. Quod ſanè Paulus innuit, cùm dixit. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*, &c. Quod dũ exponit Theodoretus, ait. Sicut alimentum robuſtum athletam efficit, ita labor me confirmat, fortem ac validum reddit, aduerſarium autem deiicit. Iterum Paulus. *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerũt cum vitiis & concupiſcentiis*; & antè, *Chriſto confixus ſum Cruci, vt Deo viuam.* Ratio autem eſt. Primò, quod cùm deſideria carnalia militent aduerſus animam (vt habet Petrus) id eſt, aduerſus vitam animæ: & deſideria huiuſmodi auſteritate & corporis caſtigatione curentur, vt per ſe notum eſt, notũ etiã erit, auſteritate opus eſſe, ad conſeruationem charitatis, quæ eſt vita animæ. Vnde Paulus. *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini*; *ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Secundò, quia cùm amor Dei, vſque ad contemptũ ſui, ædificet ciuitatem Ieruſalem, haud ſecus quàm amor ſui, vſque ad contemptum Dei, ædificat ciuitatem Babylonis, iuxta Auguſtini mentem; neceſſum eſt charitatem (quæ verus Dei amor in homine eſt, vſque ad contemptũ ſui) muniri apprimè, & roborari corporis mortificatione, & vitæ auſteritate; quia in his potiſſimùm ſui contemptus conſiſtit. Opus ergo diſtrictione eſt ad conſeruandam charitatem; quæ cùm ignis ſit, cineris mortificatione conſeruatur.

ad Gal. 2. 12.
ad Gal. 5. 24.
ad Gal. 2. 19.
Rom. 8. 13.
Auguſt. de ciuit. Dei lib. 14 c. 28.

127. Ait demum ſalutis viam non niſi anguſto itinere incipiendam. Et meritò quidem, quoniam licet arcta ſit via quæ ducit ad vitam, iuxta verbum Domini; arctior tamen & ſtrictior porta ad illam eſt, vt etiam apud Dominum ſignificatur. Apud quem porta hæc non tantùm dicitur anguſta, ſed quàm anguſta, id eſt,

Matth. 7. 15.

id eſt, maximè anguſta, cùm tamen via dicatur arcta : Chriſti enim verba ſunt. *Quàm anguſta porta, & artta via eſt quæ ducit ad vitam.* Hoc autem ideo dicitur, quoniam inſueta, etiamſi aliàs facillima, inacceſſa videntur; aſſueta verò, etiamſi terribilia, ſuauia: quod experimento comprobatum eſt. Vnde Ariſt. Conſueta iucunda ſunt. Et rurſum. Conſuetudine fiunt iucunda, quæ iucunda non ſunt. Et alibi. Conſueſcere ſic, vel ſic ab adoleſcentia, non parum, ſed multum refert ad virtutes, imò totum refert. De inſuetis autem Auguſt. Ipſa mutatio conſuetudinis, etiam quæ adiuuat vtilitatem, nouitate perturbat. Inde Salomon ; *Ducam te per ſemitas æquitatis, quas cùm ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui.* Vbi greſſuum dilatatio non promittitur ad ingrediendam, aut intergrediendã, ſed poſt ingreſſam viam æquitatis : quoniam, etiamſi cætera ſint paria, initia tamen ardua & triſtia magis ſunt. Quare vel ipſum ſapientiæ initium timor Domini eſt; timore autem quid preſſius ? quid conſtrictius ? Maximè timore tanto, vtique timore Domini.

Ariſt. 1. Rhetor. c. 11. *Ibi. c. 9.* *2. Ethic. c. 1.* *Aug. tom. 2. epiſt. 118. ad Ianuariũ.* *Prou. 4 11.*

128. *Proceſſu verò conuerſationis & fidei, dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine curritur via mandatorum Dei.* Sicut initia rerum perſtringunt corda, ſic proceſſus progreſſuſve dilatant; cùm vel ipſa ſtrictiſſima vincula quæ principio premunt, ferẽdi tamen exercitio (vt Hegeſipus vidit) laxentur : vtique quoniam patiens proprio labore roboratur, dicente Seneca. Verberat nos & lacerat fortuna ? Patiamur ; non eſt ſæuitia, certamen eſt, quo ſæpius adierimus, fortiores erimus. Solidiſſima pars eſt corporis, quam frequens vſus agitauit. Præbendi fortunæ ſumus, vt ab ipſa contra ipſam duremur. Sic ſunt nauticis corpora ferendo mari dura : agricolis manus tritæ : ad excutienda tela militares lacerti valent : agilia ſunt membra curſoribus. Id quoque ſolidiſſimum eſt, quod exercuit. Quod ſi hæc in malis & ærumnis, quid in Dei mandatis, quæ ſunt via ſalutis?

Hegeſip. lib. 2. cap. 9. *Seneca de prouid. c. 4.*

129. Inde Dauid, quia in diuinis exercitatus mãdatis (iuxta illud, *in mandatis tuis exercebar*) non ſolùm viam iſtam currebat inquiens ; *Viam mandatorum tuorum cucurri* : verùm chimericum reputabat, & malignitate plenum, quod quis commentaretur in illis laborem, dicẽs. *Numquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Licet enim mandata eius (vt Ioannes monuit) grauia non ſint, & onus eorum leue, (dictãte Chriſto) & iugum ſuaue, vtpote (obſeruante Bernardo) quod ſub hac ratione dicitur ſub lingua Dei lac & mel eſſe, eo quod ſuauitatis illius opus eſt legem indicere hominibus, maximè lapſis & prolapſis, iuxta illud pſalm. *Dulcis & rectus Dominus propter hoc legem dabit delinquentibus in via* : quia tamen incipientibus grauia iſta non rarò ſunt, ideo exercitatis dumtaxat pollicetur ſanctiſſimus Doctor iucunditatis dulcedinem, ad currendam huiuſmodi viã. Cui ſatis Chryſoſtomus in opere imperfecto conſo

Pſal. 118. 15. *Pſal. 118. 32.* *Pſal. 93. 21.* *1. Ioan. 5. 3.* *Matth. 11. 29.* *Bern. Serm. ſup. Ecce nos reliq. omnia.* *Cant. 4. 11.* *Pſal. 24. 8.*

consonat dicens, quod illud verbum Christi, *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*, intelligendum est pro expertis in illo atque exercitatis. Inquit enim. Inexpertis quidem grauis est iustitia Christi, expertis autẽ suauis.

130. Huius gratia Dauid eructauit; *Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisiui.* Id est, non quia toto corde inquiro, sed quia diu multumque inquisiui ea, factum est vt lata lætaque mihi redderẽtur. Et alibi. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abscondisti timentibus te!* Vbi absconditam testatur diuinam dulcedinem. Absc̃odita autem citra diuturnam inuestigationem rarò patent: maximè apud Deum abscondita, velut ista dulcedo, iuxta D. Thom. de qua (ait ipse Thomas) scriptum est. *Oculus non vidit, nec auris audiuit*, &c. & Paulus. *Omnis qui lactis est particeps*, (id est, tyro & nouitius) *expers est sermonis iustitiæ, paruulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.* Vbi vel ad cognitionem, nedum ad dilectionis dulcedinem exẽrciratos sensus prærequirit Paulus. Consueta enim (ait Arist.) notiora nobis sunt.

Vt ab ipsius numquam magisterio discedentes, in eius doctrina vsque ad mortem in Monasterio perseuerantes, passionibus Christi per patientiam participemus, vt regni eius mereamur esse cõsortes. Amen.

Quoniam quæ delectabiliter facimus (ait D. Tho.) attentiùs & perseuerantiùs operamur, ideò post delectationem dulcedinis in via Domini (de qua in præsenti verbo) subiicit sanctus Doctor perseuerantiam vsque ad mortem in exercitio illius: vtpote quod delectatio detinet operantem in operatione. Quare ex eo quod Magdalena tam crebrò continuéque sedebat secus pedes Domini, audiens verbum illius, colligunt omnes, hilariter atque cum gaudio Domini suscepisse verba. Et vel de ipsa Sapientia Dei dicitur conuersari perpete cum hominibus, quia hoc illi delectabile erat. Verba sunt. *Delectabar per singulos dies ludens in orbe terrarum, & delicie mee esse cum filiis hominum.* Etenim vt afflictio operis operantem reiicit, & cito citiùs fugat, sic delectatio retinet, & diu persistere facit.

132. Perseuerantiam autem istam dicit in Monasterio esse debere. Optimè quidem. Primò, quoniam (iuxta Eugenij Papæ Canonem celeberrimum) Monasteriũ Monachi centrũ est, sicut aqua piscium, eo quod sicut piscis sine aqua caret vita, sic Monachus sine Monasterio. Secundò, quia (sicut exponit Bernardus) lectus ille floridus, de quo Cantic. 1. Claustra & Monasteria sunt, in quibus quietè à curis viuitur seculi & solicitudinibus vitæ, & pro quibus cum Petro clamare cogimur, Domine bonum est nos hic esse. Idemque alibi Bernardus. In Monasterio est vita contemplatiua, in seculo est vita laboriosa: in Monasterio est vita sancta, in seculo est vita criminosa: in Monasterio est vita spiritualis, in seculo est vita carnalis: in Monasterio est vita

Psal. 118 45.
Psal. 30.20.
D. Th. in ps. 30.20.
1. *Cor.* 2.9.
Heb. 5.13.
Arist. 2. *Met. tex.* 14.
131.
D Th. 1.2.q. 4.ar.1.ad 3.
Prou. 8.10.
Eugen. relatus 16. q. 1. *cap. Placuit.*
Bern. Ser. 46. *in Cant. cãt.* 1.16.
Ber. Ser. 20. *de modo viuendi.*

vita cœlestis, in seculo est vita terrestris: in Monasterio est vita quieta, in seculo est vita turbulenta: in Monasterio est vita pacifica, in seculo est vita litigiosa: in Monasterio est vita tranquilla, in seculo est vita contentiosa: in Monasterio est vita pacifica, in seculo est vita iurgiis plena: in Monasterio est vita casta, in seculo est vita luxuriosa: in Monasterio est vita perfecta, in seculo est vita vitiosa: in Monasterio est vita plena virtutibus, in seculo est vita plena vitiis: in Monasterio est vita sanctitatis, in seculo est vita iniquitatis. Inde Nazianzenus Monasterium definit, *Cohors quæ soli studet saluti.*

Nazianz. Iambico de definitionib:

133. Et licet extra Monasteria cõtingat esse palatia, imò etiam aliquando tuguria magistra virtutum, quæ proinde tutò frequentare valent, imò & habitare Monachi, vt quæ instar Monasteriorum sunt, & quasi vicaria illorum, sanctiùs tamen securiúsque in suo Monasterio erunt; saltem quia Monasterium centrum (vt iam vidimus num. 132.) atque Monachi elementum est. Et (vt Arist. habet) elementa omnia præter ignem habent grauitatem in suis locis naturalibus: cuius signum est quòd vter vento plenus plus grauitatis habet in aëre quàm vacuus. Cùm igitur Monasteria extra claustra in suis locis naturalibus non sint, consequens est, vt nec sibi, nec suis Monachis illud grauitatis pondus & pretium habeant, quod habent penes se, & proinde neque securitatis & validitatis.

Arist. 4. de Cæl. text. 30.

134. Opus autem in Monasterio à Monachis præstandum, ait sanctissimus Doctor esse passionibus Christi per patientiam participare. Bene, & non ad insipientiam mihi, iam dudum persuaso veram veri Monachi vitam crucis patibulum atque perpessionem esse. Tum quia *qui Christi sunt* (vt sunt veri Monachi) *carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*, imò & cum mundo: nam vt Paulus potest dicere Monachus; *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Vnde D. Thomas. Professi religionem mortui sunt mundo, & viuunt Deo. Et Ioannes Cassianus. Finis Cœnobitæ est suas omnes mortificare, & crucifigere voluntates. Et Petrus Blesensis cùm gratularetur Monacho de suo monachatu, dixit; Ascendisti ad montem sacrificij. Et ipse noster Patriarcha agens de tertio genere Monachorum, appellat veros Monachos aurum fornacis.

Ad Galat. 5. 24.

ad Galat. 6. 14.

D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 11. ad 1.

Cassian. coll. 19. c. 8.

Blesen. epist. 4. ad Priorē Cistercien.

Reg. cap. 1.

135. Hoc autem omnino est passionibus Christi per patientiam communicare, quia in vero monachatu tot se offerunt non tempora solùm, sed momenta, non occasiones tantùm, sed causæ, & quidem acerrimæ, non tantùm patiendi æquo animo, sed ore silenti ferendi & sufferendi incommoda, fastidia, insomnia, indigna, misera, extrema, & his similia, ne dicam duriora, & longè magis acerbà, vt propterea monasticam vitam iure martyrium vocauerit Athanasius magnus. Quia verò martyrium hoc patientia in Monachis fit, & in obsequium

Athan. in vita Antony.

Christi qui pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, iuxta quæ Petrus habet, ideo assertor noster Benedictus dicit, monasticum opus esse passionibus Christi per patientiam participare. 1. Petr. 2. 21.

136. *Vt regni eius mereamur esse consortes.* Is scopus & finis passionum, quas perferimus, aut saltem perferre excitamur, quia sic scriptum est, & sic oportet nos pati cum Christo, vt ita intremus in gloriam Christi. Non enim glorificantur, nisi qui Christo compatiuntur, neque conregnabunt, nisi qui sustinent. Et inde est quod dilatato corde, & inenarrabili dilectionis dulcedine præcipimur hic currere viam mandatorum Dei, & passionibus Christi participare; quoniam tanti finis intuitu omnia media, quantumuis ardua & summa, non tantùm minima & momentanea, id est, minimi laboris videntur, dicente S. Paulo; *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* & iterum; *Momentaneum & leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis:* verùm iucunditatis eximiæ & lætitiæ cœlestis, dicente S. Petro, *communicantes Christi passionibus gaudete.* Et non vtcumque, sed (vt Cyprianus legit) *per omnia gaudete.* Vtpote quod scala patiendi est scala regnandi. Et ideo Apostoli gaudentes ibant à conspectu concilij: & beati nuncupantur qui persequutionem patiuntur propter iustitiam: & in transfiguratione Dominus glorificationem suam passioni copulauit: & omne gaudium dixit Iacobus, in varias tentationes incidere; & Agatha puella glorianter ibat ad carcerem, & quasi ad epulas inuitata.

Rom. 8. 17. *2. ad Timot.* 2. 12.

Rom. 8. 18. *2. ad Corint.* 4. 12. *1. Petr.* 4. 13. *Cyp. epist.* 56. *& in exhort. ad Martyres cap.* 9. *Act.* 5. 41. *Matth.* 5. 10. *Matth.* 17. 2. *& 5. Iacobi* 1. 2.

DE GENE

DE GENERIBVS, VEL vita Monachorum.

CAPVT I.

MONACHORVM quatuor genera esse manifestum est. Primum Cœnobitarum, hoc est, monasteriale, militans sub regula, vel Abbate. Deinde secundum genus est Anachoretarũ, id est, Eremitarum. Horum qui non conuersionis feruore nouitio, sed Monasterij probatione diuturna didicerunt contra diabolum multorum solatio iam docti pugnare, & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam Eremi, securi iam sine consolatione alterius, solùm manu vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare sufficiunt. Tertium verò Monachorum teterrimum genus est Sarabaitarum, qui nulla regula approbati, experientia magistra sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini, aut terni, aut certè singuli sine pastore, non Dominicis, sed suis inclusi sunt ouilibus, & pro lege eis est desideriorum voluptas, cùm quidquid putauerint, vel elegerint, hoc dicunt sanctum, & quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum verò genus Monachorum est, quod nominatur Gyrouagum, qui tota vita sua per diuersas prouincias, ternis aut quaternis diebus per diuersorum cellas hospitantur, semper vagi, & numquam stabiles; propriis voluptatibus, & gulæ illecebris seruientes, & per omnia deteriores Sarabaitis. De quorum omnium miserrima conuersatione melius est silere, quàm loqui. His ergo omissis ad Cœnobitarum fortissimum genus disponendum, adiuuante Domino, veniamus.

1. MONACHORVM *quatuor esse genera manifestum est. Primum Cœnobitarũ: secundum Eremitarum: tertium Sarabaitarum: quartum Gyrouagum.* A diuisione æquiuoci incipit sanctissimus Doctor suam Regulã, & postmodum ad definitio

nitionem procedit: quia omne æquiuocum scientificè agentibus priùs est diuidendum, postea definiendum. Æquiuoca enim vt sic (ait Arist:) confundunt intellectum, & non nisi cauillatoribus apta sunt. Et iterum. Æquiuocationes maximè in generibus latent; & ideo à diuersis Monachorum generibus suam assertor noster inchoat diuisionem dicens, quatuor esse genera Monachorum.

Arist. 1. de Cœlo. text. 110.
3. Rhet. 2. 2. Poster. 2. 722.

2. Ioannes Cassianus tria tantùm Monachorum genera refert, videlicet Cœnobitarum, Anachoretarum, Sarabaitarum. Sanctus Isidorus Hispaliensis sex recensetgenera. Primum Cœnobitarum: secundum Eremitarum: tertium Anachoretarum bonorum: quartum Anachoretarum malorum: quintum Circumcellionum: sextum Sarabaitarum. At ex ipsorum definitionibus constat esse omnino quatuor, neque plura, neque pauciora. Quibus mehercle aptari conuenienter possunt illa Ieremiæ verba de canistris ficuum positis ante fores Templi; vtique, *ficus bonæ, valde bonæ, ficus malæ, valde malæ.* Ex Monachis enim boni sunt adeò boni, vt Dionysius dicat; Initiandorum omnium excellentior ac sublimior ordo Monachorum est. Et Athanasius magnus. Monachorum nomen est celebre, quorum voluntatem iustè quisque mirabitur. Et Chrysostomus. Monachi conuersationem planè cœlestem elegerunt, nihilque deterius Angelis effecti sunt. Nec mirum: siquidem (vt obseruauit P. Blesens. Disciplina monastica vnica est clauis innocentiæ, religionis anchora, custos ordinis, & per quam spiritualiter motus animi reuocantur à malo, & stabiliuntur in bono. Ex malis autem, mali adeò improbi sunt, vt illos Ambrosius dicat luxuriæ magistros, disseminatores incontinentiæ, incentores petulantiæ, obtrectatores pudoris. Et Bernardus de eisdem. Nec manent in Christo, nec Christi verba in eis, quia nec Christum amant, nec eius præcepta obseruant, quamuis & Christum amare, & eius se fingant seruare præcepta. Boni igitur Monachi, valde boni sunt, mali autem, valde mali. Quibus addere licet, quod sicut spectro illo bonarũ & malarum ficuum significauit Deus, se bonos populi sui conseruaturum, malos autem perditurũ: ita experimẽto comprobabit se veros ac probos Monachos conseruaturum, improbos verò & malos interempturum.

Ieremi. 24 3.
Dionys. Ecclesiast. hier. cap. 6.
Athanasius præfat. in vitam Antonij.
Chrys. lib. 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ.
Blesens. epist. 40.
Ambr. in ps. 36.
Bern. Ser 12. in Cœna Domini.

3. *Primum Cœnobitarum, hoc est, monasteriale, militans sub regula, vel Abbate.* Quia Monachorum regulas primi scripserunt Basilius, Augustinus, ac Benedictus Pater; & tamen antiquiores alij, vt Antonius magnus, Hilarion, Macharius, & similes, gregibus Monachorũ præfuerunt, ideo nõ copulatiuè definit hic S. Doctor cœnobiales Monachos, inquiẽs illos esse qui in Monasterio sub regula & Abbate viuũt, sed disiũctiuè, sub regula, vel Abbate. Quã definitionẽ descriptionẽve probare videtur illud Cassiani verbũ definientis sic Monachos cœnobiales. Cœnobitarũ genus est, qui in congregatione consistentes

Cassian. vbi suprà.

ſtentes vnius iudicio gubernantur, Vbi nullá de regula mentionem facit, credens ad rationem cœnobialis Monachi ſufficere ſub alterius obedientia agere.

4. Quia tamen vix credi poteſt, priſcos illos ſanctiſſimos Monachos omni prorſus regula, ſaltem ore tenus tradita, caruiſſe: maximè ſi monaſticæ vitæ inſtitutum ab Apoſtolorum temporibus, & à rudimentis Euangelicis (vt mox videbimus) deſumptum eſt, & verus non cenſetur Monachus, qui aliquam non profitetur regulam; maximè cùm apud Greg. Nazianzen. definiatur, Monachus eſt, qui viuit Iegi & Deo; ideo diſiunctiuus ſermo pro copulatiuo hic habendus erit, vt infrà cap. ſequenti, ibi. *Memor ſit Abbas doctrinæ ſuæ, vel diſcipulorum obedientiæ.* Et etiam hic loquendi modus in ſacris habetur literis. Leuitici enim 17. de leproſo dicitur; *Si non lauerit veſtimenta ſua, vel corpus, portabit iniquitatem ſuam.* Vbi ly *vel* copulatiuum eſt. Ideo in correctioribus Xiſti. Quinti exemplaribus non legitur *vel*, ſed potiùs *&*. Humanioribus ſimiliter literis id familiare habetur, ſiquidem apud eas idem valet: Maximè me tibi amicum fecit vel virtus, vel doctrina tua; quod, & virtus & doctrina tua, vt ex Cicerone & aliis obſeruant linguæ Latinæ Theſauri compilatores.

Nazianzen. Iambico de definitionibus.

Leuit. 17. 16.

5. Sed quidquid de hoc ſit, cœnobiale hoc Monachorum genus non ſolùm primum, ſed potiſſimum à priſcis, præſertim Baſilio, Caſſiano, Iſidoro, & ſimilibus habetur & commenda-

Basil. c. 4. regula. Cassian. vbi sup. cap. 5. Isidor. vbi sup.

tur, dicentibus à tempore Apoſtolicæ prædicationis exordium ſumpſiſſe, quando multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Et idem Concilia, Colonienſe, Meldenſe, & Rhemenſe apud acta Eccleſiæ Gallicanæ. Rationibuſque eius encomia roborantur, ſiquidem (vt habet Baſil.) In multis vtile eſſe video vitam communem ducere. Primò, quia ad vſus corporales victuſque miniſterium vnuſquiſque noſtrûm ſolus non ſufficit. Sicut enim pes in aliquo ſuis viribus vtitur, in alio verò indiget alienis, ita & nos. Secundò, quia mandata à pluribus facilius implentur. Omnes enim vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter-utrum membra. Qui autem ſolitariam eligit vitam, neque habet integram membrorum conſonantiam, neque cum gaudentibus gaudet, neque flet cum flentibus, neque proximorum neceſſitates cognoſcit.

Colonien. 3. c. 1. p. 16. Rhemen. lib. 7. act. Gallic. c. 1. Basil. vbi sup.

6. Tertiò (ſubiicit idem ad idem) neque ſufficere poteſt vnus ad ſuſcipienda omnia dona Spiritus ſancti. Alij enim datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ, alij fides, alij prophetia, &c. Quartò, nam qui ſeparatus viuit, gratiam quam accipit, inutilem reddit, quia fodit eam in ſe ipſo. Sin minus, cæteris communicat gratiam, & ipſe gratia aliorũ perfruitur. Quintò, quoniam aduerſus inſidias inimici multo cautior eſt, & vtilior ſocietas pluriũm: ſic enim facilius excitatur à ſomno, qui dormit ſomnum mortis. Denique quia delinquenti delictum ſuum fa-

ciliùs apparebit, cùm à pluribus vel arguatur, vel notetur. Sed & in oratione nó paruum emolumentum à pluribus nascitur cum consensu & vnitate orantibus. Quare in psalmo dicitur: Ecce quàm bonum & quàm iocundũ habitare fratres in vnum. hæc Basilius.

7. *Cassian. vbi suprà ad finem cap. 5.* Ioannes item Cassianus in laudem Cœnobitarum exaratum reliquit. Illud ergo solum fuit antiquissimum Monachorum genus, quod non modò tempore, sed etiam gratia primum est. Noster etiam assertor Benedictus licet pauca de Cœnobitis in hoc capite adferat, ad finem tamen illius vocat huiusmodi cœtum Monachorum, fortissimum genus, vtpote quod terribile est vt castrorum acies ordinata; & ideo totam suæ Regulæ arcem his militibus extruit.

8. *Deinde secundũ genus est Anachoretarum, id est, Eremitarum. Horum qui non conuersionis feruore nouitio sed Monasterij diuturna probatione didicerunt contra diabolum multorum solatio iam docti pugnare.* &c. S. Isidor. secundum genus Monachorum ponit Eremitarum, qui procul ab hominibus recedentes, deserta loca & vastas solitudines sequi atque habitare perhibentur, ad imitationem scilicet Heliæ & Ioãnis Baptistæ, qui Eremi secessus penetrauerunt, & istos ab Anachoretis distinguit. At cùm in bono & optimo duo ista Monachorum genera cõfluant, pro vno assertor noster computauit, quod Anachoretarum esse dixit. Quod autem testatur de illis, idem ferè est quod Cassianus de eisdem retulit inquiens. Anachoretæ, id est, secessores meritò nuncupantur, eo quod nequaquam contenti hac victoria, qua inter homines occultas insidias diaboli calcauerũt, aperto certamine, ac manifesto conflictu dæmonibus congredi cupientes, vastos Eremi secessus penetrare non timent, ad imitationem Heliæ, & Elisæi, atque illorum, de quibus Apostolus Heb. 11. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ. De quibus etiam singulariter Dominus ad Iob (vtique iuxta Septuaginta Interpretes.) Quis autem est, qui dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis resoluit? Posui habitaculum eius desertum, & tabernaculum eius salsuginem, irridens multitudinem ciuitatis, & querelam exactoris non audiens. In psalmo quoque 106. Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici: & de regionibus congregauit eos, à Solis ortu & occasu; ab aquilone & mari. Errauerunt in solitudine in inaquoso; viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. esurientes & sitientes, anima eorum in ipsis defecit. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum eripuit eos. Et Ieremias; Sedebit solitarius, &. tacebit, quia leuabit se supra se. Et psal. 101. Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Hactenus

nus Cassianus in vitæ solitariæ commendationem, quæ Anachoretarum est.

9. *Basil vbi supra.*

Fatcor Basilium dixisse. Interdum proxima est periculo vita solitaria. Primò, quia cùm non habeat qui improbare possit opus suum, videbitur sibi ad summam perfectionem venisse. Deinde sine vllo exercitio degens, neque quid sibi abundet vitij, neque quid virtutis desit, agnoscit. Operandi etiam materia omnino excluſa est. In quo enim humilitatem suam probare poterit, misericordiam monstrare, neminem habens, cui se humiliet, aut quem subleuet? ad patientiam verò quando se ipsum exercebit, nullum habens qui videatur eius voluntatibus obuiare? Hactenus Basilius.

10. *Cassian. vbi supra.*

Nihilominus regula ista, quá doctè ac piè Basilius subnotauit, licet in pluribus omnino vera sit, maximè in nouitiis, tyronibus & parum perfectis: in aliquibus tamen non caret exceptione; vti in Paulo primo Eremita, in Helia, Eliseo & Baptista, & similibus, quos authores huius instituti asserunt Cassianus, Concilium Bituricense, & alij, & quorum verissimi assecłæ sunt Camaldulenses nostri, Monasticam anachoreticam verè vitam iam diu agentes, in conuentu pariter & secessu; & nouissimè ex discalceatis Carmelitanis illi, qui deserta & inuia mirè ad tempus incolunt. Neque Basilij verbum ex aduerso his est; quoniam ille non absolutè, & pro omni loco & tempore, sed interdum dixit solitariam vitam periculis esse proximam, vt patet ex textu inducto. Ex quibus liquet, anachoreticum institutum perfectioribus tantùm, & melioribus esse melius, & perfectius: reliquis autem cœnobiale. Et proinde illud in carne potiùs Angelos, istud verò homines concernere Deo deditos.

Cone. Bitur. cap. 2.

11. *Tertium verò Monachorum genus est Sarabaitarum, qui nulla regula approbati, experientia magistra sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini, aut terni, aut certè singuli sine pastore, non Dominicis, sed suis inclusi sunt cellulis, & pro lege eis est desideriorum voluptas, cùm quidquid putauerint, vel elegerint, hoc dicunt sanctum, & quod noluerint, hoc putant non licere.* Similia Cassianus ait de Sarabaitis. Qui euangelicam perfectionem potiùs simulare, quàm in veritate arripere maluerunt. Quasi diceret: Sophistæ cucullati sunt. Vnde hic dicuntur mentiri Deo per tonsuram, vtpote quod voto sunt Monachi, vita verò laici, fidem frangentes Deo, seruantes mundo. Propter quod Hieronymus de illis dixit, artem sanctam esse, nō vitam: & Isidorus vel de illorum habitaculis dixit, falsò Monasteria nuncupari.

Cassian. vbi supra c. 7.

Hieronymus apud Isidorum lib. 2. de Eccles. offic. cap. 16.

Isidor. ibid.

Inde quia malus vbi bonum se simulat, tunc est pessimus, (vt ait Publius) ideo non tantùm sanctissimus Doctor, verùm ante illum Cassianus, & post vtrũque Isidorus, ignominiosis ac dedecorosis verbis & probris Sarabaitas lacerant, appellan-

es

tes illos teterrimum & infidele genus Monachorum, noxiam plantationem, quam Petrus in Anania & Saphira excidere voluit, & re ipsa succidit, Actorum 5. & propterea Ægyptiacæ linguæ proprietate vocari Sarabaitas, seu Remobothitas, quia semetipsos à Cœnobiorum congregationibus sequestrant, vt sigillatim suas necessitates curent, & liberè voluptates exerceant. Quod hic exprimitur, dum asseritur, *prolege eis est desideriorum voluptas.* Vtpote quod in tentationis fornace nesciunt velut aurum consistere, sed vt plumbum cedere, & liquefieri: iuxta quod præmittitur, *non sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliri.* O quantum malum hoc! At si Deo mentiuntur Sarabaitæ, quid mirum si in hos anfractus præcipitiaque impegerint? Qui enim mentiuntur Deo, quicumque illi sint, in quæ barathra non incident? Audiamus Deum ipsum psal. 17. dicẽtem: *Filij alieni mentiti sunt mihi. filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.* Id est, fidem mihi solemniter fregerunt, senuerunt in prauitatibus suis, & semper in via errauerunt.

Psal. 17. 47.

13. Discamus ergo non, mentiri Deo, qui fidem illi voto & professione spopondimus: quoniam qui sic mẽtiuntur, filij alieni (etiamsi Sarabaitæ non sint) nuncupantur. Hoc est (vt August. notauit) quibus dictum est; *Vos à patre diabolo estis:* seu (quod idem est, & à Genebrardo notatum) filij spurij & nothi, quos sacra Scriptura generationem adulteram vocat, eo quod vt in adulterio infidelitas simul & procacitas, sic & in illorum operibus moribusque concurrunt. Apage ô Deus à nobis tantum nefas. Vt enim qui per naturam nothi in legitimos sæpe germanosque meritis & moribus transeunt: sic econtrà, qui legitimè nati moribus in spurios descendunt, vtpote quod conceptam de illis iuxta generis claritudinem spem omnem fallunt. 14.

August. sup. psal. 17. 47.

Ioan. 8. 44. & Matth. 12. 49.

Quartum verò genus Monachorum est, quod nominatur Gyrouagum, qui tota vita sua per diuersas prouincias, ternis aut quaternis diebus per diuersorum cellas hospitantur, semper vagi, & numquam stabiles, propriis voluptatibus & gulæ illecebris seruientes, & per omnia deteriores Sarabaitis. De quorum omnium miserrima conuersatione melius est silere quàm loqui. Certè qui incertas vagasque sedes cursitant, & gratia tantùm oblectamenti captant, ingrati Deo, hominibusque notantur inuisi; vtpote quod vtrisque displicet tam oberrans vita. Ecclesiasticus enim ita habet. *Hospitari de domo in domum, vita nequam. Vbi hospitabitur, non fideliter aget, neque aperiet os suum.* Et paulo antè. *Melior est cibus pauperis sub tegmine asserum, quàm epulæ splendidæ in peregrè sine domicilio.* Quod aduersus vagantium studia consultò Spiritus sanctus dixit, eo quod illa omnia capiendarum deliciarum sunt, dicente Ieremia; *Quousque deliciis dissolueris filia vaga?* Dissolueris (inquit.) Vagan

Eccles. 29. 31.

Idem ibidẽ. 29.

Ierem. 31. 22.

gantium enim plures dissolutiones sunt, imò illorum omnia dissolutiónes, & ipsi dissoluti omnino, vtpote qui de cute curanda, voluptatéque hinc inde explenda tantùm curant, dicente Bernardo, tum quod per inordinatam concupiscentiam fiunt homines vagi, tum vagos homines indisciplinabiles esse; & Benedictus hic de Gyrouagis, *semper vagi, & nunquam stabiles, propriis voluptatibus, & gulæ illecebris seruientes, & per omnia deteriores Sarabaitis.*

Bernar. Ser. 2. sup. Salue regina.

Idem Ser. 1. in dedicatione Ecclesiæ.

15. Seneca etiam habet, Nusquam est qui vbique est. In peregrè vitam agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Non conualescit planta quæ sæpe transfertur: nihil tam vtile est quod in transitu prosit. Et iterum. Adeò magna res est constantia, & in proposito suo perseuerantia, vt habeat authoritatem inertia quoque pertinax. Ratio autem est, quia (vt habet Bernard.) Impossibile est hominem fideliter figere in vno animum suum, qui non priùs alicui loco perseuerauter affixerit corpus suum. Nam qui ægritudinem animi migrando de loco ad locum effugere nititur, sic est, sicut qui fugit vmbram corporis sui, se ipsum fugit, se ipsum circumfert, locum mutat, non animum, eumdem vtique se inuenit, nisi quod deteriorem facit ipsa mobilitas, sicut lædere solet ægrum, qui circumferendo eum concutit. hæc Bernardus. Ægritudinis ergo animi non solùm effectus, sed etiam causa mobilitas ista est, & proinde nobis detestanda.

Seneca ep. 2.

Idem ep. 55.

Bern. de vita solitaria ante medium.

Consultò notanterque dixi *nobis*: quoniam (vt Bernardus inquit) omnium bonorum nostrorum officina est cella, & stabilis in ea perseuerantia. In qua quicumque cum sua paupertate bene conuenit, diues est: & quicumque bonam voluntatem habuerit, secum habet quidquid ad bene viuendum ei opus est. Regat sanctæ obedientiæ regula bonam voluntatem, illa verò corpus, edoceat illud posse consistere in loco, cellam pati, secumque morari: quod in proficiente bonæ compositionis initium est, & certum bonæ spei argumentum. E contrà verò vagandi voluptas omnium malorum sentina putanda est: sponsa in Canticis ad sponsum dicente; *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Hoc est (vt Theodoretus, & Doctores exponunt) ne procul à Christi ouili errans, non iam inter oues, (quæ à dextris) sed inter hædos (qui à sinistris æternùm abiiciendi sunt) oberrem.

16. *Bernard. vbi suprà.*

Cant. 1. 6.

17. Quod si vagandi initia, adhuc apud ipsos sodalium Dei greges, hos habent fines in perfectioribus atque præstantioribus animab. quid in distractionibus atque apud Dei aduersarios summa? Quare non dubium est, quin vagandi mobilitate proiectis, ad omne nefas proiectio iure timenda sit, & maximè formidanda his quibus istorum mobilium cura demandata est. Propter quod grauc iu-

gum supra Quinctiliani ceruicē impositum est, si credimus Martiali dicenti.

Mart. lib. 2. epig. 89.

Quinctiliane vagæ moderator summe Iuuentæ.

vtpote quod, vt Horatius monuit,

Iam vaga prosiliet frænis natura remotis.

Significans quod vel ipsa natura, si modò vaga est, effrænis fit. Quod consonat elogio Bernardi superiùs dicentis, vagos indisciplinabiles esse: vtpote quoniam effrenibus non est quo coërceri possint. Ideo de Gyrouagis hic noster Doctor inquit; *De quorum omnium miserrima conuersatione melius est silere quàm loqui*: nimirum eo quod ipsorum recensere mores, esset omnium vitiorum monstra narrare; quod neque honorificum illis, neque proficuum nobis esse poterat. Aliorum enim turpitudines reuelare, mundis & honestis auribus molestum, immundis autem periculosum est. Quaptopter si aliquando silendum est à bonis, multo meliùs frequentiúsque à malis.

18. *His ergo omissis, ad Cœnobitarum fortissimum genus disponendum, adiuuante Domino, procedamus.* A fortitudine tantùm hic sapientissimus Doctor Cœnobiales Monachos commendat; qui nón propterea diminutus in eorum encomiis putandus est, sed potiùs magnificus commendator, quia omnia Monachorum gesta fortitudine comprehenduntur, vtpote fortia omnia facta illorum, dicente de illis Isidoro Hispalensi. Hi cōtemptis primùm ac desertis huius mundi illecebris, in communi vita sanctissima congregati simul agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, in vigiliis, in ieiuniis, nulla superbia tumidi, nulla inuidia liuidi; sed modesti, verecundi, placati concordissimam vitam sectantur, cogitationesque suas alterutrum reuelantes, inuicem discutiunt & corrigunt, nemo quidquam terrenum sorte peculiari possidet. Et mox. Inconsulto Abbate nusquam progrediuntur, neque aliquid ab eis sine nutu paternæ iussionis assumitur: operantur manibus ea quibus corpus pasci possit, & adeò mens impediri non possit. Canunt manibus operantes, & ipsum laborem tanquam diuino celeumate consolantur.

Isid. lib. 2. de Ecclesiast. officiis cap. 16.

19. Fortitudo etiam (vt D. Thomas docet) firmat contra mala, & tollit impedimenta ad bona. Quare qui verè fortis est, omnium virtutum consors erit, siquidem omnis virtus omnis armatura fortis est. Vt enim Aristoteles inquit; fortis tam agit quàm patitur, vt ipsa ratio iubet. Et proinde qui Cœnobiales Monachos fortes dicit, omnes virtutum encomio illustratos prædicat.

D. Tho. 2. 2. q. 129. art. 1. ad 1. & art. 6. ad 2. & q. 123. a. 1. 3. 4. 5. Aristotel. 3. Eth. cap. 7.

Qua

Qualis debeat esse Abbas.

Caput II. Pars I.

Abbas qui præesse dignus est Monasterio, semper meminisse debet quod dicitur, & nomen maioris factis implere. Christi enim agere vices in Monasterio creditur, quando ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo; Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater. Ideoque Abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet docere, aut constituere, aut iubere. Sed iussio eius, vel doctrina fermento diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus conspergatur. Memor sit semper Abbas quia doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ, vtriusque rei in tremendo Dei Iudicio facienda erit discussio. Sciatque Abbas culpæ pastoris incumbere, quidquid in ouibus paterfamilias vtilitatis minus potuerit inuenire. Tantùm iterum liber erit, vt si inquieto, vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuersa fuerit cura exhibita, pastor earum in Iudicio Domini absolutus, dicat cum propheta Domino; Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi: ipsi autem contemnentes spreuerunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ouibus pœna sit eis prævalens ipsa mors.

1. *Hieronymus super ad Galatas 4. Cõmentariis maioribus.*

Omen hoc *Abba* (vt notauit Hieronymus) Hebraicum vel Syriacum est, id ipsum significans quod pater. Quod sanè vel ipsi Scriptores sacri prodiderunt, quando simul cum ly *Abba*, ly *pater* subdidere dicentes; *Abba pater, omnia possibilia sunt tibi*, Marci 14. &; *Non accepistis spiritum seruitutis, sed spiritum filiorum in quo clamamus Abba pater*. Rom. 8. &; *Quoniam estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba pater*. Et hoc quidem prisco Scripturarum more, quo (ait vbi suprà Hieronym.) Hebraicis verbis interpretatio sua aliquando affigitur; vti Marci 10. *Bartimæus, filius Timæi; Asser, diuitiæ; Thabitha, Dorcas*: & in

Geneſi, *Meſech*, *vernaculus*, & cætera his ſimilia. Ergo Abbatis nomen patris nomen eſt.

2. Inde ſanctiſſimus Doctor monet Abbatem ſemper ſui nominis memorem eſſe, vtique patris; quia, cùm fœlix fauſtúmque ſit, & Deo ipſi proprium, fauſta fœliciáque, quinimò & diuina ſpopondit: & ideo ne vanum vacuumque, aut in vano acceptum videatur, excellẽtiſſimis ipſum oportet actibus comitari, & ſolidum reddere. Quæ omnia mirè Conciliũ II. Aquiſgranenſe complexum eſt dicens. Abbates Eccleſiaſtica iura intemerata cuſtodiant, videlicet vt cognoſcant cuius prænomine notentur, in eo quod Abbates vocati ſunt. Quod & intelligitur in typo Chriſti nomen ſpiritalis patris. Ideoque ſemetipſos nomini quod accipiunt conforment, vt ſubditis & ſpiritualibus filiis exemplũ præbendo & informãdo religiosè exhibeant.

Concilium Aquiſgranen. c...

3. Parentum ſanè ac Præpoſitorum munia magna, & munera multa ſunt, non obſcurè inũbrata illis Moyſis ad Dominum verbis. *Quare afflixiſti ſeruum tuum? Quare non inueni gratiam coram te? Et cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi ſuper me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, aut genui eam, vt dicas mihi; porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantem?* His enim duo habẽtur. Primum eſt, parentum eſſe, filios à ſe genitos non ſolùm humeris aut vlnis, ſed ſinu (cùm opus fuerit) vt nutrix ipſa portare; & hoc iure naturæ, vt latet neminem. Secundum eſt, Præpoſitos eadem ſubditis ſuis officia ex imperio Dei debere, etiamſi reclament, & ægrè id ferant; vtpote quod vtriſque nomen patris commune eſt, licet illis ex natura omnino, iſtis verò ex gratia contingat.

Num. 11. 12.

4. Inde nos, exquo Deum in oratione Dominica communem Patrem appellamus dicentes; *Pater noſter qui es in cœlis*, omnia neceſſaria ab illo tam pro corpore, quàm pro anima fidenter petimus: oramus enim; *adueniat regnum tuum: panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Nomen ergo Abbatis, quia re ipſa nomen patris eſt, ad multa laude digna perſtringit habentes: quia honorificum pariter, atque pium eſt; & proinde oportet ob oculos Abbatis illud ſemper verſari, eiuſque memorem perpetuò fieri. Nomen autem maioris, quia tunc temporis magiſtratibus tribuebatur, vtique illis qui tergeminos obtinebant honores, vt habet Aulus Gellius optimus Romanæ antiquitatis indagator: ideo nomen maioris implere, eſt debito dignitatis ſupremæ, eximiæque ſatisfacere. Qua phraſi vſus eſt Ouidius, canens,

Aulus Gellius lib. 7.

Ouid. 5. de Pont.

Maxime qui tanti menſuram nominis imples,
Vt ſuperes morum nobilitate genus.

Dicitur autem vt Abbas impleat factis nomen maioris: quia non faſtu, pompa & oſtentatione, qualis erat in phylacteriis Rabbinorum, & in infulis Romanorum, ſed opere religioſo implendum eſt.

Chriſti

5. *Christi enim agere vices in Monasterio creditur, quando ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo; Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Ecce quæ modò dicebam, videlicet, nomen numenque patris deificum esse, ac Deo ipsi proprium; & propterea diuina à nobis officia vindicare. Inde enim Christus ipse; *Nolite vocare vobis patrem super terram, vnus est enim pater vester, qui in cœlis est.* Quæ verba accipienda sunt, vt illa eiusdem Domini apud Marcum, & Lucam, ad principem quemdam; *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus,* vtique ex se & per se, reliqui enim tantùm participaliter boni sunt. Quo responso Christus Deum se insinuauit illi principi, qui boni cognomen Christo indidit, inquiens; *Magister bone.* Exquo enim respondit ei: *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi vnus Deus*, significauit nomen boni commune illi cum aliis non esse, (prout princeps ipse existimabat, qui nondum de Christo veram cognitionem habebat,) sed cum Deo propriũ, atque adeò non quadrare illi nomen boni, vt à principe inditum erat. Eadem omnino sunt de patris nomine intelligenda, quoniam à Deo etiam omnis paternitas in cœlis & in terris nominatur, & proinde nemo ex se pater nisi Deus, & ex consequenti Christus, qui pater futuri seculi apud Esaiam nominatur, tanquam qui vt deificum suum in nos transferret sanguinem, non tantùm sanguine suo nos potauit atque redemit, sed genuit similiter, iuxta Esaiæ illud; *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuũ.* & paulo antè: *Generationem eius quis enarrabit? quia abscissus est de terra viuentium.* Vnde ipse; *Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Si ergo non tantùm patris (vt hactenus vidimus) sed etiam tanti patris, vtique Christi, Abbas in Monasterio vices gerit; consequens est multa eum Monachis humanitatis simul ac diuinitatis officia debere, etiam (si opus fuerit) vsque ad sanguinis effusionem: cùm Christus, quia bonus pater & pastor, animam posuerit suam pro ouibus suis.

Matth. 23. 9.
Marci 10. 17.
Luca 18. 18.
Ephes. 3. 15.
Esaiæ 9. 6.
Esaiæ 53. 10.
Ioan. 12. 24.
Ioan. 10. 11.

6. *Ideoque Abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet docere, aut constituere, aut iubere. Sed iussio eius, vel doctrina fermento diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus conspergatur.* Si Abbas in Monasterio Christi vicarius est, Christique personam (vt vidimus) sustinet, consequens est, vt digna Christo agere teneatur. De Christo autem legimus quod non venit facere voluntatem suam, sed eius qui misit illum, & quod doctrina eius non erat eius, sed illius qui misit illum, & quod verba quæ loquebatur, à se ipso non loquebatur, sed pater in eo manens, ipse faciebat opera. Abbas ergo nihil extra præceptum Domini docere, constituere, iubere, quinimò nec facere aut tentare meritò poterit.

Ioan. 6. 38.
Ioan. 7. 16.

7. *Extra præceptum Domini* (inquit,) non quasi prohibeat, aut prohibere liceat quidpiã aliud,

iubere, vel cauere, præter id quod iniunctum à Domino, vel cautum est: aliàs nec ipse sanctissimus Doctor suam Regulam sancire Monachis potuisset; sed pugnantia tantùm atque dissonantia aduersùm ea quæ à Domino definita sunt. Vti in Deuteronomio cùm dicitur;

Deut. 4. 2. *Non adderis ad verbum quod vobis loquor*, idem est, ac si diceretur, non addetis aliquid contra verbum quod vobis loquor. Et

ad Galat. 1. 8. ad Galatas 1. *Sed licet nos, aut Angelus de Cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus anathema sit.* Vbi ly *præterquam* idem est, ac contra, iuxta

Hier. Ambr. Chrys sup. ad Galat. 1. vniuersos Patres; non secus atque cùm alibi Paulus dixit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*, id est, contra id

1. *Cor.* 3. 11. quod positum est. Supra fundamentum enim potissimum, primum ac principale, quod est Christus Iesus, alia minus principalia affixa sunt, iuxta illud

Eph. 2. 20. Apostoli, *superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* De quo plura in volumine de summo Pontifice, Dubio 2. cap. 6.

8. Quod etiam ad hanc normam verbum Magistri nostri interpretandum sit, ipse propalauit dicens; *Sed in fine eius, vel doctrina fermento diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus conspergatur.* Id est, omnia Abbatis siue dicta, siue edicta sapiant gustantibus legem Dei naturalem, moralem, diuinam, euangelicam, consiliatricem, perfectiuam, & similes. Nam præterquàm quod hæc omnia, & plurima alia significare solet ly *iustitia*, vt cùm dicitur Prouerb. 11. *Seminanti autem iustitiam merces fidelis.* Et

Prouerb. 11. 18.

Esaiæ 32. *Cultus iustitiæ silentium.* Et 57. *Ego annunciabo iustitiam tuam.* Et 63. *Ego qui loquor iustitiam.* Et ad Rom. 1. *Iustitia Dei in eo reuelatur.* Et ad Hebræos 5. *Expers est sermonis iustitiæ.* Quare

Esaia 32. 17. *cap* 57. 12. *cap.* 63. 1. *Rom.* 1. 17. *Heb.* 5. 12.

Augustinus explicans illud psal. 74. *Ego iustitias iudicabo*, inquit. Priùs prædicat iustitiam, (id est, mirabilia Dei, de quibus versu præcedenti; *Narrabo omnia mirabilia tua*, vtique dictorum, factorum, consiliorum, documentorum, legum, & similium, quæ sub ly *mirabilia tua* comprehenduntur, & quæ nobis manifestantur) & sic iudicat iustitias. Igitur præterquàm quod hæc omnia significantur per ly *iustitiam* ipse sanctissimus Doctor se explicuit, citans ad hoc illud

Psal. 74. 3.

psalmi 29. *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo; veritatem tuã, & salutare tuum dixi.* Vbi quod priùs vocauerat iustitiam, postea nuncupauit veritatem & salutare Dei. Et antea præmiserat Dauid dicens; *Annunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna.* Iustitia autem quæ in Ecclesia Dei (id sonat Ecclesia magna) annunciatur, diuina eloquia sunt, doctrina, Sacramenta, Euangelia, lex, consilia, & alia huiusmodi.

Psal. 29. 11.

Psal. 29. 10.

9. *Memor sit semper Abbas quia doctrinæ suæ, vel discipulorum obedientiæ, vtriusque rei in tremendo Dei Iudicio facienda erit discussio.* Hoc est quod ex psal. 74. nuper induximus ex ore Dei dicentis; *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo*, vtique iustitiam doctrinæ, & iustitiam obedientiæ; quoniam

Bern. Ser. 55. in Cant. quoniam, vt Bernardus exponit, vias iustorum (ni fallor) & actus eorum discussurum & examinaturum se dicit. Est etiam illud *Eccles. 12. 14.* Ecclesiastæ : *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro errato, siue bonum, siue malum.* Et illud *Ierem. 17. 10.* Ieremiæ ; *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum.* Et id *Sophon. 1. 12.* Sophoniæ : *Scrutabor Ierusalem in lucernis.* Circa quod *Bern. ad id Sophon.* Bernardus. Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquet oculus eius? scrutabitur renes & corda, ipsa quoque cogitatio hominis confitebitur ei.

10. Inde iudicium Dei tremendum hic prædicatur, & expectatio illius terribilis apud Paulum dicitur, vtpote quod non peccatores tantùm, verùm & ipsos iustos, iustorumque patres & magistros perstringit, & præ timore consternit: adeò vt vel ipse *Psal. 142. 2.* Dauid propterea petierit ; *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* & Iob. *Iob. 31. 14.* *Quid faciam, cùm surrexerit ad iudicium Deus, & cùm quæsierit, quid respondebo illi?* & rursum. *Iob. 9. 28.* *Verebar omnia opera mea, sciens quia non parceres delinquenti.* Nec mirum, quoniam (vt Greg. habet) iustorum mens semper solicita venturo examini intendit, omnem enim quod agunt metuunt : scriptum enim est ; *Greg. l. 8. mor. c. 13.* *Iob. 25.* astra non sunt munda in conspectu eius, quia apud Deum districtè iudicanti ipsi quoque maculas inquinationis habent, qui per munditiam sanctitatis lucent.

11. *Sciaq; Abbas culpæ pastoris in-*

cumbere, quidquid in ouibus paterfamilias vtilitatis minus potuerit inuenire. Hæc est ratio ob quam oportet Abbatem esse memorem discussionis, quæ in Iudicio Dei facienda est, tam doctrinæ eius, quàm obedientiæ discipulorum suorum; vtpote quod rationem de se atque de subditis suis Domino in Iudicio redditurus est, & pœnas de erratis daturus : siquidem dicente Paulo, *Rom. 1. vlt.* *digni sunt morte non solùm qui talia faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Quare Dauid orabat; *Ab occultis meis mũda me* *Psal. 18.* *Domine, & ab alienis parce seruo tuo,* id est, à peccatis subditorum meorum, sic enim à D. Thoma *D. Th. sup. psal. 18.* explicatur. Nec immeritò, quoniam (vt habet Gregorius) sæpe *Gregor. 25. mor. cap. 14.* culpa pastorum deterior fit vita plebium ; & ideo subditorum culpa in culpa & ex culpa Præfectorum est.

Rationem huius assequetur 12. quisque, siquidem vt incumbit agricolis terras colere, & pastoribus greges pascere; sic Prælatis atque Præpositis subditos regere. Vnde sicut terra sæpe colonorum squalet inertia, & greges pastorum marcent incuria : sic subditi Præpositorum suorum desidia torpent, & in dies in deterius ruunt. Vt igitur detrimentum terræ colonis, & iactura gregis pastoribus tribuitur, sic subditorum pernicies Præfectis. Vnde Hieronymus. Detri- *Hier. tom. 1. epist. 70.* mentum pecoris, pastoris ignominia est. Et Cassiodorus. Nouo *Cassiod. 2. var. cap. 11.* infœlicitatis euentu fit dedecus proprium scelus alienum, & nõ solùm dedecus, sed suppliciũ, vt patet in eo qui talentum ad ne- *Matth. 25.*

goria

gotiationem acceptum nō multiplicauit. Debent ergo Abbates inuigilare multum, non tantùm pro tuenda conseruandáve, sed etiam pro amplificanda, & in dies augenda Monachorum suorum perfectione, religione & virtute, vt valeant cum Paulo illis dicere: *Vos scitis quomodo nihil* *Act.20.20.* *subtraxerim vtilium*; quia (vt Bernardus habet) *non vos fœlices quia praestis, sed infœlices quia non prodestis putate.* *Ber. epist. ad Sen. Episc.*

13. *Tantùm iterum liber erit, vt si inquieto, vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuersa fuerit cura exhibita.* His consolatur Præfectos, qui frustra in subditorum suorum correctione laborauerunt, vt qui salutaribus monitis, regularibusque coërtionibus illorum non acquieuerunt, sed potiùs recalcitrarunt. Quod enim tales subditi pereant, non Prælatorum, sed subditorum tantùm culpa est. Prælati enim possunt, vt vel Deus ipse inclamare, dicentes; *Curauimus Babylonem*, (id est, curationi eius operam sufficientissimam dedimus,) *& non est sanata*, vtpote quod noluit sanari. Scitum enim est illud Augustini brocardicū; Qui creauit te sine te, non saluabit te sine te, vtique sine te assentiente, volente, libereque acceptāte. Deus enim nolentes non saluat. Si ergo id creator, quid prædicator? quid Præfectus? quid Abbas? Maximè cùm scriptum sit; *Videte opera Dei, quia nemo potest corripere quem ipse despexerit.* Et cùm *non sit in medico* (vt ille alius cecinit) *semper reueletur vt æger: Interdum docta plus valet arte malum.*

14. Quare licet Prælati ex charitate doleant subditorum suorum iacturam, vtpote quod (vt Gregorius inquit) Prælati de alienis lapsibus vt de propriis se affligunt; non tamen est cur inquietentur & timeant, exquo de huiusmodi interitu redargui non possunt: siquidem, vel de custodiæ nostræ Angelis legimus; *Angeli pacis amarè flebunt:* imò de illis ait Origenes, quod traduntur in iudicium, vtrùm ex ipsorum negligentia, an hominum ignauia homines lapsi fuerint; cùm tamen nihil eos turbet animarum sibi commissarum dispendium, eo quod per illos non stetit, sed per homines. Et ideo cùm in iudicium adducuntur, non adducuntur vt rei, sed vt testes, iuxta quæ habet D. Thomas, qui etiam docet, prædictos Angelorum fletus metaphoricos esse, non aliter quàm fletus diuinos. *Greg. lib.13. mor.cap.7.* *Esaiæ 33.7.* *Orig.hom.11. in Numeres.* *D.Th.1.p.q. 113.ar.7.*

15. *Pastor earum in iudicio Domini absolutus, dicat cum propheta Domino; Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuā & salutare tuum dixi: ipsi autem spreuerunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ouibus pœna sit eis præualens ipsa mors.* Grande proculdubio in Præpositis piaculum est, suos non instruere in his quæ Dei sunt, & eorum instituta concernunt: siquidem Paulus quia doctor gentium, lethalem istam iudicauit noxā, dicens ad maiores Ecclesiæ; *Contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium.* Id est, quod nullius vestrūm necis aut *Act.20.26.*

mortis

morbis reus sum, aut interitus alicuius causa. Vt autem id ostenderet, subdidit; *Non enim subterfugi quominus annunciarem omne consilium Dei vobis*, significans quod secus omnino esset, si subterfugisset. Tunc enim omnium qui ob doctrinæ penuriam defecissent, interitus illi imputandi essent, vt imputatur mors ægri medico qui eum curare non vult, & interitus fame pereuntis illi qui cũ posset, ac teneretur, noluit succurrere. Et iterum; *Væ mihi si non euangelizauero*, vtpote quod euangelizandi præcepto tenebatur, sicut & reliqui Apostoli, & Propheta ille qui dixit; *Væ mihi, quia tacui*, vtpote quod docendi populum officio fungebatur.

1. Cor. 9. 16.

Esaiæ 6. 5.

16. Quia igitur eodem funguntur munere vniuersi Præpositi, adeò vt nisi legitimè impediti, illud per se ipsos exercere teneãtur, etiamsi alia munia aliis committant, vt expressè habet Concilium Tridentinum, ideo ad iustificandos se ipsos etiam coram summo Deo de subditorum suorum ruina, nihil per se valentius afferre possunt, quàm quod euãgelizando doctrinæ numquam defuerunt. Et propterea sanctissimus Doctor commonet hic Abbates huic operi sufficienter deditos, in iudicio Dei pro excusatione sua inclamare; *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi.* Valet enim ac si diuinum illud allegasset; *Quid enim debui facere vineæ meæ, & non feci?*

Trident. sess. 5. cap. 2. & sess. 24. c. 4.

Esaiæ 5. 4.

17. Item, vt apud Lucam præcepit Christus Apostolis quos ad prædicandum mittebat; *Quicumque non receperint vos, exeuntes de ciuitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium contra illos*, quia scilicet oblatam ab Apostolis prædicationem vltrò illi sprevervnt, Apostolorumque conatus, laboremque irritos reddiderunt; iuxta quæ notarunt Patres, videlicet Chrysostomus, Hieronymus, Druthmarus, & Victor Antiochenus: sic in testimonium quod subditi Prępositorum suorum studia & vigilias pro ipsorum salute exactas superbè contempserunt, iubet Præpositos in iudicio Domini cum Propheta cantare; *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo.* Quasi dicerent, nostrum tantùm erat iustitiam tuam illis notificare, id seriò satisque fecimus, sed frustra, quoniam illi nihil tale curarunt, & ideo penes illos tantùm, non autem penes nos damnatio eorum est.

Luc. 9. 5.

Chrys. hom. 3. in Matth. Hier. sup. Matth. 10. Druthm. ibi. Victor sup. Marc. 6.

18. *Et tunc demum inobedientibus curæ sit cui bus pœna sit eis præialens ipsa mors.* Sẽsus est, Abbas per hæc saluus fiet, Monachus tamẽ pœnas dabit, & non quales quales, sed æternas. Quod est illud Ezechielis; *Anima quæ peccauerit ipsa morietur, filius nõ portabit iniquitatem patris; neque pater portabit iniquitatem filij.* Peccauit autem Monachus, quia sufficiẽter per Abbatem instructus, correctus, atque doctus, resilire, resipiscere, atque ad meliorem frugem reduci noluit. Inde illud Leuit. *Si nolueritis recipere disciplinãm, sed ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra vos incedam, & percutiam vos septies propter peccata vestra, in-*

Ezech. 18. 4.

Leuit. 26. 23.

ducamque super vos gladium vltorem. Et illud Iob. *Si audierint & obseruauerint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria; si autem non audierint, transibunt per gladium.* Et illud Christi apud Luc. *Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens plagis vapulabit multis.* Et illud Pauli: *Propterea abundantiùs oportet obseruare nos ea quæ audimus, ne fortè perefluamus. Si enim omnis inobedientia accepit iustam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem?*

Iob. 36. 11.
Luc. 12. 47.
Heb. 2. 1. & 2.

19. Dicitur autem prævalens ipsa mors, non solùm quia (vt Greg. Nazian. definit) vita cùm sit carnis & mentis nexus tenax, mors est huius tanti nexus diuulsio: sed quia morte à peccando desistunt, qui per vitam desistere noluerunt. Vnde Amb. Grauius est ad peccandum viuere, quàm in peccato mori, quia impius quando viuit, peccatum auget: si moriatur, peccare desinet. Plerique criminum suorum absolutione lætantur; si emendaturi sunt, rectè; si perseueraturi in eis, stultè: quia plus illis damnatio profuisset, ne incrementa facerent peccatorum. Prævalens ergo in his dicitur ipsa mors, quia sola illa contra incorrigibilium improbitatem prævalet: & quia quod Prælati monitis, præceptis, terroribus, & cruciatibus obtinere ab illis in eorum commodum non valuerunt, mors prævalet in exitium inexterminabile ipsorum.

Nazianzenus Iamb. de definit.

Dicitur autem consultò ipsa mors, vt discernatur à memoria mortis, quæ aduersus peccata multa multum valere dicitur, iuxta illud Spiritus sancti; *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Et iuxta illud Leontij Neapolitani ex sententia Ioannis Eleemosynarij; Sufficit ad salutem assiduè & dolenter cogitare, & solicitudinem habere de morte. Quia tamen hæc apud incorrigibiles irrita est, & sola ipsamet mors effectum habet, ideo dicitur ipsa prævalens mors: & quidem non ad gloriam, vt fuisset, si præualeret memoria mortis, sed ad æternam pœnam. Dicitur etiam ipsa mors, ad differentiam terribilium Dei & hominum in hac vita, qualia sunt tribulationes, ægritudines, & tristes euentus, & similia, quæ vmbra mortis appellari solent, iuxta illud psal. *Si ambulauero in medio vmbræ mortis: Cooperuit nos vmbra mortis*; & quæ Deus & homines ad correctionem nostram, ad vitiorum emendationem ex composito (vt suprà vidimus) immittunt. Sed quia incorrigibilibus etiam ista irrita sunt, dum nihil, aut non satis prosunt, sed dissipati cùm sint, non tamen compuncti; ideo ab ipsa tantùm morte peccandi finis in talibus speratur.

20.

Eccli. 7. 4.

Leon. in vita Ioannis Iero-solymitani.

Psal. 22. 13.
Psal. 43. 10.

Sup. in prolog. n. 125.

SECVNDA PARS.

CVM ergo aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis, id est, omnia bona & sancta factis amplius, quàm verbis ostendere, vt capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat, duris verò corde, & simplicioribus, factis diuina præcepta demonstret. Omnia verò quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda: ne aliis prædicans ipse reprobus inueniatur, nequando illi dicat Deus peccanti; Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te. Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti. Non ab eo persona in Monasterio discernatur. Non vnus plus ametur quàm alius, nisi quem in bonis actibus, aut obedientia inuenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi aliqua rationabilis causa existat. Quod si ita iustitia dictante, Abbati visum fuerit, de cuiuslibet ordine id faciat, sin aliter, propria teneant loca. Quia siue seruus, siue liber, omnes in Christo vnum sumus, & æqualem seruitutis militiam baiulamus. Quia non est apud Deum personarum acceptio. Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores aliis in operibus bonis, & humiles inueniamur.

21. CVM *ergo aliquis suscipit nomẽ Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis, id est, omnia bona & sancta factis amplius, quã verbis ostẽdere, vt capacibus discipulis mãdata Domini verbis proponat, duris verò corde, & simplicioribus, factis diuina præcepta demonstret.* Hoc est quod Paulus ad Titum, vtpote Præpositum, monuit, dixit enim: *Te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate.* & ad Timotheum; *Exẽplum es fidelium in verbo & conuersatione, in charitate, in fide & castitate.* & rursum: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Ad Abbates etiam Concilium Turonense III. sub Carolo magno. Sint Abbates suis subditis bene viuendo duces, & præuij viam demonstrent, qua rectè gradiendo ad meliorem vitam peruenire valeant. Et idẽ Concilium Aquisgranense &

ad Titum 2. 7.

1. *Tim.* 4. 12.

2 *Tim.* 4. 2.

Conc Turon. 3. cap. 4.

Aquisgr. 2. c. de ordinat. rector.

Pariſ. 3. lib. 1. cap. 37. Rhemen. cap. 23.

Pariſienſe. Rhemenſe etiam ad eoſdem. Abbates gregibus ſibi commiſſis inſtanter inuigilent, & geminam eis paſtionem impendant, quatenus abſque murmurationis vitio ſeruire valeãt.

22. Ratio autem eſt, quoniam (vt Iſidorus Hiſpalenſis habet) tam doctrina quàm vita clareſcere debet Eccleſiæ doctor: nam doctrina ſine vita arrogantem reddit, vita ſine doctrina inutilem. Bernardus etiam. Tãtùm lucere, vanum, ardere, parum; lucere & ardere, perfectum. Id eſt, tantùm docere, vanũ; bene viuere, parũ: docere & bene viuere, optimũ. Quare Gregorius magnus. Doctor quantum claret verbo, tantum clareat exemplo. Et Caſſianus. Sicut in numiſmate metallum, figura & pondus inquiritur, ita in omni doctore Eccleſiaſtico, quid ſequatur, quid doceat, quomodo viuat.

23. Inde Dominus ad Apoſtolos, vt ad Prælatos, & Prælatorũ ſubſequẽtium exemplar; *Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi* (propter doctrinam.) *Videant opera veſtra bona, & glorificẽt patrem veſtrum qui in cœlis eſt* (propter exẽplũ.) Cùm enim bonorum operum oſtentationem omnibus interdixiſſet dicens Matth. 6. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* & iterum; *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua:* conuerſus tamẽ ad Apoſtolos, vt ad Præpoſitos, dixit; *Videant opera veſtra bona:* vtiq; quia nõ tãtùm verbo, ſed exẽplo etiam inniten-dũ eſt. Vnde Chriſtus ad Petrũ; *Paſce oues meas*, verbo nimirũ (ex interpretatione cõmuni) & exẽplo: quia (vt Hieronymus, & ex illo ſacri Canones habent) debẽt Præpoſiti conuerſatione, ſermone, & ſcientia præcedere omnes quibus præſidẽt. Scientia inquit, at nõ quali quali, ſed diuina, accepta diuinitus, dicente Origene. Illa doceat, quæ à Deo ipſe didicerit, non ex proprio corde, vel humano ſenſu, ſed quæ Spiritus ſanctus docet. Et adducit in exemplum Moſem, qui indeſinenter erat in tabernaculo Domini, vt aliquid ab eo diſceret, quod doceret populum. De quibus ſanè multa & præclara apud Gratianum noſtrum in Decretis. Conuerſatione etiam ait, quæ etiam cœlica eſſe debet, dicente Chryſoſt. Eum qui regendos alios ſuſcipit, decet tanta virtutis gloria excellere, vt inſtar Solis cæteros, velut ſtellarum igniculos ſuo fulgore obſcuret. Debet vitam habere immaculatam, vt omnes in eam velut in exemplar excellens intueantur.

Hier. ſup. ad Titum 2. 8. q 1. cap. Qualis.

Orig. hom 6. in Leuit.

Gratia. diſt. 36. cap. 1. 2. 3. maximè 2.

Chryſ. hom. 12. ſup. 1. ad Timoth. 3.

24. *Omnia verò quæ diſcipulis docuerit eſſe contraria, in ſuis factis indicet non agenda: ne aliis prædicans, ipſe reprobus inueniatur, nequando dicat illi Deus peccanti; Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti disciplinam, & proiecisti ſermones meos poſtrè.* Hęc quę proximè dicebamus, & quæ magiſtros, diſcipuloſque valde concernunt, eo quod paſtoris vita (ait Gregorius) ſemper diſcipulis debet eſſe præſens. Sunt etiam in quæ Paulus proſpiciebat cùm dicit; *Qui prædicas non furandum furaris? Qui prædicas non machan-*

Greg. apud Gratianum. 2 q 7. c. 57.

Rom. 2. 21.

dum,

dum, *macharis*? *Qui in lege gloriaris*, (vtique quàm alios docces) *per præuaricationem legis Deum inhonoras*? Se ipsum quoque dedecorat, & vilissimum reddit, dicente Symmacho Pontifice. Vilissimus putandus est, nisi præcellat scientia, & sanctitate, qui est honore præstantior. Scriptura etiam appellat huiusmodi doctorem minimum, id est, nullius pretij, dicens; *Qui* *Matth. 5.* *soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Nec iniuria, quoniam iustitiæ huius sinistræ & obliquæ *Aug in psal. 18. expos. 1.* sunt, dicente Augustino quod verba illa psal. *Iustitiæ Domini rectæ*, significant doctorem non alia docere, quàm ipse facit.

Symmachus epistola ad Laurent. & habetur 9. 1. cap. Vilissimus.

25. Inde à prædicatione iustitiarum Dei inhibetur, (& meritò) qui non eadem facit, quæ docet. Dicitur enim illi quod hic ex psalm. 49. inductum est, *Psal. 49. 16.* *Quare tu enarras iustias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Huius enim iustitiæ rectæ non sunt, cùm non eadem faciat quæ docet, sed vita potiùs destruat, quod doctrina ædificat, & quæ verbis docet, dedoceat operibus; vtpote quod homines (iuxta quæ vidit Seneca) plus credunt oculis, quàm auribus. Et quidem quî non credent? Si enim idem ipse qui enarrat iustitias Dei, & assumit testamentum eius per os suum; quia tamen videns furem currit cum eo, & cum adulteris portionem suam ponit, tractus & attractus alieno exemplo, potiùs quàm ductus, & correptus verbo proprio, imò verbo Dei, cur qui eius iustitias non enarrat, sed ad summum enarrantem audit, si tamen videt illum furantem & adulterantem, non etiam furabitur, & adulterabit? Item si vel illos, quibus Petrus (vt cæteri Apostoli) tam seriò sedulóque legalium cessationem prædicauit, dixit Paulus coactos à Petro fuisse Iudaizare, ob id solùm quod viderunt in Petro, non quidem aliam rem, quàm solùm nescio quandam incautam simulationem Iudaismi, iuxta quæ habentur in Epistola ad Galatas; quid dicemus de illis, qui etiam si audiant à doctoribus suis virtutis sequelam, vident tamen illos perpetuò vitiorum sequaces, & morum insolentiæ addictos?

Ideo non dubium est quin 26. doctores & concionatores verbo optimi, vita verò improbi, plus dedecori sint Euangelio, & detrimento auditóribus, quàm honori & commodo; vt Chry- *Chrysost. ho. mil. 30. in Act. Apostolorum.* sostomus obseruauit, & intulit ex eo quod non sic insunt animæ verba, vt opera. Quapropter subdidit verbum mihi pudoris plenum; Vtilius fuerit tacere. At ita comparatum est, vt volubilis lingua doctoris suppleat non raro in oculis populi volubilitatem vitæ: imò (si Deo placet) etiam crebrò, dissimulante hoc Deo, quia scriptũ est; *Esaiæ 24. 2.* *Qualis populus, sic & Sacerdos.*

Inde etiam est quod in textu 27. ex prædicto psalmo subiicitur; *Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te.* Huius enim odij & contemptus ratio quæ assignatur, est: *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum*

adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris; & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Per quæ datur intelligi, odium disciplinę Dei, despectumque eloquiorum illius in eo consistere, quod doctoris vita non correspõdeat doctrinæ, dum iis quæ verbis dicit, operibus contradicit. Vt enim probatio dilectionis (sic habet Gregorius magnus) exhibitio est operis, id est, *obràs son amores*, quod Hispani dicunt; sic probatio odij, bonorum operum negatio est, malorumque exhibitio. Quare sicut factores legis dicuntur diligere illam, sic violatores illius dicuntur odio habere eam. Non secus ac dicitur; *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*: ac, *dictum est antiquis, odio habebis inimicum tuum*: vtique non odio cordis, quod ab intrinseco malum est, & proinde necessariò prohibitum, & nulli nisi negatiuo præcepto obnoxium: sed odio operum externorum, vtpote quod Israëlitæ acceperunt mandatum tollendi inimicos suos, vtique Amalechitas de terra, & illos persequendi, iuxta quæ habentur in Exodo. Vt enim amare aliquem, idem est quod velle bonum ei, quodcumque illud sit: ita odio illum habere, idem est quod malum illi procurare, aut infligere; vt infligit animæ suæ qui diligit iniquitatem, & diuinæ legis honori, qui illam obseruandam prædicat, & tamen illam violat: factis enim negat ac destruit, quod verbis affirmat & ædificat. Iure igitur dictum est de Præpositis, qui aliud faciunt & aliud dicunt, quod odio habuerunt disciplinam, & quod proiecerunt sermones Dei retrorsum.

Psal. 118. 47. 49. 93. 113. 167.

Psal. 10. 9.

Matth. 5. 44.

Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti. Hoc plerumque vitium (nescio quo obtinendi morbo) infectatur degeneres dyscolósque Prælatos. Quanto enim lyncei acutioriſque acuminis sunt ad introspiciendos, nedum inuestigandos, & manu comprehendendos subditorum suorum etiam minutissimos næuos, tanto hebetioris ingenij notari solent ad discernẽdos proprios, etiam si maximi & magnæ molis sint. More sanè illorum qui oculorum aciem sic temperatam habent, vt liquidò & perspicuè cernentes ea quæ procul sunt, quæ tamen præ oculis habent, non discernunt: quoniam ad remotiora vigent oculorum obtutibus, ad viciniora autem ægrotant: ne dicam more insipientium, qui sibi ignari, & cæteris subdoli sunt, quos vulgus Hispanum dicit *bobos malicioſos*; omnia aliorum gesta non solùm inquirentes, verùm in deteriorem partem interpretantes, propria verò vt nullius notæ, siniſtræue suspicionis habentes. Sed quidquid sit de hoc, vbique gentium ac rerum consequens est, vt qui aliena curant, propria negligant, veluti sponsa, quæ facta custos in vineis, vineam suam non custodiuit: & velut ipsa charitas, & omnes charitate affecti, qui alienis cõmodis inhiantes, sua non quærunt;

28.

Cant. 1. 6.

1.Cor.13. 3. 1. Cor. 10. 33. runt, iuxta illud Pauli; *Charitas non quærit quæ sua sint.* & iterum de seipso; *Non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.*

29. *Non ab eo in Monasterio personа discernatur. Non vnus plus ametur quàm alius, nisi quem in bonis actibus, aut obedientia inuenerit meliorem.* Cùm Abbas in Monasterio vices Christi gerat, (vt dictum est) debet se gerere vt Christus, apud quem (iuxta quæ dixit Paulus) neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura, & fides quæ per dilectionem operatur. Et vt Christus ipse: *Qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ille meus frater, mater, & soror est.* Et iterum: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et rursum: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei.*

Supra cap. 2. n. 5. Galat. 6. 15. & cap. 5. 6. Marc. 3. 35. Matth. 5. 20. Ibid. 5.

30. Præterquàm quod diuinitus cauta est personarum acceptio, iuxta illud Deuteronomij; *Non accipies personam, nec munera.* Quare Iacobus: *Si personã accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege tanquam transgressores,* vtique à lege personarum delectum damnante, Leuitici 19. & Deuteronomij 1. Et priùs & fortiùs à conscientia, quæ vidit, & prouidit quod sicut in Academiis scientiarum peritiores sunt præferendi, ita in virtutum scholis (qualia Monasteria sunt) studiosiores. Rectè igitur cautum est, vt Abbates non aliquos ex suis Monachis præ aliis diligant, nisi quos præ aliis vident virtutum ornamentis florere.

Deut. 16. 19. Iacobi 2. 9. Leuit. 19. 13. Deut. 1. 17.

31. *Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi aliqua rationabilis causa existat. Quod si ita iustitia dictante, Abbati visum fuerit, de cuiuslibet ordine id faciat, sin aliter, propriæ teneant loca. Quia siue seruus, siue liber, omnes in Christo vnum sumus, & sub vno Domino æqualem seruitutis militiam baiulamus.* Vnum hic supponitur, & duo præcipiuntur. Supponitur enim monachatus sagenam omnes cõcludere posse, nobiles & ignobiles, seruos & dominos. Vnde Isidorus Hispalensis. Ad huius sanctæ militiæ propositum veniunt non solùm liberi, sed & plerumque ex conditione seruili; at propter hoc ad homines liberati; vel propter hoc potiùs liberandi. Veniunt quoque ex vita rustica, & ex opificum exercitatione, & ex plebeio labore, tanto vtique fœliciùs, quanto fortiùs educati. Quod si non admittantur, graue delictum est. Multi enim ex eo numero verè magni imitandique extiterunt: nam propterea infirma mundi elegit Deus, vt confunderet fortia, & stulta mundi, vt confunderet sapientes, & ignobiliã mundi, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt euacuarentur, & non glorietur omnis caro coram Deo.

Isidor. 2. offic. cap. 16.

32. Et quidem si mater Ecclesia omnes ad Sacramentorum suorum, omniúmque bonorum participationem admittit, siue Græcos, siue Iudæos, siue Sarracenos, siue impios, siue claudos, siue cæcos; cur mater religio

iguo

ignobiles saltem vt ingenuos ad sui professionem votorumque nuncupationem non amplexabitur? Ignobiles vt nobiles dixi, alios consultò prætericns, videlicet Iudæos, Sarracenos, & similes, quos non tantùm malos & fictos, & proinde cauendos Scriptura denunciat, dicens; *Cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.* Verùm generationem malam & adulteram vocat, imò & peruersam; vt moneamur inde non commisceri eis, vtpote quod arbor mala non potest bonos fructus facere: & quoniam *qui tetigerit picem* (ita scriptum est) *inquinabitur ab ea*; & *qui communicauerit superbo, induet superbiam.* Sed hæc longiori tractatu digna sunt.

Matth. 16. 11. *cap.* 12. 39. *cap.* 17. 17. *cap.* 7. 18. *Ecclesiast.* 13. 1.

33. Primum autem quod præcipitur, est, semel ad religionis gremium nobiles pariter, ignobilesque admissos pari dilectionis pondere prosequẽdos, præter illos qui ob maiora incrementa virtutum, maiori se beneuolentia dignos faciunt. Ratio esse potest, quod Monasteria virtutum scholæ cùm sint, sola virtutum ratio in illis habẽda est; & nihil nisi sub ratione virtutis speculandum, vt in scientiarum scholis nihil nisi sub ratione scientiæ. Vnde sicut in istis illa tantùm obiecta præstant, & præponuntur reliquis cuiuslibet scientiæ, in quibus potissimùm splendet ratio formalis talis scientiæ, omni alio respectu prætermisso, etiamsi aliàs magni pretij: ita in illis illa tantùm subiecta debent præponi, in quibus virtutum iubar maximè nitet, omni alio respectu generis, formæ, aut facultatum, similiumque posthabito; ita vt genere clarus, forma venustus, diuitiis locuples, & ingenio acris, si tamen virtutibus non fuerit strenuus, potiori beneuolentia non sit dignus: bene tamen ille qui humili loco natus, seruilique cõditione obstrictus, & ipse deformis, virtutibus tamen eminentior; is enim feruentiori amore à Prælatis suis prosequendus est, quia quod in Monasteriis desideratur, & in pretio habetur, sola virtus est, & virtutum exercitamenta & officia.

34. Secundum est, ingenuos nũquam ob generis claritatem aliis etiam ex conditione seruis loco præponendos, bene tamen ex aliqua rationabili causa. Per quod apertè negatur, nobilitatem generis esse rationabilem causam loco præferendi & anteponendi nobilem ignobili Monacho, etiam seruo. Quod etiam voluit, & monuit Hieronymus dicẽs ad nobilem Cælantiam matremfamilias. Nulli te vnquam de generis nobilitate præponas, neque obscuriores quasque & humili loco natas te inferiores putes, nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum. Seruum & nobilem de moribus pronuncia. Sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis. Huius ratio est, quod nobilitas vel ignobilitas, dominatus aut seruitus, & similia, tam extra rationem virtutis moralis sunt, quàm

Hier. ep. 14.

quàm extra rationem virtutis intellectualis, & cuiuslibet artis siue ingenuæ, siue operosæ. Quare sicut inter professores istarum illi solùm excellunt, qui peritiores sunt, ita inter professores illarum illi qui studiosiores.

35. Non equidem quasi in religione nobilitas despectui sit, quæ vbique terrarum & gentium in pretio & momento est, atque esse debet, saltem quoniam à melioribus potioribusque potiora melioraque sunt semper speranda, vel ipsa sacra Scriptura dicente; *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Eccl. 30: 20. Propter quod Christus exquo dixit palàm: *Omnia mihi tradita sunt à patre meo,* Matth. 11. 29. subiecit inquiens; *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et ideo Fulgentius epistola ad Gallam viduam genere nobilissimam. Fulgen. ep. 210. Cùm sis auis atauísque nata Consulibus, & deliciis regalibus enutrita, humilitatis & subiectionis amore ac seruiendi vsu, Dominam te aliquando fuisse nesciant. Sed quia vt est labor ingratus, quem debita præmia fallunt: ita gradus ingenuitatis inter Monachos irritus, quem maiorum virtutum incrementa non expoliunt; quoniam à melioribus meliora semper sperãtur, & quia in Monasteriis, si verè Monasteria sunt, non de ingenuitate & nobilitate sanguinis, sed spiritus cura est. Cui quoniam plura alia subseruire possunt, maximè regendi strenuitas, docendique siue per lectionem, siue per concionem authoritas, & alia (si quæ sunt) affinia, ideo in textu subiicitur; *nisi alia rationabilis causa existat.* Agnouit enim sanctissimus Pater aliquas in Monasterio rationes militare posse, ob quas nobilis & ignobilis aliquis possint aliis loco præponi, vt de facto præponuntur quotidie, Regula item suffragante, quæ subdit; *Quod si ita iustitia dictante, Abbati visum fuerit, de cuiuslibet ordine id faciat sin aliter, propria teneant loca.*

36. Causa, quam Doctor sanctissimus adhibet, cùm negat nobilioris ignobiliori prælationem, est, *quia siue serui, siue liber, omnes in Christo vnum sumus, & sub vno Domino æqualem seruitutis militiam baiulamus. Quia non est apud Deum personarum acceptio.* Hoc est, quia exquo religionem vouimus, non nostri, sed Dei sumus, illique vt summo capiti tanquam membra corporis coaptamur, & proinde longè aliam superioris naturæ rationem induimus, vt omnia quæ virtute voti eleuantur, iuxta quæ 2, 2. apud D. Tho. habentur. *D. Th. 2. 2. q. 88. art. 6.* Quare cùm apud Deum non sit personarum acceptio, sequitur quod nec apud nos esse debeat. Maximè quod diuinitus cauta est, iuxta illud Deuteronomij; *Non accipies personam, neque munera.* *Act. 10. 34. Rom. 2. 11. Deut. 16. 19.* Vnde apud Iacobũ. *Si personam accipitis, peccatum operamini, redarguuti à lege tanquam transgressores*; à lege inquam personarum delectũ prohibente, de qua in Leuitico atque in Deuteronomio. *Iacobi 2. 9. Leui. 19. 13. Deut. 1. 17.* Imò etiã à lege conscientiæ: iure enim naturæ (quod neminem fugit) interdictũ est ius suũ alicui ne-

gare, quod acceptionis personarum proprium est.

374 Quia verò licet Deus personarum acceptor non sit, est tamen acceptor morum, iuxta illud Ambros. Nulla apud Deum discretio personarum est, nisi morũ & vitæ, vt homines vnius fidei meritis distinguantur, non personis; ideo in textu nostro subiicitur; *solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores aliis in operibus bonis, & humiles inueniamur.* Hæc sanè Doctor induxit vt sciat Abbas, quod meliores honoribus decorare, & illos per omnia præferre non acceptio personarum, sed morum est, non vitium, sed virtus, & quidem diuina, eo quod apud Deum non solùm verificatur, quod neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura: & quod nisi abundauerit iustitia nostra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabimus in regnũ cœlorum: & quod non omnes qui Christo dicunt, Domine, Domine, illuc intrabunt; verùm quod in oculis eius illi sunt chariores qui potentiores virtute. Quare pro diuersitate meritorum, diuersas in domo patris sui Christus mãsiones habet, quasdam quidem à dextris, quasdam verò à sinistris. Quæ omnia pro suo modulo Abbas imitari tenetur; vtpote intra Monasterij septa, & respectu Monachorum suorum Vicarius Christi.

Ambr. in c. 3. ep. ad Galatas.

ad Galat. 6. 15.

Matt. 5. 20.

Matth. 7. 22.

Ioan. 14. 1.

Matth. 20. 20.

TERTIA PARS.

ERGO æqualis sit omnibus ab eo charitas: vna præbeatur omnibus secundum merita disciplina. In doctrina namque sua Abbas Apostolicam debet illam semper formam seruare, qua dicit; 'Argue, obsecra, increpa, id est, miscens temporibus tempora; terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendat affectum, id est, indisciplinatos & inquietos debet duriùs arguere, obedientes autem, & mites, & patientes, vt in melius proficiant, obsecrare. Negligentes autem & contemnentes, vt increpet, & corripiat, admonemus. Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox vt cœperint oriri, radicitus ea (vt prævalet) amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Silo. Et honestiores quidem atque intelligibiles animos prima, vel secunda admonitione verbis corripiat, improbos autem & duros, ac superbos, vel inobedientes, verberum, vel corporis castigatione, in ipso initio peccati coërceat, sciens

sciens scriptum; Stultus verbis non corrigitur. Et iterum; Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte.

38. ERGO *æqualis sit omnibus ab eo charitas.* Cõsequutio ista, siue illatio non multum legitima apparet: quoniam si perfectiores Monachi potiori charitatis affectu diligendi sunt, iuxta superiùs dicta, non video vnde Sanctus Doctor eliciat æquali charitate esse prosequendos. Maximè quod ipsa charitas prioris & posterioris, maioris & minoris affectus, respectu diuersorum obiectorum ordinem seruat, prout à D. Thoma constitutum est, & longè priùs ab Augustino, Cypriano, Basilio, Gregorio, & Prospero notatum: & patet ex illo Cant. 2. *Ordinauit in me charitatem.* Quod Origenes, Bernardus, & alij pro re ista viderunt. Patet etiam ex illo Matth. 22. quo præcipimur diligere Deum & proximum; priùs tamen & principaliùs Deum, deinde proximũ.

D. Th. 2. 2. q. 26. per totã. August. 1. de doctr. Christ. c. 27. 10. de ciuit. c. 40. tract. 5. & 50. in 1. Ioan. Cypr. l. 5. ad Cirry. c. 30. Basil. de instit. Monach. c. 2. Gregor. hom. 7. & 17. in Ezech. Prosp. 3. de vita contẽpl. Oriz & Bernard. sup. Cant. 1.

Scio Basilium eamdem quam P. nostrum doctrinam statuisse, dixit enim. In communi contubernio lex charitatis non patitur amicitias seorsim ac sodalitates. Quare æqualiter inter se diligere omnes debent; idémque erga vniuersum fratrum cœtum charitatis tenendus est modus. Quod si quis inuentus fuerit qui maiori propensione Monachum fratrem, vel propinquum, vel alium quemuis quauis de causa videatur diligere, hunc castigare oportet, vt iniurium publicæ charitati. Et rursum. Charitatem mutuam inter se fratres habere debent, nõ tamen vt duo, vel tres inter se societatẽ coëant: quia hoc non charitas est, sed seditio & diuisio, & eorum qui sic coëunt improbitatis indiciũ. Hactenus Basilius. Quod si hæc subditi, quid Prælati?

39. *Basil. Ser. 2. de institut. Monach.*

Idem in cõstitut. Monach. c. 30.

Sed nihilominus salua sunt omnia. Non enim in textu dicitur, æqualem omnibus impartiendam esse charitatem; sed, *æqualis ergo sit omnibus ab eo charitas.* Id est, quantum est ex parte Abbatis, promptus & paratus sit omnibus æqualia & paria ad salutem velle. Vt enim Abbas ex æquo Monachorum omnium pastor est, nec magis pater istius quàm illius: ita ex æquo saluti omnium inhiare, atq; inuigilare debet, & quantum est in se, procurare. Si tamen ipsi Monachi sese virtutum exercitio discreuerint, quia vnus altero efficitur dignior, tunc potiori charitatis affectu prosequendus est. Verũtamen inæqualitas hæc in subditorum inæqualitatem, nõ verò Prælatorum refundenda venit. Vti cùm aliquis eiusdem conatus aspectu intuetur res aliquas, cõsequẽs est, vt quæ sunt magis visibiles, magis & meliùs videat: sed inæqualitas ista in ipsas res quæ videntur, non in potentiam vidẽtem refundenda est. Et cùm aliquis eodem prorsus charitatis actu diligit Deum & proximũ, potiùs nihilominus & priùs diligit Deum quàm proximũ, quia obiectum diligibilius est. Quare cùm Sanctus Doctor hacte-

40.

nus constituerit meliorem plus esse amandum, intelligendus hic erit iuxta prædictum sensum.

41. Basilius autem non improbat nisi familiares inter Monachos amicitias, quia tales ex charitate non sunt, sed potiùs à carne & sanguine; aliàs communes æqualésque omnibus essent, vt ipsa ratio diligendi fratres ex charitate vna & æqualis est, videlicet Deus, iuxta quæ habentur apud D. Th. 2.2. Per quod nō tollitur, obiecta ipsa materialia quæ diliguntur, inæqualiter diligi, quatenus diuina bonitas inęqualiter participatur ab eis, & vnum magis quàm aliud diligibile est propter Deū: vt magis diligitur adhuc ex charitate anima quā corpus, & Deus quàm anima; licet ratio diligendi ista vna atq; eadē sit, & omnia illa, & alia multa ex charitate diligantur, iuxta quæ etiam apud D. Thomam habentur. Abbas ergo æqualis charitatis sit erga omnes, diligēs eos in Christo, propter Christum, & ad Christum.

D. Tho. 2.2. q. 25. a. 1.

D. Th. ibid. a. 12.

42. *Vna præbeatur omnibus secundum merita disciplina.* Bone Deus! quid hoc? Quomodo vna disciplina in omnibus, si tamen secundum merita? Numquid merita omnium paria sunt, aut vna & eadem? Sensus est: vbi merita æqualia fuerint, castigatio (id enim sonat ly *disciplina*) impar non sit; sed nobilis vt ignobilis luat pœnas, si tamen vt ignobilis dedit culpas. In politica laicorum Republica ab inæqualibus personis inæquales sumuntur pœnæ ob æquales omnino culpas: quia, v. g. priuatus luit capite, quod princeps exilio. Hoc autem à Republica sua, vtique monastica, legifer noster propulsat, statuens æqualia crimina pati esse animaduersione compensanda, quantumcumque personæ inæquales sint: & Abbatem indulgentiorem non esse in istos, quàm in illos, sed omnes ad mensuram delicti castigandos.

43. Et iure decretum hoc stabilitum est; quoniam in iudicialibus rebus, quando aliquid non fit iuxta exigentiam causæ, sed propter æstimationem personæ, acceptionis personarū vitium incurritur. Idem enim est acceptare personas, quod pluris facere qualitatem personæ, quàm merita causæ. Vnde in Prouerb: *Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit.* Hoc igitur Abbatibus denegatur. Quibus non propterea summum ius indicitur, quia (vt ille dixit) summum iustitiæ antiqui summam crucem putauerunt: sed (vt dixit Cicero) summos cum infimis pari iure tenere, & singulis (more medicorum) iuxta ægritudinis exigentiam medicamenta etiam caustica (si opus est) applicare. Quod amplius demonstrabunt sequentia.

Prou. 28. 21.

Columella lib. 1.

Cic. 2. de Officiis.

44. *In doctrina namque sua Abbas Apostolicam debet illam semper formam seruare, qua dicit; Argue, obsecra, increpa, id est, miscens temporibus tempora; terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendat affectum.* Iniuncta Abbati disciplinæ æquabilitate, procedit Sanctus Doctor præscribere modū illius, dicens priùs rationibus, deinde

deinde obsecrationibus,ac, tandem increpationibus agendum esse, hisque seueritate simul atque lenitate temperatis. Pro quo animaduertendum, quod cùm disciplinæ nomen à discendo descendat, iuxta quæ habent Aug. & Isid. omnia quæ ad docendum deseruiunt, siue verba, siue verbera, dicuntur disciplina. Vti de verbis Prou. 8. *Audite disciplinam, & estote sapientes.* De verberibus etiam Prou. 6. *Via vitæ increpatio disciplinæ.* Cùm ergo versu præcedenti dictum sit; *Vna præbeatur omnibus secundùm merita disciplinæ*, subiicitur in præsenti modus quo adhibenda est, nimirum arguendo, obsecrando, increpando, & dirè ac piè puniendo.

Aug. Soliloq. 2.
Isid lib. 1. de gram. cap. 1.

45. Etenim contra errantes & resistentes arguẽdum est, vt cùm de Spiritu sancto dicitur, *arguet mundum de peccato, de iudicio, & de iustitia*; & de illo qui malè agit, *non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Vnde Paulus, *eos qui contradicunt arguere.* Deinde vbi argumenta non valent, obsecrandum est, vti fecit Paulus, inquiens; *Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.* Et Petrus, *Obsecro vos abstinere à carnalibus desideriis quæ militant aduersus animam.* Et tandem vbi nec ista obtinent, increpandum, vti cùm dicitur, *increpauit Iesus spiritum immundum.* & rursum: *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum.* Item; *Increpa illos durè, vt sani sint in fide.*

Ioan. 6. 18.
Ioan. 3. 10.
ad Tit. 1. 9.
2. Cor. 4. 20.
Luc. 9. 42.
Luc. 17. 3.
ad Tit. 1. 13.

46. Quia ergo increpatio erga rigidissimos quosque, non solùm verborum, sed verberum etiam effectus sortiri solet, vti cùm Deo dicitur; *Increpasti gentes, & periit impius.* & rursum de illo; *Increpauit mare rubrum, & exsiccatum est*; ideo pro temperamentò increpationis subiicitur; *Miscens temporibus tempora*, vtique quia non semper increpationibus in rebelles agendum est, sed aliquando obsecrationibus, exhortationibus & argumentis, quæ conuincere valeant, insistẽdum, & aliquando ab his omnibus cessandum. Subiicitur etiam, *blandimenta terroribus*, vt etiam miscuit Christus, qui beatitudinem & infernum, regnum cœlorum & gehennam ignis, veniam & seueritatem crebrò annunciabat; & nunc omnes ad se vocabat, nunc aliquos à se repellebat, adeò vt à templo patris sui ementes & vendentes flagello impacto fugauerit: & sic totus mundus hilariter post eum ibat. Vnde in psalmo dicitur; *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Seueritas enim lenitati admixta punit, protegitque punitos, consolatur illos & emendat, & punienti gratos efficit. Quare ad Cæsarem Sallustius. Qui benignitate ac clementia Imperium temperauere, his candida & læta omnia fuisse, etiam hostes æquiores quàm alij ciues.

Psal 9. 6.
Psal. 22. 4.
Sallust. in Cæsare.

47. Additur, *dirum magistri, piumque patris ostendat affectum.* Vbi regiditas, ponitur attributum magistri, pietas verò parentis; quia neque verus magister sine seueritate, neque verus pater sine pietate esse potest. Certè si de magisterio diuino scriptum est; *Iniquè egi Domine indulsisti: numquid glorificatus es? Domine in an-*

Esaiæ 26. 15.

gustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Item; *Castigasti me Domine, & eruditus sum.* & alibi: *Misit ignē in ossibus meis, & eruditus me*; quid de magisterio humano? Numquid sine ferula fiet, aut sine aculeo magistri? Vnde scriptum est: *Virga atque correctio tribuunt sapientiam.* Item; *In multa scientia, multa indignatio:* &, *qui addit scientiam addit laborem*; quia (vt Esaias dixit) *tantummodo sola vexatio intellectum dabit.* Et ideo prouerbialis formula est, literas sine labore sanguineque non parari. Indigēt ergo seueriſſimo præceptore, ne dicam sæuo, vt dixit ille.

Ierem. 31.18. Thren. 1.15. Prou. 29.15. Eccles. 1.13. Esaiæ 28.19.

Horat. lib. 1. epist. 11.

Sic iterat voces, & verba cadentia tollit,
Vt puerum sæuo credas dictata magistro
Reddere.

48. De patre autem quid dicam? Cùm tanta sit eius in filios pietas, vt ad explanandam nobis pietatem diuinam paterna in medium producatur, cùm dicitur; *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Et ideo diues ille epulo ad liniendum cor Abrahami patrem illum dixit; *Pater Abraham miserere mei*; & quando Christus de derelictione sua, aut etiam destitutione conquestus est, potiùs dixit, *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* quàm, Pater vt quid dereliquisti me? videns derelictionem filij esse prædicatum repugnans patri: quando verò spiritum suum commendauit, econtrà dixit; *Pater mi, in manus tuas commendo spiritum meum.* Hoc enim quia

Psal. 102.13. Luc. 16.24. Matth. 27. 46. Luc. 23.46.

pietatis in filium erat, ad patrem omnino spectabat. Quid multa?

Homerus Odyss. β.

Mitis erat patris instar. dixit Homerus, quia pietas patribus semper germana genuinaque est. Igitur quia (vt Gregorius magnus dixit) circa subditos inesse debet rectoribus & iustè consolans misericordia, & piè sæuiens disciplina; ideo hic legifer noster quasi misericordiam sæuientem, & sæuitiam miserantem Abbatibus iniungit, videns quod pia seueritas noxios eripit, lapsos erigit, & seruatum it eos qui se perdunt. Ideo enim paterna supplicia salutaria medicamenta sunt, etiam aduersus omnem desperatam salutem, vtpote sæuitia molli, siue mollitie sæua temperata.

Greg. lib. 26. moral. c. 6.

49. *Indisciplinatos & inquietos debet durius arguere, obedientes autem, & mites, & patientes, vt in melius proficiant, obsecrare. Negligentes autem & contemnentes vt increpet, & corripiat, admonemus.* Ecce alia ob quæ sanctissimus Doctor intulit decretum illud Pauli; *Argue, obsecra, increpa.* Ait enim indisciplinatos esse arguēdos, mites obsecrandos, increpandos autem contemptores & negligentes. Etenim cùm ly *arguere* idem sit apud literas sacras, quod errantes ratione conuincere, iuxta illud Christi; *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & illud psal. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam:* idem etiam aliquando quod castigare, iuxta illud Regum; *Si iniquè aliquid gesserit, arguam eum virga virorum, & in plagis filiorum hominum:* & illud psal. *Domine ne in furore tuo arguas me*; & apud Ieremiam

Ioan. 8.46. Psal. 49. 21. 2. Reg. 7. 14. Psal. 6. 2.

Ieremiam, *Arguet te malitia tua,* vtique morsibus conscientię & laniatibus. Cùm igitur duo hæc importet ly *arguere*, & indisciplinati omnes vtroque isto pede claũdicent, consequens est vtrãque arguitionis rationem illis iuxta præsens decretum applicandam. *Ierem.* 2.19.

50. Mites autem, patientes & obedientes quia boni sunt, non argui iubentur, sed obsecrari vt in bonum proficiant, & in dies in melius abeant. Preces enim ad boni prosequutionem, quàm ad mali derelictionem potiores sunt, quia apud bonos habent pretium, apud improbos autem despectum & procacitatem: vt videre liquet in parabola illius domini qui posuit rationem cum seruo suo. Ipse enim rogatus à seruo nequam, qui debebat ei decem millia talenta, omne debitum dimisit ei, quoniam rogauit eum: seruus autem iste nequam rogatus illicò à quodam conseruo, noluit remittere ei centum denarios, quos ei debebat, sed tenens suffocabat eum, iuxta quæ habentur in parabola Christi apud Matthæum. Vnde prouerbiale dicterium, malos numquam esse rogãdos. Et ideo Paulus obsecrationes suas ad bonos, & in abundantiam boni direxit, dicens: *Rogamus vos, & obsecramus fratres in Domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sic ambuletis, vt abundetis magis.* Et iterum; *Rogamus vos fratres, vt abundetis magis.*

Matth. 18. 24.

1. *Thess.* 4. 1.

Ibid. 10.

51. Negligentes & contemnentes iubet corripi, id est, seuerè puniri & castigari. Licet enim corripere significet aliquando idem quod reprehendere, & increpare, vt apud Matth. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum.* & apud Paulum, *seruum Domini non oportet litigare, sed esse sapientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt.* Sæpe etiam significat idem quod castigare, & pœnas sumere, vt in psalmo 38. *Propter iniquitatem corripuisti hominem.* & psal. 104. *Corripuit pro eis Reges.* & apud Ierem. *Corripies me, & viuificabis me.* & tandem Lucæ 23. vbi Pilatus de Christo: *Corripiam ergo illum, & dimittam.* Quod correptionis genus explicans Ioannes dixit; *Tunc apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit.* Et hoc etiam modo accipiendum est in præsenti ly *corripere.* Negligentes enim iure puniendi sunt, cùm scriptum sit; *Qui custodit mandatum, custodit animam suam, qui autem negligit viam suam, mortificabitur.*

Matt. 18. 16. 2. *ad Timot.* 2. 24. *Psal.* 38. 12. *Psal.* 104. 14. *Ierem.* 10. 14. *Luca* 23. 22. *Prou.* 19. 16.

52. Nec sanè mirum, cùm dicat Bernard. Status hominis negligentis domus est ruinosa; & negligentia ignis validus in domo accensus. Et iterum. Singulis horis exercitia destribue, cui spiritualia spiritualia, cui corporalia corporalia, in quibus exoluat omne debitum, spiritus Deo, corpus spiritui, vt siquid fuerit intermissum, siquid neglectum, non abeat impunitum, neque irrecompensatum. Coniungit negligentes & contemnentes, quia nullus negligit nisi quæ contemnit, & quasi despectui habet. *Qui enim timet Dominum* (ait Ecclesiastes) *nihil negligit*, id est, nihil Dei. Vnde negligere & contem

Bernard. in vita S. Malachiæ.

Idem ad fratres de Monte Dei.

Eccles. 7. 19.

contemnere quasi reciproca & synonyma sunt in sacris, iuxta illud Matth. de inuitatis ad nuptias: *Illi autem neglexerunt, & abierunt*; & illa de Machabæorum libris, *contempto templo, & sacris neglectis.* Contemptores autem diuinorum quî non punientur? Dum ergo corripi iubentur, signum est quod præcipitur vt puniantur.

Matth.22 5.
2. Machab. 4.14.

53. *Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox vt experint oriri, radicitus ea (vt praualet) amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Silo.* Hoc autem adeò necessarium est, vt qui secus faceret, duplici se peccato obstringeret. Nam si de priuata persona, quæ suum illicò peccatum non expiat, dicit Ecclesiasticus; *Si dissimulauerit, delinquit dupliciter*, quid de publica subditorum suorum delicta sufferente? Peccat enim, & peccandi ansam aliis tribuit. Lenitas enim (ait Imperator) improbitatem alit atque corroborat. Et Cicero maximam peccandi illecebram dixit impunitatis exemplum. Maximè si verum habet quod Petrus Blesensis ad Priorem Cisterciensem dixit; Ratihabitio mandato comparatur. Vnde licet à muliere (vtique ab Heua) initium peccati, (vt habetur apud Ecclesiasticum) nihilominus dicitur quod per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, vtique propter Adam, qui vxoris suæ culpâ ab exordio non repressit: vti topiariis, id est, hortorũ fabris, & colonis hortorum squalor deformitasq; tribuitur, quia illos sordescere horrescereq; ab initio dissimularũt.

Iulius Imp. in Mosaic. Cicero pro Milone.
P. Bles epist. 4.
Eccli.23.13.
Eccli.23.33.
Rom 5.12.

Et ideo noster Venerab. Beda (vt est apud sacros Canones) explicans id Apoc 3. *Angelo Ephesi scribe*, inquit. Episcopo scribit, de cuius manu subditorum peccata requirit. Et Augustinus. Quomodo Reges seruiunt Domino in timore, nisi ea quæ cõtra iussum Domini fiunt religiosa seueritate prohibendo, atque plectendo? Non autem dissimulando, sed saltem assiduè monendo: quoniã (vt Cassiodorus ad Ioan. Papam inquit) non facilè efficitur vitiosus, cui admonitor assistit assiduus. Sicut nec facilè vigent hortorum sordes, quando assiduus est hortulanus qui expurget, & à nascendi exordio euellat illas: aliàs (vt August. vidit) festuca surgit in trabem, & vnica scintilla ignis in quamplurimos globos. Cuius gratia dicitur in textu, peccata mox vt oriri cœperint, radicitus amputanda, & in ipso initio coërcenda. Quod (iuxa August. super id psalmi 103. *Draco iste*) significatum est verbo illo Gen. 3. *ipsa conteret caput tuum*, hoc est, primam suggestionem peccati.

54. *Beda relatus 9. q. 3. cap. Episcopo.*
August ep. st. ad Bonifacium.
Cassiod. lib. 11. epist. 2.
Aug. Ser. 16. de verbis Domini.

Honestiores quidem atque intelligibiles animos prima vel secunda admonitione verbis corripiat, improbos autem & duros, ac superbos, vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione, in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum; Stultus verbis non corrigitur. Et iterum; Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte. Hæc sunt illa psal. *Cum sancto sanctus eris, & cũ peruerso peruerteris.* Qui enim dociles atque disciplinabiles sunt, disciplinę, siue doctrinę propositione miteſcũt, & moni

55.
Psal.17.26.

& monitis lenitatis facillimè corriguntur. Vnde in psal. 31. *Intellectum tibi dabo, & instruam te.* & apud Iob. *Non quasi crudelis suscitabo eum, sed verbis potentibus, & ad prædicandum compositis.* Qui autē ingenio plumbei sunt, duræque ceruicis ingenium habent, non nisi in chamo & fræno domari possunt, dicente vbi suprà Dauid, *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In chamo & fræno maxillas eorum constringe.*

Psal. 31.9.

Iob. 41.4.

56. Inde quod hic attexitur, *Stultus verbis non corrigitur.* Quod habetur Prouerb. 29. sub his verbis: *Seruus verbis non potest erudiri,* iuxta Septuaginta, *Verbis non eruditur famulus durus.* Quia autē hic sermo est, non quidē de statu seruis, sed de ingenio seruis, hoc est, illiberalibus, contumacibus, duris, quamuis nō repugnat esse vel ipsos genere claros; ideo præceptor noster loco serui stultū posuit: quia ingenio seruus idem est quod stultus. De his ergo sacra Scriptura dicit verbis non erudiri, sed verberibus; quia licet verbis correctionis pungātur, & fortè præ cæteris discrucientur, (cuius gratia scriptum legimus; *Stultus caditur labiis*; & iterum, *Stultus labiis verberatur*;) non tamen corrigūtur: nam licet dissipati sint, non tamen fiunt compuncti. Vnde eo loci subnectitur, *quia quod dicitur intelligit* (aliàs non discruciaretur audiēdo) *& respondere contemnit.* Hoc est, iuxta Septuaginta, *obedire contemnit*, & iuxta paraphrasim Chaldaicam, *cognoscit iugum, nec patietur, vsque dum ad verbera ventum sit.* Vnde ille.

Prou. 29.19.

Prou. 10.8.
Ibid. 10.

Nux, asinus, mulier, simili sunt
lege ligati,
Hæc tria nihil vmquam faciunt
si verbera cessent.

57. Simile etiam est quod in textu ad idem subiicitur: *Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte.* Quod ex Prouerb. 23. iuxta versionem Septuaginta desumptum est, vbi Vulgatus habet, *liberabis animam eius ab inferno.* At præterquàm quod in idem recidit, lectionem nostri textus amplexatus est Aug. epistola ad Bonifacium Comitem, in qua tam præcedēs quàm præsens sacræ Scripturæ elogiū explanans, totius huius textus quasi commentarium edidit, inquiens: Melius est quidem (quis dubitauerit?) ad Deum colendū doctrina homines duci quàm pœnæ timore, vel dolore compelli. (Hæc primā partem huius nostri textus erga honestiores & dociles roborant. Pro secunda verò de improbis & duris subiungit.) Sed non quia prædicti meliores sunt, ideo qui tales nō sunt negligendi erunt. Multis enim profuit (quod experimento probauimus) priùs timore, vel dolore cogi, vt postea possint doceri. Aliàs suprà non diceret, verbis non emendabitur seruus, sed absolutè, non emendabitur. Alio quippe loco dicit, non solùm seruum, sed etiam filium indisciplinatum plagis esse coërcendum, & magno fructu. Inquit enim; Percutiēs eum virga, & animam eius à morte liberabis. Et alibi: Qui parcit baculo, odit filiū suum. Hactenus Aug.

Prou. 23.14.

Augustin. epist. 50. ad Bonifacium Comitem.

Prou. 13.24.

QVARTA PARS.

MEMINISSE debet semper Abbas quod est, meminisse quod dicitur, & scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatque quàm difficilem & arduam rem suscepit, regere animas; & multorum seruire moribus: & alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus. Et secundùm vniuscuiusque qualitatem, vel intelligentiam, ita se omnibus conformet & aptet, vt non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia ne dissimulans, aut parui pendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat solicitudinem de rebus transitoriis, atque terrenis & caducis: sed semper cogitet quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est. Et ne causetur de minori fortè substantia, meminerit scriptum; Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Et iterum; Nihil deest timentibus eum. Sciatque, quia qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo quia in die iudicij ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem sine dubio, addita & suæ animæ. Et ita timens semper futuram discussionem pastoris de creditis sibi ouibus, cùm de alienis ratiociniis cauet, redditur de suis solicitus. Et cùm de admonitionibus suis emendationem aliis subministrat, ipse efficitur à vitiis emendatus.

58. MEMINISSE *debet semper Abbas quod est, meminisse quod dicitur, & scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur.* Repetit hic sanctissimus Doctor quasi per compendium prædictà, & primò, quæ primo loco præceperat, vtique Abbati perpetuam officij sui recordationem; vtpote quod sicut refert memorari nouissima nostra, vt in æternum non peccemus: cuius gratia cinere linitis frontibus capitibusve audimus; *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris*: ita oportet Abbatem sui nominis, nedum sui muneris *Eccli.7.40.*

memo

memorem esse, ne delinquat in eis, sed factis ea impleat, expers auditionis illius; *Nomen habes quòd viuas, sed mortuus es.* Id est, nomen habes patris, sed non opera; officium, sed non pensum; honorem, sed non onus; authoritatem, sed non solertiam; dignitatem, sed non condignitatem. Quod dicitur propter eos, quibus Spiritus dixisse videtur; *Amodò vt iam requiescant à laboribus suis*, & non potiùs vt laboribus sese implicent, & omnino substernant, vtpote (quod dixit Paulus) rationem pro animabus subditorum suorum reddituri.

Apoc. 3. 1.

Heb. 3. 17.

59. Inde Bernardi illud ad Episcopum Senensem. Curritur ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis iam quisque victurus est, cùm ad curas peruenerit. Et quidem adeò vigiles, & omni vigilia dignas, vt dicat Athanas. Patriarcha Constantinop. Horribiles sunt minæ nobis pastoribus impositæ nisi vigilauerimus, quibus mandatum commissum est tadere conseruis, tum verbo, tum factis vera dogmata, & vitæ perfectæ normam: tum reposcere rationem progressus spiritualis: vigilanter tuba canere, ne triumphæa animam alicuius corripiat, alioqui ex manibus nostris repetendam. Et Gregorius magnus. Estote in custodia commissi gregis vigilantes, atque soliciti, & disciplinæ zelo districti, ne lupus insidians, nec ouile turbare Dominicum, nec nocere ouibus aliqua fraudis occasione prævaleat. Quare hoc in textu subiicitur, *& scire quæ cui plus committitur, plus ab eo exigitur*, nimirum salus animarum quæ Abbati sunt traditæ.

Bern. epist. ad Episcopum Senen.

Athan. 1. bib. vet. Patrum epist. ad Episcopos.

60. *Sciatque quàm difficilem & arduam rem susceperit, regere animas, & multorum seruire moribus: & alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus. Et secundum vnius cuiusque qualitatem, vel intelligentiam, ita se omnibus conformet & aptet, vt non solùm detrimenta commissi sibi gregis non patiatur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.* Difficultatis & laboris arguuntur hic (& meritò) præfecturæ. Difficultatis quidem, quoniam vel ex Solonis, Democritique, & aliorũ Philosophorum (apud Elium Cretensem) sententia; Qui parere non didicit, imperare non aggrediatur. Imperaturus aliis, priùs sibi ipsi imperet. Constat autem difficillimam rem esse cuique, sibi ipsi imperare, & aliis per omnia parere. Vnde Greg. Nazian. Homini cùm difficile sit scire parere, tum multo difficilius esse videtur scire hominibus imperare; ac præsertim in hoc nostro imperio, quod in lege diuina situm est, & ad Deum ducit: cuius quo maius est fastigium maiorque dignitas, eo est maius periculũ, prudenti vtique homini & cordato. Et rursum. Profectò ars quædam artium, & scientia scientiarum mihi esse videtur hominem regere, animal omnium maximè varium & multiplex. Et Greg. magnus. Ars artium est regimen animarum. Imò & Tacitus. Excellentioribus ingeniis (notate verbá) citiùs defuerit ars qua ciuem regant, quàm qua hostem superent. Et Seneca.

Elius sup. orationem 1. Nazianz.

Nazianz. oratione 1. apolog. n. 21.

Idem ibidem 31.

Greg. 1. p. pastor. cap. 1.

Tacitus 2. annalium.

Seneca 1. de Clementia.

Nullum animal morosius est, nullum maiori arte tractandum homine. Et Xenophon. Omnibus animalibus facilius quàm hominibus imperitare. Propterea commendantur ob prudentiam Præpositi Ecclesiarũ, quos Deus rectores instituit, & fideles in suo munere inuenit: dicitur enim; *Fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam.* Pari siquidem fidelitate & prudentia in animarum rectore opus est, propter ingentem, vel ingentes potiùs officij difficultates.

Xenophon 1. pæd.

Matth. 24. 45.

61. Laboris etiam: quoniam (vt Nazianz. inquit) spiritalis omnis imperij finis est, vbique priuata authoritate neglecta, commodis aliorum consulere, vt fecit Paulus quærens non quæ sua erant, sed quæ filiorum quos per Euangelium genuit. Et Bernardus. Prælatus prodesse desideret, non præesse: proprium commodum, vel honorem seculi in prælatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem. Et rursum. Quicumque solicitudinem regiminis suscipiunt, tanquam bases portant onus. Quare in superhumerali & pectorali summus gestabat Sacerdos nomina filiorum Israël, quia omnium onera debent sufferre Præfecti tam corde, quàm corpore, tam pectore, quàm humero. Et quidem si grauis sibi tamdiu quisque est, quamdiu propriis vexatur curis; quid alij graues illi non erunt, quando illorum vexant, diuexantque illum studia?

Nazianz. vbi sup. n. 91.

Bernard. Ser. de triò. ord.

62. Inde Gregorius magnus verbum illud Iob; *Ecce Gigantes gemunt sub aquis*, de Prælatis intelligit: eo quod sub onere subditorum illos suffocantium ad instar aquarum multarum, ganiunt & gemunt: & proinde sub aquis, aliàs algentibus & frigidis, sæpe (quod repugnans videtur) sudant, ac desudant. Tantus est angor æstusque illorum. Bernardus etiam dicit, Prælatos esse, qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, & qui ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos. Propter quod Aug. agens de dominandi libidine, qua plerumque laborant homines seipsos amantes, dicit. Talis autem sui dilectio meliùs odium vocatur.

Iob. 26. 5.

Aug. lib. 3. de doctrina Christiana. cap. 15.

63. Vtrumque hoc, difficultatis & arduitatis, in ipsis præfecturis complexum, conuincitur planè, inspiciendo quàm arduũ & difficile sit, corpus contrariis affectionibus pressum, & humorum sibi inuicẽ aduersantium complicationibus diuexatũ, curare, & optimæ valetudini reddere. Constat autẽ omnis familiæ corpus (licet mysticum) tale esse: vtpote tot in eo capita, quot mẽbra; tot animæ, quot corpora, & tot placita, quot tẽperamenta; & cui maximè cõuenit nomẽ, quod Greg. Nazianz. illi aptauit, animal variũ atque multiplex. Cõstat etiã huius tam malè habẽtis infirmi medicũ ex hominib. aliũ non esse quàm Præfectum. Propterea Nazianz. Necesse est antistitem simul & simplicem esse, quãtum ad rectitudinẽ & quàm maximè variũ ac multiplicem, vt vniuscuiusq; animum sibi adiungat, & aptè loquatur ad omnes.

Nazianz. vbi sup.

Nazianz. oratione 1. apolog. n. 71.

Difficile

Difficile ergo illi & maximè arduum erit illius curationi inuigilare, quia vt hic habetur in textu: *alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus. Et secundum vniuscuiusque qualitatem, vel intelligentiam omnibus se aptet.* Cùm tamen sic contraria contrariis curando, non rarò contingat, vt quod vni gratum, aliis exitiosum sit; & quod aliquibus salutare, aliis lethale, aut morbidum; ac denique quod bonis optimũ, improbis pernicioſum appareat. Difficultatẽ ergo istam & acerbitatem quis superabit? aut quis tam Gigas qui ab illis non superetur, nisi diuina gratia suppetias ferat?

64. Auget huius difficultatis & arduitatis pondus, quod Prælatos non solùm tangit integros & indemnes seruare sibi subditos; verùm virtutibus auctos, & in perfectionis gradibus eu-ctos, amplificatósque reddere, *Luc.12.48.* dicentè Domino; *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendauerint multum, plus petent ab eo.* Vbi apprimè notandùm est, ly *plus*, quod propriè acceptum, accessionem significat, illam vtique, quam Prælati (de his enim sermo procedebat) in sibi subditos facere tenentur, eorũm perfectionibus inuigilando: non secus ac veri pastores sui gregis vbertati studendo. Vnde hic textus. *Ita se omnibus conformet & aptet, vt non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.*

65. *Ante omnia ne dissimulans, aut parui pendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat solicitudinem de rebus transitoriis atque terrenis, & caducis: sed semper cogitet quia animas suscepit regendas, de quibus & rationem redditurus est.* Equidem si ad cœnam magnam vocati tam malè audierunt, quia temporalia quædam prætulerunt illi: quid si ad regimen animarum assumpti pluris corporea quàm spiritalia facerent? Item, si pro ipsis etiam priuatis personis scriptum est; *Ne soliciti sitis, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis*: quid de Præfectis, in dignitate constitutis, dicetur, si primùm secularia quærerent, & de iustitia Dei minus principaliter agerent? more illorum, ad quos ironicè Horatius dixit: *Luc.12.* *Matt.6.* *Horat. lib.1. epist.2.*

O ciues, ciues, quærenda pecunia primùm est,
Virtus post nummos.

Certè de his verba textus per omnia verificantur, vtique quod dissimulant, imò quod parui pendunt animarum sibi commissarum salutem. Qui enim animam corpori nõ præponit, parui pendit illam: non secus ac qui dominum seruo postponit, despectui habet eum, & est contemptor illius.

66. Demum si scriptum est: *Qui amat patrem aut matrẽ pluſquam me, non est me dignus, & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus*; quid, qui substantiam huius mundi pluſquàm salutem, & æternam fœlicitatem alterius, & corporum emolumenta pluſquàm animarum cõmoda, etiam *Matt.10.37.*

illarum pro quibus rationē redditurus est ? Præsertim dicente
Matt.16.26. Domino; *Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Imò non tantùm suæ, sed suorum etiam detrimentum aliàs patietur. Vnde Augustinus explicans id; *Draco iste quem formasti,* dicit: Pereat mundi lucrū, ne fiat animæ damnum. Et meritò quidem: quoniam mundi lucra detrimenta & stercus apud optimos rerū æstimatores sunt;
Philip.3.8. salus verò animarū ingens apud eosdem, imò & apud Deum quæstus & operæpretium. Præposterus ergo adulterinúsq; Abbas erit, qui de re familiari potiùs, quàm de spirituali domus suæ solicitudinem habet.

67. *Et ne causetur de minori fortè substantia, meminerit scriptum; Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Et iterum; Nihil deest timentibus eum.* Hoc est illud Salomonis prouerbium; *Non*
Prou.10.3. *affliget Deus fame animam iusti.* Sed obiicit Augustinus illud
Aug. lib. 6. de serm. Domini in mō te. Pauli; *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus.* Et iterum, *In fame & siti, in*
1. Cor.4.11. *frigore & nuditate laborauimus.* Respondet tamen, quod sicut medicus aliquādo abstrahit cibum & potum infirmo, vt curet eum: sic Dominus qui habet prouidere, permittit hominem pati, vt curetur. Vnde sicuti non propter hoc dicitur quod medicus in necessariis deficit, aut quod infirmo desunt necessaria, etiamsi fame aut siti laboret; ita respectu Dei, cuius voluntas est sanctificatio nostra. Ad quem planè modum intelligendum est verbum illud psal. *Non vidi iustum*
Psal. 36.25. *derelictum, neque semen eius quærens panem*, & similia quæ sunt in sacris literis: quoniam temporalium subtractio sæpe ad spiritualia subsidium est. Maximè quod frustum panis, aut mica carnis, aut fasciculus olerum cui vnquam defuit? Scriptum autem est; *Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.* Si igitur diuitiæ peccatorum multæ sufficiunt illis ad saturitatem, cur non modicum iusto ad sustentationem? Vnde Tobias, *Sufficiebat nobis pauperties nostra, vt diuitiæ computarentur.* Præsertim quod (vt Bernardus ex verbis psalmi obseruauit) fame ipsa alit Deus famelicos. Bernardi elogium est. Caput ieiunio vingitur, cùm spiritualiter delectatur in eo. An nouum tibi videtur caput, vt dicamus caput vngi ieiunio? Ego plus dico, etiam impinguatur. Numquam legisti quod scriptum est psal.32. alat eos in fame? Est ergo ieiunium corporis, capitis vnctio, & carnis inedia, refectio cordis. His adde quod cùm non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei, verbum autem Domini maneat in æternum, non poterunt iustis deesse quæ ad vitæ tutamen sufficiunt.
Bern.Serm 1. in cap. Ieiunij.

68. *Sciátque Abbas, quia qui suscipit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, sciat pro certo quia in die iudicij ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem sine dubio, addita & suæ*

animæ

anime. Id per se notum est. Si enim omnis homo de omni verbo otioso quod loquutus fuerit, rationem redditurus est Deo in die iudicij; quid de ipsis hominibus Præsules, quos regendos, manúque in cœlum ducendos assumpserunt? Quis item dominus est qui commissarum ouium à pastore rationem non exposcat? non solùm in communi, verùm etiam in particulari, perierintne an pinguerint? Inde voces illę Nazianzeni. Equidem ipse graues & atroces lupos timeo, ne caligine obseruata, rapaci ac violenta doctrina gregem dilacerent. Fures & latrones metuo, ne impudenti atque aperto impetu oues diripiant. Quin etiam vereor ne qui heri aut nudius tertius à nobis stabat, iam vt alienus insidias moliatur. Quia enim rationem de singulis sibi commissis ouibus erat redditurus, vel illarum minimæ excidium pertimescebat.

Matth. 12. 36.

Nazianz. oratione 28. p. 6.

69. Inde etiam Bernardus Serm. 3. de Aduentu Domini, postquã egit de particularium personarum disciplina, de Prælatorum obligatione inquit. Longè grauiori & periculosiori debito tenentur adstricti, qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ego infœlix, quò me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositũ istud quod Christus propria sanguine pretiosius iudicauit, contigerit negligentiùs custodire? Si stillantem in Cruce Domini sanguinem collegissem, essétque repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certè id seruandum accepi, pro quo mercator non insipiens (ipsa vtique Sapientia) sanguinem illum dedit. Sed & habeo thesaurum istũ in vasis fictilibus, & quibus multo plura quàm vitreis imminere pericula videntur. Accedit sanè ad solicitudinis cumulum & pondus timoris, quod cùm & meam, & proximi conscientiam seruare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Vtraque abyssus est imperscrutabilis, vtraque mihi nox est, & nihilominus exigitur à me vtriusque custodia, & clamatur; Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? Non est mihi dicere cum Cain; Numquid custos fratris mei sum ego? Sed est fateri humiliter cũ propheta, quia nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. In eo tamen excusabilis ego videor, si, vt prędixi, debitam exhibeo custodiã, pariter & disciplinam. Ecce qualiter sibi tam pro se, quàm prò suis ouibus metuant iudicij rationem præstantiores Prælati. Quod si hęc virtutis villici, quid iniquitatis?

Bern. Serm. 3 de Aduentu Domini.

Esaiæ 20. Gen. 4. Psal. 126.

70. *Et ita timens semper futuram discussionem pastoris de creditis sibi ouibus, cùm de alienis ratiociniis cauet, redditur de suis solicitus; & cùm de admonitionibus suis emendationem aliis subministrat, ipse efficitur à vitiis emendatus.* Bellè: nam erudiens alios, simul seipsum erudit; & alios via recta ducens, simul ipse via recta incedit: & nutrix alienos filios salubriter curans, seipsam simul salubriter alit. Inde voces illæ Pauli; *Qui aliũ doces, teipsum*

Rom. 2. 21.

non

non doces? Monstri enim id vice est. Sensus autem est (iuxta D. Thomam) qui alios ad bonum dirigis, teipsum nō dirigis? Item & illæ Christi; *Medice cura te ipsum*, quod maximè vrget, quando alios curat.

D. Tho. sup. Rom. 2. lect. 4.
Luc. 4. 14.

71. Etenim si consuetudo vsusve familiaris cum bonis aut malis, bonos reddit aut malos, vt ex illo psal. *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris*, colligūt Sancti Patres, præsertim Clemēs Alexandrinus, Athanasius, Ambrosius, Cyrillus & Tertullianus, quibus Hispanicum dicterium fauet, cùm inquit. *Dime con quien tratas, y direte quien eres.* & rursum. *Iunta te a buenos, y seras uno dellos*: quid non bonus & optimus Abbas erit, cùm bonus & optimus conuictu, colloquio & cōuersatione sua bonos creat & optimos Monachos? Longè enim maior est eius ad suos quā aliorum coniunctio & communicatio: & fortiùs cordi insunt quæ sunt à proprio corde, quàm illa quæ ab ore alterius. Si enim segniùs irritant animos demissa per aures, quàm quæ oculis sunt subiecta fidelibus, (vt ille alius dixit) consequens est demissa per alterius ora irritare segniùs quā demissa per præcordia propria. Semper autē ex abundantia cordis loquitur os. Rectè igitur dicitur in textu, quod Abbas emēdans alios, ipse emendātus euadet, factus si non forma gregis, saltem effectus.

Clem. lib. 5. Strom.
Athan. q. 11. Scriptura.
Ambr. lib. 1. de Abraham circa finem.
Cyril. lib. 12. de adoratione.
Tertull. lib. 5. cotra Marcionem. c. 18.
Horatius.
Matth. 12.

De adhibendis ad consilium fratribus.

CAPVT III.

QVotiens aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, conuocet Abbas omnem Congregationem, & dicat ipse vnde agitur. Et audiens cōsilium fratrum, tractet apud se prudenter, & quod vtilius iudicauerit, faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus, quia sæpe iuniori Dominus reuelat, quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, vt non præsumant procaciter defendere quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, & quod salubrius esse iudicauerit, ei cuncti obediant. Sed sicut discipulis conuenit obedire magistro: ita & ipsum prouidè & iustè condecet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes magistram sequantur Regulam, neque temerè ab ea declinetur à quoquam.

quoquam. Nullus in Monasterio sequatur proprij cordis voluntatem: neque præsumat quisquam cum Abbate suo proteruè intra, aut extra Monasterium contendere. Quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subiaceat. Ipse tamen Abbas cum timore Dei, & obseruatione Regulæ omnia faciat, sciēs se proculdubio de omnibus iudiciis suis æquissimo Iudici Deo rationem redditurum. Si qua verò minora agenda sunt in Monasterij vtilitatibus, seniorum tantùm vtatur consilio, sicut scriptum est: Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.

1. QVOTIENS *aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, conuocet Abbas omnem Congregationem, & dicat ipse vnde agitur. Et audiens consilium fratrum, tractet apud se prudenter, & quod vtilius iudicauerit, faciat.* Hoc est illud Ecclesiastici; *Ante omnem actum consilium stabile.* Vbi in primis consilium: vtpote cùm necessitas in propalam est. Supplet enim (vt Basilius notauit) quod deest prudentiæ eorum qui consultant. Vtpote quod (sicut in Prouerb. dicitur) *Ego sapientia habito in consiliis, & eruditis intersum cogitationibus.* Et rursum; *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* Quare Basilius iterum. Profectò diuina quædam res est consilium. Et Aristoteles. Consiliari eorum quæ inter homines, diuinissimum est. Est enim opus sapientiæ agnatæ Deo, cuius est omnia per altissimas causas cognoscere. Vnde Esaias de Christo: *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij.*

Eccli. 37.20.
Basil. Orat. de felicitate & infortunio.
Prou. 8.12.
Prou. 23.10.
Basil. vbi suprà.
Arist. Rhet. ad Alexãdr.
Esaiæ 11.3.

2. Commendatur igitur in primis consilium; at non quodcumque, sed stabile: quale nimirum esse solet quod multorum iudicia peperere. Scriptum quippe est; *Et erit salus, vbi multa consilia sunt*, id est, multi consiliatores. Vnde Nazianz. *Permagni momenti est ad consilium animorum consensus & concordia.* Et quidem si vel nomen consilij tractum est (iuxta quæ volunt Sipontinus & Festus) à ly *con* & *salio*, tanquam quod in vnam sententiam plurium mentes rationesque consaliant, & conueniant: quid consilium stabile? Cùm stabilitas vel ipsius diuini consilij dignum attributum sit, ipso dicente Domino; *Omne consilium meum stabit.* & Dauid, *Consilium Domini in æternum permanet.* & Paulo, *volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui.* Dicitur autem; *Ante omnem actum consilium stabile*, quia consilium suapte ratione agendi & operandi principium est. Quare vbi consilium stabile non est, operationis principium certum esse non potest, nec securum.

Prou. 24.6.
Nazianz. ep. 93.
Esaiæ 46.10.
Psal. 32.11.
Heb. 6.17.

3. Inde obscurum illud verbum psal. *Quamdiu ponam consilium in anima mea, dolorem in corde*

Psal. 12.3.

meo per diem. Id est, quamdiu firma & rata consilia non habuerim, necessum est me motibus circumagi, vexarique angoribus. Nutat enim, omniquevento circumfertur doctrinæ anceps: omnis incertusque animus; ambulat enim in circuitu, & fit quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Meritò ergo
Esaiæ 17.10. dicitur; *Ante omnem actum consilium stabile.* Quòd si ante omnem actum, quid ante omne magnum præcipuumque negotium? Cùm igitur consilium stabile illud apud homines sit, quod multorum auctoritate statuitur, iure præceptor noster Abbati iniungit, omnem Congregationem ad consilium vocare quotiens præcipua aliqua in Monasterio agēda sunt. Omnia siquidem à consiliis pēdent, dicente Horatio.

Horat. Ode 3. *Vis consilij expers mole ruit sua.*

Sallust. ad Cæsarem. Sed maximè maxima, dicēte Sallustio. Ego ita comperi omnia regna, ciuitates, nationes, vsque eò prosperum Imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt. Vbicumque autem gratia, timor, voluptas ea corrupere, paulo pòst imminutæ opes, deinde ademptum Imperium, postremò seruitus imposita est. Et Liuius. Multa quæ
Liuius lib. 11. annaliū. natura impedita sunt, consilio expediri; vtique consilio stabili, prouido & maturo.

4. *Et audiens consilium fratrum, tractet apud se prudenter, & quod vtilius iudicauerit, faciat.* Vult Sanctus Doctor fratrum suffragia Abbati consultiua esse, non decisiua. Id enim consilij ratio postulat, per quod à præcepto distinguitur. Vnde D. Thomas. *D. Th. 2. 2. q. 124 a. 3 ad 1* Consilium numquam obligat, nisi per hoc quod ex aliquo accidenti in præceptum transit: vt transit Congregationis consilium, quando iuxta iura canonica, vel monastica Abbas tenetur sequi quod maior pars Capituli elegerit. Sed tunc fratres non tam consiliarij quàm iudices sunt; vtpote quod non tam consilium quàm sententiam pronunciant. In casu autem consilij ad ipsum spectat Abbatem, inter discrepantia consilia secernere & amplecti quod sibi conducibilius vtiliusque visum sit. Non secus ac in forensibus causis, inter patrocinantium placita dimicantia, quodnam sit verum ius decernit Iudex. Vnde Cicero. Iudicis est semper *Cic. 2. de Officiis.* in causis verum sequi, patroni autem verosimile.

5. *Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus, quia sæpe iuniori Deus reuelat quod melius est.* Hoc proculdubio dictum est ad honestandum decretum de conuocandis omnibus ad consilium. Pro cuius intelligentia notandum, non omnes ad consiliandum idoneos esse, sed in primis illos quos bonis moribus præditos videmus, cùm scriptum sit; *Consilia impiorum fraudulenta.* *Prouerb. 12.* Vnde Augustinus. Charissimi, vbique consilia à melioribus petuntur. Dauid autem: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* *Aug. ad psal. 145. 1.* *Psal 1. 1.* Deinde prudentes. Prudentis enim (ait Aristot.) hoc proprium maximè munus arbi- *Arist. 6. Ethic. cap. 7.*

tra

tramur rectè consulere. Et Ecclesiastici 8. *Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere nisi quæ eis placent.* Tertiò prouectæ ætatis; quia (vt Sallustius vidit) molles & ætate fluxi dolis haud difficulter capiuntur, senes autem ægrè. Et hoc ideo, quia (vt Isocrates dixit) experientia & rerum multarum vsus erudit, atque efficit, vt quid expediat, acutiùs quàm alij prospiciant. Et Linius. Consilium in dies crescit senescentibus vitiis, matureſcente ætate. Inde Dominus ad Moysem; *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod seues populi sint ac magistri, vt descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus grauceris.* Constat autem non omnes Monasterij fratres tales esse, saltem quia non senes omnes, neque prudentia, vel etiam probitate insignes.

Eccli. 8. 20.

Sallustius.

Isocr. epist. 6.

Linius lib. 3. annalium.

Num. 11. 16.

6.

Nihilominus quoniam apud Ecclesiasticum scriptum est; *Anima viri sancti annunciat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso:* & hoc ideo, quia organum & instruimentum Dei loquentis per os Sanctorum. Ideo Sanctus Doctor præcepit omnem Congregationem ad consilium vocari: quia sancta (in ratione Congregationis ritè & rectè institutæ) cùm sit, proximior est veritatis assequutioni, & enunciationi, plusquàm omnes circumspectores sedentes in excelso. Et ideo per minores & iuniores illius reuelat aliquando Deus quod melius est.

Eccli. 37. 18.

Inde (vt Basilius notauit) Moysi reuelauit Deus per Iethro socerum suum, quod illi conueniētius erat, etiamsi Moyses in Ægyptiorum sapientia instructus esset, & sæpe loqueretur cum Deo, sicut solet homo loqui ad amicum suum. Dauid etiam vsus fuit cōsilio Chusai aduersus consilium Achitophel; quod reputabatur consilium Dei. Et hoc ideo, quoniam Deus intellectum dat paruulis, & stulta mundi, & ea quæ non sunt, eligit, vt fortia cōfundat. Vnde & puero Danieli dedit sapientiam ad iudicandos & arguendos senes. Et cum Samuele, non autem cum Heli miscuit colloquia. 1. Reg. 4. Vnde Theod. ibid. Deus eum qui 40. annos duplici Magistratus honore dignus fuerat habitus; erat n. & Iudex & Pontifex (vtique Heli) despicions, loquutus est cum paruo pueto Samuele, quem spiritu prophetico afflabat.

7.

Basil. Orat. de fœlicitate & infortuno.

Exod. 18.

2. Reg. 17.

Psal. 118. 130.

1. Cor. 1. 18.

Sic autem dent fratres consilium cum omni humiliatis subiectione, vt non præsumant procaciter defendere quod eis visum fuerit, Id omnino est quod tanquam eximius huius Sancti Doctoris discipulus Bernardus didicit, & docuit, inquiens. Dicas in consulendo, sic mihi videtur, non præcisè, sic agendum est. Et in cuius gratiam instituta nostra decernunt, vt interrogatus à maioribus Monachus etiam de notioribus sibi, numquam absolutè respondeat; scio, aut non scio, est, aut non est; sed cum restrictione

8.

Bern. epist. de cura rei familiaris.

& limitatione, videtur mihi ita rem se habere, vel non habere. Imò & peritiores quique consulti de grauioribus rebus, etiam si acu tangant illas, ad finem tamen rescripti aiunt, *saluo meliori iudicio*; tanta humilitatis subiectione suam sententiam dicunt, & adeò procul sunt à procaci defensione eius. Quod si hæc Theologiæ & Iurisprudentiæ principes propter extraneos quosque & inferiores sibi: quid religionis alumni propter suos Abbates, & cum illis? Vnde de consiliariis quidam: Fortiter, non obnixè sententias dicant. Plura de his infrà numero 14. & 15.

Lipsius 3. Polit. c. 5.

9. *Sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, & quod salubrius esse iudicauerit, ei cuncti obediant. Sed sicut discipulis conuenit obedire magistro: ita & ipsum prouidè & iustè condecet cuncta disponere.* Huius aliquam rationem nu. 4. præmisimus: cui hanc Basilij subnectere placet. Etenim Basilius explicans illud Esaiæ 1. *Et consiliarios tuos sicut ab initio*, ita inquit. Pollicetur se eis præbiturum non qui pro potestate imperet, sed qui consilium det. Regis enim peculiare munus est imperio vrgere subiectos, consiliarij autem persuadere cupientibus nosse quæ conducant. Nec enim sufficit per se assequi quisque quid ex officio deceat, & ideo munificus Deus præstituit consiliarios, non item qui pro potestate imperent. Et mox. Ne ergo vnusquisque nostrûm seipsum existimet quasi princeps sit, sed quasi consiliarius à Domino datus in populi salutem.

Basilius sup. Esaiæ 1.

10. Rationem tamen aliam hic ad idem legifer noster attexit; videlicet Abbatem totius Congregationis suæ magistrum esse, & proinde spectare ad illum facienda decernere & deliberare, ad Monachos verò obedire. Quare satis est si Abbas ad exposcenda consilia discipulorum suorum sese demittat, absque eo quod constringatur in rebus dubiis sequi illorum sententiam, propria spreta & derelicta. Inde Basilius inquit, esse humilitatis insigne consultare, & rem quæ Prælatos potest rubore suffundere, consiliarios sustinere: quia quodam modo illos est se prudentiores fateri. Satis ergo sit Abbati cum suis Monachis consilia conferre, & prudenter discutere, decidendi tamen authoritatem penes ipsum manere. Cum onere tamen iustè ac prouidè decernendi, aliàs magistri nomen iniquè sibi arrogaret.

Basil. vbi sup.

11. *In omnibus igitur omnes magistram sequantur Regulam, neque temerè ab ea declinetur à quoquam.* Hoc est, tam subditi quàm Prælati per omnia sese Regulæ attemperent, & omnino subiiciant, & quisque suum munus expleat: subditi nimirum obediendo, Prælatus rectè imperando; aliàs quid momenti Regula haberet? Certè nullum in bonum, sed maximè in malum, vti cùm à Domino dictum est; *Si non venissem, & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent, nūc autem excusationem non habent de peccato suo.* Præsertim quod (vt ipse

Ioan. 15. 22.

ite

iterum ait) *Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, plagis vapulabit multis.* At qui sciens fecerit, maxima bona adquiret: vti cùm scriptum est; *Quicumque hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos & misericordia, & super Israil Dei.* Et hoc ideo, quia *bona est lex* (ait Paulus) *siquis ea legitimè vtatur*, hoc est, non declinando ab ea neque ad dexteram, neque ad sinistram, sed à principio adhærendo illi, quia paruus error in principio maximus fit in fine. Vt autem explicet Sanctus Doctor quid in hac parte consiliorum debeant tam subditi quàm Prælati, subiicit.

Luc. 12.47.

Galat. 6.16.

1 ad Timot. 1 8.

12. *Nullus in Monasterio sequatur proprij cordis voluntatem.* Hoc tãgit omnes tam Prælatos quàm subditos, quia propria voluntas (vt Bernardus inquit) semper mala est. Ait enim. Grande malum propria voluntas, qua fit vt bona tua tibi bona non sint, & nihil omnino, quod propria inquinatum sit voluntate, gustabit ille qui pascitur inter lilia, vtique Christus. Nec mirum: quoniam (vt idem iterum) propria voluntas docet, naturæ non parere, rationi non acquiescere, non obtemperare seniorum cõsilio vel exemplo. Denique non obedire, nec iustè imperare. In ratione cõsiliandi voluntas propria pessimum adminiculum est. Priuatæ siquidem res (ait Liuius) semper offecere, officientque publicis consiliis. Et Tacitus. Pessimum veri affectus, & Iudicis venenum sua cuique vtilitas. Quare Sanctus Doctor singulariter ab omnibus Monasterio-

Bernard Ser. 71. in Cant.

Idem Ser. 15. in Cant.

Liuius lib. 12. annal.

Tacitus lib. 1. hist.

rum alumnis relegatam vult propriam voluntatem, maximè quando de consiliis incundis agitur.

13. *Neque præsumat quisquam cum Abbate suo intra, aut extra Monasterium contendere. Quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subiaceat.* Si ingentis stupiditatis est contra stimulum calcitrare, & gloriari ferram aduersus eum qui secat in illa: quid subditum Monachum proteruè cum Abbate suo vbiuis locorum contendere? Quid Sophocles?

Non conuenit ei altos proflare spiritus,
Qui subditus paret aliorum legibus,

Sophocles. Antig.

Vti Abbati suo tandem tandem paret Monachus, quantumuis refractarius & contumax. Non ergo conuenit ei altos contra proprium Abbatem proflare spiritus, nedum proteruè contendere. Proteruè, inquam; nam humilis modestáque contentio, quæ ad consiliarij integritatem constantiamque requiritur, pia & necessaria est, vt sequentia ostendent.

14. Et licet in subiecta materia consiliorum, Monachus semel ad consiliandum vocatus debeat intrepidè verum (prout sentit) proferre, Scriptura clamante; *Pro anima tua ne confundaris dicere verum*: & Augustino. Quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se prouocat, quia magis timet hominem quàm Deum. Consiliarij enim vera reticentes, seipsos in primis, deinde Rempublicam ipsam, & tandem ipsos Reipublicæ Præfectos per-

Eccli. 4. Aug. 1. de ciuit cap. 9.

Seneca 6. de benef. c. 30.

dunt: vt Seneca vidit, dum dixit: Nō vides quemadmodū in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequiū seruile submissa, dum nemo ex animi sui sentētia suadet dissuadetque, sed aduládi certamen est, & vna contentio quis blandissimè fallat? Quare omni tempore pessimos dixit Sophocles, quibus metus suspēsam tenet linguam in his quæ iure dicere haberent. Vnde Eu-

Euripides in Theophilo.

ripides. Haud securim si manibus tenens, aliquis ceruici esset incussurus meæ, conticerem, iure si contrādicere possem. Et tamen (vt ait Cicero) plerique sunt qui quod sentiunt, etiamsi optimum, metu non audent dicere. Debent etiam constantiam in vero, quod protulerunt, ostendere. Ridiculi enim sunt, qui (dixit Cæsar) ex aliena libidine huc illucque fluctuant. Vnde Ambr.

Cicero 1. de Officiis.

Sallust. in Cæsare.

2. Offic. c. 17. Talis debet esse consiliarius, qui nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil fabulosum, nihil simulatum, nihil improbū, nihil maleuolum. Qui igitur sic consulit, cur non constanter, & intrepidè consulet?

15. Igitur licet liberè constanterque teneantur Monachi verum, quod sentiunt, dicere coram suis Prælatis: at non licet illis proteruè contendere cum eis; quia licet plerique rectorum rectore alio egeant; cum tamen palàm habere spernunt, maximè contentiosum, & sui sensus proteruum & tenacem. Quare non satis est monitori dicere quod expedit, sed vltra hoc requiritur dicere prout expedit: vtique modestè, leniter & piè. Quare suprà in textu; *Sic autem fiunt res consilium cum omni humilitatis subiectione dent.*

16. *Ipse tamen Abbas cum timore Dei, & obseruatione Regulæ omnia faciat, sciens se procul dubio de omnibus iudiciis suis æquissimo Iudici Deo rationem redditurum.* Iure Deum Abbas debet respicere in omnibus, & prouidere illum in conspectu suo semper, à dextrisque habere, ne commoueatur: sed maximè in consiliorum ratione & decisione: quoniam (vt Cyprianus dixit) consiliorum

Cyp. in epist.

gubernaculum lex diuina. Et Nazianz. Cum Deo consilium cape, & ab officio minimè aberrabis. Quare Tobias filio suo;

Nazianz. epist. 120.

Tob. 4. 19.

Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Id est, terminentur ad Deum, & illum pro fine habeant, à quo omnis operationis initium.

17. Debet item in omnibus Regulæ obseruationem attendere, vtpote custos & explorator, itē exactor siue exequutor eorum quæ in Regula sunt; fratrum item moderator & rector, non ad libitum, sed secundum illam. Et licet Abbatis arbitrio plurima ex his quæ Regula indicit, relinquantur, vt patet sæpe ex ipso Regulæ contextu: id tamen per epicheiam intelligendum est, cuius est aptare verba rebus, & rerum euentibus. Vnde quia (vt dixit Liuius) puncto temporis maximarum rerum momenta vertuntur, & (vt Cicero) minimis fiunt momentis maximæ rerum inclinationes; ideo & cōsiliorum ratio vertenda est; & minimis momentis, aliquando

Liuius Decadis 1. lib. 2. Cicero 5. Philippica.

legis

legis inclinationes faciẽdæ; quoniam (vt ait D. Thomas) in aliquibus casibus legis tenorem seruare est contra æqualitatem iustitiæ, & contra commune bonum quod lex intendit. Vnde Seneca. Non est turpe cùm re mutare consilium, nam consilia rebus aptantur. Ob id enim malè cœpta iure intercipiuntur & reuocantur: quia (vt Lucianus dixit) melius recurritur è media via quàm malè curritur.

D.Th. 1.2.q. 120.ar.1.

Seneca 4. de benef.cap.38.

Lucianus in Asin.

18. Igitur propter hæc & alia tenetur Abbas non tantùm res consilij, verùm & cuncta gerere cum timore Dei, & obseruatione Regulæ. At quia caput est ratio, quam sui muneris Deo redditurus est, ideo Sanctus Doctor eius tantùm meminit, inquiens: *Sciens se proculdubio de omnibus suis iudiciis æquissimo Iudici Deo rationem redditurum.* Itaque vt monuit subditos Prælatis non repugnare sub reatu disciplinæ regularis: sic commonefacit Prælatos iustè ac piè se in omnibus gerere sub reatu damnationis diuinæ; quia Prælatorum errata, quæ hic vltorem non habent, habebunt in die iudicij; & quos non diiudicauerit homo, iudicabit Deus, qui tarditatem supplicij grauitate compensat.

19. Inde Gregorius. Veniet dies ille in quo pastor pastorum apparebit: & qui modò subditorum culpas per Præpositos vlciscitur, tunc Præpositorum mala per semetipsum sæuiens damnabit. Vnde ingressus templum, per semetipsum quasi flagellum de funiculis fecit, quia subditorum culpas per pastores percutit, sed pastorum vitia per semetipsum ferit. Ideo scriptum legimus in Sapientiæ lib. *Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Vtpote quod subditi regulari disciplina plectuntur, *iudicium autem durissimum his qui præsunt fiet.*

Gregor.hom. 17. in Euãg.

Sap.6.7.

Sap.6.6.

20. Quod si cuique *horrendum est incidere in manus Dei viuentis,* quid Prælatis qui reddituri sunt rationẽ tam pro subditis, quam pro se, & quidem rationem muneris quod est proprium Dei, & quod ipsi tanquam eius ministri vicariique gesserunt? Et constat quod *cui multum tribuitur, multum exigetur ab eo.* Vnde si Iob, quia sciuit quod Deus non parcit delinquenti, omnia opera sua verebatur, sua, inquam; quid nos aliena & nostra?

Heb. 10.31.

Luce 12.48.

Iob.9.18.

21. *Siqua verò minora agenda sunt in Monasterij vtilitatibus, seniorum tantùm vtatur consilio, sicut scriptum est: Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.* Graue nimis videbitur iugum hoc; quia durum valde est, ad minorum etiam expeditionem, maiores natu Congregationis cogere, & illorum animos explorare; maximè quod res minoris momenti consultatione dignæ non sunt, aut saltem consultatione tanta: vel ipso Aristotele dicente. Ad res magnas cõsiderandas alios in consilium adhibemus, nobis ipsis diffidentes, quasi minus ad eas perspiciendas & diiudicandas idoneis. Res magnas inquit, non minores. De his enim cur Præsules per se ipsos non satis iudicabunt? Cur illis satis non erunt? Numquid

Arist 3.Ethi. cap.5.

ad

ad illas etiam sibi ipsis deffident, tanquam minus idonei?

22. At cùm consilium idem omnino sit quod inquisitio eorum, de quibus dubitamus & ambigimus, vt tã Arist. quàm D. Tho. docẽt; æquũ est, vt anceps & incertus Abbas de his quæ habet, & nunc fieri oportet, seniorũ expectet expetiaturq; cõsilium, vt sic conducibilius eligat. Electio enim est appetitus præcõsiliati, vt etiã relati authores habent. Neq; enim sufficit (ait Basilius) quisque apprehendere quid in officio sit ac deceat, nisi id certò deliberare ac decernere valeat. Ad hoc autem consilio opus est.

Arist. vbi sup. D. Th. 1. 2. q. 14 ar. 1.

Aristot. & D. Th. vbi sup. Basil. orat. 21.

23. Quod autẽ res minoris momenti sit, non absoluit præsidem ab obligatione consultandi, si priùs non, absoluit eum à nexu & ratione ambigẽdi. Non enim magna sub consilio cadunt, quia magna, sed quia cognitu difficilia. Quare si minora sunt huiusmodi, etiam consilio digna erũt. Maximè quod sæpe maiora à minorum directione pendent. Scriptum quippe est; *Qui modica spernit, paulatim decidet.* Quare hic in textu dicitur: *Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.* Consilium autem hoc cum senioribus ineundum dicitur, & cum illis tantùm; quia cùm consilium futuri ex præterito veniat (vt vidit Seneca) seniores quia plura de præteritis norunt, futura prudentiùs maturiúsque diiudicabunt: alij autem non sic.

Eccli. 10. 1.

Eccli. 32. 24.

Seneca epist. 83.

Quæ sunt instrumenta bonorum operum.

CAPVT IV. PARS I.

IN primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. Deinde proximum tanquã seipsum. Deinde non occidere. Non adulterare. Non furtum façere. Non concupiscere. Non falsum testimonium dicere. Honorare omnes homines. Et quod sibi quisque fieri non vult, alij ne faciat. Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum. Corpus castigare. Delicias non amplecti. Ieiunium amare. Pauperes recreare. Nudum vestire. Infirmum visitare. Mortuum sepelire. In tribulatione subuenire. Dolentem consolari. A seculi actibus se facere alienum. Nihil amori Christi præponere. Iram non perficere. Iracundiæ tempus non reseruare. Dolum in corde non tenere. Pacem falsam non dare. Charitatem non derelinquere. Non iurare omnino, ne fortè periuret. Veritatem ex corde & ore proferre.

Malum

Malum pro malo non reddere. Iniuriam non facere, sed & factam patienter sufferre. Inimicos diligere. Maledicentes se non maledicere, sed magis benedicere. Persequutionem propter iustitiam sustinere. Non esse superbum. Non vinolentum. Non multum edacem. Non somnolentum. Non pigrum. Non murmurosum. Non detractorem. Spem suam Deo committere. Bonum aliquod in se cùm viderit, Deo applicet, non sibi. Malum verò à se semper factum sciat, & sibi reputet. Diem iudicij timere. Gehennam expauescere. Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare. Mortem quotidie ante oculos suspectam habere. Actus vitæ suæ omni hora custodire. In omni loco Deum se respicere pro certo scire. Omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, mox ad Christum allidere, & seniori spirituali patefacere.

1. APITE hoc singulari cunctorum capita singulariter aperiẽda sunt: vtpote quod non tantùm desumptum, verùm à capite ad calcem (quod dici solet) exscriptum est à prima epistola Clementis Rom. ad Iacobum fratrem Domini, longè post medium. Quare Clementis simul ac Diui Patris interpretem hic me geram. Initio autem extra rem apparet capitis istius inscriptio: est siquidem de instrumentis bonorum operum, cùm totius capitis sermo tantùm sit de bonis operibus, quæ non minus ab instrumentis distant, quàm effectus à suis causis. Cùm enim author ipse vocitet instrumenta ipsa bona opera, dicens: *Primum instrumentum est, diligere Deum. Deinde proximum*, &c. non dubium est quin nomine instrumentorum bonorum operum intellexerit ipsa bona opera. At quo iure opus cum instrumento coniungat, facilè augurabitur, quisquis animaduerterit, in encomium & commendationem effectuum id sæpe fieri. Etenim admirantes alicuius scripturæ, picturæve perfectionem, dicere solemus, ô quàm pulchra manus, quàm pulcher calamus! Cùm igitur hic Sanctus Doctor agat de præstantia bonorũ operum, iure instrumentorum suorum nomen aptauit illis. Ideo ad finem capitis vocat omnia virtutum opera instrumenta artis spiritualis: quoniam ipsa docet egregiè fieri bona opera.

2. Præterquàm quod cùm nostrã salutẽ exercitio bonorũ operum operemur, iure bona opera instrumenta dicuntur, saltem ibi vbi de æterna salute operanda totus sermo est: his accedit quod ipsa bona opera adinuicem sibi ipsis deseruiũt, vti liberalitas ad misericordiam & iustitiam, tẽperantia ad pœnitentiam, continentia ad virginitatem, & pru-

D.Th.2.2.q. 53.art.2.

dentia ad omnia, adeò vt dicat D.Th.Prudentia est virtus generalis, non essentialiter, sed causaliter, hoc est(vt ait idem)recta ratió agendorũ.Si ergo virtutes ipsæ, & virtutũ actus sibi inuicẽ famulantur,iure instrumenta dicuntur. Dicuntur autẽ ipsa bona opera iinstrumenta bonorũ operum intrãsitiuè; id est, instrumenta,quæ sunt ipsa bona opera: ad eum modum quo dicitur Genes.49. catulus Leonis,id est, Leo catulus, seu catulus Leo, & vulgò,*el ladron de fulano, el pecador de fulano, el bueno de mi hombre*,quod est dicere, latro qui est Sortes, peccator qui est Sortes, bonus vir qui est Sortes. Vel dicũtur instrumenta bonorũ operum,quæ instruunt nos ad illa. Clemens Rom. vbi sup.non instrumenta,sed negotia & semina bonorum operum appellat ea. Quod nostris consonat expositionibus.

3.
1. Instrumẽtum. Ioan.3.

Primum instrumentum est, *Diligere Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute.* Si diuinitus exaratum est; *Qui non diligit, manet in morte.* Consequens est, vt Deus, qui est vita animæ, ante omnia diligendus sit. Ac qualiter & quo gradu, subiectum explicat testimonium;quod ex variis sacræ Scripturæ locis desumptum est,Deut.6.Matth.22. Marc. 12. Luc. 10. Vnde Greg. Dei dilectio per tria distinguitur, quia ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute diligi cõditor iubetur. Quare notandum est, quod diuinus sermo, cùm Deum diligi præcepit, non solùm narrat ex quo,sed etiam informat ex quanto, cùm subiungit ex toto,vt videlicet qui perfectè Deo placere desiderat, sibi de se nihil relinquat.

Gregor. 10. mer.cap.7.

Huius tanti præcepti plures tam D.Th.quàm S.Bonauentura explicationes referunt. Maximè illam Augustini dicentis, Deum diligendum esse toto corde, id est,toto intellectu,tota anima,id est,tota volũtate, tota virtute,id est,totis viribus. Et illã Ambrosij,ex toto,corde,id est,dulciter, ex tota,anima,id est, sapiẽter,ex tota virtute,id est,fortiter. Et illã Gregorij Nysseni dicẽtis,per cor significari animam vegetatiuã, per animam,sensitiuã,per virtutem, intellectiuam. Quibus Bonauentura suam attexuit dicens, toto corde,id est, vigilãter,quia scriptum est ; *Ego dormio, & cor meum vigilat* : tota anima,id est, ardenter,quia scriptum est; *Anima mea liquefacta est*:ex tota virtute,id est,constanter, quia scriptũ est ; *Fortis est vt mors dilectio, lampades eius,lampades ignis atq; flammarũ.*Ex quibus cõuincitur, tenore huius præcepti adstringi nos ad diligendum Deum, non vtcumque, sed vt vltimũ finem, de cuius ratione est omnia fieri propter illum,& ordinari ad eũ. Quare quæcumque appetit cor, efficit anima,& vires exequũtur, ex vi huius præcepti ordinantur, aut saltem ordinari tenentur.

4.
D.Th.2.2.q. 44.art.5. & sup. Matth. 22. Bonau. sup. Luc.10. Aug. de spiritis & litera cap.25. Ambros.sup. Luc.13.

Inde Paulus; *Omnia vestra in charitate fiant*, vtpote quod charitas est sola virtus quæ habet pro obiecto vltimũ finem,id est, sub ratione vltimi finis. Quare modus diligendi Deum(ait Bernardus) debet esse sine modo, hoc est,absq; aliqua restrictione aut moderatione,sed tantũ quantum

5.
1.Cor.6.

Bernard.de diligendo Deo.cap.6.

tum possumus & valemus: quia si (vt tam D.Th. quàm Arist. aiũt) appetitio finis est absque fine & termino, nam in hoc distinguitur ab appetitione mediorũ, vt patet in medico, qui non ponit in fine suæ artis, vtique in salute, terminum & limitationem, sed facit eam perfectã quantum potest, ponit tamen moderationẽ & terminum in mediis ad istum finem, vtique in medicina, quia non dat de medicina, quantum potest, sed quãtum sufficit ad sanitatem. Si igitur appetitio finis etiam particularis est absq; fine & termino, quanto magis finis vltimi, qui est Deus? Vnde præcipimur eum diligere toto corde, tota anima, & tota virtute, id est, quantum possumus & valemus. Sic explicat D.Th. tenorem huius præcepti.

D.Th. 2. 2. q. 27. ar. 6. Arist. 1. Politic. cap. 6.

D.Th. 2. 2. q. 27. ar. 5.

6.

At quoniam hoc genus explicationis sic nudè acceptum non leues posset ingenerare scrupulos: vtpote quod quotusquisque est, qui tantum quantum potest & valet, Deum diligat? Et proinde, quotusquisque est qui huius præcepti transgressionis reus non sit? Notandum est, hũc modum diligẽdi Deum sine modo, hoc est, quantum possumus & valemus, tota volũtate, tota anima, & totis viribus, dupliciter posse exponi, videlicet perfectè & imperfectè, siue positiuè & negatiuè. Primo modo importat actum dilectionis procedentis cum omni conatu voluntatis nostræ, animæ ac virtutis; & sic clarum est non præcipi nobis in hac vita, in qua pluribus intentus minor quàm par est datur sensus, non tantùm ad singula, sed etiam ad summa: saltem quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem: sed esse opus pertinens ad ciues æternæ patriæ, qui videntes Deum prout in se est, rapiantur vehementia obiecti ad amandum illum tantum quantũ illis possibile est. Quare dixit D.Th. præceptum hoc nõ posse perfectè impleri in via, sed tantùm in patria. Secundo modo importat propositum faciẽdi & moliendi quidquid ad ineundã, conseruandam, restaurandamq; diuinam amicitiam requiritur, & cessandum ab omni eo quod illam impedit aut perimit. Quare toties quoties instat obligatio, vel ineundi amicitiam hanc, vel rẽdeundi ad eam, vel conseruandi illam, instat etiam obligatio huius præcepti, etiamsi ad ista, & ad illorum quodlibet, opus sit quiduis facere aut pati ex omnino possibilibus nobis. Hoc enim verè est, viatores nos diligere Deum toto corde, tota anima, & tota virtute. Vnde Origenes diligere ex tota anima, explicat esse paratum ponere pro Deo animam, cùm opus fuerit. *Animam meam ponam pro te.*

D.Th. 2. 2. q. 44. ar. 6.

Origen. tract. Matth. 22.

Ioan. 13. 37.

7.

Quia verò de his omnibus dantur singularia mandata, vt de ineunda amicitia cum Deo præceptum credendi, sperandi in eum, & conuertendi ad illum: de cõseruanda etiã præcepta omnia tam affirmatiua quàm negatiua, quæ obligant sub mortali: de instauranda denique præceptum pœnitendi; ideo præceptum hoc generale, & transcendentale est,

vagans per omnia præcepta, & ideo catenus impletur, quatenus alia implentur; & catenus violatur, quatenus alia violantur: est enim quasi communis & generalis circumstãtia omnium peccatorum mortalium, cuius gratia satis de violatione illius se confitetur pœnitens, qui aliorum præceptorum transgressiones in confessione aperit. Et propter idem omnia quæ præceptis sub mortali negantur, aut præcipiuntur, de sola charitate prædicantur, vt patet ex illo 1. Cor. 13. *Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati, omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet*, &c. Quibus consonat Gregorius magnus inquiens. Omne mandatum de sola dilectione est, & omnia vnum præceptum sunt, quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Vt enim multi arboris rami ex vna radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vna charitate generantur. Propter quod etiam dictum est; *Finis præcepti charitas*: eo quod ad charitatis dilectionem omnia ordinantur. Similiter ad idem dictum est; *Plenitudo legis est dilectio*. & alibi: *Charitas est vinculum perfectionis*.

1. Cor. 13. 4.

Gregor. hom. 17. in Euãg.

1. ad Timot. 1. 5.

Rom. 13. 10.

Coloss. 3. 14.

2. Instrumentum.

Secundum instrumentum, *Diligere proximum sicut seipsum*. Hæc est altera pars præcedentis mandati, in qua proximi amor nobis indicitur. Et meritò: quoniam naturæ consortes & gratiæ nobiscum sunt; omne autem animal diligit sibi simile. Quale autem magis simile quàm illud quod est socius in his quæ sunt cuique potissima, vtique natura & gratia? Vnde August. Si pecuniæ ratio socios facit, quanto magis ratio naturæ, non negotiandi, sed nascendi lege communis? Quod si naturæ societas id postulat, quid gratiæ? imò quid gloriæ? Quarum nos omnes ex æquo capaces sumus, & ad illas creati pariter & redempti. Quare licet nomine proximi omnis intelligatur homo siue amicus, siue inimicus, siue germanus, siue extraneus, siue notus, siue ignotus, Augustino dicente; Proximus sanè hoc loco non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socij sunt omnes homines: adhuc tamen non dicitur in præcepto, diliges quemcumque hominem, sed, *diliges proximum tuum*. Vt vel ipsum nomen proximi (ait Brugensis) suggereret nobis rationẽ præcepti: nam ideo iubemur quemlibet alium hominem sicut nos ipsos diligere, quia illorum quilibet est proximus nobis, & idem quod nos, vtique æternæ beatitudinis & summi boni, quod Deus est, capax. Qua igitur ratione mouemur, vt nos ipsos diligamus, mouemur etiam diligere proximos.

Eccli. 13. 19.

Aug ep. 52.

Aug. vbi sup.

Brugen. super Matth. 22. 39.

9.

D. Tho. 2. 2. q. 26. a. 4.

Inde D. Thomas, licet ex professo constituat quod homo ex charitate magis debeat diligere seipsum quàm proximum: saltem quia cùm precipitur diligere proximum sicut seipsum, proponitur ipse exemplar dilectionis

ctionis ad alterum, exemplar autem semper est potius quàm exemplatum; nihilominùs ex Augustino & ratione comprobat quod ex charitate magis debeat homo diligere animam proximi, quàm corpus suum proprium. Propterea quod anima proximi est consors perfectę & plenę beatitudinis, quale non est corpus proprium: eo quod hoc non beatur nisi secundum quamdam resultantiam ab anima beata. Vnde infert, quod licet non omnis homo teneatur exponere proprium corpus pro salute proximi, nisi in casu quo adstringitur eius saluti prouidere; potest tamen illud sponte facere: quoniam hoc spectat ad maximam charitatis perfectionem, dicente Domino; *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Aug. lib. de doctr. Christiana. cap. 27. in tom. 3. D. Tho. vbi sup. art. 5. Idem ibi. solutione ad 3.

10. His accedit eximius amor quo Deus semper proximos prosequutus est. Sanè notatu dignum est, quod proponens Moyses Domino in fauorem populi sui, petitionem illam omni (aduersus semetipsum) sæuitia & truculentia plenam, videlicet, *aut dimitte illis noxam hanc aut dele me de libro vitæ*, non modò non malè audiuit à Domino, sed benignè, adeò vt dixerit illi, *Angelus meus præcedet te.* At Petrus, quia dixit Christo; *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*, hoc est, multa à senioribus pati & occidi, de quibus eo loci, audiuit ab ipso Christo; *Vade post me Sathana.* Bone Deus! quid hoc? Ille studens incolumitati populi stulti & insipientis, audit à Deo, *Angelus meus præcedet te*: & Petrus intendens incolumitati Christi, *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*, audiuit ab ipso; *Vade post me Sathana scandalum es mihi.* Audiuit sanè: at non citra mysterium. Conatus enim Moysi saltem in proximorum suorum bonum cedebant: at repugnantia Petri (quantumuis ardentis in amore Christi) in perniciem omnium, quoniam nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuisset, ipsum solum maneret. Adeò proximorum amore flagrat Deus. Quos igitur ille tanti fecit, amauit & dilexit, vt pro illis tam sæua pati, & indigna perpeti non respuerit, nos eius alumni non amabimus, non diligemus, & bona quæque illis, etiam cum iactura nostra, non precabimur? Maximè dicente ipso; *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem sicut dilexi vos.*

Exodi 33. 33.

Matth. 16. 23.

Matth. 16. 23.

1. Pet. 2. 12.

1 can. 12. 24.

Matth. 15. 34.

11. Inde quamuis nemini liceat sponte pati detrimentum spirituale animæ, quod est culpæ annexum, etiamsi ex illo sequatur spiritale bonum totius mundi: non enim sunt facienda mala, vt inde eueniant bona, vtique mala culpæ, quibus diuinus honor quodam modo minuitur, cùm tamen præferendus sit bono totius orbis; de quo Augustinus, D. Thomas, & alij. Igitur quamuis nemini liceat huiusmodi detrimentum pati, quia nemini peccare licet, alia tamen detrimenta, quæ spiritualia sunt sine contagio culpæ, aliquando pro maiori proximorum bono sponte pati permissum est: vt

Rom. 3. 8.

August. sup. psalm. 51. D. Tho. 2. 2. q. 43. a. 7. Soto 3. de iust. & iur. q. 1. a. 3.

Philip. 1. 23. patet in Paulo qui ad Philippens. scripsit.; *Coarctor tamen è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos*: & Martino dicente; Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; & in omnibus illis qui vitæ solitariæ commoda postponunt proximorum saluti, cui ex charitate inhiant, & similibus. Adeò enim charitas Christi vrget nos amare quos ipse amat: licet nusquam teneamur diligere plusquàm nos ipsos alios, sed tantum quantum nos.

Sulpitius in vita S. Martini Episcopi.

12. In eo autẽ quod dicitur, *sicut teipsum*, suggeritur quod sicut non omnia nobis velle licet, sed illa tantùm quæ amicitiæ diuinæ contraria non sunt, neque incompossibilia, sic nec proximis: & proinde quod sicut quæ diuinam amicitiam diripiunt aut impediunt, tenemur auertere à nobis, sic & à proximis; & quæ nobis tanquam necessaria ad salutem volumus, eadem illis appetamus, etiamsi acerba & plena sæuitiæ sint, vt nostri nostrorumve qui nos scandalizant, amputationem & abnegationem: quoniam scriptum est: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* & iterum: *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* & rursum: *Qui odit animam suam in hoc mundo, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, ipse custodit eam.* Vnde colligitur, hoc genus odij amorem esse; & sic odio habere proximum, est, illum verissimè amare.

Matth. 16. 24.

Matth. 16. 5.

Matth. 16. 25.

Inde Dauid velut admirans dixit; *Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Odium verò perfectum illud est quod auersatur iniquitatem, non verò humanitatem: dicente Augustino. Hoc est perfecto odio odisse, vt nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Vnde Moyses quomodo oderat peccatores cùm pro ipsis orabat; & quomodo non oderat cùm eos occidebat, nisi quia perfecto odio oderat illos? Vt igitur medicus perfecto odio habens infirmitatem, & illam persequens, conuincitur diligere infirmum; è contrario autem odio habere infirmum, cùm eius non conatur ægritudinem eradicare: veluti cùm in psalmo dicitur; *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Sic qui correctionis mucrone, vel etiam persequutionis amputare conatur proximi sui mala, verè diligit illum. Nam etiam Deus diligit quos corripit, dispendio siquidem viliorum pretiosa cum indemnitate seruantur. Vnde Paulus vt corpus suum castigabat, & in seruitutem redigebat, ne reprobus efficeretur: sic incestuosum & schismaticum potentissimum hominem tradidit Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret in die Domini. Sic enim proximum suum dilexit sicut seipsum, & nos ita diligere docuit.

13. *Psalm. 138. 22.*

August. ibid.

1. Cor. 9. 27.

1. Cor. 5. 5.

Tertium instrumentum, *Non occidere.* Hoc est primum præceptum ex negatiuis secundæ tabu-

14. *Tertium instrumentum.*

Exodi 20. 13. Deut. 5. 17. tabulæ, de quo in Exodo atque in Deuteronomio: estque prout sonat, adeò graue, vt dicatur Gen. 9. *Qui fuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* & in Exod. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* & in Leuitic. *Qui percusserit, & occiderit hominem, morte moriatur.*

Gen. 9. 6. Exod. 21. 12. Leuit. 24. 17.

15. Et non solùm prohibet externam & consummatam cædem, quod sanè quid atrocissimum inter mortales est; sed vim omnem & impetum, quæ corpus aut vitam proximi lædunt; iuxta illud Leuitici; *Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum, sicut fecit, sic fiet ei; fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet. Quale inflixerit malum, tale sustinere cogetur: qui percusserit hominem, punietur.*

Leuitici 24. 19.

16. Prohibet similiter iram, iuxta id Matthæi 5. *Audistis quia dictum est antiquis, non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.*

Matt. 5. 22.

17. Odium etiam prohibet, quia scriptum est; *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* &, *Scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* & iterum: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor & blasphemia tollatur à vobis, cum omni malitia.*

1. Ioan. 3. 15. Ephes. 4. 31.

18. Rancorem, & indignationem, & vindictæ cupiditatem, & quosuis internos affectus ad proximi læsionem propensos etiam amputat, iuxta illud Pauli; *Nulli malum pro malo red-*

Rom. 12. 19. *dentes, non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ. scriptum est enim; Mihi vindicta, & ego retribuam.* Et iuxta illud Ecclesiastico. *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur.* Et iuxta illud; *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, neque radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.* Et tandem iuxta illud; *Induite vos ergo viscera misericordiæ, benignitatem; humilitatem, modestiam, patientiam supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, siquis aduersus alium habet querelam.*

Eccli. 28. 1. Ephes. 4. 31. Colossen. 3. 13.

19. Sacri etiam Canones varia distinguunt homicidij genera: nimirum, actu in corpore, odio in corde, detractione in ore. Item in panis subtractione, & in delinquentium non correctione: quatenus pastor qui delinquentes non arguit, tacendo occidit. Et iterum de pœnitentia distinct. 1. cap. Homicidiorum. referuntur ex mente Hieronymi hæc. Homicidiorum tria genera dicebat Beatus Petrus, & pœnam eorum parilem. Sicut enim homicidas, interfectores fratrum, sic detractores eorum, eosque odientes homicidas esse manifestabat; quia & qui occidit fratrem suum, & qui odit, & qui detrahit ei pariter homicidæ esse móstrantur. Item 86. distinct. cap. Pasce. referuntur ex Ambrosio. Pasce fame morientem. Quisquis enim pascendo hominem seruare poteras, si non pa[illegible] occidisti De-

um

mum distinct. 43. cap.Ephesiis, ex Greg. magno inducunt illud Pauli. *Mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi quominus annunciarem omne consilium Dei vobis.* Mundus ergo à sanguine eorum non esset, si eis Dei consilium annunciare noluisset; quia cùm increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio tacendo pastor occidit.

20. Si igitur hæc omnia homicidia sapiunt aut sunt, & homicidarum supplicium tam ferum & immane est, vtique mors corporis & animæ, essentialis erit tanti præcepti obseruatio ad vtriusque vitam. Et quidem non in primo capite tantùm, vtique in homicidio propriè dicto, sed etiam in inchoato, vtique ira, odio, amarulentia, indignatione & similibus: dicente Ambros. Ira grauis passio est, plerumque accedit inuitum, vt perimat quẽ amat; amicos & fratres per indignationem plurimi peremerunt.

Ambros. in psal. 36.

21. Hoc tamen occidendi facinus non omnes qui occidunt tangit, sed illos dumtaxat qui priuata authoritate id faciunt, aut satagunt, dicente Domino vel ipsi Apostolorum principi Petro, vindicare se & Christum ipsum volenti; *Qui acceperit gladium, gladio peribit.* Tunc enim (vt Augustinus, Cyrillus, & alij notarunt) publica Petrus authoritate non fruebatur, non poterat iniuriam sibi aut Christo illatam vlcisci. At publica authoritate pollentes, iure (tanquã Dei ministri, & legum exequutores) id faciunt, Paulo dicente; *Si malè egeris time, nõ enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est.* Et Hieronymo. Homicidas, & sacrilegos, & venenarios punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium. Et Augustino. Non ipse occidit qui ministerium debet iubenti: sicut adminiculum est gladius vtenti. Videatur Gratianus 23. q. 5. c. Non licet. Et idem est de eo qui inculpata tutela se defendit, aut etiam iustè inuadit prædonem suum, vt in bello iusto.

Matth. 26. 52.

Aug. tract. 112. in Ioan. Cyril. lib. 11. in Ioan c. 35.

Rom. 13. 4.

Hier. super. rem. 22.

August. 1. ci. in 22. c. 2

22. Quartum instrumentum, *Nõ adulterare.* Adulterium est (ait Ambrosius) vbi celebrati coniugij iura temerantur, & vxoris pudor soluitur. Ex quo sequitur, adulterium propriè dictum (tale enim est quod hic definiuit Ambrosius) tam marito quàm matrimonio inofficiosum, & maximè iniurium esse. Quare supplicium adulteris interminatum graue adeò est, vt dicatur Leuitici 20. *Si mœchatus fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum coniuge proximi sui, morte moriatur, & mœchus, & adultera.* Et alibi; *Si dormierit vir cum vxore alterius, vterque morietur, id est, adulter & adultera, & auferes malum de Israel.*

4. *Instrumentum.*

Leuit. 20. 10.

Deut. 22. 22.

23. Quia verò (vt ait Ambrosius vbi suprà) nec hoc solùm adulterium est, cum aliena peccare coniuge, sed omne quod non habet potestatem coniugij; ideo *adulterandi* verbo omnis fornicationis concubitus illegitimus, omnisque impura libido prohibetur: & quidem sub grauissimis pœnis. Leuitici enim 19. dicitur: *Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur facinore.* & Deut. 23. *Non erit meretrix*

Leuit. 19. 29.

Deut. 23. 17.

retrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël. & in Ecclesiastico: *Erubescite à patre & matre de fornicatione, à respectu mulieris fornicaria.* & in Prouerb. *Mandatum lucerna est, & lex lux, vt custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extranea. Ne concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, ne capiaris nutibus illius. Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant?*

Eccli.41.21. & 25.

Prou.6.23.

24. Isto etiam præcepto latè sumpto præscindi iubentur cunctæ illecebræ, & occasiones omnes quæ carnis libidinem irritant, fouent, vel excitant: vt sunt obscœna verba, cantilenæ inhonestæ, gestus impudici, & similia. Scriptum enim est Matthæi 5. *Audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eã in corde suo.* Et ad Colossenses 3. *Nunc deponite vos malitiam, blasphemiam, & turpem sermonem de ore vestro. Mortificate membra vestra, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam.* Horum ratio est, quoniam (vt Cyprianus inquit) Diaboli primis titillationibus obuiandum est, neque coluber foueri debet, ne in serpentem formetur. Et Hieronymus. Diabolus serpens lubricus est, cuius capiti, hoc est, primæ suggestioni si non resistatur, non est dubitandum quin illabatur furtim in penetrale cordis. Omnes igitur occasiones libidinis amputandæ sunt.

Matth.5.27.

Coloss.3.5.

Cypr. Ser.de ieiunio.

Hieron. sup. Ecclesiastem cap.9.

25. Et quidem si (vt refertur 27. q. 1. cap. Sicut bonum, ex Concilio Carthaginensi) transgressor voti castitatis peior adultero iudicatur: & 50.dist. cap. Si quis diaconus, ex Hormisda Papa, Presbyter in adulterio deprehensus non potest ad suum honorem redire; quod etiam confirmatur ibi ex Concilio I. Niceno, consequens est, adulterandi crimen Monachis valde exitiosum esse. Quod etiam vel in seipso non leuiter legifer noster odoratus fuit, ne dicam expertus: siquidem, referente Gregorio magno, libidinis igne accensus penè de deserendo monachatu deliberauit: Eremum enim, quem monachatus causa incolebat, penè deserere constituit. Penè inquam, quoniam abiectis illicò vestibus, nudum se in vrticas & vepres abiecit, & tamdiu sese in illis volutauit, donec per cutis vulnera mentis eduxit vulnus.

Concil.Carthag.4.c.vl.

Hormisda epist.ad vniuers. prouin. cap.29.

Greg.2.dial. c.2.

26. Quintum instrumentum, *Non facere furtum.* Hoc etiam est vnum ex septem negatiuis præceptis secundæ tabulæ, de quo Leuitici 19. & Deuteronomij 5. Et (vt ait Augustinus, & ex illo sacri Canones habent) nomine furti intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit, sed vtique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi auferetur: sicut nomine mœchiæ omnis illicitus cõcubitus, atque illorum membrorum non legitimus vsus prohibitus debet intelligi. Et Bernardus. In furto comprehenditur rapina, vsura, peruasio, quidquid denique cum damno alterius possidetur.

5.Instrumentum.

Leu.19.11. Deut.5.18. Aug.q.71. sup. Exod. Gratianus 14. q.5.c. nali.

Fern. Ser.4. sup. Salue Regina.

27. Inde est non tantùm prohiberi in sacris literis furtum & rapinam, vti in Leuitico atque in Deuteronomio; *Non facies furtum*: atque apud Paulum, *neque fures, neque raptores regnum Dei possidebunt*; sed etiam omnes cõtractus, actus, siue etiam omissiones quibus fraterna læditur charitas, vti in retẽtione rei alienæ, iuxta illud Leuit. 19. *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsque mane*. Et in dolo malo, iuxta illud eiusdẽ; *Nolite facere iniquum in regula, in põdere, & mensura*. & in Deuter. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus, neque erit in domo tua modius maior & minor*. Et in psalmo 14. datur requies in monte sancto Dei, illi qui non egit dolum in lingua sua, neque fecit proximo suo malum: & Prouerb. 11. dicitur; *Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus aequum voluntas eius*. & Paulus; *Ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus*:

Leuit. 19. 11. Deut. 6. 18. 1. Cor. 6. Leuit. 19. 13. Ibid. Deut. 25. 1. Thess. 4.

28. Prohibetur etiam hoc præcepto omnis vsura, & omne iniustum lucrum, dicente Domino Deut. 23. *Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, neque aliã rem*. Et in psal. 14. promittitur Dei tabernaculũ ei qui pecuniã suam non dedit ad vsuram: & alibi dicitur; *Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum*. & apud Ezechielem; *Munera acceperunt: ad effundendum sanguinem, meique oblita es, ait Dominus Deus*. Prohibetur demũ vel ipsa simonia. Pessimum adeò vitium, vt propter illud Giezi lepra magna subitò percussus fuerit; & Simon magus cum sua pecunia datus in perditionem: existimauit enim donũ Dei pecunia possideri. Aliisque pœnis acceptiones iniustæ punitæ leguntur, vti cùm apud Ezechielem habetur: *ad vsuram dantem, & amplius recipientem, numquid viuet? non viuet. sed morte morietur*. Vnde Bernardus. Si fures estis, ingemiscite, quia locus vester magnus est in pœnis, nisi properaueritis ad pœnitentiam.

Deut. 23. 19. Psal. 14. 5. Ezech. 22. 12. 4. Reg. 5. Act. 8. Ezech. 18. 13. Bern. Ser. ad Synodum.

29. Aliud & aliud furti genus notauit Augustinus circa illud psal. *Si videbas furem currebas cum eo*. ait enim. Fortè dices, non feci furtum. Quid si tibi placuit qui fecit? Nonne ipso placito corruisti? Nonne portionem tuam cum illo qui fecit, laudando posuisti? Hoc est enim, fratres, concurrere cum fure. Sermone item 49. de verbis Domini relato 23. q. 4. cap. Tres personæ. dixit furti genus esse, Prælatum non curare de ouibus, vel non intrare per ostium in prælaturam.

Psal. 49. 18. Aug. ad id Psalmi 49.

30. Quod si fures, vel latrones, quia infames sunt, nec accusare, nec testes esse possunt, vt habetur 3. q. 5. cap. Constituimus. & presbyter in furto deprehensus ab omni honore deponitur. 82. cap. Presbyter. & Episcopus bonorum Ecclesię dilapidator, quia fur, ab omni honore est deponẽdus: quid Monachus paupertatem solemniter vouens, si furti crimen incurrerit, subire deberet? Hoc ergo non furandi instrumentum apprimè Monachis necessarium est.

31. Instrumentum sextum, *Non concupiscere*. Hoc instrumentum conti

6. Instrumentum.

continet quidquid ambiunt duo illa extrema Decalogi præcepta, prout non tantùm Hebræi, verũ & D. Thomas vidit, dicens. Omnis concupiscentia inordinata prohibetur duobus vltimis præceptis Decalogi. Imò cùm Ioannes dicat: *Omne quod est in mundo, concupiscentia est, quæ non ex patre, sed ex mundo est*, videtur, omnia mundi peccata concupiscentiam esse; & proinde præcepto isto contineri præcepta omnia quæ prohibent mala mundi. Maximè quod mala mundi adæquatè & plenè enumerata sunt vel peccata, vel effectus peccati, vel causa peccati: quę tamen omnia vnica concupiscentia contineri, author est Augustinus inquiens. Sicut cæcitas cordis (quã solus remouet illuminator Deus) & peccatum est, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, qua cor superbũ digna animadversione punitur; & causa peccati, cùm mali aliquid cæci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis aduersus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia cõtra dominatũ mentis; & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis; & causa peccati est defectione cõsentientis, vel contagione nascentis. Hæc Augustinus.

D. Tho. in 3. d. 4. ar. 2. ad 3.

1. Ioan. 2. 16.

Aug. lib contra Iulian. c. 3.

32. At quoniam concupiscentia, quæ verè & propriè peccati effectus est, iuxta id Pauli; *Peccatũ operatum est in me omnem concupiscentiam*, vtique peccatum originale: & quam Theologi vocãt peccati fomitem, cuius gratia Ecclesiastici 5. dicitur: *Concupiscentia quasi ignis exardescit.*

Rom. 7. 8.

D. Tho. 1. 2. q. 82. art. 3.

Eccli. 5. 11.

Hæc igitur concupiscentia quæ similiter causa peccati, & quodãmodo omnis peccati est, iuxta id; *Radix omnium malorum est cupiditas.* & illud; *Vnde bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Quocirca Philo Iudæus vocauit illam, fontem iniquitatum, vnde manat quidquid contra ius fit priuatim ac publicè, siue paruum, siue magnum, siue sacrum, siue prophanum, siue ad corpus, siue ad animum, siue ad res externas attinens. Propriè tamen loquendo peccatum non est: quia licet ab Augustino vbi suprà, imò & à Paulo appelletur peccatum, dicente; *Peccatum non cognoui nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Ipse tamen Augustinus, & ante illum Ambrosius, & postea Concilium Tridentinum explicant, nominari peccatum, non quia verè & propriè peccatum sit, sed quia à peccato est, & ad peccatum inclinat: veluti non raro effectus sortiuntur nomina suarum causarum, & econtrà causæ nomina suorum effectuum.

1. ad Tim. 6. 20.

Iacobi 4. 1.

Aug. vbi supra.

Rom. 7. 7.

Aug. de nup. & concupisc. c. 13.

Ambros. sup. Rom. 7. n. 223.

Conc. Trid. sess. 5. de peccato orig. c. vlt.

33. Ratio autem est, quia nec naturæ pronitas ad illicita, neque impuri appetitus motus possunt magis in nobis, quàm in pueris, aut in amentibus, vel in dormientibus, aut etiam in brutis habere rationem culpæ, nisi prout subsunt liberæ electioni, vel etiam consensioni voluntatis nostræ. Peccatum enim in tantum est peccatum in quantum est voluntarium, vt Augustinus inquit;

Augustin. 1. retract. c. 15. & 22. contra Faustum. 27.

hoc est,siue elicitum,siue imperatum(vt D.Thomas ait) à libebera & spontanea voluntate. At cùm concupiscentiæ motus plerumque nobis reluctantibus accidant,vt vel ipse in seipso Apostolus expertus dicebat ; *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ,& captiuantem me in lege peccati*: & sæpe iudicium rationis ac deliberationis præuertant;propter quod scriptum est:*Post concupiscentias tuas non eas*,eas scilicet,quæ animos nostros excitant , incitant, & ad malum prouocant : consequens est, quod licet huiusmodi motus & affectus , atque affectionum fontes & fomites sint verè & propriè causa & effectus peccati,non tamen sunt propriè peccatum;& proinde nullo præceptorum Dei nobis prohibentur: quoniam præceptis propriè dictis non prohibet Deus nisi quæ nobis voluntaria sunt , & sub potestate nostra constituta. Sub hac verò tantùm est consentire,non verò subire, sentire aut pati tales motus,nobis enim repugnantibus insurgunt & desæuiunt.

D Th.1.2.q. 71.a.6.

Rom.7.23.

Eccli.18.30.

34. Præcepto igitur isto non concupiscendi non prohibẽtur omnia ad quæ se omnis concupiscentia extendit, sed illa tantùm quæ deliberatam & volũtariam concupiscentiam alienæ vxoris ac rei alienæ important ; ita vt mens eius sit , vt non solùm ab vxore aliena , illicitis commerciis , & externa apertáque iniustitia nos abstineamus,sed etiam ne voluntate quidem noceamus cuiquam , aut nocere deliberemus : scriptum quippe est; *Non concupisces vxorem proximi tui, non domũ, non agrum,non seruum, non ancillam,non bouem,non asinũ, & omnia quæ illius sunt*.& ad Romanos 6.*Non regnet peccatum in vestro mortali corpore,vt obediatis concupiscentiis eius*.& ad Colossenses 3.*Mortificate membra vestra quæ sunt super terram fornicationem,immunditiam,libidinẽ,concupiscentiam malam*.& 1.Petri 2. *Obsecro vos abstinere à carnalibus desideriis*.& Iacobi 4.*Petitis, & non accipitis.eo quodmalè petatis,vt in concupiscentiis vestris insumatis*.

Exod.20.17.

Rom.6.12.

Coloss.3.5.

1.Pet.2.11.

Iacobi 4.1.

35. Inde illud Christi Domini Matth.5.*Audistis quia dictum est antiquis,non mœchaberis : ego autem dico vobis, quia omnis qui videt mulierem ad concupiscendum eam,iam mœchatus est eam in corde suo*. Etenim quoniam lex scripta prauas mentis cogitationes,impuróque cordis affectus suppliciis externis non castigabat, arbitrati sunt Scribæ,vel potiùs arbitrari voluerunt (certè contra tenorem huius præcepti ; *Non concupisces*)quod tantùm externa opera diuina lex vetabat , more humanæ legis,de qua brocardicum: Lex manum, non animum prohibet. Vnde Ioseph⁹, Scribarum & doctorum sui tẽporis princeps,non dubitauit asserere, non videri rem supplicio dignã, voluisse tãtùm, sed nõ perfecisse sacrilegiũ : & Rabbini alij apud Genebrardũ dixerunt quod Dominus nõ audit.i.quod nõ punit, nec curat iniquitatẽ cordiũ, sed tãtùm operũ. Ideo Christus Dominus sese huic dementiæ opponens,nõ solũ præmisit;*Nisi abũdauerit iustitia vestra plusquam Scriba*

Matth.5.27

Ioseph.12. antiq.c.13.

Geneb. sup. psal.66.

Matth.5.20.

Scribarum & Phariſcorũ, non intrabitis in regnum cœlorum. Sed ſubiunxit etiam elogium repetitum de eo qui videt mulierẽ ad concupiſcẽdum illam, per quod planè indixit, non ſolùm eſſe mœchum, ac mœchiæ addictum ſceleri qui adulterij crimen opere perpetrauerit, ſed etiam qui concupierit.

36. *Imperf. hom. 11. in Matth.*

Hac de cauſa Imperfectus. Qui concupiuerit, etſi non fecerit, peccauit. Quare? quia vel omnino voluit. Quod in omni prohibita materia intelligendum eſt, ſiue ſit mœchiæ, ſiue furti, ſiue homicidij, ſiue ſimilium: quia præceptum Decalogi non reſtringit materiam ad furtum, ſiue ad adulterium, ſed abſolutè præcipit, *Non concupiſces*, vtique vel facere quod lege cautum eſt, vel omittere quod facere tenemur. Quia verò diuina lex explicatior & illuſtrior in Teſtamento nouo quàm in veteri futura erat; ideo Chriſtus Dominus quod implicitè præcepto non concupiſcendi cautum erat, explicitè propoſuit præcepto non mœchandi, adhuc in corde, nec videndi mulierem ad concupiſcendum illam. Vnde Chryſoſtomus. Non enim ideo Chriſtus venit vt tantùm à malis actibus, ſed etiam à cogitationibus auerteret: vtique propter perfectionem nouæ legi germanam. Et ideo Monachis, quorum eſt perfectioni ſtudere, præceptum hoc ſingulariter indicitur vt inſtrumentum conſummationis ſuæ.

Chryſ. hom. 17. in Matth. *D. Tho. 2. 2. q. 186. a. 1.*

37. *7. Inſtrumentum.*

Septimum inſtrumentum, *Non falſum teſtimonium dicere.* Hoc eſt octauum præceptum Decalogi, de quo Exod. 20. *Non loquèris contra proximum tuum falſum teſtimonium:* & cap. 23. *Non ſuſcipies vocem mendacij, nec iunges manum tuam, vt pro impio dicas falſum teſtimonium.* Leuit. 19. *Non mentiemini, nec decipiet vnuſquiſque proximum ſuum.* Deut. 5. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* & cap. 19. *Cum inuenerint falſum teſtimonium, reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit.* & Prouerb. 25. *Iaculum & gladius, & ſagitta acuta homo qui loquitur cõtra proximum ſuum falſum teſtimonium.* Ideo tot dira & ſæua in huius criminis fontes. Scriptum quippe eſt pſalmo 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* & Sapientiæ 1. *Os quod mentitur, occidit animam.* Quæ ſanè intelligenda ſunt de proferente in proximum falſum crimen. Et iterum: *Virum ſanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Vbi cum graſſatore viarum (is enim eſt vir ſanguinum) coniungitur & connumeratur falſi criminis proditor. Et præmittitur; *Sepulchrum patens eſt guttur eorum:* vtpote quod halitu ſuo (velut ſepulchra corruptiſſima) inficiunt & perimunt proximos. Vnde Auguſtinus; Mendaciorũ mortes exhalant. Quod licet de hæreticis dixerit, quadrat nihilominus falſis criminatoribus: ſiquidem peſtilenti iureiurando ſuo, vel etiam teſtimonio necem vel honoris, vel vitæ, vel ſimilium innocenti inferunt. Quare in Iure Canonico infidi iſti criminatores infames reputantur. 3. q. 1. c. Conſtituimus. Sunt enim Reipublicæ hoſtes trucu-

Exod. 20. 16. & 23. 1. Leui. 19. 18. Deut. 5. 17. & ibi. 20. Prouer. 25. 18. Pſal. 5. 7. Sap. 1. 11. Pſal. 5. *Aug. contra epiſtolas Petiliani. c. 15.*

lentissimi, & tanto truculentiores quanto secretiores.

38. Est etiam notandum, præcepto isto nō solùm prohiberi falsum doloſumve testimonium, sed etiam omne mēdacium, dolum, & omnis linguæ abusum, quæ quomodolibet possint siue in iudicio, siue extra iudiciū bona proximi lędere. Scriptū quippe est: *Non facies calūniam proximo tuo, nec maledices surdo, nō eris criminator, nec susurro in populo.* & rursum: *Maledictus qui peruertit iudiciū aduenæ pupilli & viduæ, & dicet omnis populus, Amen.* & iterum: *Abominatio est Domino labia mendacia.* Similiter; *Cognoscere personam in iudicio, non est bonū. Qui dicunt impio, iustus es, maledicent eis omnes populi, & detestabūtur eos tribus: qui arguunt eos, laudabuntur, & super ipsos veniet benedictio.* Præterea Petrus; *Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modò geniti infantes.* & Paulus. *Deponētes mendaciū loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat,* & Salomon. *Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtēperat labiis mendacibus. Qui despicit pauperem exprobrat factori eius.* & rursum. *Os stulti contritio eius, & labia ipsius ruina animæ eius. Verba bilinguis quasi simplicia, & ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris.*

Leuit. 19. 13.
Deut. 27. 19.
Prou. 12. 22.
Prou. 24. 24.
1. Petri 2. 2.
Ephes. 4. 25.
Prou. 17. 4. & 18. 6.

39. Notandum deinde, sacros Canones 22. q. 2. cap. Primum. recēsere ex Augustino varia genera mendaciorū, inter quæ non tantùm recenset quod grauius est, vtique id quod militat contra religionis doctrinam, asserēs illud esse magnum scelus, & primum genus mendacij, de quo maximè verificatur illud Basilij; Omnium potentissima est veritas, & extrema malitię linea mēdacium: verùm & illud quod leuius atque mitius est, vtique mēdacium adulatorium, de quo ibi. Nec veritas ipsa fine placendi hominibus enunciāda est, quanto minus mendacium quod per se ipsum, quia mendacium est, turpe est? Imò vitium diabolicum, vtique diabolum habēs parentem, authorem & inuentorem primum: iuxta illud Christi de diabolo; *Mendax est, & pater mendacij.* Et ideo Scribis mendacibus ac dolosis illicò dixit; *Vos ex patre diabolo estis:* id est, diaboli filij. Quid autē turpius aut vilius progenie diaboli? Inde Ecclesiasticus; *Opprobrium nequam in homine mendacij.* Et Plutarch. Pueri (quod sanctissimū est) vera proferre consuefiant: mentiri enim seruile est vitium, & à cūctis mortalibus insectandum, ne quod apud mediocres etiam seruos veniā mereatur. Quare Bernardus. Omne mendacij genus perfecti viri summo studio fugiunt. Et ideo præceptum non mentiendi congruè pro instrumento perfectionis affigitur hic Monachis perfectioni insudantibus. Quibus maximè illud Philonis conuenit. Quidquid vir bonus asseuerat, perinde ac iuratio credi debet: cùm verbum eius firmum sit ac rigidum, nullo mendacio flexibile, veritate, in qua fundatur, subnixum.

Basil. proœmio lib. de Spiritu sancto.
Ioan. 8. 44.
Eccli. 20. 20.
Plutarc. de liberis educandis.
Bern. Serm. 3. de modo viuendi.
Philo lib. de specialib. legibus.

Augu. lib. 4. de mend. cap. 14. & 21.

40. Octauum instrumentum, *Ho-*

8. *Instrumē-*
tum.

no

norare omnes homines. Hoc instrumentum consonat illi verbo Petri ; *Omnes honorate.* Absonum tamen videtur quamplurimis sacræ Scripturæ elogiis, quibus designantur personæ honore dignæ, & etiam indignæ. Etenim Deus ante omnia & super omnia honorandus asseritur, dicente ipso : *Quicumque glorificauerit me glorificabo eum, qui contemnunt me, erunt ignobiles.* & iterum. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Item ; *Eruam te, & honorificabis me.* Denique ; *Afferte Domino gloriam & honorem.* Parentes etiam Scripturæ oraculis honorandi sunt : etenim scriptum est. *Honora patrem tuum & matrem tuam, sicut præcepit tibi Dominus.* & rursum : *Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim bene placitum est in Domino.* & iterũ : *Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi.* Reges item, Magistratus, Prępositi, & denique omnes in dignitate & potestate, siue Ecclesiastica, siue politica constituti, honorandi sunt, iuxta Scripturæ monita, præsertim illud ; *Regem honorificate.* & illud ; *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim pernigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Medici similiter honorãdi veniũt, iuxta illud Ecclesiastici ; *Honora medicum propter necessitatem, etenim illum creauit altissimus. A Deo est enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Disciplina medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnorũ collaudabitur.* Iusti denique ac timentes Deum, prudentes & sensati viri honore omnium sunt prosequendi, iuxta illud Ecclesiastici ; *Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Dominum.* & iterum : *Tacitus & sensatus honorabitur.* & rursus. *Honor est homini qui separat se à contentionibus.*

Itaque Deus, parentes, Principes, Præpositi, medici, iusti, prudentes & sensati, ex præcepto Dei honorandi sunt : at iniqui, imprudentes & stulti exhonorandi, ipsa dicente Scriptura Prouerb. 20. *Stulti miscentur contumeliis.* & in Ecclesiastico ; *Semen autẽ hoc exhonorabitur, quod præterit mandatum Dei.* Item ; *Insciius non honorabitur.* Cùm igitur horum numerus (vtpote stultorum) infinitus sit, quomodo, aut quo iure tenebimur cunctos honorare homines ? Præsertim quod cùm honor sit præmium virtutis, & maximum bonum inter bona externa, (iuxta quæ habet D. Th.) præmia autem cõferenda non sint nisi idoneis tãtùm & dignis, consequens est vt nec honos. Saltem quoniam honor insciis & iniquis exhibitus, potiùs detrimento eis quàm emolumento est, ipsa etiã Scriptura dicẽte. *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Propter quod scriptum est ; *Deiecisti eos dum allcuarentur.* & iterum : *Inimici verò Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.* Circa quæ Gregorius. Neque enim dixit, deiecisti eos postquam alleuati sunt, sed dum alleuarentur : quia praui quique dum temporali honore suffulti foris viden

1. Petr. 2. 17.
Eccli. 10. 23.
Eccli. 21. 31.
Prou. 20. 3.
41.
1. Reg. 2. 30.
Psal. 49. 23.
Ibid. 15.
Psal. 28. 1.
Deut. 5. 16.
ad Coloss. 3. 20.
Ephes. 6. 2.
Prou. 20. 31
Eccli. 10. 43.
Ibid. 28.
D. Tho. 2. 2. q. 63. a. 3. & 1. 2. q. 2. a. 2. ad 1.
1. Petr. 2. 17.
Hebr. 13. 17.
Psal. 48. 13. & 21.
Eccli. 38. 1.
Psal. 72. 18.
Psal. 36. 20.
Greg. 1. lib. Reg in d. 9. et ist. 5.

dentur surgere, intus cadũt. Alleuatio ergo ipsa ruina est. Hinc iterum dicit, deficientes vt fumus deficient. Fumus quippe ascendendo deficit, & sese dilatando euanescit. Sic videlicet fit cùm peccatoris vitam præsens fœlicitas comitatur: quia vnde ostẽditur vt altus sit, inde agitur vt nõ sit. Hinc rursũ scriptũ est: Deus meus pone illos vt rotam. Rota quippe ex posteriorib. attollitur, & in anterioribus cadit. Posteriora autem nobis sunt bona præsentis mundi, anteriora verò æterna. Non ergo omnes homines sunt honorandi, sed illi tantùm qui honore sunt digni. Cuius gratia Paulus; *Rom.13.7.* *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui honorem, honorem.* Vbi planè distinguit inter debitum tributi & honoris, quatenus nec omnibus tributa, neque omnibus debentur honores. Aristoteles etiam; *Arist. 4. Ethi. cap. 3.* Honore reuera solus bonus dignus est.

42. Nihilominus cùm non tantàm Petrus planè indixerit, omnes homines ab omnibus hominibus honorandos: sed etiam *Rom.12.10.* Paulus dixerit, honore inuicem præuenire debere, non dubium est quin honos omnibus debeatur, etiam insciis, iniquis, & sceleratis. Ratio autem est, quoniam honor (vt ait D. Tho.) *D Thom.1.2. q.2.a.2. & 2.2. q.25. a.1. ad 2.* est testimonium excellentiæ: omnis autem homo saltem in eo excellentiam habet quod homo est, ad imaginem Dei conditus, & ad eius similitudinem factus. Vnde Augustinus in epistola quam scripsit ad Maximum Episcopum Donatistam. Honorabilem ex ea regula te libenter *Augustinus epist. 203.* appello, qua noui te esse hominem: & noui hominem ad imaginem Dei & similitudinem factum, & in honore positum ipso ordine & iure naturæ. Igitur cùm peccatores adhuc homines sint, consequens est honorandos esse.

Ratio item est, quod nos inuicem ex charitate diligere tenemur, iuxta illud Pauli; *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit.* Vnde D.Th. ex professo ostendit, peccatores ex charitate diligendos. Quos autem diligimus, mirum valde est quàm profusè & amplè honoremus: adeò vt vel de ipso Deo, eo quod diligit iustos, dicatur in psal. *Nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Et quia dilexit populum suum, ideo in libro Sapientiæ scriptum est; *In omnibus magnificasti populum tuum Domine, & honorasti, & non despexisti.* Et idem suo modo est de omnibus qui aliquos diligunt, eo quod dilectio semper ac necessariò debet esse boni, siue veri, siue apparentis, apprehensi tamen sub ratione boni. Bonum autem cognitum, & ob id dilectum, vbique à cognoscente honoratur, & quo charius, eo honorabilius. Vnde Plutarch. Amor loquax est & in laudando profusus. Nam qui amant, persuasum habent pulchros à se & bonos amari. Vnde illis laudationes scribunt, & cantilenis versibusque exornant tanquam auro statuas, vt audiantur, & honorentur à pluribus. Vt igitur omnes homines etiam sceleratissimos tenemur

43. *Rom.13.2.* *D. Tho. 2.2. q.25.a.6.* *Psal.138.17.* *Deut. 7. 8.* *Sap. 19. 20.* *Plutar. lib.1. Sympos. cap. Quod amor docet Musicam.*

ex

ex charitate diligere ; ita & honorare , atque in pretio saltem propter humanitatem habere. Quare D. Thom. æstimationem rei cum eius diligibilitate coniungit, & primum præceptum Decalogi, quod est, vnum colere Deum, coincidit cum illo maximo & primo diligendi Deum super omnia.

D. Tho. 2. 2. q. 25. a 7.

44. Ratio rursum est, quod Deus omnes homines, etiam peccatores magni facit : dicente ipso; *Matth. 10. 29.* *Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos.* Et quidem adeò meliores , vt ideo pretio ingenti nos *1. Cor. 6. 20.* coëmerit, vtique *non corruptibilibus auro vel argento , sed pretioso sanguine agni immaculati.* *1. Petri 1. 19.* Et hoc quidem tunc cùm peccatores essemus. Vnde Paulus ; *Rom. 5. 8.* *Commendat igitur Deus charitatẽ suam in nobis , quia cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* & alibi : *Empti enim estis* *1. Cor. 6. 20.* *pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Quos igitur Deus tanti fecit, & tanto pretio coëmit, tanque in pretio habet, despiciemus nos, & non potiùs honorificabimus? Omnes ergo homines honoremus.

45. Adde quod sicut participatione speciei plures homines (vt *Porphy. c. de specie.* Porphyrius ait) sunt vnus homo : sic communitate politica omnes homines sunt vnus populus , imò vnum corpus. *Sumus enim* (vt Paulus dixit) *inuicem membra*, & vnitate Christiana vnicum , licet mysticum Christi corpus : dicente Paulo; *Rom. 12. n. 5.* *Omnes vnum corpus sumus in Christo , singuli autem alter alterius membra.* Quod igitur tanti corporis tam putidũ esse membrum poterit , quod quamdiu præcisum non est , in honore non sit ? Exemplo sunt membra arida naturalis corporis , quæ dum in corpore , cui honos debetur, sunt, non licet irreuerenter vel inciuiliter tangere : adeò vt siquis suadente diabolo impegisset in illa , latæ excommunicationis subiret sententiam, si tamen essent membra alicuius presbyteri , vel etiam personæ Ecclesiasticæ. Exemplo etiam sunt scelerati ingenui , quorum animaduersio publica honorifica est , capite enim plectuntur iugulo , non suspendio : qui tamen honos exhibetur illis non quidem ob probitatem suam , nam potiùs improbi sunt , sed tantùm ob ingenuitatem , & generis claritudinem. Quod si hoc debetur particulari genti , quid generi humano?

46. Dicendum igitur est , improbos , inscios ac degeneres homines dignos honore non esse ; secundum propria & illis germana consideratos , sed potiùs dedecore & contumelia; secundum autem rationes communes suprà relatas honore afficiendos esse : vti apud Deum *odio sunt impius & impietas eius,* *Sap. 10. 17.* secundum propria ipsorum : diligit tamen omnia quæ sunt , & nihil odit eorum quæ fecit , secundum communia & generalia ipsis cum aliis. Vti Iehu ob *4. Reg. 9. 33.* impietatem impiissimæ Iezabelis iussit illam præcipitari : quia tamen ex stirpe regia erat, præ-

cepit illam sepeliri. Mulctauit propter propria, honorificauit propter communia.

47. Iure autem inter instrumenta perfectionis monasticæ hoc instrumentum affigitur, quoniam licet omnes tangat, honorare omnes: saltem quia (vt Aristot. vidit) honori incumbunt omnes tam boni quàm mali, tam ignaui quàm strenui; & (vt notauit Chrysost.) prouerbium est, qui honorat, seipsum honorat. Quare vt quisque honoretur ab omnibus, optima via est honorare omnes. Vnde Petrus; *Omnes autem inuicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Cuius sanè humilitatis insinuatio per veneration is atque reuerentiæ obsequia (quæ sunt honoris notæ) deferenda est. Igitur licet munus, vel onus honorandi omnes, tangat omnes, maximè Monachos: non solùm quoniam illos præcipuè tangunt humiliationis exempla, sed etiam quia cùm ab omnibus honorentur vt gens sancta, regale sacerdotium, populus acquisitionis, de tenebris vocatus à Deo in admirabile lumen suum, tenentur singulariter ipsi obseruare omnes, atque reuerenter cum illis agere, ne audiant quod Princeps ille à Senatore suo, referente Hieronymo ex Domitio oratore; Cur ego te habeam Principem, cùm tu non me habeas Senatorem?

Aristot. 2. Politic. cap. 5.

Chrys. hom. 25. sup. ad Hebræos.

1. Petri 5. 5.

Hier. ep. 10. cap. 2.

48. 9. *Instrumentum.* Nonum instrumentum, *Quod sibi quisque fieri non vult, alij ne fecerit.* Hoc est illud Tobiæ 4. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* & est altera pars illius verbi Christi: *Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* In quibus sanè tam præcepta quàm consilia ad proximi bonum pertinentia, siue ex iustitia, siue ex charitate, comprehenduntur, veluti (quod Chrysost. dixit) innumerabiles rami in vna radice. Vnde Christus vbi suprà subiicit; *Hæc est enim lex & prophetæ*, id est (per metonymiam) doctrina legis & prophetarum. Nam hæc sunt quæ tam multis variisque præceptis agunt in proximi dilectionem tam lex quàm prophetæ, dum mœchiam, furtum, homicidium, & similia prohibent, bono proximorum aduersantia: eleemosynam verò, honorem, restitutionem, cultum, & similia, quæ proximos bene afficiunt, præcipiunt.

Tobiæ 4. 16.

Matt. 7. 12. Luc. 6. 31

Chrysost. hom. 18. Imperfecti.

Matth. 7.

49. Inde Gregorius magnus. Proximi dilectio ad duo præcepta deriuatur, cùm dicitur, quod ab alio tibi oderis fieri, vide ne tu alteri facias: & veritas ipsa, quæ vultis vt faciant vobis homines, facite illis. Quibus vtriusque Testamenti mandatis, per vnum malitia compescitur, per aliud benignitas prærogatur: vt malum quod pati non vult, quisque faciens cesset à nocendi opere; & rursum bonum quod sibi fieri appetit, impendens erga vtilitatem se proximi exerceat ex benignitate. Augustinus etiam. Hæc sententia, quod tibi fieri non vis, alteri

Aug. lib. 3 de doctrina Christiana. cap. 14.

ri ne facias, cùm refertur ad dilectionem Dei, omnia flagitia moriuntur, cùm refertur ad proximi, omnia facinora. Nemo enim vult corrumpi habitaculum suum: non ergo corrumpat habitaculum Dei, scilicet seipsum. Et sibi nemo vult à quoquam noceri, nec ipse igitur cuiquam nocuerit. Item Chrysostomus. Non opus est multis sermonibus, neque multis legibus: voluntas tua sit lex. Vis beneficia capere? Confer beneficia alteri. Vis misericordiam consequi? Miserere próximi. Vis laudari? Lauda alium. Vis amari? Ama. Vis partibus primis potiri? Cede illis; priùs alteri. Tu sis iudex, tu sis legislator vitæ tuæ. Et rursum. Quod odisti, alij ne feceris. Odisti contumeliam pati? Ne alium contumelia afficias. Odisti inuidiam pati? Neque tu alteri inuideas. Odio habes falli? Neque tu fallas alium. Et in omnibus generaliter si hæc duo verba retineamus, alterius disciplina non indigemus. Inde Theophylactus. Breuem ad virtutem viam ostendit Dominus: ex nobis enim scimus quid facto opus. Nam si vis beneficia accipere, benefac.

Chrysostom. hom. 13. ad populum circa medium.

Theoph. sup. Matth. 7. 12.

50. At quoniam Reges, Principes, Magistratus, Prælati, & domini non tenentur eadem velle subditis, seruis, pueris aut famulis quæ sibimetipsis: neque parentes, magistri, medici, duces, & alij eadem quæ filiis suis, discipulis, ægris, militibus, & similibus; quoniam multa quæ decent illos, dedecent istos, non videtur vniuersalis, nec verosimilis regula ista. At sano sensu intellecta catholica est, intelligenda quippe venit secundum proportionem, non verò secundum identitatem. Non enim præcipitur dominis seruitia sibi à seruis suis impendi, vt etiam ipsi talia seruis impendant ministeria, sed proportionaliter, hoc est, quod sicut domini volunt subditos & seruos suos impendere sibi obsequia, quę seruorum sunt, sic ipsi domini velint impendere seruis officia, quæ dominos tangunt, & sic de aliis. Sicut oculi non expectant ducatum à pedibus quos ipsi ducunt, quia pedes non ducunt, expectant tamen motum localem, quia localiter progredi, pedum, non oculorum est. Et hoc maximè conuenit monasticæ professioni, in qua sunt omnes alter alterius membra.

51. 10. *Instrumentum.* Decimum instrumentum, *Abnegare semetipsum, vt sequatur Christum.* Hoc est illud Christi monitum; *Qui vult post me venire, abneget semetipsum.* Etenim quia scriptum est: *Quid est homo, vt sequi possit Regem factorem suum?* explicuit Christus modum mediáque ad huiusmodi finem, vtique abnegationem prædictam. Quæ (iuxta Basilium) nihil aliud est quàm summus contemptus temporalium, propriæque vitæ obliuio, & à propria voluntate recessio. Quod fusiùs prosequutus Bern. ita inquit. Quid est semetipsum abnegare, nisi voluptatibus propriis renunciare, vt qui superbus eras, sis humilis, qui iracundus, man-

Matth. 16. 24.

Ecclesiast. 2. 12.

Basil. in reg. fusis q. 6.

Bernardus Serm. 7. de modo viuendi.

ſuctus, qui luxurioſus, caſtus? Qui renunciat ſuis rebus, ſua abnegat; qui ſuis prauis moribus, ſeipſum abnegat. His adſtipulatur Hieronymus dum inquit. Qui deponit veterem hominem cum actibus ſuis, abnegat ſemetipſum, dicens: Viuo ego, iam non ego, viuit in me Chriſtus. Etenim cùm ly *abnegare* quid amplius importet, quàm ſimpliciter *negare*, iuré ille ſe abnegat, qui omnino ſe negat, id eſt, negat noſſe ſeipſum, habens ſe, tanquam qui ſe prorſus non nouit: veluti cùm Chriſtus dixit ad Petrum; *Non cantabit hodie gallus, donec ter abneges noſſe me.* Vnde Petrus pluries negauit Chriſtum, & cum iuramento affirmauit quod talem non nouit hominem. Eatenus autem aliquis ſic negat ſeipſum, quatenus omnino non amat, nec diligit ſe, vel ſua, ſed omnia quæ caro & ſanguis illi precantur, reſpuit, abnuit, & denique abnegat, vt ea tantùm quæ Chriſti ſunt exequatur.

Hieronymus ſup. Matth. 16.24.

Luc. 22.34.

§ 2.

Nec mirum tam dira & aſpera ad Chriſti ſequelam prærequiri, nam ſi ſcriptum eſt: *Præbete corda veſtra, & animas veſtras, vt quaratis Dominum*, quid vt ſequamur, & comites illius ſimus? Quare ſcriptum eſt: *Qui amat patrem aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus. Qui inuenit animam ſuam, perdet eam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Item alio loco. *Qui non odit patrem ſuum & matrem ſuam, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Vnde Hilarius. Neganda ſunt hæc omnia, vt melioribus abundemus: & contemptu vniuerſorum Chriſtus ſequendus eſt, & æternitas temporalium, terrenorum eſt damno comparanda. Et paulo antè. O beatum damnum & iactura fœlix! Diteſcere nos Dominus detrimento animæ & corporis voluit, & eſſe ſui ſimiles hortatur, quia ipſe in figura Dei conſtitutus, vſque ad mortem humilis & obediens factus, principatum poteſtatis totius quæ in Deo eſt, accepit. Sequendus igitur eſt cruce aſſumpta, ſi non ſorte, tamen voluntate.

1. Paralip. 22.19.

Matt. 10. 37.

Luc. 14. 26.

Hilarius. can. 16. in Matth.

§ 3.

Nec propterea deſunt aliqua ſequentibus Chriſtum: vtpote qui ipſe via, veritas, & vita eſt: via vt non erremus, veritas vt non decipiamur, vita vt viuamus perpete. Vnde ipſe: *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*, vtique æternæ, vt Auguſtinus, Beda, & alij interpretantur. Hæc enim lumen vitæ dicitur, quoniam eſt lumen ſine occaſu, prorſus indeficiens. Et quidem ſi nihil deeſt timentibus Dominum, quid ſequentibus? Item ſi omnis qui reliquerit domum, vel patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen Chriſti, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit, vt ipſe Chriſtus dixit: quid, qui non tantùm reliquerit, verùm & dereliquerit, negauerit, & abnegauerit ſe, & non vtcumque propter Chriſtum, ſed ob ſequelam illius? Maximè quod (vt Cyprianus vidit) Chriſtum

Ioan. 14. 6.

Ioan. 8. 12.

Aug. & Beda ibi.

Matth. 19. 29.

Cypr. lib. de Zelo & liuore.

ſtum ſequitur, qui eius præceptis inſiſtit, & per magiſterij eius viam graditur, & qui ſectatur veſtigia eius, & qui quod Chriſtus fecit & docuit, imitatur.

54. 11. *Inſtrumentum.* Vndecimum inſtrumentum, *Corpus caſtigare.* Hoc inſtrumentum germanum & affine præcedenti eſt: ſiquidem ſcriptum habemus; *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Licet enim crucifigere carnem, & quidem propriam, cuicumque acerbum & amarum ſit: at illi qui ſeipſum negauit, leue eſt. Vnde Chryſoſtomus. Si intelligis quid ſit abnegare alium, intelliges quid ſit abnegare ſe. Quid eſt igitur abnegare alium? Qui alium iam abnegauit, fratrem puta, aut ſeruum, aut quemuis alium, ſi cædi eum virgis videat, ſi arceri vinculis, & quidquid aliud mali eum pati conſpexerit, non accurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorſus vllo modo mouetur: ceu ille qui penitus ab illo alienatus eſt. Sic igitur nullo nos pacto corpori noſtro parcere vult Chriſtus: vt neque ſi cæditur, neque ſi pellitur, neque ſi vritur, nec ſiquid aliud huiuſmodi patitur, ei parcamus. Quid dixi, parcamus? cùm id profectò ſit verè parcere. Nam etiam tuñc patres maximè filiis parcũt, cùm magiſtris atque doctoribus tradentes, maximè rogant, ne parcant. Sic igitur Chriſtus non dicit, non parcas, ſed denega teipſum, pericula ſubi, certaminibus te offer, & quaſi alius hæc patiatur, ſic afficiare. His conſonat illud Tragici,

Galat. 5.24.

Chryſ. homil. 56. in Matthæum.

Que corripi igne, que gladio meti imperas,
Aliena credis.

Seneca in Theb.

Abnegãti igitur ſe ad ſequẽdum Chriſtum, corporis ſui caſtigatio affinis, ac familiaris eſt; imò probatio abnegationis ad ſequendum Chriſtum, eſt caſtigatio corporis.

55. Etenim mortificatio carnis ſiue maceratio ad Chriſti ſequelam adeò neceſſaria eſt, vt dixerit Paulus; *Vt Deo viuam, Chriſto confixus ſum cruci.* & iterum: *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum, vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.* Id eſt, ad exemplum vitæ Ieſu mortificationem circumferamus, & ſequamur veſtigia vitæ illius tẽporalis, vt poſtea aſſequamur æternam. Si enim compatimur, & cõglorificabimur. Vnde Gregorius. Niſi quis à ſemetipſo deficiat, ad eum qui ſuper ipſum eſt, non appropinquat, nec valet apprehendere quod vltra ipſum eſt, ſi neſcierit mactare quod eſt. Sic olerum plantæ tranſponuntur vt proficiant, atque (vt ita dixerim) eradicantur vt creſcant. Sic rerum ſemina in terræ admixtione deficiunt, vt in reparatione ſui generis vlteriùs aſſurgant. Vnde enim videntur perdidiſſe quod erant, inde accipiunt hoc apparere quod non erant. Quare cùm Monachi à ſeculo in religionem tranſeant, vt ſuis animabus fœliciter conſulant, appoſitiſſimum perfectionis ſuæ inſtrumentum eſt

Galat. 2. 19. 2. Cor. 4. 11.

Greg. homil. 32. in Euangelia.

corpora sua castigare.

§6. *Nazianz. Orat. 12.* Inde Monachorum exercitia apud Nazianzenum, vigiliæ, ieiunia, preces, lacrymæ, callosa genua, pectoris conuerberationes, suspirium ex imo manãs, pernox statio, mentis peregrinatio ad Deũ, tenuis inter orandum fletus, audientium animos ad compunctionem incitans, psallentes, Dei gloriam celebrantes, legem Domini diu noctúque meditantes, exultationes Dei in gutturibus ferentes.

§7. 12. *Instrumentum.* Duodecimum instrumentum, *Delicias non amplecti.* Non hic prorsus deliciarum gustus, aut etiam oblectamenta tolluntur, sed animi in illis adhæsio. Sanè cùm carnem suam nemo odio habeat (iuxta quæ Paulus inquit) *Ephes. 5. 29.* sed foueat & nutriat, eius aliquando delicias delibare, & voluptates aliquot degustare, absonum rationi non est; eas tamen insequi, & in mollitie illarum liquefieri, & animo effeminari, turpe admodum & inhonestum est, illóq; Pauli præcepto interdictum; *Carnis curam in desideriis ne feceritis.* *Rom. 13. 14.* Hoc enim explicans Chrysost. ait. Quemadmodum non bibere, sed inebriari; non nubere, sed lasciuire: ita neque curam carnis agere simpliciter prohibuit Apostolus, sed concupiscentias ad lasciuiam; non ad sanitatem. Neque enim ea vera fuerit carnis cura, siquando flammam accenderis, caminum grauem & intolerabilẽ feceris. *Chrysost. sup. ad Rom. 13.*

§8. *Plutarch. in conuiuio septem Sapientum. Seneca epist. 92.* Inde Plutarchus. Omnes omnino voluptates fugere, stupidũ est, omnes cõsectari, brutum. Et Seneca de voluptate nimia. Voluptas bonum pecoris est; vnde non inter homines numerãdus, cuius summum bonũ saporius, ac coloribus & sonis constat. Et rursum. Habẽtes magnas voluptates, in magnũ malum euasere; captæque cepere. Quæ quo plures maiorésque sunt, eo plurium seruus est, quem fœlicem vulgus appellat. Inde Augustinus. Quod Scriptura dixit de diuitiis, diuitiæ si affluant, nolite cor apponere, hoc tibi de deliciis dico, deliciæ si affluant, ne apponas cor. Moderatæ enim deliciæ prodesse sæpissime possunt: immoderatę verò non possunt non obesse, dicente Gregorio magno. Qui terrenarũ rerum amore vincitur, in Deo nullatenus delectatur. Esse quidem sine delectatione anima numquam potest: nam aut infimis delectatur, aut summis: & quanto altiori studio exercetur ad summa, tanto maiori fastidio torpescit ad infima: quantóque acriori cura inardescit ad infima, tanto tepore damnabili frigescit à summis. Vtraque enim simul & æqualiter amari non possunt. *Idem de vita beata. cap. 14.* *Aug. ep. 121.* *Greg. lib. 15. moral. c. 8.*

§9. Huius gratia Apocalypsis verbum est; *Quantum se glorificauit in deliciis, tantum date illi tormentorum.* *Apoc. 18. 7.* Vbi apprimè notandũ est ly *glorificauit*, quod excessum & abusum importat, quo anima strangulatur. Vnde Paulus; *Vidua in deliciis viuens, viuẽs mortua est.* *1. ad Tim. 5. 6.* Quod si hæc de vidua, quid de Monacho, cuius est aspernari delicias mundi, & illas tantùm quæ Christi sunt amplexari? Deliciæ autem nostræ (vt August. inquit) Christus est, quia eius caro de luto facta est, sed verbo suo lucet, vt nox sit illuminatio *Aug. sup. ps. 138.*

no

...ianus sup. ps. 38. in titulo.

noſtra in deliciis noſtris. Et alibi inquit. Sunt quædam deliciæ ſanctæ & bonæ, non quidem in auro & argento, in epulis atque luxuria, in venationibus & piſcationibus, in ludo ac ioco, in theatricis nugis, in affectandis & apprehendendis ruinoſis honoribus; ſed in verbo Domini, & lege altiſſimi. Quam certè Monachi meditãtur pſallentes. Alię autem deliciæ (intẽperanter ſaltem, nimiúmque appetitæ) mors Monachorum potiùs quàm vita ſunt, Gregorio innuente, qui ait, ambos filios Heli mortuos vna die fuiſſe, (iuxta quæ habentur 1. Regum 2.) apertè ſignificaſſe viros diuino cultui mancipatos, appetitu mundanæ fœlicitatis occiſos. Ait enim. Gloria ſecularis, honoris reuerentia, poteſtas culminis, claritas dignitatis, frequentia obſequentium, affluentia rerum ſeculariter amata, dies eſt, ſed quæ interficit. Quod probat id Apoſtoli; Quæ in deliciis eſt, viuens mortua eſt.

Greg. ſup. id Regum.

60. 13. *Inſtrumentum.*

Decimumtertium inſtrumentum, *Ieiunium amare.* Hoc inſtrumentum præcedentis amplificatio, vel potiùs antitheſis, ſiue cõtrapoſitio eſt. Significat enim delicias non tantùm amplectendas non eſſe, quinimò illarũ abſtinentiam atque priuationem amandam: hoc enim importat ieiunium generali nomine comprehenſum, dicente Auguſtino.

Aug. lib. 2. qq. Euang. q. 14.

Scriptura docet, generale ieiunium non tantùm à concupiſcẽtia ciborum, ſed ab omni lætitia temporalium delectationũ eſſe. Quamuis ieiunium propriè dictum tantùm importet parſimoniam victus, & abſtinentiam ciborum: quæ proculdubio antidotum & correctio deliciarum atque voluptatum eſt adeò vt ieiunio iſto non ſolùm illarum luxus, verùm & præpoſteri effectus curentur ac præpediantur, Cypriano dicente. Ieiuniis vitiorum ſentina ſiccatur, petulantia marcet, concupiſcentię languẽt, fugitiuæ abeunt voluptates. Et Gregorio Nazianzeno. Ieiuniũ aduerſus tentationes Chriſtus obiecit, & nobis inedia vice purgationis eſt. Et tandem Auguſtino. Flagitia congruè medicinali purgantur parſimonia: quia ſicut caro læta tranſit ad culpam, ſic afflicta reducit ad veniam. Adeò eſſentiale eſt deliciarum tędium, & ieiunij bonum.

Cypr. Ser. de ieiunio & tentatione.

Nazianz. Oratione 40.

Aug. t. 9. Ser. 183. de tempore.

61.

Dicitur enim, ieiuniũ amare, non autem dicitur, ieiunare, & quidem ex compoſito: quoniam affectus ad ieiunium valde ſemper, & vbique commendabilis eſt, adhuc inter ipſas epulas & delicias: cõſulit quippe multum ſobrietati illarum, atque temperantiæ ciborum. Ieiunium verò non vbique & ſemper expediẽs eſt: aliquando enim laudabiliùs comeditur quàm eſuritur. Quid Gregorius? Certè verbum Gregorio magno dignum. Maioris eſt meriti charitatis iniuncta refectio, ieiunio propria deliberatione ſuſcepto. Qui enim iuſſus carnem reficit, inuitus ieiunij præmium deuotione promeruit, & ampliorem mercedem obedientiæ manducãdo cõquiſiuit.

Greg. ſup. 1. Reg. lib. 2. c. 3.

62.

Latè autem & minus propriè ſumptum vocabulum ieiunij, ſignificat abſtinentiã ab omnibus peccatis & vitiis, Auguſt. dicẽte. Ieiunium magnũ & generale eſt, abſtinere

Aug. tract. 17. in Ioan.

abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus seculi. Inde apud Esaiam Dominus, *Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? dissolue colligationes impietatis.solue fasciculos deprimentes.* Augustinus iterum. Dum à licitis abstinemus,magis ac magis monemur illicita vitare. Qui enim abstinemus nos à carnibus,quibus aliis diebus vti licet, & à vino quo moderatè vti licet:qui ergo ista vitamus quæ aliquando licèt,in primis peccata fugiamus, quæ omnino nunquam licent. Itaque si volumus bene ieiunare à cibis, ante omnia ieiunemus à vitiis.

Idem Serm. 64. de temper.

63. Suffragatur Bernardus lato sermone dicens. Si gula sola peccauit, sola quoque ieiunet, & sufficit: si verò peccauerunt & membra cætera,cur non ieiunẽt & ipsa? Ieiunet ergo oculus qui deprædatus est animam, ieiunet auris,ieiunet lingua,ieiunet manus, ieiunet etiam anima ipsa. Ieiunet oculus à curiosis aspectibus:ieiunet auris à fabulis & rumoribus:ieiunet lingua à detractione & murmuratione:ieiunet manus ab otiosis operibus; sed multo magis anima ipsa ieiunet à vitiis. Cùm igitur Monachorum vita inmaculata debeat esse, apposititissimum perfectionis illius instrumentum est,ieiunium amare.

Bern. Ser. 3. de Quadragesima.

64. 14. *Instrumentum.* Decimumquartum instrumẽtum,*Pauperem recreare.* Iam incipiunt opera misericordiæ,quę (vt Augustinus notauit) sunt semen futuræ messis,dicẽte Apost. *Bonum autem facientes non deficiamus:tempore enim proprio metemus.*& iterum: *Qui parcè seminat,parcè & metet,& qui seminat in benedictionibus,de benedictionibus & metet.* Id autem obseruauit Augustinus explicans versum illum;*Potens in terra erit semen eius,* & ideo subiecit. Quid autem potentius quàm vt regnũ cœlorum non solùm Zachæus emat dimidio bonorum suorum, sed & vidua duobus minutis? Quid potentius quàm vt idem regnum cœlorum & thesauris diuiti, & calice aquæ frigidæ pauperi vendatur? Inde de misericordia Chrysostomus. Misericordia salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum,quæ iustos probat,sanctos roborat,Dei cultores ostẽtat. Et Ambros. Summa omnis Christianæ disciplinæ in misericordia & pietate est.

August. sup. psal.111.n.2.

Galat.6.

2.Cor.9.

Luc.19.

Marc.12.

Chrys. hom. de misericor. & duabus viduis.

Ambros.sup. 1.ad Timot. 4.& Luca 3.

65. In hoc instrumento primum opus misericordiæ attexitur, *Pauperem recreare*,hoc est,cibare & nutrire, quod iure dicitur recreare, siue ly *recreare* sumatur hic pro eo quod est exhilarare, siue pro eo quod est iterũ creare. Cùm etiam panis cor hominis cõfirmet, & vinum eiusdem lætificet cor; consequens est,vt qui sic cibat pauperem,illum recreet,hoc est, lætificet, & hilarem reddat: cibus enim valde lætificat. Quare Deut. 12. *Coram Domino comedes,lætaberis & reficieris.* & psal.67. *Iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei,& delectentur in lætitia.* & Ecclesiastæ 9. *Comede in lætitia panem tuum.* & Esaiæ 9. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.* Cùm enim messis sit cibi futuri,vehementer lætificat. Et Act. 14. dicitur de Deo, *implens cibo & lætitia*

Deut.12.18.

Psal.67.4.

Eccles.9.7.

Esaiæ 9.3.

Act.14.17.

titia corda illorum. Nec mirum rationabilia cibo suo lætari, cùm
Psal. 64. dicatur de inanimatis; *Valles abūdabunt frumento, clamabunt, & hymnum dicent.*

66. Item quia cibus ad vitam omnino necessarius est, haud aliter quàm combustibilia ad ignem: ideò sacri Canones ex Sanctis Patribus asserunt, 86. cap. Pasce. quod qui fame pereuntem non pascit, ipse illum occidit. Quare ex aduerso qui pascit, à morte liberat, viuificat, & in vitam reuocat. Cuius gratia esurientem
Eccli. 10.17. pascere, appellatur reficere. *Beata terra cuius principes vescuntur in tempore suo ad resiciendum, & non ad luxuriam.* Et cibatio ipsa
Marc. 14.14. dicitur refectio. *Vbi est refectio mea, vt Pascha cum discipulis meis manducem?* Reficere autem & refectio, idem in vigore sunt quod recreare & recreatio. Famelicū igitur alere, recreare est. Munus certè monasticum, fame pereūtes inediáque confectos reficere.

67. Decimumquintū instrumentū, 15. Instrumentum. *Nudum vestire.* Hoc secundū misericordię opus pręfigitur pręcedenti germanum. Vt enim Ru-
Rup. 3 de trinitate. c. 27 pertus noster argutè & doctè (vt assolet) obseruauit, duo sunt humanæ miseriæ solatia homini proposita, victus scilicet & ve-
Gen. 3.19. stitus. De primo Gen. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* De secundo: *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Illud sanè ad resarcienda damna innati intranéique caloris, ad intra semper grassantis: istud ad extrinsecas temporum iniurias arcendas, caloris scilicet & frigiditatis. Quare prouidus per omnia Deus, dum nudos in paradiso
Gen. 3.21. nostros vestiuit parentes, tunicis eos induit pelliceis: vt corium sicut refrigerium pro æstate, lanam verò vt fomentum pro hyeme haberent, & sic tutò ab vtraque se intemperie munirēt. Inde de Tobia, *esurientes alebat,*
Tob. 1.20. *nudísque vestimenta prabebat.* Et apud Esaiam homini indicitur:
Esaiæ 58. 7. *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagósque induc in domum tuam, cùm videris nudum, operi eum.* Vbi vtraque hæc propugnacula commendantur, tanquam apprimè necessaria, & sufficientia, Paulo attestante,
1. ad Tim. 6. qui ait; *Victum & vestitum habentes, his contenti simus*, vtpote muro & antemurali aduersus omnes incursus protecti. Inde Basilius agens de Adamo diui-
Basilius hom. quod Deus non est author malorū. nitus vestito, amictum nuditatis defensionem, solatiúmque existimauit. Et ideo tanti fit Martinus, qui vel dimidia chlamyde nudi pauperis rigentia præ frigore membra texit.

68. Vestes etiam pro corporis honestate sunt. Nuditas enim corporis tam habentibus quàm videntibus dedecori existimatur; adeò vt audiens Adamus atque
Gen. 3. 8. etiam Heua vocem Domini deambulantis, & vocantis eos in paradiso, absconderint se: non quidem quia cognouerunt se peccatores, sed quia nudos, Ada-
Gen. 3.10. mo dicente ad Dominum; *Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, & abscondi me.* Ob quid rogo? ob lethale quod admiserant crimen? ob violatum illud præceptum Domini? ob metum interminatæ mortis, si de ligno

comederent? ob nitorem gratiæ, & indumentum iustitiæ peccato deperdita? Nihil tale induxit, & fortè nec somniauit. Sed quid? *Eo quod nudus essem.* Et certè non prorsus nudus; nam consuentes folia ficus vterque parens, fecerunt sibi perizonata, vt sic foliis pendulis saltem verenda occultarent: ante quod propugnaculum priùs vel ab inuicem erubuerant. Quare Deus pudori illorum consulens potiùs quàm calori aut frigiditati, mox pelliceis tunicis circumdedit eos.

Gen. 3. 7.

69. Et certè nemo est cui erubescentiæ simul atque contumeliæ non sit nuditas propria, imò & aliena: hæc enim semel visa non tantùm ruborem ingerit, sed & vrget conscientiam; & quidem non solùm illorum qui domorum suarum parietes modò lana, modò serico, & aliquando auro contra nuditatis probrum vestiunt: verùm & illorum qui luxuriantur in vestibus more meretricio, vel comessationum fastu, atque similibus: & hæc dum Christi pauperes vel prorsus nudi (videntibus ipsis) vel malè tecti incedunt; quod maximè in illorum vergit contumeliam, Scriptura dicente; *Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* Tuam inquit: nam qui sic proximum despicit, sibi-ipsi contumeliam facit. Quare licet Monachi habere non possint proprium quid quo pauperum nuditati succurrant, eorum tamen indumenta vetera reponi in vestiario debent ex præscripto Regulæ propter pauperes.

Esaiæ 58. 7.

cap. 55. Regulæ.

70. 16. *Instrumentum.*

Decimumsextum instrumentum, *Infirmos visitare.* Opus hoc misericordię eximium, per quod sanè impletur illud Pauli monitum; *Suscipite infirmos*, id est, subleuate. Qui enim ex charitate infirmos visitat, de illorum mœrore tristatur; qui verò sic tristatur, tristes ipsos & mœrore confectos subleuat, dolorémque eorum eleuat: siquidem (vt ait D. Thomas, & nos alibi) quouis tristitiæ genus amicorum compassione extenuatur. Vnde Paulus; *Quis est qui me lætificat, nisi qui tristatur ex me?* Nec mirum: nam dolere de alieno malo, condolere est; & de alterius dolore tristari, compati, & compassio dicuntur; quatenus quod æger corpore, condolens & cõmiserans corde sentit. Quo sensu dixit Paulus; *Quis infirmatur, & ego nõ infirmor?* Itẽ, *Factus sum infirmis infirmus*, prout Augustinus notauit, & ratio ipsa misericordię suggerit. Misericordia enim ægritudo animi definitur ob alienam miseriam, apud Senecam. Idcirco dum sic dolemus vicem infirmorum fratrum, non tãtùm infirmos suscipimus, quod est verbum Pauli, aut (quod etiã est eiusdem) supportamus inuicem in charitate; verùm & illud eiusdem implemus, *alter alterius onera portate.*

D. Tho. 1.2. q. 38. art. 3. Lau. Sal. certam. 9. Scho. c. 1. à num. 9.

2. Cor. 2. 20.

2. Cor. 11. 29

1. Cor. 9.

Aug. lib. de mendacio cõtra Crescen cap. 12.

Seneca 2. de Clem. c. 5.

Ephes. 4. 3. Coloss. 3. 14. ad Galat. 6.

71. Etenim qui malè habentes verè dolet, totus est in illorum procuranda salute, doloréque leniendo. Quare vel de ipso Domino dicitur; *Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Hoc est, (vt ad literam notauit Genebrardus) strauisti & composuisti ô Domine stratum eius in ipsius infirmitate & morbo,

Psal. 40. 4.

Genebr. ibid.

bo, vt quietè dormiat, & molliter cubet, tuis manibus lectum eius vertis, in morbo ei quasi ministrans, & officia vel ancillæ diligentissimæ exhibes. Hæc Genebrardus. Est autem apprimè notandum ly, *vniuersum stratum eius*. Significat enim non tantùm omnem cubandi suggestum, & lectuli ambitum, sed etiam omne cubandi genus, quod crebrò qui decumbit euoluit, modò enim supinus, modò pronus iacet, modo à dextro latere, modò à sinistro: Vniuersum igitur hunc stratum versat Deus, quādò omnes infirmi cubationes circuit, & congruenter disponit, vt in qualibet aliqualem quietis & refrigerij licet momentanei rationem inueniat, vt sic mitiùs se habeat. Ecce quid præstat miserendi affectus.

72. Quia verò segniùs irritāt animos demissa per aures, quàm quæ oculis sunt subiecta fidelibus, non tam infirmorum cura, aut notitiā, quàm visitatio iniungitur: mala enim dum videntur, corda fortiùs lacerant, & ad remedium incitant. Vnde *Psal.* 118. 132. Dauid; *Aspice in me, & miserere mei*, priùs illud, deindē istud. *Thren.* 1. 12. Et Ieremias; *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.* Nam mala à transeuntibus, & per modum transeuntis visa, adhuc pungunt corda, & animos laniant. Et demum Eccle- *Eccli.* 35. 21. siasticus: *Oratio humiliantis se, nubes penetrat, & non discedet donec aspiciat altissimus.* Et est valde notandum quod non dixit, donec annuat altissimus, sed, donec aspiciat; quia necessitatis & misericordiæ aspectus, subuentionis est connaturale principium. Ideo igitur infirmorum visitatio iniungitur, vt sic ad illorum commodum excitemur.

73. Præterquàm quod amicorum conuictus valde decumbentes alleuant, Seneca dicente. Quæ *Seneca epist.* 78. mihi tunc (vtique inter ægrotandum) solatia fuerint dicam. Multum mihi contulerunt ad bonam valetudinem amici, quorum adhortationibus, vigiliis, sermonibus alleuabar. Nihil sic ægrum reficit, atque adiuuat, ac amicorum affectus, nihil æquè expectationem mortis ac metum subripit. Non videbam me, cùm illos superstites relinquerem, mori: putabam inquam me victurum, non cum illis, sed per illos: non effundere spiritum mihi videbar, sed tradere. Hæc mihi dederunt voluntatem adiuuandi me, & patiendi omne tormentum: alioqui miserrimum est, cùm animum moriendi proieceris, non habere viuendi. Ad hæc ergo remedia te confer. Quare visitare infirmos licet nihil aliud præstet, quàm illorum mœrorem lenire, eorúmque iacentes animos leuare, opus egregium est, vtpote beneficum & gratum nimis. Vnde Ecclesia- *Eccli.* 7. 39. sticus: *Non te pigeat visitare infirmos, ex his enim in dilectione firmaberis.* Adhuc in ipsa dilectione Dei, dicente ipso; *In-* *Matth.* 25. *firmus fui, & visitastis me.* Quod pro causa remunerationis æternæ dictum est. Professio autem monastica & instituta in eam prorsus vitam propendent.

74. 17. *Instrumentum.*

Decimumseptimum instrumentum, *Mortuos sepelire.* Magnum & præclarum opus hoc, dicẽte Ambrosio. Magnum hoc opus. Si viuentes operire nudos præcipiuntur, quanto magis debemus operire defunctorũ corpora? Si viantes ad longiora deducere solemus, quanto magis in illam æternam patriam profectos, vnde iam non reuertentur? Nihil hoc officio præstantius, ei conferre, qui tibi iam nõ potuit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ. Feræ hanc humanitatẽ defunctis dedisse corporibus produntur, homines negabunt? Similia Augustinus. Non contemnenda sunt corpora defunctorum, & maximè iustorum ac fidelium, quibus tanquam organo & vasis ad omnia bona opera sanctus vsus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi tanto charius est posteris, quanto erga parẽtes maior extitit affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique familiariùs atq; coniunctiùs quàm quælibet vestimenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum vel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent.

Aug. t. 4. lib. de cura pro mortuis. c. 3.

75.

Ideo qui piẽ alios sepulturæ tradiderunt, pietatis suæ commendationem vel ab ipsa Scriptura sacra audiuère. Vti cùm dixit Dauid ad viros Iabes Galaad. *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum.* Et ad Tobiam Angelus. *Quando sepeliebas mortuos, & derelinque-*

1. Reg. 2. 4.

Tob. 12. 12. & 14. 12.

bas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino. Ipse quoque Dominus die tertia resurrecturus (verba sunt Augustini) religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandúmque commendat, quod vnguentum pretiosum super membra eius effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit; & laudabiliter commemorantur in Euangelio qui corpus eius de cruce acceptum diligenter atque honorificè tegendum sepeliendúmque curarunt. Etenim Matth. 27. dicitur de Ioseph. *Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioseph involuit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento nouo, quod exciderat in petra.* Et de Ioannis Baptistæ discipulis pro encomio refertur, quod tulerunt corpus eius & sepelierunt illud.

August. vbi suprà.

Mat. 27. 58.

Marci 14. 12.

76.

Nec mirum officiosa hæc funera diuinitus celebrari: nam ex antiquioribus ipsis, illi qui maxima sanctitatis opinione florebant, de sepulturis suis nõ segniter curarunt. Etenim præter ea quæ de sepultura Saræ Gen. 23. per totum; & de sepultura Abrahami Gen. 25. 8. & de Rachelis Gen. 35. 19. & de Isaac ibid. 29. extãt verba illa Iacob ad filiũ suũ Ioseph. *Si inueni gratiam in cõspectu tuo, pone manũ tuam sub femore meo, & facies mihi misericordiam & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto.* Et iterum: *En morior, in sepulchro meo quod fodi in terra Chanaan, sepelies me.* Item & illa

Gen. 23. 2.

Gen. 25. 8.

Gen. 35. 19.

Ibid. 29.

Gen. 47. 29.

Gen. 50. 5.

Tobiæ

Tob.4.5. Tobiæ ad filium. *Cùm acceperit Dominus animam meam, corpus meum sepeli.*

77. Et licet multa magnorum virorum corpora inhumata iacuerint, de quibus in psalmo. *Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cœli; carnes sanctorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem, & non erat qui sepeliret*: tamen cùm scriptum sit; *Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* & iterum: *Capillus de capite vestro non peribit*, facilis est (vt ille alius dixit) iactura sepulchri. Nam illis id maximè congruit quod Hispanus cecinit;

Psal.78. 2.

Psal 33. 21.

Luca 21.18.

Virgilius.

Lucan. in Septim.

Cœlo tegitur, qui non habet vrnam.

Præsertim quod sicut verum est, quod non tam mortuorum quàm viuorum causa sepulchra inuenta sunt, vt scilicet corpora & visu & odore fœda amouerentur: vt post Senecam monuit Augustinus dicens. Curatio funeris, conditio sepulturæ, & pompa exequiarum magis viuorũ solatia sunt, quàm subsidia mortuorum. Sic plurium Sanctorum partes insepultæ, tumulóque inconditæ remanserunt, vt viuorum bono prospicerent. Sunt enim reliquiæ Sanctorum (vt Concilium Nicænum vidit) salutares fontes qui morbos fugant, infirmis medicantur, cæcis imparriuntur visum, lepras emundant, & mœrores soluunt, per Christum vtique qui in illis habitat. Per hoc tamen non tollitur quin maximè Deo placeant ista pietatis officia: tum (vt Augustinus notauit) propter fidem resurrectionis astruẽdam: tum propter viuentium erga suos amorem demonstrandum: tum vt sepulchra ipsa, vtpote monumenta, moneant viuentium mentes ad illorum facta fortia imitanda, vel declinanda turpia. Quare humanam pietatem, Religionem Christianam, & monasticam perfectionem valde redolet, morientium corpora sepulturæ mandare tumulisque inferre.

Seneca in Excerptis. August. vbi supra cap.2.

Concil. Nic. 2.act. 7.

August. vbi supra cap. 3.

78. Sed cùm discipulo Christi petenti facultatem abeundi ad sepeliendum patrem suum, responsum à Christo sit; *Sine mortuos sepelire mortuos suos*, non videtur perfectorum, sed potiùs peccatorum, imò infidelium exercitium hoc: siquidem authoribus Augustino, Chrysost. & Hieronymo, nomine mortuorum sepelientium hic mortuos suos, peccatores & infideles à Christo Domino subintellecti sunt. Nihilominus (vt notauit Ambrosius) sicut onus & opus ministrandi pauperum mensis à discipulis Domini repudiatum est, & aliis iniunctum, non quidem quia de se malum aut indifferens esset, cùm potiùs suapte natura sit laudabile & bonum: sed quia impeditiuum pro tunc maioris boni, & quod tunc magis vrgebat, vtique prædicandi, velociterque seminandi verbum Dei: ita opus sepeliendi patrem discipulo interdictum est, certè non quasi imperfectum, cùm maximè bonum sit, sed quasi maioris boni, vtique famulatus Christi; pro tunc impeditiuum. Timeri enim poterat, ne discipulus ille sepulturæ

Matth.8.22. Luca 9. 59.

August. lib. quæstion. in Matth. c. 6. & Ser. 7. de verb. Dom. Chrysost.homil.28. in Matth. Hieron. sup. Matth. 8. Ambros.sup. Luc.9. Act.6.2.

prætextu, maioribus postea se paternarum facultatum, paterníue testamenti implicaret negotiis, aliisue secularibus se ingereret curis, maximè apud homines illos conditione perfidos, ad quos funus illud spectabat. Et hoc est quod volunt citati Patres, dum nomine mortuorum sepelientium mortuos suos, subintelligunt infideles.

79. 18. *Instrumentum. Luca 10.* Decimumoctauum instrumẽtum, *In tribulatione subuenire.* Hoc est propriũ próximi munus, imò quidditas & essentia: siquidẽ authore Christo, illi homini qui incidit in latrones, nullus alius ex prætereuntibus extitit proximus, id est, proximi officiũ præstitit, prẽter Samaritanũ viatorẽ: qui præteriens, & videns eum vulneribus confossum, misercordia motus alligauit vulnera eius, & curam illius gessit. Quare licet omnis homo sit omni homini proximus secundum debitum, at secundum affectum solus ille qui benefactor est, & in necessitate succurrit: vt Iob qui dixit; *Oculus fui cæco, & pes claudo. pater eram pauperum.* & Paulus qui aiebat; *Omnia omnibus factus sum, vt omnes lucrifaciam.* & iterum; *Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerũt manus istæ, quoniã sic laborantes oportet suscipere infirmos.*

Iob.29.16. *1.Cor.9.19.* *Act.20.34.*

80. *Eccli.17.12. & 29.2.* *Esaiæ 1.12.* *Tob.4.12.* *Act.3.6.* Et certè hæc mens Domini, quando *vnicuique mandauit de proximo suo*, & quando dixit ei; *Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius.* & apud Esaiam; *subuenite oppresso.* & apud Tobiã; *Quomodo potueris ita esto misericors*, vti cùm dixit Petrus claudo. *Argentum & aurum non est mihi: quod autẽ habeo, tibi do.* & demũ Rom. 12. *necessitatibus Sãctorum communicantes.* Et hoc ideo, quia vt habetur 1. Cor. 12. *Si quid patitur vnum membrũ, compatiuntur & alia.* Vide alibi; *Estote inuicem benigni, misericordes,* &c.

Rom.12.12. *1.Cor.12.26.* *Ephes.4.32.*

81. Huius autem opitulationis & subuẽtionis in tribulatione, tot, tamque præclara priuilegia inueniuntur, vt scriptum legamus; *Exercitatio corporalis ad modicũ vtilis est. pietas autẽ ad omnia valet, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & æternæ.* & iterum: *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiscì, talibus enim hostiis promeretur Deus.* & rursum: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi; esuriui enim, & dedistis mihi mãducare.* Hæc autem priuilegia ideo tanti facio, quia cùm scriptum legamus; *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei,* vice tribulationis nobis est tribulatorum subleuatio. Vnde Bernardus. Per multas tribulationes in regnum Dei intrare necessum est, aut proprias, aut alienas. Alienæ enim tribulationes fiunt per cõpassionem & subuentionẽ propriæ. Vnde Paulus Philippẽsibus opitulatoribus suis, ac necessitatum subleuatoribus; *Habeo vos in corde, & in vinculis meis, & in defensione & confirmatione Euãgelij socios gaudij mei omnes vos esse.*

1.ad Tim.4. *Matth.25.* *Bernard. de diligẽdo Deo.* *Philipp.1.7.*

82. 19. *Instrumentum.* Decimumnonum instrumẽtum est, *Dolentem consolari.* Diuinum planè hoc instrumentũ est, dignumque ac proprium infinito agenti; vtique summo Deo: siquidem Paulus dixit; *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu*

1.Cor.1.13.

Iesu Christi,pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Et Christus ipse tam se quàm personam Spiritus sancti paraclitũ dixit,inquiens; *Ego rogabo patrẽ, & alium paraclitum dabit vobis.* Ioan.14.16. Vbi Augustinus,Chrysostomus, Cyrillus,& plures alij obseruãt, quod Christus seipsum vt Spiritum sanctum paraclitum nominauit,quia tam ipse quàm Spiritus sanctus hominum consolationi studebant: Iy enim *paraclitus* Græcè idem est quod cõsolator Latinè. Nam licet tribus diuinis personis nomen paracliti commune sit, quia tamen per attributionem de Spiritu sancto asseritur consolatio, ideo illi per attributionem nomẽ paracliti inscribitur, iuxta illud Christi; *Paraclitus autem Spiritus sanctus.* Ioan. 14.16. & illud: *Cùm autem venerit paraclitus.* Ioan.15.16. Vnde Bernardus. Bernard.Ser. 1.de S.And. Agnosco paraclitum his qui tribulato sunt corde, vtpote quod paracliti est consolari, & ideo paraclitus Deus.De quo vbi suprà Paulus. *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Cuius gratia dixit Bern.Nec intus, nec subtus, nec circa se occurrit consolatio, sed sursum quærenda & speranda est: alibi enim cuncta vanitas & afflictio spiritus. Et Augustin. sup. psal.36. Augustinus. Consolatio non est in externis, non est in internis, & vniuersos qui Deum non habẽt, pecunia,amicitia, gloria, facultas mundi, serui, & quæcumque bona sunt corporalia, non possunt consolari intrinsecus. Vtique quia consolari diuinum opus est.

Ratio autem est, quia consolatio potest dupliciter contingere. Primò liberando miserum à miseria, vti liberabuntur beãdi,pro quibus scriptum est; *Beati qui lugent,quoniam ipsi consolabũtur.* Matth.5.13. His enim tristitia in lætitiã conuertẽda est,iuxta illud Christi: *Plorabitis & flebitis vos,mũdus autem gaudebit, sed tristitia vestra conuertetur in gaudium.* Ioan.16.20. His enim à malis omnibus liberatis, *iam nõ erit amplius neque luctus,neque clamor,Sed neque vllus dolor,quoniam priora transierunt,* vt habetur in Apocalyp. Secundò,confortando & animi dolorem leniendo his qui actu in miseria atque amaritudine sunt, ne præ tristitia deficiant,sed tribulationem suam bono animo perferant;veluti cùm Ieremiæ 5.dicitur. *Quiescat vox tua à planctu,& oculi tui à lacrymis,quia est merces operi tuo.* Et apud Paulum: *Itaque fratres mei stabiles estote & immobiles.scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Primum illud consolandi genus latum & improprium est: secundum autẽ germanum & proprium, D.Th. dicente, quod primum illud ad misericordiam pertinet, secundum verò ad consolationem. Licet enim consolari misericordiæ opus sit, iuxta illud psal. *Fiat misericordia tua, vt consoletur me*; nihilominus misericordia quæ est consolatio proprie dicta, non est cum repulsa mali, (malorum enim depulsio, misericordia potiùs quàm consolatio est) sed cum animi confortatione ad tolerantiam malorum. Cuius gratia proprie & in rigore dictũ est; *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati.* Psal.125.1. Quia enim conso

Apoc.21.4. Ierem.5.16. 1.Cor.15.18. D.Tho.sup. 1.Cor.5.10. Psal.118.76.

consolatio illa cum captiuitatis repulsa, malorumque depulsione facta est, ideo non propriè consolatio, sed quasi consolatio debuit dici. Cùm igitur non hominum, imò neque Angelorum, sed Dei proprium sit, vel mala nostra pellere, vel in illis iacentes exhilarare, verumque animi laxamẽtum præbere, meritò omnis nostra consolatio Deo tribuitur, consolandique munus diuinum proclamatur, & consolandi officium infinito agenti adscribitur.

84. Per hoc tamen non tollitur quin homines adinuicẽ seipsos consolentur, ipsa etiam Scriptura dictante; quæ ait, discipulos qui erant Antiochiæ accepta *Act.15.31.* quorundam Apostolorum epistola, magna fuisse consolatione *1. Cor.14.3.* affectos. Paulo item asserẽte: *Qui prophetizat, hominibus loquitur & exhortationem, & consolationem.* *Iob.4.4.* Vnde Iobo dictum est; *Vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua tremẽtia confortasti.* Et quid mirum si verbis, aut factis homo consolauerit homines, cùm etiam aliquorum ærumnis alij consolentur? dicente Chry- *Chrys. epist. 121. ad Cyriacum exulem.* sostomo de seipso. Ego cùm ciuitate pellerer, sic mecum loquebar. Si Imperatrix ferra me dissecare vult, dissecet; Esaiam pro exemplo habeo. Si me in mare præcipitem dare vult, Ionam in memoriam redigo. Si in fornacem coniicere, tres habeo pueros eodem supplicio affectos. Si feris obiicere, Danielem habeo obiectum leonibus, eumque mihi ob animum propono. Si lapidibus obruere vult, obruar, Stephanum habeo protomartyrem. Si caput meum accipere, accipiat, Ioannem habeo. Si facultates meas sumere, sumat; nudus egressus sum de vtero matris meæ. Hæc Chrysost. Imò non tantùm ærumnis, verùm & aliorum lacrymis pro nostris ærumnis effusis consolationẽ accipimus, dicente D. Th. quod cùm Eccli. 7. scriptum le- *Eccli.7.5.* gimus; *Cor sapientum vbi tristitia, & cor stultorum vbi lætitia,* sensus est, cordati sapientis esse quærere tristitiæ loca, vt cum lugentibus lugens consoletur illos, iuxta illud eiusdem cap. *Non desis* *Ibid.* *plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula.* Cordis autem fatui esse quærere lætitiæ habitacula, non vt ipse alios lætificet, sed potiùs vt ipse aliorum lætitia perfuatur. Ipso etiam experimento, & quidem quotidiano, satis id comprobatum est. Etenim qui in amaritudine animi sunt, pro laxamento habent mœrorem, quem de amaritudine sua alij concipiunt, & non tantùm mœrorem, verùm & mœroris signa. Cuius gratia dixit Iob: *Consolarer & ego vos sermonibus, & mouerem caput meum super vos.* Vbi quia mouere caput condolentis est, vtique demittendo illud & contorquendo, veluti cùm apud Nahum 3. *Nahum 3.4.* dictum est; *Quis mouebit super te caput?* ideo vel motus capitis, quia mœstitiæ signum, ad consolationem promissum est. Homines igitur etiam consolantur homines.

85. Sed quid iuris hoc? Si consolandi munus diuinum est, & cõsolandi instrumentum proprium agenti infinito, vtique Deo, quo-

modo

modo miser homo interuentu miseriæ suæ satis est ad illud? Sed aliud est consolari directè & per se, vtique efficiendo & influendo consolationẽ, propriè vel impropriè dictam: aliud verò consolari indirectè, vtique præstando & ostendendo consolationis motiua. Illud est proprium Dei, cuius est ærumnas nostras radicitus amputare, & animi alacritatem ad passiones tolerandas infundere, vt infudit Apostolis, de quibus dicitur, quod *ibant gaudentes à conspectu concilij.* Act.5.41. Istud verò est proprium hominum, qui non tam faciendo, quàm patiendo consolationem ingerũt; adeò vt tunc optimè consolentur quando seipsos magis præbent dolentibus similes. Vnde psal. 68. scriptum est; *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inueni.* Psal.68.26. Vtique quoniam consolatio hominis ad hominem in cõpassione & in cõdolentia cõsistit. Quare vel ille alius cecinit,

Non ignara mali miseris succurrere disco. Virgil. 1. Æneid.

Vnde cùm officiũ Monachi non dolentis, sed plangentis sit, proprium perfectionis monasticæ hoc instrumentum est. Et licet aliquando rebus, aliquando verbis homines se inuicem consolentur, id verè faciunt tanquam ministri Dei, & dono illius, iuxta illud Esaiæ 50. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam reformare eũ, qui lapsus est verbo.* & cap. 61. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, ad annunciãdum mansuetis misit me, vt consolarer omnes lugentes.* Esaiæ 50.4. & 61.1. Vnde Paulus postquam dixit de Deo; *Qui cõsolatur nos in tribulatione nostra,* 2.Cor.1.4. subdidit; *vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur & ipsi à Deo.*

Vigesimum instrumentum, *A seculi actibus se facere alienum.* 86. 20. *Instrumentum.* Post misericordiæ opera sequitur fuga seculi, per quam religiosa vita redditur immaculata. Vnde Iacobus isthæc omnia cõiungens inquit; *Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc est: visitare pupillos & viduas in tribulatione eorũ, & immaculatũ se custodire ab hoc seculo.* Iacobi 1.27. Id est, ab actibus huius seculi, in quibus filij huius seculi perpete ambulant, & quos nos fugere præcepit Paulus dicens; *Testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant.* Ephes.4.17. & iterum: *Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri.* Rom.12.2. Id est, (ait D. Thomas) in nouitate mentis & rationis, quibus homo prudenter iudicat de humanis, & satagit adhærere diuinis. D.Thom.ibi. lect.2. Vnde Augustinus. Tunc huic seculo non conformamur, quando filio Dei conformamur. Ex quo sequitur, quod econtrà tunc longè sumus à conformitate cum filio Dei, quando conformes nos facimus huic seculo, vtique sectando vestigia filiorum huius seculi. Aug. 22. de ciuitate. cap. 26.

Ratio autẽ est, quod secularis 87. cura non tantùm (vt Chrysostomus dicit) res infructuosa & molesta est, sed adeò iniqua & noxia, vt quemadmodũ spina vbicũque tangitur, tangentem pungit & cruentat, ita secularia vbicumque comprehenduntur, lædant & vulnerent. Cuius gratia Chrys.homil. 87.sup.Ioan.

Greg. lib. 18. moral. cap. 8. notauit Gregorius, quod sciens Ioannes Apostolus, inter spinas amorum secularium supernæ charitatis messem germinare non posse, nos monuit dicens; *Fratres, nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo.* Qui mox subdidit rationem quare: *Quia si quis diligit mundum non est charitas patris in eo.* Et quid mirum, si vt ipse ait illic; *Quidquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, quæ non ex patre sed ex mundo sunt?* His autem ab amore Dei, & à conscientiæ bono quis non deturbabitur, aut cõsternetur? Vnde apud Esaiam: *Aspicientes terram, & ecce tenebræ tribulationis.* & rursum: *Ad terram intuebitur, & ecce tribulatio, & tenebræ, & dissolutio, & angustia.* Item: *Formido & fouea, & laqueus super te qui habitator es terræ.* Vtpote quæ est plena dolis, cõcupiscentiis, & similibus, quæ dum non declinamus, perimus.

1. Ioan. 2. 15.

1. Ioan. 2. 16.

Esaiæ 5. 30.

cap. 8. 22.

cap. 24. 17.

88. Inde Paulus ad Galatas dixit de Christo; *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos eriperet à præsenti seculo nequam.* Et quidem adeò nequam, vt dicat Iacobus; *Quicumque voluerit amicus esse huius seculi, inimicus constituetur Dei.* & Paulus iterum: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Vtique quoniam (vt notauit Chrysostomus) inimici sui amicum nemo in amicitias sumit, nec qui amico inimicus esse voluerit. Nemo aduersarium fratri, familiarem sibi arrogat. Hosti domini sui seruus nunquam famulatur. Nemo miles ab Imperatore extraneo stipendium accipit. Meritò ergo pro instrumento perfectionis monasticæ attexitur hic fuga seculi, quæ consistit in hoc, vt Monachi à seculi actibus alienos se efficiãt. Sic enim seculi actibus minimè se immiscẽt, sicuti nec filij Israël canticum Domini cantare ausi sunt in terra aliena. Et Christus ipse ægrè admodum tulit domum patris sui, vtpote domum orationis, fieri domum negotiationis. Si igitur Monachi alieni sunt ab actibus seculi, neutiquã illos in terra aliena exercebunt, & cùm verè sint templa viua Dei viui, omnino à se relegabunt negotiationis opera:

Galat. 1. 4.

Iacobi 4. 4.

2. ad Tim. 2. 4.

Chrysost. 3. hom. de Martyribus.

Psal. 136. 4.

Ioan. 2. 15.

89. Si enim (vt Bernardus inquit) Monachus esse debet sine patre, sine matre (quasi Melchisedec) & sine genealogia, ita vt nec patrem sibi vocet super terram, sed potiùs se existimet, quasi ipse sit solus & Deus: consequẽs vt multo minus possit sibi seculi negotia aptare, vel de illis aliquam modicam curam gerere. Præsertim cùm non tantùm illi dictum sit; *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui*, sed vlteriùs iniunctum, vt abneget semetipsum, & tollat crucem suam, vtique continendo se, & longè faciendo à voluptatibus, à deliciis, seculique negotiis: saltem quia (vt Augustinus dixit) vincula huius mundi aspe-

Bern. in speculo Monachorum.

Psal. 44. 11.

Matt. 16. 27.

Aug. ep. 39 ad Licentiã.

ritatem habent veram, iucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum timorem, timidam quietem; rem plenam miseria, spem beatitudinis inanis. Vnde percontando subiunxit; His tu inferes manus & pedes? Id est, his nos implicabimur, aut inficiemur? Apage. Et

Idem Ser.13. de verb. Apostoli.

ge. Et rursum. Temporalia bona ventura non cessant nos inflammare, venientia corrumpere, transeuntia torquere. Concupita inardescunt, adepta vilescũt, amissa vanescunt. Ab his ergo Monachum longè fieri, quid aliud, rogo, est, quàm fœlicem reddi? Illis verò teneri, vel sedulò occupari, quid aliud erit quàm miserrimè viuere? vel ipso dicente Seneca. Omnium quidem occupatorum conditio misera est: eorum tamen miserrima, qui de suis quidem occupationibus laborant.

Seneca de breuitate vitæ.c.19.

90.

21. *Instrumentum.*

Vigesimumprimũ instrumentum, *Nihil amori Christi præponere.* Iure instrumẽtum hoc post præcedens inducitur: quoniam secularibus curis exuti facilè se totos Deo tradunt, Hilario dicente. Qui contempserit secularia, ipse merebitur sempiterna. Et Chrysostomo. Secularium rerum contemptus vniuersum sæpenumero studium, totámque operam ad curam animę conuertit. Cura autẽ animæ tunc maximè geritur, quãdo charitati Christi omnia & singula nostra substernuntur: vt subtrauit, qui dixit; *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* (*sicut scriptum est: Quia propter te morificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.*) *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo neque profundum, neque creatura alia, poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* & iterum: *Omnia detrimentũ feci, & arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Et meritò, quoniã (vt ipse Christus dixit.) *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Et hoc ideo, quia *non est datum aliud nomen hominibus in quo oporteat nos saluos fieri.* Vbi autem anima salua non est, rogo quid illi est? Domino ipso attestante; *Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Nihil ergo amori Christi præponendum est, sed omnia illi postponenda. Christus enim factus est nobis (vt Paulus dixit) iustitia, sanctificatio & redemptio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Hoc est, (vt Ambrosius, Anselmus & D. Thom. exponunt ex Ieremiæ verbo.) vt non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dines in diuitiis suis, sed in hoc glorietur scire & nosse Christũ. Vt pote quod ea tantùm quæ Christi sunt nos efferre, & pluris facere debemus.

Cirysost.hom.85. in Matt.

Rom.8.35.

Philip.3.8.

Matt.16.25.

Act.4.12.

Ambr. Anselm.& D.Th. sup.1.Cor.1. Ierem.9.23.

91.

His accedunt Augustini verba, quibus Christi in nos beneficentiæ genera comprehenduntur, per quæ planè constringimur illum super omnia, veluti rerum conditorem & redemptorem diligere. Ait enim. Miser ego quantum deberem diligere Deum meum, qui me fecit cùm non eram, redemit cùm

Aug.to.3.lib. de spiritu & anima.c.17.

perieram? De nihilo me fecit non lapidem,sed hominẽ;perieram,& admortalitatem descendit,passionem sustinuit,mortem vicit,& sic me restaurauit.Perieram,& abieram venundatus sub peccato:venit ille,& tantum dilexit me,vt sãguinis sui pretium pro me appenderet. Nomine etiam suo vocauit me,vt memoriale suũ semper apud me esset. Vnxit me oleo lætitiæ,quo ipse erat vnctus, vt ab vncto essem vnctus, & à Christo dicerer Christianus. Sic gratia eius & misericordia semper præuenerunt me.De multis namque periculis sæpe liberauit me,quando errabam,reduxit me;quando ignorabam,docuit me; quando peccabam,corripuit me;quando tristabar, consolatus est me; quando desperabam, cõfortauit me; quando cecidi, erexit me; quando steti,tenuit me;quando iui,duxit me; quando veni, suscepit me. Hæc Augustſt.Et concludit. Hæc & multa alia fecit mihi Deus meus, de quibus mihi semper dulce est loqui, semper cogitare, semper gratias agere,vt pro omnibus beneficiis suis possim semper eum laudare & amare.

92. *Basil. adm. ad filium spiritualem.*

Similia eructauit Basilius.Etenim admonitione ad filium spiritualem commendans nostri in Christo amorem ita inquit. Quis beneficia eius congruenter enarret, vel quantum nobis tribuit,& quotidie præbendo non desinit? Videns innumeris nos peccatis obnoxios,non despexit, sed liberauit,& ad vitam perpetuam reuocauit. Et cùm ingrati beneficiorum eius fugeremus ab eo, vt pater clementissimus exquisiuit nos; & cùm in sede sublimi sederet, nostri gratia descendit ad terras: & in tanta humilitate venit,vt seruilem formam assumeret: & qui in pugillo suo continet orbem terrarum, pannis inuolutus est in præsepio;& qui cælum palmo metitur, non habuit vbi caput reclinaret. Cùm esset diues, pauper factus est, vt nos ditaremur in illo; & qui in nubibus venturus est ad iudicandum viuos & mortuos,iudicium hominis pertulit: & cùm sitientibus sit fons æternalis, sitiens postulauit aquam à Samaritana; & qui in carne propria nostram esuriem saturauit, esuriuit cùm tentaretur in Eremo. Et cui ministratur cum Patre ab Angelis, hominibus ministrare dignatur:& manus eius, per quas virtutes plurimas operatus est,pro nobis confixæ sunt clauis: & ori eius, per quod salutarem doctrinam annunciauit hominibus, pro cibo fel dederunt: & qui nullum læsit,cæsus pertulit & opprobria: & cuius nutu omnes mortui resuscitati sunt, volũtate sua mortem Crucis sustinuit.Et ideo hæc omnia passus, vt nobis vitam æternam donaret.Et nihil à nobis pro his exigit,nisi vt templa nostra impolluta ei seruemus, vt semper in nobis habitet, & nos permaneamus in illo. Hoc est,vt charitate illi adhęreamus,per quam nos manemus in Deo, & Deus in nobis.Charitate autem Christum super omnia diligere tenemur:nã qui sic non diligit Christum, anathema est, maranatha.

Bernar

Bern. Ser. 20. sup. Cantica.

Bernardus subscribit inquiens. Valde omnino amandus es, per quem sum, viuo, & sapio. Qui tibi non sapit, desipit, & qui est non propter te, nihil est. Cùm igitur Monachi de perfectione contendant, & omnis nostra perfectio à Christo & per Christum sit, meritò instrumentum hoc Monachis affixum est.

93.

22. *Instrumentum.*

Vigesimum secundum instrumentum, *Iram non perficere*. De passione iræ agens D.Th. asserit quod suapte natura non est mala, sed indifferens: quoniam est appetitus vindictæ, & potest vindicta bene & malè appeti. Quod etiam Chrysost. citatus ab ipso D.Tho. vidit. Dixit enim. Qui sine causa irascitur, reus erit, qui verò cum causa, nõ erit reus. Et pro ratione subditur: nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur. Addit etiam D. Thom. quod cùm ira sit passio appetitus sensitiui, & passio in tantum sit bona, in quantum ratione regulatur, mala verò si non regulatur: ideo ira aliquando potest & laudabilis & commendabilis esse; vt illa de qua psalmo 4. *Irascimini, & nolite peccare*. Aliquando verò vituperabilis & condemnabilis; vt illa de qua ad Ephes. 4. *Omnis indignatio & ira tollatur à vobis*. Ira enim quæ tendit in hoc, vt vindicta fiat secundum ordinem rationis, nimirum in sontes, & iuxta quantitatem delicti, & secundum præscriptum legis, & propter finem debitum, qui est conseruatio iustitię, & correctio culpæ, bona & laudabilis est, & quæ proprio nomine vocatur zelus: quæ verò in his omnibus, vel in aliquo horum claudicat, mala & reprehensibilis est; & malitia eius mortalis vel venialis, iuxta requisiti grauitatem à quo deficit, de quo D. Tho. ibi art. 3. Iracundi enim (ait Arist.) citò irascuntur, & quando non oportet, & propter quod non oportet, & magis quàm oportet. Cùm igitur hæc ita sint, difficultas emergit circa huius instrumenti substantiam. Etenim si procedit de ira quæ rationabilis est, iure debet ad exitum perduci, & vsque ad perfectionem & consummationem protrahi. Si verò de irrationabili, in ipso suo ortu extinguenda est & suffocanda. Quo iure ergo hic dicitur iram perficiendam non esse? Et non potiùs, vel perficiendam tanquam bonam, vel subitò exterminandam tanquam malam? Etenim Nazianzenus de ira bona inquit. Prudens ira risui præferenda est, seuera enim vultus habitudine anima ad rectum iustumque cõponitur. Et rursum. Iusta hæc sola bilis est ex omnibus. De mala verò ait esse domesticum dęmonem, nudũ prorsus atque clarum malum, quod maximè à placido lenique Deo nos dirimit. Cùm igitur tantum interfit inter iram & iram, cur hic sanctissimus Doctor, ac legifer eruditissimus non distinxit, sed absolutè statuit iram perficiendam non esse, cùm reuera bonam iram opus sit perficere, malam verò nec sese leuiter insinuantem tolerare?

Arist. 4. Ethi. cap. 5.

Nazian. oratione 53. Idem Iamb. 21.

Idem ibid.

94.

At cùm ira quæ rationabilis est, non tam ira quàm zelus dicatur (vt habet D.Tho. vbi sup.)

D. Tho. vbi sup. art. 3.

D. Th. 2. 2. q. 158. art. 1. Chrys. hom. 11. in Matt.

Psal. 4. 5.

Ephes. 4. 31.

reliquum est, quod nomine iræ absolutè prolatæ illa tantùm intelligenda veniat quæ damnabilis est: vti vel ab ipsa sacra Scriptura intelligitur, cùm ex translatione Septuaginta in Prouerb. inquit. *Ira sapientes prodit.* & iuxta Vulgatam in Ecclesiastico; *Ira non habet misericordiam.* & rursum: *Ira & furor execrabilia sunt.* & apud Matth. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* & apud Iacobum: *Ira viri iustitiam Dei non operatur.* Et quidem tantùm abest vt operetur iustitiam, quod operatur prorsus vniuersam iniquitatem, Basilio dicente. Dolus, suspicio, infidelitas, malignitas, insidiæ, audacia, & omnia his similia, iræ germina & appendices sunt. Et Ambrosio. Ab ira prorsus rixæ, & contumeliæ, clamor, indignatio, tumor mentis, & blasphemiæ suscitantur. Et Hieron. Ianua vitiorum omnium iracundia est: qua clausa virtutibus intrinsecus dabitur quies, aperta verò ad omne facinus armabitur animus. Et Diuus Thomas ex Gregorio magno subscribit Ambrosio, enumerans sex iræ filias, scilicet, rixam, tumorem mentis, contumeliam, clamorem, indignationem, & blasphemiam.

Prouerb. 15.
Eccli. 27. 33. & 30. 26.
Matth. 5. 22.
Iacobi 1. 20.
Basil. hom. 11.
Ambr. in precatione ad Missam.
Hier. lib. 3. *Comment. sup. ad Galat. c.* 29.
D. Thom. 2. 2. q. 158. a. 7.

95. Similiter naturales atque morales loquuntur Philosophi: Aristot. enim ita habet. Ira appetitus irrationalis est. Et iterum. Ira non nascitur in his quæ iure fiunt. Plutarchus etiam. Omnium perturbationum semina videntur in iram confluxisse. Et Seneca. Perirent omnia, si quantum suadet ira, fortuna permittit. Et rursum. Vt aduersus pestilentiam nihil potest firmitas corporis, & diligens valetudinis cura, promiscuè enim imbecilla robustaque inuadit: ita ab ira tam inquietis moribus periculū est quàm compositis & remissis. Et iterum. Nihil est simultatibus grauius, has ira conciliat: nihil est bello funestius, in hoc potentium ira prorumpit. Illa etiam plebeia & priuata ira, inerme & sine viribus bellum est. Et sanè irę vultus quamcumque minatur stragem. Nam (vt ipse Seneca dixit) vt furentium certa indicia sunt audax & minax vultus, tristis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra & vehemētia acta suspiria: ita irascentium eadem signa sunt. Huius gratia definiuit ipse iram esse breuem insaniam. Et cùm iterum vultum iræ describeret, intulit. Qualem intra putas esse animum, cuius extra imago tam fœda est? Quanto illi intra pectus terribilior vultus, acrior spiritus est, intentior impetus, rupturus se nisi erumperet? Ira ergo acerbum, furens, ac demens malum est.

Aristot. 1. Rhetor. cap. 10
Idem 2. Rhetor. cap. 3.
Plutarch. de cohib. ira.
Seneca lib. 3. de ira. c. 16.
Idem ibi c. 5.
Idem lib. 1. de ira. cap. 1.
Idem ibi. l.
Idem lib. 2. de ira. c. 35.

96. Cùm ergo vltra hæc ira non iudicio, sed impetu crebrò incipiat, non sponte nostra, sed sua moueatur, non assentientibus nobis, sed insciis sæpissime excurrat; (vt notauit Seneca) iudiciumque rationis præueniat (vt habet D. Thom.) quia motus iræ non est in potestate nostra (vt dixit Arist.) & ideo sæpe peruertit mentem, adeò vt ad vmbras contrahat flammas (vt habet Nazianz.) ideo non

Seneca lib. 2. de ira. cap. 1.
D. Th. 2. 2. q. 158. a. 3.
Aristot. 7. Ethi. cap. 6.
Nazianz. vbi suprà.

non tam de incurrenda, seu nũquam habenda, quàm de non perficienda monita danda sunt. Cuius gratia hic legifer noster de non perficienda ira instrumentum attexuit, vt ante illum fecere Ambrosius, qui dixit. Naturę est irasci, hominis verò non perficere iram. Et Hieronymus inquiens. Irasci hominis est, sed iram non perficere Christiani. Et quidem validi: quoniam (vt habet Nazianzenus,)

Ambr. lib. 1. epist. 8.

Hieron. epist. 8. seu 9. ad Demetrium.

Nazianz. Iamb. 21.

Non parua porrò, nec leuis res est mihi,
Vel parua vitij maximi remissio.

Quare non hic monemur seponere, & procul iram pellere, ita vt ab animis prorsus excidat; nam hoc arduum valde est, & fortè nostris impar viribus: sed vt non perficiamus, hoc enim fit illam frænando, & eius impetus inhibendo. Cùm enim ignea sit, & nimiùm sæpe ardens, facilè sopiri non potest, maximè si nõdum prima tempestas desæuiit. Perfectio igitur, & quidem monastica est, iræ impetus temere concitatos frænare, & non ad exitum vsque perficere.

97. 23. *Instrumentum.* Vigesimumtertium instrumentum, *Iracundiæ tempus non reseruare.* Iracundiam Philosophi ab ira distinxerunt, dicente Cicerone. Iracundia ab ira differt, vt anxietas ab angore. Neque enim omnes sunt anxij qui anguntur aliquando, neque anxij semper anguntur. Vt inter ebrietatem & ebriositatem interest, aliudque est esse amatorem, aliud amantem. Similia habet Seneca dicens. Distat ira ab iracundia, quod ebrius ab ebrioso, & timens à timido. Iratus potest non esse iracundus, & iracundus potest aliquando iratus non esse. Ideo cùm legifer noster instrumento præcedenti egerit de ira, isto de iracundia tractat, sciens quod iracundus potest cohibere iram, & tamen vindictæ non parcere, sed illam in opportunius tempus differre, quod iracundiæ est.

Cicer. 4. Tusc. quæst.

Seneca lib. 1. de ira. c. 4.

98. Inde Paulus ad Ephes. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Non enim dixit, super iram, sed, super iracundiam: quoniam cùm ira diuturnum malum non sit, sed adeò fugax & velox, vt propterea definiatur breuis insania, & furor non habens solidum robur, sed vanum tumorem, similis propterea ventis, qui surgentes à terra sine pertinacia vehementes sunt, prout nos monuit Seneca; non eguit admonitione instabilitas eius. Iracundia autem pertinax cùm sit, vtpote suapte natura inueterabilis, & ad instar habitus difficilè mobilis, eguit expeditioris atque properæ depulsionis præcepto, ne altas, si semel cœperit, radices agat: & ideo monuit Paulus ne occidat Sol super illam. Inde etiam Dauid verbum illud, quod valde torsit Interpretes, & adhuc discruciat & torquet; *& in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.* Sensus enim planus, simplex & germanus est, quod iracundia graui & immobili (qualis est ipsa terra, & iracundia terrea) machinabantur dolos. Cùm enim iracundia sit ira, quæ neque in voces, neque in querimonias, aut etiam in maledicta se fundit; sed introrsus versa lentè

98. *Ephes. 4. 25.*

Seneca lib. 1. de ira. cap. 1. & cap. 16.

con

Esaiæ 1. 20. *Ierem.* 7. 18. *& cap.* 25. 7.

concipit & seruat ignem, ita vt non comparcat donec adurat, tota est in concinnandis dolis & præmeditandis ad vltionis diem. Inde etiam est illud verbum sæpe in Scripturis repetitum à Deo; *Me ad iracundiam prouocauerunt*. Vbi non ad iram, sed ad iracundiam prouocatum se dicit, quod sanè durius & truculentius est: vtpote respondens verbo illi Pauli, *thesaurizas tibi iram in die iræ*: quia iracundia idem est quod ira thesaurizata, vel thesaurus iræ. Leniter enim & tanquam sine ira se gerens, impetu postea, & quidem inopinato desæuit. Vnde Arrianus in historia. Cauenda istorum remissio, vt quæ multo deterior sit quàm ira magno nisu intensa: ista enim vltione aliqua satiatur statim; at illa in longum extenditur, nõ aliter quàm ij qui lenta febricula vexantur.

Baruch 4. 6. *Rom.* 2. 5.

Arrianus in historia.

99. Monet ergo nos præceptor sanctissimus, legiferque peritissimus noster, ne iracundiæ tempus reseruemus, id est, ne iracundiæ locum demus: quia iracundiæ est, ignem concipere, & intra ipsa viscera condere, & quasi cinere tectum vsque in diem consternationis dissimulare. Hoc enim pestilens nobis adeò est, vt scriptum habeamus; *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam?* Maximè quod innumerabiliũ malorum germen est; & proinde extirpatio illius quamplurium bonorum radix. Vnde Basilius. Iram ab initio vt mali originem compescamus, ac ex animo nostro totis viribus extirpemus. Ille maledixit, tu benedicas: verbe-

Eccli. 28. 3.

Basil oratione de ira.

rauit, tu patere. Sic enim talionem illi securiùs reddes, ostendens quàm sis contumeliis inuulnerabilis.

100. Vigesimumquartum instrumentum, *Dolum in corde non tenere*. Iure post præcedens hoc instrumentum inducitur: quia sicut *dolus in corde cogitantium mala*, (quales sunt qui iracundiæ tempus reseruant) sic doli remotio & alienatio à corde illorum qui aliis machinantur nihil mali, (quales sunt illi qui iracundiæ tempus non reseruant.) Et ideo præcipitur istis dolum in corde non tenere, nam illis id commendare esset oleum & operam perdere. Malorũ enim machinatoribus & fabricatoribus dolus in corde familiaris est, & omnino germanus; & tanta est huius doli iniquitas, vt de eo qui in corde tractauerit dolos, scriptum sit; *Septem nequitiæ sunt in corde ipsius*, id est, omnes iniquitates & nequitiæ. Quare non solùm exaratum habemus apud Malachiam, *maledictus dolosus*, vtpote mali plenus; verùm & in Prouerb. *Filio doloso nihil erit boni*, vtique tanquam præoccupato omni malo atque circumuento, etiam truculentissimo & grassatorio. Cuius gratia viri sanguinum & dolosi iuncti in Scripturis sunt, iuxta illud psalmi 5. *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus*. & in psalmo 54. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*. Imò deteriores grassatoribus sunt, quia (dicente Ambrosio) plus plerumque periculi est in insidiatore occulto quàm in hoste manifesto.

24. *Instrumentum.*

Prou. 26. 24.

Malac. 1. 14.

Prou. 19. 15.

Psal. 5. 7.

Psal. 54. 24.

Et

Et hoc quoniam (vt Tacitus vidit) aperta odia, armaque palàm depelluntur, fraudes autem & doli, quia obscura, ineuitabilia videntur. Et adhuc apud Ecclesiasticum legimus; *Malitia & dolositate operitur arida.* Tam latè patet tam ingens malum, adeóque inter homines obtinuit, vt omnia repleat loca.

Eccli 37. 3.

101. Inde verbum illud Christi: *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ*; de corde doloso maximè intelligendum est. A dolo enim cordis omnia prosiliunt tetra crimina, præsertim quæ proximum lædunt. Quare dolus à Basil. definitur maleficium occultum in proximum. Vnde si (vt habetur in Prouerb.) nemo potest dicere; *Mundum est cor meum, purus sum à peccato*: quanto minus dolosi? Item si corde puro ad videndum Deum opus est, longè à tanto bono dolosi distant. At qui sine dolo sunt, vel hinc dicuntur beati, iuxta psalmi illud; *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum: neque est in spiritu eius dolus.* Et iure, quoniam sicut dolus in corde est omnis iniquitas; sic econtrà munditia cordis est omnis conscientiæ puritas. Sic enim Sancti Patres, vtique Hilarius, Basilius, Nyssenus, Hieronymus, Leo magnus, Bernardus, & alij exponunt verbum illud Christi Matth. 5. *Beati mundo corde.* Mundos enim corde vocari dicunt, qui pura sunt conscientia, quos nullius peccati stimulus reatusue perstringit. Quare valde amanda est puritas cordis, impuritas verò detestanda, & proinde dolositas, quæ maximè cor inficit.

Matt. 15. 1.
Basil. in psal. 33.
Prou. 20. 9.
Matt. 5. 8.
Psal 31. 2.
Hilar. can 4. *in Matth.*
Basil. inter. 180. *ex bre. Nyssen. lib. de beatitud.*
Hieronym. sup. Matt. 5.
Leo hom. de omn. SS.
Bernar. sup. Matth. 5. 8.

Hac de causa Chrysost. explicans illud psalmi 14. *Qui non egit dolum in lingua sua*, sic nos contra dolos armat, munit, & monet. Fugiamus ergo dolum vt mortale venenum. Dolus cùm armasset serpentem, cum execrãdum reddidit. Dolus matrem generis nostri desertam fecit; & vt Cain treineret & gemeret effecit. Dolus Abel, sicut fera agnum discerpsit. Decem fratres aduersus vnum armauit, & vt qui venditum vendiderunt, adorarẽt, perfecit; & quem per dolum tãquam seruum vendiderant, cum per metum tanquam dominum adorarunt. Dolus discipulum proditorem reddidit; & Apostolum Dei præfractum venditorem effecit. Sed is quidem cùm Deum vendidisset, emit laqueum: Deus autem venditus mũdum redemit. Cùm igitur tot mala ex dolo prosiliant, iurę instrumentum hoc Monachis indictum est, mala seculi declinantibus, & ad perfectionem tendentibus.

102. *Chrysost. tom. 1. super psalm.* 14.

Vigesimũquintũ instrumentũ, *Pacem falsam nõ dare.* Nullũ siue ex natura, siue ex malitia mõstrũ horrĩbilius pace falsa: ex implicationibus enim constat. Sanè pax vera non tantùm bonum est, sed omne bonum nostrum. Hoc enim est quod fidelibus precamur defunctis, cùm pro illis oramus quod requiescant in pace: & quod subintellexit Dauid cùm psalmo 118. dixit; *Pax multa diligentibus legem tuam.* Et Salomon cùm dixit; *Qui timet præceptum, in pace versabitur.* Et

103. 25. *Instrumentum.*
Psalm. 118. 165.
Prou. 13. 13.

Sapientiæ 3. 3. Sapiẽs cùm de iustis morte violenta sublatis dixit; *Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem*
Lucæ 2. 14. *sunt in pace.* Et Angeli cùm nascente Domino decinere; *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*
Rom. 15. 33. Et Paulus cùm appellauit Dominum
Ephes. 1. 17. Deum pacis, & cùm Euangelium
Rom. 10. 15. dixit esse Euangelium pacis, & prædicatores illius euangelizatores pacis: Vnde Augustinus dixit pacem esse fœlicitatem summam quæ cunctis placet, & à cunctis optatur, & in qua sola est bonum, quod pariter est bonum & iocundum: & proinde beatum esse qui illam amat, maledictum autem qui illam odit. Et alibi inquit de vera pace intelligendum esse illud Apostoli: *Quod nec oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascẽdit*; vtpote quod pax Dei exuperat omnem sensum. Et addit quod propterea ipsa cœlestis Ierusalem appellatur visio pacis.

Augustin. Ser. 15. ad fratres in Eremo.
1. Cor. 2. 9. ad Philip. 4. 7.
Aug. in psal. 137.

104. Pax item vera inter homines ipsos eximium bonum est, iuxta
Psal. 132. 1. illud psal. *Ecce quàm bonum, & quam iucundum habitare fratres*
Eccli. 35. 1. *in vnum.* & iuxta illud Ecclesiastici; *Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes, probata sunt*
2. Cor. 13. 13. *coram Deo.* & illud Pauli; *Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.* Vnde ad
Ephes. 4. 3. Ephes. 4. iubet nos solicitè seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Et ad Philippenses 2.
Philip. 2. 2. tanti id fecit, vt diceret; *Implete gaudium meum; vt idem sapiatis vnanimes, idipsum sentientes.* &
Rom. 12. 18. ad Romanos 2. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Rationem autem assignans 1. Cor. 14. ait. *Non enim est Deus dissensionis, sed pacis.* Quasi diceret, dissensione à Deo receditur, pace autem appropinquatur, quia Deus pacis est. Vnde Aug. agens de illo Caco, qui propter ipsius insociabilem feritatem semihomo appellatus est, & propter singularem eius malitiam dictus Græco nomine Cacus, id est, malus; inquit, tanto pacis propriæ amore flagrasse, vt in spelunca abditissima seipsum occultasset, ne illi molestus esset, neque eius quietem aliquis perturbasset, & inde ad sedandam tantùm famem exiliẽs rapiebat, necabat, vorabat. Et subdit. Si pacem quam in spelunca, atque in seipso habere satagebat, cum aliis etiam habere vellet, nec malus, nec monstrum, nec semihomo vocaretur. Tantum bonum est pax cum proximis nostris, vt vel sceleratissimum istum à mali nota liberaret.

Aug. tom. 5. lib. 19. de Ciuitate. c. 12.

105. Pax autem falsa è contrario sic nequam atque iniqua est, vt tolerabilius sit monstrum execrabile, dummodo publicum bellum indiceret, pace falsa, plasmista dicente. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique.*
Psal. 54. 13. *Et si is qui oderat me, super me mala loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos; in domo Dei ambulauimus cum consensu. Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes.* Vnde Christus pro-
Matt. 10. 34. fessus fuit se venisse non vt pacem mitteret, vtique hanc, quam

mundus

mundus fallax dat, sed gladium; quia mitior & tolerabilior est gladius palàm sæuiens, quàm falsa pax blandiens. Ratio autem est, quia cùm pax falsa ex diametro aduersetur veræ, consequens est, vt sicut pax vera est omne bonum, ita falsa sit omne malum. Sicut quia iniustitia iustitiæ opponitur, tam latè patet iniustitiæ malum, quàm iustitiæ bonum. Vnde vel ipsi mundo vtpote deceptori & fallaci sic Augustinus loquitur. O mundè immunde, qui homines illaqueare non desinis, quiescere non permittis, rapere omnes appetis, occidere omnes quæris. Væ qui tibi credit; beatus qui tibi resistit, sed beatior qui à te illæsus recedit. O munde proditor cuncta bona promittis, sed cuncta mala profers: promittis vitam, sed donas mortẽ: promittis gaudium, sed largiris mœrorẽ: promittis quietem, sed ecce turbatio. Et post pauca. O mundè immunde, fallax & proditor, numquid non periculosior es blãdus quàm molestus. Numquid non magis timendus es dum allicis, quàm dũ spernis? Numquid non magis odiẽdus dum diligere dissimulas, quàm dũ odire te ostendis? In te habitare, & non dolere, impossibile est. In te sperare, & non timere, vanum est. In te tua amare, & non periclitari, impossibile est. Hæc Augustinus.

Aug. to. 10. Serm. 30. ad fratres in Eremo.

106. Similia profert Bernardus. Etenim Sermone 10. in Cœna Domini, de pace inundi, quam appellat falsam, fictam, sophisticam, palliatam, dicit ab illa esse famẽ, sitim, nuditatem, frigus, scabiem, dolorem in capite, chiragram in manibus, podagram in pedibus, morbũ in liene, gladium interficientem, & mortem sæuientem. Quod si hæc de mũdo, quia deceptor & fallax, quid de pace falsa atque insidiatrice? Etenim nõ solùm mala, sed pessima est; nã si malus cùm bonum se simulat, tunc est pessimus (vt ille alius dixit;) quid quando deteriùs simulat se optimũ? Nihil enim truculentius est, quàm pacem dare, & bellum immittere, dicẽte Ambrosio. Nihil tam cogit in mortem, quàm sub obtentu fidei, fidẽ violare. Cuius gratia Hilarius dixit Constantium Imperatorẽ truculentiorẽ fuisse Nerone, Decio & Maximiano, quia isti ignotos, ille amicos læsit. Et de proditore Iuda canit Ecclesia, fuisse doctum sceleris (attributum inauditum, & rarũ) quia per pacẽ didicit facere bellum. Ex quo sequitur, nefarium esse hominem pacis falsæ, de quo verbum illud Sapientiæ verificatur, *magna mala pacem appellat*. Et proinde vnicum perfectionis monasticæ instrumentum à falsa pace quàm longissimè abesse.

Publius.

Amb. lib. de fide contra Arrian. c. 1.

Hil. lib. contra Constantium.

Sap. 14. 22.

107. Vigesimumsextum instrumẽtum, *Charitatem non derelinquere.* Hoc instrumentum eximiæ perfectionis est, vtpote quod charitas est vinculum perfectionis, dicente Apost. *Super omnia charitatem habete, quæ est vinculũ perfectionis.* Et licet alibi dicat, *Charitas numquam excidit*; id tamẽ intelligẽdum est per se & ex propria ratione: ex fragilitate etenim nostra & peccabilitate sæpissime excidit, vt excidit in ptimo

107. 26. *Instrumentum.*

Colossen. 3. 14.

1. Cor. 13. 8. c

mo parente, Dauide, Salomone,
Ioan.13.16. & Petro, qui nocte Cœnæ erat mundus totus, & tamen postea negando Christum charitatem amisit. Excidit etiam in Angelis. Et quidem si fides amittitur, di-
1.ad Timot. 1.19. cente Paulo ad Timoth. *Habe bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt*; cur non charitas? Quare
Apoc.2.4. Angelo Ephesi dictum est; *Habeo aduersum te pauca; quod charitatem tuam pristinam reliquisti.*
Bernar.epist. 42. Et Bernardus ait. Non omnium iustitia manet in seculum seculi: sunt enim qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Vnde non omnes qui habent charitatem, habent & perseuerantiam in illa, alioquin frustra commoneret discipulos Dominus, manete in dilectione mea; sed intrate, vel
Hieronym. state diceret. Videatur Hieronymus libro 1. & 2. contra Iouinianum & alios clarioris nominis viros, ostendens aduersus eos charitatis amissibilitatem. Videndus est etiam ad idem
Magister. Gratianus. D. Thom. Castro. Magister in 3. distinct. 31. Gratianus de pœnitentia distinct. 2. D. Tho. 2.2.q.24. art.11. Castro libro 7. verb. Gratia. hæresi 2. & lib. 12. verb. Peccatum. hæresi 9.

108. Inde fit, amissionem charitatis non tantùm quid lethale esse, dicente Ioanne; *Qui non di-*
1.Ioan.3.4. *ligit, manet in morte.* & Paulo;
1.Cor.13.2. *Sine charitate nihil sum.* Et hoc ideo, quia charitas est vita animæ, eodem iterum Ioanne di-
1.Ioan.4.7. cente; *Charissimi, diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est, & omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum.* Et iterum:
1.Ioan.4.6. *Deus charitas est; & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Inde igitur fit, amissionem charitatis non tantùm quid lethale esse, verùm & lethale crimen, quoniam aliunde ipsa amitti non potest, vtpote Dei amicitia, quæ numquam excidit, nisi priùs nos excidamus. Huius gratia cùm nullius virtutis acquisitæ habitus mediocriter intensus, per vnum contrarium actum possit deperdi; charitas omnibus illis fortior maximè cùm est maximè intensa, per vnum actum peccati mortalis penitus exterminatur. Et cùm nullus habitus infusus virtutis Theologicæ possit destrui, nisi per actum directè contrarium suis actibus, verbi gratia, fides per infidelitatem, spes per desperationem: habitus autem charitatis dispellitur per quemcumque actum peccati mortalis, etiam indirectè oppositum, vt sunt omnia peccata, præter peccatum odij, quod directè charitati aduersatur, reliqua indirectè.

109. Si igitur lethale est, & lethale crimen charitatis dispēdium, quantum, rogo, nitendum est pro retentione illius? Certè quantum obnixus fuit Paulus cùm dixit ad Rom. *Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Et quantum obnixa fuit Sponsa cùm in Canticis dixit; *Aquæ multæ nō potuerūt extinguere*
Rom.8.38.
Cantic.8. *charita*

charitatem, neque flumina obruent illam. Id est (ait Honorius, & alij) neque delectationes, neque persequutiones, neque prospera, neque aduersa, neque deliciæ, neque minæ, nihil denique. Quod certè fit mandata Dei cu-
1 Ioan. 5. 3. stodiendo. *Hæc est enim charitas Dei* (ait Ioannes) *vt mandata eius custodiamus.* Christus autem:
Matth. 7. 24. *Quicumque audierit verba hæc, & fecerit ea assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non excidit; fundata enim erat su-*
1. Cor. 13. 4. *per petram.* Instrumentum ergo hoc apprimè Monachis necessarium est, vt cætera emolumento sint: siquidem sine charitate reliqua nihil prosunt. Cohæret autem instrumentum hoc præcedenti, quoniam (vt Bernardus ait) charitas est pacis conseruatrix.

110. 27. *Instrumentum.* Vigesimumseptimum instrumentum, *Non iurare omnino, ne fortè periuret.* Non videtur congruũ, nec monasticæ perfectioni cõueniens instrumentũ hoc, cùm cõstet perfectiores viros iuramento se crebrò adstrinxisse, & fidem cõfirmasse. Etenim Abraham semel & iterum id fecisse habetur Gen. 14. 22. Gen. 21. 23. & de Ioseph similiter Gen. 42. 15. & 47. 31. & idem refertur de Dauid 2. Reg. 3. 35. & de viris Israël 2. Paralip. 15. 14. & de Sacerdotibus & Leuitis, & de vniuerso Israële 2. Esdræ 10. 5. & 10. & de Iob, cap. 27. 2. & de Paulo Rom. 1. 19. & 2. Corinth. 1. 23. & ad Philip. 1. 8. & 2. ad Thess. 2. Imò & Deus ipse iurauit, Gen. 22. 16. & psal. 109. 4. vbi dicitur; *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.* & psal. 131. 11. *Iurauit Dominus Dauid veritatem.* Et ratio ipsa fauet, quoniam sacramenti religio sacra & salubris est, vt D. Thom. probat tam ex origine quàm ex fine illius. Ex origine quidem, quia introducta est ex fide qua credimus Deum esse infallibilẽ veritatẽ, & habere vniuersalem cognitionem & prouisionem omnium. Ex fine autem, quia iuramentum inducitur ad iustificandum hominem, & ad controuersias dirimendas, iuxta illud Hebr. 6. *Homines per maiorem sui iurant, & omnis cõtrouersiæ eorum finis est iuramentum.* Et confirmatur ex eo quod vel ipsum iuramẽti nomen tractum est à iure, dicente D. Thoma. Assumere Deum in testem dicitur iurare, quia quasi pro iure introductum est, vt quod sub inuocatione diuini testimonij dicitur, pro iure habeatur.

D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 2.

Heb. 6. 15.

D. Tho. vbi suprà art. 3.

Ac licet euidentissimum sit, iuramenta suapte natura illicita non esse, sed laudabilia aliquando, imò & necessaria; cuius gratia Syracusani, & Waldenses grauiter errarũt, quia primi apud Hilarium, & secundi apud Castro dixerunt, nullo modo licere Christianis iurare. Quibus Erasmus consensisse videtur. Et Vuiclef errauit similiter, quia apud Concilium Constantiense dicebat, non licere Christianis iurare, nisi in causa fidei. Cui etiam subscripsit Erasmus. Nihilominus extat verbum illud Oseæ: *Non iurabitis, viuit Dominus.* & illud Zachariæ; *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem*

112

Hilar. epist. 88. inter epistolas Augustini. Castro lib. 8. verb. Iuramentum. Erasm. in paraphrasi sup. Matth. 5.

Osee 4. 15.

Zachar 5. 3.

omnis terræ, quia omnis fur iudicabitur, & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur. & illud Iacobi; *Ante omnia, fratres mei, nolite iurare.* Maximè autem illud Christi; *Ego autem dico vobis, non iurare omnino.* Qualiter autem hæc cum præcedentibus cohæreant, discernunt Scholastici Doctores asserentes cum Bernardo, & cum Augustino, verba sacræ Scripturæ quæ iuramenta interdicunt, non esse præcepti, sed consilij: veluti quæ mox Christus subiecit; *Si quis te percusserit in dextera maxilla præbe illi alteram.* & illa quæ alibi dixit; *Nolite vocare vobis patrem super terram.* & rursum: *Neminem per viam salutaueritis.* Vnde sicut his non obstantibus aliquando licet, imò expedit non præbere alteram maxillam percutienti; & vocare nobis patres & magistros super terram: ita interdicto illo omnino non iurandi neutiquam obstante licet aliquando iurare, imò in præcepto est.

Iacobi 5.12.
Matth. 5.34.
Scholast. in 3. dist. 39.
Bern. Ser. 65. in Cant.
Aug. Ser. 28. de verb. Apost.
Matt. 5.39. & 23.8.
Luca 10.4.

112. Sancti verò Patres aliter hanc cohærentiam discernunt. Augustinus enim, Cyrillus, Hilarius, Chrysostomus, Hieronymus, & alij dicunt, elogiis interdicentibus facultatem iurãdi, non prohiberi vsum, sed iurãdi abusum: quatenus nimia iurandi assuetudo ad peierandum ansam, suppeditat, dicente Ecclesiastico; *Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa.* & iterum: *Vir multum iurans replebitur iniquitate, & à domo eius non recedet plaga.* Et hoc quidem ad literam est quod noster legislator hic docet, vtique non iurare, ne fortè periuremus. Periurij autem nomine intelligendum est non præcisè illud quod propriè & in rigore periurium est, vtique iuramentum fallax, vel falsum, sed quodlibet improbum iuramentum. Omne enim iuramentum improbum periurium nominatur, vt expressè ex Diuo Hieronymo ostendit D. Thomas, ex eo quod cùm iuramenti comites sint tres, vtique veritas, iustitia, & iudicium, iuxta illud Ieremiæ: *Iurabis in veritate, iustitia & iudicio*; id est, absque falsitate, iniuria, & temeritate, omne iuramentum aliquo istorum pede claudicans periurium dicitur. Quia verò difficile est in nullo horum dum iuramus deficere; consultius est simpliciter loqui, est, & non est, prout in Euangelio dicitur, quàm iurare, ne fortè periuremus. His addendum, iuramenta vt medicamenta haberi, medicamentis autem multum assuescere lethale est, opportunè autem salubre. Videatur instrumentum sequens.

Aug. lib. de mend. c. 5. Serm. 28. de verb. Apost. & in Psalm. 88.3.
Cyril. lib. 5. in Esaiam c. 65.
Hilar. Can. 4. in Matth. Chrys. & alij sup. Matth. 5.n.36.
Eccli. 23. 9. & 12.
Hieron. sup. Ierem. 4.
D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 1. ad 1.
Ierem 4.2.

113. Vigesimumoctauum instrumentum, *Veritatem ex corde & ore proferre.* Instrumentum hoc in præcedentis subsidium & adminiculum introductũ est. Cùm enim proximè dictum sit; *Non iurare, ne fortè periuret*, restabat explicandum, quid si iurandi necessitas (vt assolet) aliquando ingrueret? & quodnam tunc remedium ad præcauendum periuriũ? Hoc autem assignatur, cùm dicitur; *Veritatem ex corde & ore proferre.* Et enim qui sic profert verax est, & proinde procul à periurio propriè dicto, quod est iuramentum falsum: ab aliis autem periuriis minus propriè dictis, non

113. *28. Instrumentum.*

non sic. Nàm iurans qui non peccat contra veritatem, potest nihilominus peccare contra iustitiam, iurando quod debebat celare; & peccare contra iudicium inconsideratè iurando. At quoniam veracitas virtus moralis est rectificàs voluntatem, per ordinem ad coërcendum intellectum, ne suggerat linguę aliud, vel aliter quàm quod ipse sentit, vt sic vitetur mendacium, eo quod dicenti est indignum, & ei in quem dicitur inofficiosum: ideo in proximo veracitas est, vt omnia periuria caueat, vel quia contra proximum, (qualia sunt illa quæ contra veritatem aut iustitiam peccant) vel quia contra se (qualia sunt quæ contra iudicium, cuiusmodi sunt periuria temere & incautè facta.) Quia verò iurandi necessitas, nedum consuetudo & facultas ob defectum veracitatis humanæ introducta est, vtpote quod cùm omnis homo mendax sit, *Rom. 4.* sæpissime eget Deo fideiussore, vt eius dictis fides habeatur, quo tamen non egeret, si corde & ore semper proferret verũ; ideo in supplementum iuramenti, & in præseruationem periurij instrumentum hoc introductum est. Et propterea ex quo Chri- *Matt. 5. 32.* stus dixit; *Sit autem sermo vester simplex, est, & non est*, subdidit; *Quod enim amplius est, à malo est.* Vtique à defectu veracitatis, qui vel iure, vel iniuria in iurante presumitur. Alij aliter hoc Christi elogium explicant, sed ego sic expono.

114. *Chrys. hom. 9. in Act.* Inde Chrysostomus homilia 9. in Act. Quando homines infideles apparuerunt, Deum testem vocarunt, quasi fideiussorem dantes, dictis satisfacturum. Iuramentum enim est fideiussio, vbi mores fidem non habent. Vnde primùm taxatur is qui iurat, si ei fides non datur absque fideiussore, & fideiussore maximo. Et quia tam parum homines sibi mutuò credunt, non hominem quærunt fideiussorem, sed Deum. Ex quibus sequitur, dedecus & quodammodo probrum hominibus esse ad iuramentorum asyla confugere, nisi maxima ingruente necessitate, vt fides dictis illorum præstetur. Quem enim non pudet tam infidum narrationum suarum narratorem esse, qui nisi diuino se muniat testimonio, fidē suis dictis non speret? Sanè qui ad hæc humano fideiussore egeret, iudicaretur vilis, ille igitur qui diuino, qualis existimabitur?

115. His adiiciamus pericula, & quidèm non leuia, conscientiæ, quibus se qui crebrò, imò & qui rarò iurant, exponunt. De illis enim Augustinus sic. Homines fal- *Aug. tom. 10. Serm. 30. de verb. Apost.* sa iurant, vel cùm fallunt, vel cùm falluntur. Quis autem est qui non fallitur, etsi noluit fallere? Quis homo cui non subrepat fallacia? & tamen iuratio ab ore non discedit. Frequenter plura sunt peccata quàm verba. Si discutiat homo quoties iurat, quoties se vulnerat; quoties se gladio linguæ feriat, & transfigat, quis locus in illo inueniretur sanus? De his autem sic. Graue peccatum est peierare, compendium tibi dedit Scriptura, noli iurare. Vis ergo longè esse à periurio? Iurare noli. Qui enim iurat,

iurat, aliquando verum iurare poteſt; qui autem non iurat, mendacium nunquam iurare poteſt. Et poſt pauca infert. Iuret ergo Deus qui iurat ſecurus, quem nihil fallit, quem nihil latet. Et mox. Duo ſunt quæ non damnabo vnquam, veram iurationem, & nullam iurationem: damno autem falſam iurationem. Falſa iuratio exitioſa eſt, vera iuratio periculoſa eſt, nulla iuratio ſecura eſt. Hæc Auguſt. Cùm igitur qui veritatem ex corde & ore profert, à iuratione falſa, imò & à iuratione immunis ſit, quia ſimplex illi ſermo pro iuramento habetur; ideo inſtrumentum hoc in ſubſidium precedentis, & in compendium eſt. Inde Philo Iudæorum diſertiſſimus. Multis & variis modis in hac parte peccant homines, proinde vtiliſſimum fuerit omnino à iureiurando abſtinere; & ſic veritati aſſueſcere, vt ſimplex verbum vim iuramenti habeat. Quia autem hoc priuilegio non gaudent niſi veraces, ideo iſtis maximè dici potuit; ne iurent, aut ſi iurandi neceſſitas ingruit, quod veraciter iurent. De ſenſu verborum huius inſtrumenti, quæ deſumpta ſunt ex pſalmo 14. diximus ſuprà in prologo à numero 85. vſque ad 87.

Philo lib. de decalogi circa medium.

116. 29 *Inſtrumentum.*

Vigeſimumnonum inſtrumẽtum, *Malum pro malo non reddere.* Inſtrumentum hoc à vindictę liuore nos arcet verbo illo Pauli, *Nulli malum pro malo reddentes.* Quod ſanè monitum ſacrum nobis ſimul & ſalutare eſt. Sacrum quidem primò, quia ita commendatum à Domino, Matthæo dicente; *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo.* Id eſt, malũ malo non retalietis. Secũdò, quia nõ tantùm verbo, verùm & exemplo id docuit, dicente Petro; *Qui cùm maledicereiur, non maledicebat.* Id eſt, (vt legũt Hieronymus 2. contra Iouin. & Ambroſ. in pſal. 37.) *non remaledicebat, cùm pateretur, non comminabatur.* Imò dicente Eſaia, *non aperuit os ſuum, ſed tanquam agnus ad occiſionem ductus obmutuit.* Et hæc, vt nos ſimilia faciamus, Petro dicente: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Si enim, vt Nazianzenus ait, plerique ſunt quos non tam oratio mouet quàm actio, quæ cuiuſdam taciti monitoris inſtrumentum eſt; quid paſſio maximè Chriſti?

Rom. 12.17. Matth. 5.39. Act. 8.12. Eſaia 53.7. 1. Pet. 2.22. Nazianz. ep. 81.

117. *Chryſ. tom. 5. homil. de eo qui læditur.*

Salutare etiam primò, quia (vt habet Chryſoſt. hom. quod nemo læditur niſi à ſeipſo) vindictæ cupiditas eſt maxima & precipua cauſa, quare ſint execrandæ diuitiæ, & paupertas amanda, vtpote quia tanquam vaſa & arma ad vindictam faciunt nos prævaricatores illius mandati; Mihi vindicta, & ego retribuam. Et ſubdit. Vis autem videre quantum mali habeat vindictæ cupiditas? miſericordiam Dei aufert ab homine, & conceſſam iam gratiam infringit ac reuocat. Hæc illo pſalmi parent; Deſtrues inimicum & vltorem. Ratio autem ob quam ſibi vindictam reſeruauit Dominus, eſt, quia nullus hominum ſcit par pari in ſe vindicando referre, ſed ſemper vltra menſuram atque debitum retaliare, prout

Deut. 32. Rom. 12.

Augu:

Aug. tom. 4. lib. de serm. Domini in monte. c. 33.

Augustꝰ obseruauit inquiés. Nemo facilè inuenitur qui pugno accepto, pugnum reddere velit, & vno conuiciante verbo audito, vnum, & quod tantumdem valeat, referre sit contentus; sed siue ira perturbatus, siue quia iustum putat, cum qui priùs læserit, grauiùs lædit. Talem animum magna ex parte refrenauit lex, in qua scriptum est; Oculum pro oculo, dentem pro dente; quibus nominibus significatur modus, vt iniuriam vindicta non transeat: & hæc est pacis inchoatio. Perfecta autem pax est, talem penitus nolle vindictam.

118. *Bern tract. de conscientia. c. 4.*

Secundò ostenditur salutare in eo quod eximit nos ab incommodis pressurísque, & quidem grauissimis, quas liuor vindicandi profundit. Etenim, vt Bernardus notauit, cogitationes variæ occupant cor, cogitationes turpes inquinant cor, amaræ autem dissipant. Nomine autem amaræ cogitationis, intelligit cogitationes vindictæ, inquiens. Sæpe namque aliqua iniuria commotus meis cogitationibus & tumultibus in corde premor: túncque sollicitus & cæcus occasione vindictæ de accepta iniuria tumeo; consilia multiplico, & nihil aliud nisi iurgia præsagio. Et post pauca. Comedo cùm ieiuno, loquor cùm taceo; irascor cùm sum tranquillus: corpus requiescit, & animus huc illuc discurrit. Eadem ferè repetit libro de interiori domo. Nec sanè mirum hoc, quoniam, vt Paulus docuit, velle malum pro malo reddere, est vinci à malo. Si autem malum nos vincit, quomodo non consternabimur? non profligabimur? non præcipites crimus? Econtrà verò, vt Paulus plenè asserit, non reddere malum pro malo, est non vinci à malo. Vnde Chrysostomus. Si mansuetudinem exhiberemus, essemus omnibus insuperabiles, nec vlla ad nos iniuria peueniret. Roga inimicum an non doleat, an non censeat se victum cùm rides? cùm contemnis eius iniurias? Et sanè hoc est tertium huius instrumenti salutare. Quod videns suo modo Seneca epistola 71. dixit. Fortunatior qui omnia rerum aduersarum onera rigida ceruice sustulit, qui supra fortunam extat. Quid est in tormentis & in aduersis mali? hoc, vt opinor, succidere mentem, & incuruari, & succumbere, quorum nihil sapienti euenit. Stat enim rectus sub quolibet pondere, nulla illum res minorem facit. Hæc & plurima alia, quæ ad idem argutè & doctè Seneca ipse inducit, hoc vnico Pauli verbo comprehensa sunt, *non vinci à malo*. Quare instrumentum hoc de non reddendo malum pro malo, iure sacrum salutaréque dictum est.

Idem de interiori domo. c. 30.

Rom. 12. 12. & 21.

Idem ibid.

Seneca ep. 71.

119. 30. *Instrumentum: Eccli. 10. 6.*

Trigesimum instrumentum, *Iniuriam non facere, sed factam patienter sufferre.* Hoc est id Ecclesiastici 10. *Nihil agas in operibus iniuriæ.* Vtique neque inferēdo illam, neque referendo: vtpote quod iniuria non tantùm concitantur seditiones inter ciues, vt vidit Aristoteles; verùm (vt notauit Scriptura) *Regnum à gente in gentem transfertur prō-*

Arist. 5. Polit. c. 2.

Eccli. 10. 8.

pter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. & iterum: *Iniuriæ annullabunt substantiam.* Ex his autem qui iniuriam inferunt, vel referunt, execrabiliores sunt primi, adeò vt putentur feris sæuissimis truculentiores, Chrysostomo dicente. Nos reuera facit esse ex feris sæuissimis, quod cùm nullus nos iniuria afficiat, priores nos iniuriam faciamus. Imò verò ne ex feris quidem: nam si illas siueris pasci in solitudine, neque eas in angustiam redegeris, nunquam te lædent; tu autem homo fratrem iniuria afficis & exedis. Hac de causa iniurios istos graui nota Apostolus pœnáque inurit, dicens: *Vos iniuriam facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt?* Hic enim istorum culpam nominat iniquitatem, pœnam verò exclusionem à regno. Et scribens ad Colossenses ait: *Qui enim iniuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit.* Et adhuc grauiùs acerbiúsque Christus eos taxauit dicens. *Qui dixerit fratri suo raca, reus erit concilio, qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et nihilominus (vt Augustinus obseruauit) homines faciles sunt ad irrogandas iniurias, & difficiles ad concordiam requirendam. Adeò enim stupidi & amẽtes sunt.

Ibid. 21. 5.

Chrys. hom. 19. in 1. ad Thess.

Coloss. 3. 25.

Matt. 5. 22.

Aug. tom. 9. lib. de verb. Domini. Ser. 16.

120. Qui autem iniurias referunt, licet adeò iniqui non sint, vtpote qui lacessiti insiliunt, & (vt Cyprianus notauit) pondere ingentium iniuriarum pressi in oppressores grassantur: nihilominus tamen (quamuis excusatiùs, vt dixit Seneca) delinquunt, quia id prohibiti faciunt. Etenim Leuitici 19. præcipitur: *Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* & Prouerbiorum 10. 22. *Ne dicas, reddam malum pro malo, expecta Dominum, & liberabit te.* & capite 24. *Ne dicas, quomodo fecit mihi, faciam ei: reddam vnicuique secundum opus suum.* Vnde Dauid huius prohibitionis non ignarus dixit psalmo 7. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Id est, si tale crimen incurri, talem ipse subeam pœnam. Et Dominus recensita parabola serui tortoribus traditi, quia noluit conseruo suo certam pecuniam dimittere, subdidit Matthæi 18. *Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis fratribus vestris de cordibus vestris.* Vbi est maximè notandum ly, *de cordibus vestris.* Significat enim omnes vindictæ appetitiones penitus propulsandas, adeò vt maligna illa quæ de acceptis iniuriis solet in animis manere memoriá (vindictæ certè nutrix & altrix) excidat & euanescat. Quod dixerim propter illud Basilij magni. Maxima reprehensione dignus est homo Christianus, quod sit procliuis ad vindicationem. Et propter illud Chrysostomi. Nihil ita Deus auersatur vt hominem vltionis auidum. Quare doctè piéque Ambrosius. Non hæc sola est forma iustitiæ, vt non lædas cum qui te non læserit, sed etiam

Seneca 2. de ira. c. 32.

Leuitic. 19. 18.

Prou. 10. 22.

Prou. 24. 29.

Psal. 7. 5.

Matt. 18. 35

Basil. de ira & inimic.

Chrys. hom. 27. in Genesim.

Ambros. lib. 10 epist. 82.

Cypr. de bono patie.

etiam vt remittas ei qui læserit.

121. Sed potest in aduersum sic obiici. Cùm mali à peccando resiliant formidine pœnæ, cuius gratia Iudices gladium portant, & gladio feriunt: cur iniustitiam patientibus non licebit aduersus facientes gladium, vel linguam stringere, vt discant non conuiciari, neque iniuriam inferre? Vnde Irenæus libro 5. aduersus hæreses. Quoniam absistens à Deo homo in tantum efferauit, vt etiam consanguineum sibi putaret hostem, & in omni inquietudine, homicidio, & auaritia sine timore versaretur, imposuit illi Deus humanum timorem, vt positum gladium timeat. At quoniam alterutrum homines (verba eiusdem Irenæi sunt) vice piscium sese consumerent, si vlciscendi seipsos venia daretur, oportuit Magistratibus tantum ius vlciscendi concedi. Maximè quod in sua causa nemo dexter aut rectus Iudex est, magis quàm in suo morbo medicus. Præterquàm quod dum quis meritas à proximo pœnas non sumit, non tantùm illum corrigit, & emendatiorem reddit, verùm & morigerum atque studiosum facit, Gregorio Nazianzeno dicente. Magnum esse censemus de his à quibus læsi sumus, pœnas sumpsisse. Magnum, inquam, nam & hoc ad aliorum vitia corrigenda vtile est. At multo hoc maius ac diuinius est, acceptam iniuriam tolerare. Illud enim improbitatem coërceat; hoc autem ad probitatem adducit, quod quidem longè præstantius atque perfectius est quàm à vitio abstinere.

Iren. lib. 5. aduersus hæres. c. 24.

Nazianz. epist. 32. ad Theod.

122. Et addit Nazianzenus. Ingentem nobis humanitatis quæstum propositum esse existimemus: ea quæ in nos admissa sunt condonemus, vt ipsi quoque veniam consequamur. Ante benignitatem, benignitatem conferamus. Zelatoris cognomentum hinc obtinuit Phinees, quod Madianitidē gladio transfixit, vnde probrum ex Israëlitica natione exemit: at maiorem laudem tulit quod pro populo in scelus collapso fudit preces. Laudibus item affectus est Moses quod Ægyptium obtruncarit; verùm maiorem hinc sui admirationem concitauit, quod Mariam sororem precibus vindicauit à lepra. His similia habet Basilius. Multi quidem eorum qui ante nos vixerunt, supplicium suimpserunt, quorum iam apud posteros nulla prorsus est ratio. Qui verò in philosophia quamplurimos excelluerūt, animi indignationem remiserunt, quorum immortalis memoria per omnia secula durat. Horum ratio est, quod (vt perpendit Chrysostomus) is qui iniuria afficitur magis vincit quàm qui intulit: ait enim. Dic mihi, quæso, quis vicit, Iobus cui ablata sunt omnia, an diabolus qui omnia abstulit? est perspicuum quod diabolus qui omnia abstulit. Quem nos admiramur ob victoriam, diabolum

Nazianz. ibid.

Basil. epist. ad Aduoni. cum Præsidē.

Chrysost. to. 4. hom. 16. in 1. ad Cor.

qui percussit, an Iobum qui percussus est? est perspicuum quod Iobum. Vnde si iniuriis affectus non fuisset, non illam præclaram victoriam reportasset. Et quasi tacitæ obiectioni respondens de malo quo afficitur iniuriam passus, dicit. Si malum esset iniuria affici, non hoc nobis iussisset Deus: Deus enim mala non iubet. An non ipse est Deus gloriæ? Non ergo nos vult in opprobrium coniicere. Et alibi dicit. Omnium certè malorum hæc causa est, quod non intelligimus quisnam faciat, & quis patiatur iniuriam: nam si rectè intelligeremus, non iniuriis vexaremur. Quare asseuerare licebit, iniuriam iniuria retaliare, non solùm esse malum pro malo reddere, sed malum pro bono: quia iniuria bonum recipienti est, & quidem æternum, de quo verè Monachi agunt.

Idem tom. 2. homil. 54. in Matthæum.

123. 31. *Instrumentum.*

Trigesimumprimum instrumentum, *Inimicos diligere.* Arduum sanè & penè reluctans naturæ instrumentum hoc: vtpote quod naturaliter cuncta suis aduersariis reluctantur, vel ipsa Scriptura dicente: *Omnia duplicia, vnum contra vnum, & non facit quidquam deesse.* Id. est, adeò hæc vniuersalis est regula, vt exceptione careat. Et rursum: *Contra malum bonum est, & contra mortem vita, sic & contra virum iustum peccator. Et sic intuere in omnia opera altissimi, duo & duo, & vnum contra vnum.* Seu (vt Augustinus legit) *bina & bina, vnum contra vnum.* Et quidem cùm inimicorum proprium sit nocere & insidiari, (vt notauit Basilius) & res nostras, (vt Nazianzenus dixit) tam bene quàm malè se habentes studiosè ac diligenter obseruare, non vt iudicent, sed vt improbent, nec vt nobis gratulentur, sed vt insultent, atque bona vt calumnientur, & mala tragicis verbis exaggerent, quis non execrabitur eos? Tantùm abest vt diligat. Quid si sciremus illos vitæ nostræ insidiari, sanguinem sitire, terras ambire mariáque, vt nos viuos deglutiant? Hosne amore prosequemur, & vt charos habere tentabimus? O rem certè humanis viribus superam, imparem, & aduersam! Natura enim vt naturaliter in suum bonum propendet, sic naturaliter sua propulsat incommoda, aut saltem conatur propellere, etiamsi irrationalis sit: nam ouis propterea lupum fugit; imò etiamsi inanimis: ob id enim aqua ignem refugit, & innata auersione odit. Si ergo homo nocentem sibi, atque detrimentum inferentem inimicum habet, quo iure poterit illum diligere? Præsertim quod (vt notauit Chrysostomus) diabolus est qui nobis inimicos parit, vtpote impacatus contra homines hostis, & sine induciis aduersarius. Quare sicut diabolus velut Leo circuit quærens quem deuoret, sic & illius soboles inimici. Vnde Plutarchus de illis. Vitam nostram circuunt, vt vndiquaque ansam nocendi capterint, & non tantùm vt lincei per quercus, testas, vel lapides, sed

Basil. in regul. bre. interreg. 176. Nazianz. oratione 13.

Eccli. 42. 25. & c. 33. 15.

Aug. 11. de ciuitate. c. 16.

Chrys. tom. 5. homil. 79. ad populum.

1. Pet. 5. 8.

Plut. de vtilit. inimicorum.

sed etiam per amicos, famulos & familiares quoscumque vel nostras cogitationes explorent. Et quid consilij capimus per cuniculos perscrutantur: & hæc vt in nos sæuiant, quia nos odio habent. Quis ergo sibi inducit in animum tam acres & truculentas feras diligere, & hos diaboli fœtus amare?

124. At licet secundum carnem hoc impossibile sit, eo quod (vt *Chrys. hom. 13. Imperfecti.* Chrysostomus habet) caro inimicum suum diligere non potest, vt neque illatas iniurias non sentire: at secundum animam non tantùm possibile, verùm & promptum est, vtpote subnixum opitulationi diuinæ, & vel naturali rationi maximè consentaneum. Etenim cùm Domini potissimum & præstantissimum præceptum sit, inimicos diligere, iuxta illud Matth. 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros:* consequens est, vt vires ad illius impletionem immitat. Hac enim ratione mandata eius grauia non sunt, *1. Ioan. 5. 3.* sed potiùs omne iugum eius suaue, atque onus leue. *Matt. 11. 30.* Adhæc non tam in inimicorum ipsorum bonum, quàm in nostrum id iussit, dicente ipso eo loci, *vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est.* Quod sanè bonum omnia quæ antea repromiserat, facilè supergreditur. *Chrys hom. 12. in Matt.* Etenim (vt Chrysostomus habet) neque terræ hic meminit, sicut in mitibus: nec consolationis ac miserationis, sicut in lugentibus atque miserantibus: neque regnum cœlorum memorat, sicut in pauperibus spiritu, & persequutionem patientibus; sed quod his erat longè sublimius, vt scilicet fierét similes Dei, vt sitis (inquit) filij patris vestri, qui in cœlis est. Et paulo antè. Perspexisti celsitudinem philosophiæ, & idcirco tam claro es digna præmio; quia tam magno es subiecta præcepto.

125. Ex his enim planè colligitur, præcepti difficultatem in obseruantium fœlicitatem, & quidem eximiam, redundare. Cùm igitur non tãtùm faciles, sed & prompti ad magna præmia simus, cõsequens est, præcepti huius obseruationem facilem ex diuino auxilio, & promptam ex eius præmio reddi. Et quidem quodnam homini præmium vtilius aut excellentius quàm fieri Deo similem, exquo ad imaginem eius primò conditus est? In quo autem similior Deo fieri potest, quàm in hoc quod inimicum diligat? Siquidem (vt notauit Origenes) cùm Dei sit proprium diligere omnia quæ sunt, & nihil eorum quæ fecit, odio habere, sed potiùs omnibus parcere; consequens est, vt qui etiam omnia Dei diligit, & nihil eorum quæ Deus ipse fecit, odio habet, maximè sit similis Deo. Qui autem inimicos suos diligit, quid non diligit? *Orig. tract. 22. sup. Ioan. cap. 2.*

126. Imò non tantùm præmij, verùm & meriti commodum ipsi nobis inimici conciliant, vtpote qui non rarò probitatis nostræ causa, nec leuis, sunt. Etenim (vt cum Plutarcho loquar) inimici nostri cùm lyncei sint, nostra perscrutantes opera, consiliaque introspicientes, non segniter cõpellunt nos cautè & attentè viuere, ita vt neque oscitanter, neque incircũspectè aliquid agere *Plutarchus vbi suprà.*

audeamus ; modo certè illorum qui ſuſpicione morbi, diligenti exactaque vitæ moderatione cauent, nequid officiant valetudini. Imò non tantùm ad cautam, verùm & ad honeſtam vitam quodammodo nos impellunt: non ſecus ac finitimus hoſtis ad ſobrietatem vigilantiamque cõſtringit ciuitates illas, quas ſeptas & in obſidione habet: quas etiam ad legis obſeruationem, & ad conuenientiorem adminiſtrationem Reipublicæ, & ad omnes inter ciues ſimultates vitandas, & ad concordiam reducendas, & denique ad mores componendos compellit. Ingẽs ergo nobis in ſpiritualibus ſaltem & moralibus ex inimicis accedit vtilitas. Hos ergo cur non diligemus, & intenſo feruore amabimus, atque in pretio habebimus? Certè quãuis Crux in qua Chriſtus paſſus eſt, probroſa & exitialis fuerit, quia tamen (vt obſeruauit Chryſoſt.) nobis innumerabilium bonorum fundamentum & radix facta eſt, amamus, reueremur, colimus, & adoramus illam. Si ergo inimici nobis adeò ſalutares ſunt, cur illos non reuerebimur, venerabimur, & proſequemur amore? Si autem tam inclytæ perfectionis hoc inſtrumentum eſt, iure à Monachis exigitur perfectioni ſtudentibus.

Chryſ. hom. 10. ſup.1. ad Corint.

127. 32. *Inſtrumentum.*

Trigeſimumſecundum inſtrumentum, *Maledicentes ſe non remaledicere, ſed magis benedicere.* Sacrum quidem atque ſaluberrimum inſtrumentum hoc, vtpote Dominicum. Verbum enim Domini apud Lucam eſt; *Benedicite maledicentibus vobis.* Quod etiam ipſe exemplo præſtitit, dicente Petro; *Qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.* Et quidem in ſalutem & bonum eius qui ſic iudicabat, Paulus item monuit: *Benedicite perſequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere.* Qualem etiam ſeipſum præſtitit ad Corinthios dicens; *Maledicimur, & benedicimus.* Petrus item hortatur; *Non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto, ſed econtrà benedicentes.* Et hoc ideo, quoniam malorum imprecationes tantùm abeſt vt bonis officiant, quod ſæpius plus quàm amicorũ benedictiones proſunt, Chriſto ipſo dicente; *Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines, & cùm perſequuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes.* Cuius gratia Baſilius inquit. Quid eſt quod ab amico magnum adeò beneficium poſſit proficiſci, quantum eſt illud quod ab inimicis nobis datur? Quorum opera fit, vt beatitudinem illam aſſequamur, de qua Dominus; Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines. Ecce ſacrum ſimul atque ſalutare inſtrumentum.

1. Pet. 2. 23

Rom. 12. 14

1. Corint. 4. 12.

1. Pet. 3. 9.

Matth. 5. 11.

Baſil. in regul. fre. q. 176.

Sed cùm legamus, Deũ ipſum maledictionis verba aliquando effutiiſſe; verbi gratia, in terram, quando Adamo dixit: *Maledicta terra in opere tuo.* & ſerpenti: *Maledictus es inter omnia animãtia & beſtias terræ.* Et Dauid ſæpe multa multis deuouentem: pſalmo enim 34. dixit; *Effunde frameam, & conclude aduerſus eos*

128.

Gen. 3. 17.

Ibi. 14.

Pſal. 34. 3.

Luc. 6. 8.

qui

Psal.67.3. *qui persequuntur me.* & psal. 67. *Pereant peccatores à facie Dei.* & similia psal.68. *Effunde iram tuã* Psal.68.6. *in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non in-* Matth.21. *uocauerunt.* Item & Christum 19. Dominum, quem legimus maledixisse ficulneæ, vt numquam fructus ex illa nascenretur. Et tandem Petrum dicentem Simoni offerenti sibi pecunias; Act.8.20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Cùm igitur hæc videamus, non videtur de se malum, & prohibitum maledicere: quoniam aliàs Deo & Sanctis minimè liceret. Quod si maledicere, cùm sit imprecationibus aggredi, & primò impetere, malum de se non est, multo minus remaledicere; nam hoc (vt ille alius dixit) responsum est, non dictum. Quare Christus ipse in sibi iniurios & conuiciatores Iudæos conuiciis sæpissime insiliit, appellando illos modò filios diaboli. Ioan. 8. 44. modò filios gehennæ. Matth. 23. 15. modò generationem malam. Matth. 12. 39. modò hypocritas. Matth. 23. modò cæcos & duces cæcorum. Ioan. 8. 35. modò sepulchra dealbata, omni dolo & spurcitia plena. Matt. 27. 27. & alia huiusmodi: & quidem ob conuicia atque probra ab illis tam crebrò accepta. Vnde fit consequens quod maledicentibus remaledicere, malum & inordinatum non sit; & proinde neque prohibitum.

119. At cùm maledictio, de qua impræsentiarum, sit charitati repugnans, vtpote per quam pronunciatur malum contra aliquem, vel imprecando, vel optãdo, non potest non esse peccatum; & quidem mortale ex genere; quamuis propter paruitatem materiæ, vel subreptionem actus, vel minimam malitiam affectus, contingat veniale fieri, iuxta quæ D. Thomas constituit, ex eo quod omne peccatum charitati repugnans, non potest suapte natura non esse mortale. D.Th.2.2.q. 76.art.3. Vnde Leuitici 20. *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur*; licet illud quod sic est mortale, possit ex prædictis capitibus veniale fieri. Quare Augustinus hanc maledicendi culpam aliquãdo inter leues recẽsuit, licet aliàs ex genere suo sint mortales. Cuius gratia 1. ad Corint. legimus; *Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Et licet remaledicere minus & excusatius peccatum sit, quàm maledicere, vt per se notum est: quïa tamen est mali imprecatio & in odium proximi, idem iudicium de illo, atque de maledictione ferendum est: vtique repugnare charitati, & ex suo genere esse peccatum mortale, licet aliquibus tẽperamentis possit fieri veniale. Quod autem peccatum est, siue veniale, siue mortale, non potest non esse prohibitum; & proinde instrumentum hoc iuri per omnia consentiens est.

Levitici 20.

Aug.hom.de igne purgat.

1.Cor.6.

130. Neque obstant argumenta quæ induximus; quoniam (vt Greg.habet) aliud est maledicere zelo iustitiæ & correctionis, *Greg.4.mor. cap.6.* aliud verò zelo vindictæ. Illud enim per se bonum est in his qui publica, nedum suprema (vt Deus & Christus, atque ministri illorum) authoritate vigent.

Si

Si enim huiusmodi potestates zelo iustitiæ & publicæ vtilitatis possunt mala sontibus inferre, cur non etiam (si opus est) precari? Et hoc pacto prorsus maledixerunt omnes in argumento relati: quamuis Dauidicę maledictiones potiùs fuerint (vt August. notauit) prædictiones propheticæ, quàm imprecationes. Istud verò maledicendi genus zelo vindictæ, suapte natura malum & prohibitum est: & quidem non modò in illis qui priuata authoritate id faciunt, sed etiam in illis qui prætextu authoritatis publicæ. Est enim (vt D. Thomas monuit) in vindicatione considerandus vindicantis animus; nam si feratur principaliter in malum illius de quo sumit vindictam, tunc talis vindicatio illicita est, quia delectari in malo alterius, pertinet ad odium, quod est contra charitatem. Neque aliquis excusatur, si malum intendat illi qui sibi malum intulit, sicut non excusatur aliquis per hoc quod odit odientem se. Si autem feratur intentio ad aliquod bonum, ad quod peruenitur per pœnam peccantis, putà, ad emendationem & cohibitionem illius, & quietem aliorum, & ad iustitiæ conseruationem, & Dei honorem, potest esse vindicatio licita. Quare genus istud maledicendi omnino interdictum est. Illud verò quod in extrema parte huius instrumenti subiicitur, videlicet, *Maledicentibus benedicere*, consilium dumtaxat perfectionis est, non secus ac illud præbendi dextram maxillam percutienti sinistram; licet ingruente necessitate talis precationis, sub præcepto obligaret.

August. sup. psal. 68.

D.Th.2.2.q. 108.ar.1.

Trigesimumtertium instrumentum, *Persequutionem propter iustitiam sustinere.* Iure id nobis indicitur, cùm scriptum sit; *Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Id est, propter Christum (ait Hilarius) qui factus est nobis iustitia, sanctificatio & redemptio, seu propter bonum alicuius virtutis. v.g. fidei, patientiæ, misericordiæ, & similium: eo quod (vt notauit Chrysost.) iustitiæ nomine omnis animi virtus designatur. Vnde (notante hoc Ruperto nostro) octaua beatitudo quæ dicit; *Beati qui persequutionem patiuntur*, &c. vniuersos complectitur, & pauperes spiritu, & mites, & lugentes, & esurientes, & sitientes iustitiam, & misericordes, & mundos corde, & pacificos: quia videlicet omnes persequutionem passi sunt, & patientur quicumque illos imitari voluerint. *Omnes enim* (ait Apostolus) *qui piè volũt viuere in Christo Iesu, persequutionem patientur.* Et subiungit Rupertus. Similiter promissio, quoniam ipsorum est regnum cælorum, quæ ipsa prima est & octaua, & cunctas interiores cõplectitur promissiones: quia videlicet regnũ cęlorũ, & terra est quam mitibus promittit, & consolatio quam promittit lugentibus, & saturitas quam pollicetur esurientibus & sitientibus iustitiam; & misericordia quam spondet misericordibus, & visio Dei, quã promittit mũdis corde; & gloria filiorũ Dei, quam pollicetur pacificis.

131. 33. *Instrumentum.*

Matth.5.10.

Hilar.can 4. in Matth.

1. Cor.1.30.

Chrys. hom. 15.in Matth.

Rupertus sup. Matth. 5 8.

2. ad Timot. 3.

Rupertus vbi sup.

Germa

132. Germanè tamen atque singulariter ad martyres hoc verbum Christi directum est, vtpote quod maximè illi ob Christi, & virtutum amorem furias hominum ferociamque pertulerunt; & quidem adeò leniter, adeò submissè, vt vngulis lacerati, flagris contusi, equuleo torti, sæpe excoriati, & gladio cæsi, non in eis resonaret murmur, non querimonia: sed corde tacito mens bene conscia illorum seruarit patientiam, quibus æternam illam adepti sunt coronam, quam nulla vox, nullaque lingua potuit dignè pertexere, vt in illorum hymnis Ecclesia canit. Vnde Gregor. Nyssen. dixit, quod verbum hoc Christi, stadium nobis martyrum ostendit, cursúmque fidei designat in his qui propter præmium ab inimico exagitantur, certaménque pro pietate suscipiunt & conficiunt: quia reuera beatum est propter Dominum pati persequutionem, quia à malo exagitari causa boni adipiscendi est. Hoc autem vt comprobet Nyssenus inducit exemplum de Ioseph, de quo Scriptura refert quod à fratribus insidiis peritus, & ab eorum conuictu atque cõtubernio remotus, per venditionem eorum, rex ipsorum designatus est: fortè ad tantam dignitatem non progressurus, nisi inuidia per insidias illas iter ad regnum patefecisset. Et mox de Stephano subdit. Idcirco magnus ille Stephanus gaudet lapidibus vndique petitus, ac veluti suauem quemdam rorem crebros lapidum ictus in modum floccorum niuis incidentium corpore cupidè excepit.

Nyssen. lib. de beatitudib. beatitud. 8ª ratio.

Idem ibid.

133. Et licet supra captum humanæ rationis sit bonum quod manet fideles patiẽtes malũ propter Christũ: adhuc vel ipsa terra nobis in exẽplum est. Ipsa enim experimento docet commoda quę ex incommodis, fœlicia quæ ex infœlicibus, prospera quę ex aduersis, & bona quæ ex malis proueniunt. Etenim quoniam inter omnia elementa sola terra subigi, premi, & proscindi se sinit, sola illa vtilior cæteris, & nobis yberior est: adeò vt quo cultior, eo illustrior, feraciorque euadat. Vnde Plinius. Aquæ subeunt in imbres, rigescunt in grãdines, tumescunt in fluctus, præcipitantur in torrentes, aër densatur nubibus, furit procellis: at terra benigna, mitis, indulgens, in vsusque mortalium semper ancilla, quæ coacta generat, & bona fide credentium fœnus reddit. Si igitur fœlix terra in frugibus terræ agricolarum persequutionem passa: cur non beatus homo in beatitudinis regno hominũ propter Christum persequutionem patiens? Quod si hæc quisque fidelis, quid Monachus monasticę professionis ictibus tunsionibusque addictus? Iure ergo instrumentum hoc illis affixum est.

Plin. lib. 2. historiæ naturalis. c. 63.

134. Trigesimumquartum instrumentum, *Non esse superbum.* Etenim præterquàm quod non est creata hominibus superbia, (vt habetur Eccli. 10.) vtpote quod neminem decet, aut etiam licet aduersus alium inflari, (vt habetur 1. Corint. 4.) sed potiùs humilibus consentire, (vt dicitur Rom. 12.) sunt multa superborũ

34. *Instrumentum.*

Eccli. 10. 22.

1. Cor. 4. 6.

Rom. 12. 16.

flagella. Nam in primis in illos
Psal. 17.28. scriptum est psal. 17. *Oculos superborum humiliabis.* & apud
Esaiæ 10.33. Esaiam; *Sublimes humiliabuntur.*
Ierem. 5.32. & apud Ieremiam; *Cadet superbus & corruet, & non erit qui suscitet eum.* & iterum; *Si exaltatus*
Ierem. 49. 16. *fueris vt aquila, & inter sydera posueris nidum tuum, inde detraham te.* & apud Micheam; *Hu-*
Micheæ 6. 14. *miliatio tua in medio tui.* Vnde
Nyssenus de vita Mosis. Nyssenus. Superbia est descensus ad inferiora. Quare sicut per lubricam voluptatem quispiam lapsus decidit, sic superbia intricatus & submersus concidit. Et
Basil. hom. de humilitate. Basil. Metue similitudinem ruinæ, qua cecidit diabolus, qui cõtra hominem elatus subtus hominem cecidit, & in proculcationem traditus est ei, quem ipse calcauerat. Et mox. In promptu
Matth. 23. 12. habe illud dictum Domini; Qui se exaltat, humiliabitur. Ratio autem est, quoniam qui confidit in virtute sua, corruit: talis autem est superbus, vtpote sibi plus æquo tribuens, suisque viribus fidens (vt Greg. Nazianz.
Nazianz. carm de virtut. humana. 135. notauit.)

Deindè superbus habet à cælo repulsam, dicente Domino vel suismet discipulis sese pro tunc extollentibus. *Nisi conuersi*
Matth. 18.3. *fueritis, & efficiamini sicut parvuli iste, non intrabitis in regnũ cælorum.* Quod antè psal. 100. inũ-
Psal. 100.7. bratum est; *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam.* Ratio autem est, tum quod Deus
Iacobi 4 6. superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Id est, non illis, sed istis dat gratiam. Vbi autem gratia non fuerit, nec gloria erit. Tantùm verò abest, quod Deus illis det gratiam, aut quod ipsi in gratia Dei sint, quod potiùs in odio eius omniumque hominum esse perhibentur, dicente Scriptura; *Odibilis est Deo &* *Eccli.* 10.7. *hominibus superbia.* Tum quia (vt dixit Ambros.) ad imperium cæ-
Ambros. Ser. 10. lorum non peruenitur superbia: arcta enim & angusta est via quæ ducit ad vitam. Quisquis ergo inflatus fuerit, tanquam onustum & impeditum animal, per angustum regni iter transire non poterit. Vnde Greg. magnus
Greg. lib. 34. moral. c. 23. euidentissimum reproborum signũ notat superbiam: ait enim. Quia Leuiathan rex dicitur superborum, apertè cognoscimus quod euidentissimum reproborum signum est superbia. Et quidem si vel supremi ipsi & ætherei Angeli è cælo propter superbiam deturbati sunt, quænam spes misero homini scandendi cælos reliqua esse poterit superbia innodato?

Adhæc non tantùm à cælo, verùm à via & tramite qui ducit ad cælum deuiat & exturbat superbia homines, vtpote quæ virtutibus omnibus virtutumq; actibus aduersatur, Greg. magno dicente. Alia vitia eas solummodo virtutes impetunt quibus
Idem ibi. cap. 18. ipsa destruuntur, vt videlicet ira patientiam, continentiam libido: superbia autem nequaquam vnius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit. Et quasi rationem adhibens subdit. Quisquis ergo in se tyrannidem captiua mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod clausa cordis oculo iudicij

æquita

æquitatem perdit. Isto autem oculo clauso in omnibus cæcutire necessum est. Prosper item Rhegiensis similia profert inquiens. Quia inter vitia aut nulla est, aut rara iactantia, & facilè spernitur qui de opprobrio gloriatur, malum superbiæ maximè virtutibus est cauendum, quia nullis opportuniùs insidiatur, quàm quibus laus iusta debetur. Et infrà. Cùm aliæ cupiditates ea tantùm bona quibus aduersantur, imminuant, hæc dum omnia ad se trahit, simul vniuersa corrumpit. Et non tantùm omne bonum corrumpit, verùm & omne malum parit, eodem Gregorio dicente. Radix cuncti mali superbia est, de qua in Scriptura dicitur, initium omnis peccati est superbia: primæ autem eius soboles, septem principalia vitia de hac virulenta radice proferuntur, scilicet inanis gloria, ira, inuidia, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria, quorum singula contra nos exercitum habent. Nam de inani gloria, inobedientia, iactantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordia, & nouitatũ præsumptiones oriuntur. De inuidia, odium, susurratio, detractio, exultatio in aduersis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira, rixæ, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur. De tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta; vagatio mentis erga illicita nascitur. De auaritia, proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obdurationes cordis proferuntur. De ventris ingluuie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur. De luxuria, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, horror autem, vel desperatio futuri generantur. Hæc Gregorius.

Prosper epist. ad Demetriadem.

Greg. lib. 21. moral. c. 31.

137. Inde est quod hominem diabolo superbia reddit similem, Chrysost. dicente. Nullum malum par elationi, hominem reddit dæmonem, blasphemum, contumelioſum, periurum, cupidum cædium & homicidiorum. Item Bernardo. Superbia fecit de homine Angelum, & de nuper creato iusto perfidum. Cùm ergo homo monachatum subeat, vt de virtute in virtutem progrediens, tandem videat Deum Deorum in Sion, nihil illi miserius, nihil damnabilius, nihil infaustius, nihil denique infortunius superbia contingere potest. Non ergo sit superbus, aut non sit Monachus. Imò ex quo incipit esse superbus, incipit non esse Monachus, sed dæmoniacus.

Chrys. hom. 43. ad pop.

Bern. Ser. de purificatione Virg.

138. Trigesimumquintum instrumentum, *Vinolentum non esse.* Meritò post superbiam vinolentia interdicitur. Vtraque enim temulentia est, vel ad temulentiam via, nisi quod illa odiosum, ista verò hominem ridiculum facit, imò hominem esse inficiatur, Basilio dicente. Sicut aqua igni est aduersa, sic vinum iu-

35. *Instrumentum.*

Basil hom. 14. in ebrietatem.

modicum rationem supprimit. Et subdit. Qua in re, dic homo miser, à brutis differs? nonne rationis munere quam à Deo accepisti, reliquæ creaturæ dominus & imperator factus? Hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem priuans inter bestias rationem carentes annumerari poteris, similisque illis videri. Itē. Nec solùm eo peiores brutis, quod mente insani aut ebrij: sed etiam quod sensibus longè infra illa deficere vidētur. Quod quæso animal ita visu audituve atq; ebrius homo debilitatur? nonne familiarissimos interdū ignorāt: alienis verò sæpe vt domesticis congrediuntur? Et post pauca. Quis est qui maledictionē Cain in seipsum transferat? an nō qui vino tremit & vacillat per omnē vitā? Naturali namque firmitate deficiente, corpus vacillat. Hactenus Basilius. Cui Chrysost. consentit, dicēs quod temulētia homines peiores bestiis fiunt, adeò vt melior asinus homine ebrioso sit, canisque præstantior illo. Inde Eccli. 37. *Propter crapulam multi perierunt.* In bruta enim penè cōuersi sunt. Et apud Esaiam: *Nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, & præ ebrietate errauerunt.* Et tandē apud Paulū; *neque ebriosi regnū Dei possidebūt.*

Chryſ. hom. 58. in Matt.

Eccli. 37. 34.

Eſaiæ 28. 7.

1. Cor. 6. 10.

Quod si dixeris non in omnibus vinolentiā crapulam generare; vtpote quod aliqui cerebrū vino fortius robustiusque sustinent. Non abnuam ego, neq; est qui iure abnuat, experimento siquidem comprobatum est. At (rogo) citra ebrietatem sunt vitia aliqua ex vinolentia orta? Bone Deus! Omnia suboriuntur ex illa, Chrysost. dicente. Hic fons, hæc mater, atque origo vitiorum est. Et pro exēplo subiicit. Hac via olim Hebræos in cultum diabolus idolorū iniecit: hæc iniquos Sodomitarum amores inflammauit. Nec mirū sanè, scriptū quippe est Eccli. 19. *Vinum & mulieres apostatare faciunt etiā sapientes, & arguūt sensatos.* Iras etiam acuit, Scriptura attestante: *Vinum multum potatū irritationē, & iram, & ruinas multas facit.* Animæ item mœrorem & angorem ingerit, ipsa etiam perhibēte Scriptura: *Amaritudo animæ vinum multum potatū.* Libidinem causat, iuxta illud ad Ephes. 5. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Vnde Hieron. epist. ad Oceanum. In vino luxuria: in luxuria voluptas: in voluptate impudicitia est. Et paulo antè. Venter mero æstuans citò despumat in libidines. Ambros. etiam. Libido vino accenditur. Homines secretorū incontinētes, iudiciorum, & pauperum in iudicio euersores facit, Scripturā dicente. Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum, quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas, ne fortè bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis. Furorem etiam incutit, iuxta illud Oseæ 7. *Cœperunt principes furere à vino.* Denique (vt taceam quæ Plutarchus ex vinolentia refert incommoda corporis. v. g. præcocem canitiem & caluitiem, & ad alia notabilem impotentiam) recenset pro incommodis animæ, quod homines reddit garrulos, saltatores, cātores, nimiumq; ridētes, quia cùm

Cbryſoſt. vbi ſup.

Eccli. 19. 2.

Eccli. 31. 38.

Ibi, 31. 39.

Epheſ. 5. 18.

Hier. epiſtola 83.

Amb. lib. 1. de pœnitentia.

Prou. 31. 4.

Oſee 7. 5.

Plutar. in Sympoſ. quæſtione 5.

pruden

prudentia vacet, omnia ista ingerit. Ecce quanta ex bibacitate prosiliant incommoda. Vnde Prouerb. 23. *Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui suffusio oculorum? cui sine causa vulnera? Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Et apud Esaiam; *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum. Propter hoc sicut devorat stipulã lingua ignis, & calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi favilla erit, & germen eorum vt pulvis ascendet.*

Prou.23.29.

140. Hæc non de vino, aut de vini vsu, sed abusu dicuntur. Vt enim multos exterminauit vinum immodicè potatum, sic in sobrietate sumptum vita illis est, vt Ecclesiasticus habet; *Exultatio animæ & corporis sobrius potus.* Vnde Chrysostomus. Audi quid ad Timotheũ scribat Paulus: Modico vtere vino propter stomachum, & crebras infirmitates tuas. Quod si sanctus vir illé morbo depressus, & alternis ægritudinibus laborans, quousque Magister permisit, vino non vtebatur; quam veniam nos consequemur, vino ad ebrietatem sani abutentes? Et iterum. Non ad mœrorem, neque dolorem, sed ad lætitiam vinum datum est. Vinum enim (inquit) lætificat cor hominis. psalm. 103. Et Hieronymus. Vinolentia scurratum est & comessatorum. At vinum moderatè sumptum præsentissimum habetur pharmacum, Plutarcho referente. Liber pater ob repertum præsentissimum pariter, & gratissimũ pharmacum, vinum scilicet, creditus fuit frugis medicus. Et Seneca de vino moderatè sumpto. Eluit curas, & ab imo animum mouet, & vt morbis quibusdam, ita tristitiæ medetur: Libérque non ob licentiam linguæ dictus est inuentor vini, sed quia liberat seruitio curarum animum, vegetioréque & audaciorem in omnes conatus facit. Sed vt libertatis, ita vini salubris moderatio est. Ideo præceptor sanctissimus non vini vsum, de quo postea, sed abusum interdictum voluit instrumento isto, vtpote conducibili ad perfectionem monasticam.

Eccli. 31.32.

Chrysost. vbi suprà.

Plutarchus lib. 3. proble. problem. 1.

Seneca de tranquillitate animi, ad finem.

141. Trigesimumsextum instrumentum, *Non multum edacem.* Multæ edacitatis multa sunt damna: quoniam præter illa quę refert Scriptura dicens Prouerb. 21. *Qui diligit epulas, in egestate erit.* & Ecclesiastici 37. *Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. In multis enim escis erit infirmitas, & auiditas vsque ad choleram appropinquabit. Propter crapulam multi obierunt.* & 1. ad Corinth. 6. *Esca non commendat nos Deo.* Igitur præter ista quæ Scriptura refert, sunt alia grauissima incommoda, quæ Gregorius magnus notauit dicens. De ventris ingluuie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur. Et alibi ait quod gulæ deditos superfluitas loquutionis comitatur: & huius signum esse quod diues epulo petiit, dum in tormentis esset, guttam aquæ ad refrigerandam linguam. Quibus ostenditur, quod epulando quotidie crebriùs in lingua peccauerat, qui

141. 36. *Instrumentum.*

Prou.21.17.

Eccli.37.32.

1.Cor.6.8.

Greg. lib.31. mor.c.31.

Idem 3.p. past.adm. 20.

totus ardens refrigerari se in lingua præcipuè requirebat. Ait etiam comitari illos corporis leuitatem; quia scriptum est cap. 32. Exodi. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Item & luxuriam, quia dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur. Ecce turpissimæ matris, turpissimæ filiæ, iuxta Gregorium magnum. Alia etiam insolentior huius tam fœdæ matris est soboles, nimirum idololatria, iuxta illud iam inductum Exodi 32. *Sedit populus,* &c. & Deut. cap. 31. *Cum comederint, & saturati crassique fuerint, conuertentur ad Deos alienos, & seruient eis, detrahéntque mihi, & irritum facient pactum meum.* Vnde cap. 32. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit.* & Thren. 5. *Ægypto dedimus manum & Assyriis, vt saturaremur pane.* & Daniel. 14. *Nonne tibi videtur Bel Deus viuens? an non vides quanta comedat & bibat quotidie?* & ad Philipp. 3. *Nunc autem flens dico, inimicos Crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* Hæc enim omnia idololatriam redolent, Nefaria item, seu nefanda Sodomiticæ voluptatis impuritas à saturitate fuit, Ezechiele attestante. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, saturitas panis & abundantia.* Dispendium denique & excidium penè vniuersarum virtutum ortum hinc etiá habet, iuxta Ieremiæ illud; *Nabuzardan princeps coquorum combussit domum Domini, & omnes domos Ieruſalem.* Hoc enim explicans Gregorius inquit. Princeps coquorum venter est, cui magna cura obsequium à coquis impenditur, vt ipse delectabiliter cibis impleatur. Muri autem Ieruſalem, virtutes sunt animæ ad desiderium supernæ pacis eleuatæ. Coquorum igitur princeps muros Ieruſalem deiicit, quia dum venter ingluuie extenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur.

Exod. 32.6. *Deut.* 31.20. *Deut.* 32.15. *Thren.* 5.6. *Daniel.* 14.5. *Philip.* 3.5. *Ezech.* 16. 49. *Ierem.* 52.13. *Gregor. vbi suprà.*

Inde in Scriptura sacra illa contra helluones istos tam dira supplicia. *In diebus Noë* (Lucæ 17.) *edebant, & bibebant, & venit diluuium, & perdidit omnes.* & illa Num. 11. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque est ille locus Sepulchra concupiscentiæ.* Quod est illud psal. 7. *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israël impediuit.* Item & illa lex Deut. 21. *Filius vester si comessationibus vacat, & luxuriæ, atque conuiuiis, lapidibus obruet eum populus.* & 1. Corinth. 6. *Esca ventri, & venter escis, Deus autem hũc & has destruet.* Item & monita illa. *Noli esse in conuiuiis potatorum, neque in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt.* & Lucæ 21. *Attendite vobis, ne fortè grauentur corda vestra crapula & ebrietate.* & ad Hebræos 12. *Ne quis profanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenita sua.* Quare sicut luxui dediti inuicem dicunt; *Vtamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter; vino pretioso & vnguentis nos replcamus.* & item; *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.*

142.

Num. 11.33. *Psal.* 77.31. *Deut.* 21.20. *1. Cor.* 6.13. *Prou.* 23.20. *Luca* 21.34. *Hebr.* 12.16. *Sap.* 2.7. *Esaiæ* 22.13.

mur. Sic temperantiæ studiosi clamant, & quidem ad Deum; *Eccli. 23. 6.* *Aufer à nobis ventris concupiscentias, & animo irreuerenti & infrunito ne tradas nos Domine.* Et ideo iure nobis edacitas per magistrum ac legislatorem nostrum interdicta est.

143. Quod si dixeris hæc scripta esse in eos qui lautioribus cibis vtuntur, & seipsos in exquisitissimas epulas, dapésque effundũt, à quibus sanè Monachi quàm longissimè sunt. Sunt quidem: sed his non obstantibus audiamus fratrem simul & patrem Gregorium magnum dicentem. *Gregor. lib. 3. moral. c. 17. Ezech. 16. 49. Gen. 25. 32.* Ad Ierusalem dicitur, hæc fuit iniquitas Sodomæ, saturitas panis & abundantia, & primogenitorum gloriam amisit Esau ob vilem cibum, scil. lenticulam. Vnde antiquus hostis primum hominem non carne, sed pomo subdidit, & Dominum non carne, sed pane tentauit. Audiamus item Ambrosium dicẽtem. *Ambros. prec. 2. ad Miss. 10. vlt.* Ventris ingluuies à necessitate quidem incipit, sed modum necessitatis excedit, & ad voluptatem transit, cuius mortiferum virus tunc vtcumque euacuatur, cùm non qualitas, sed libido in escis præcauetur. Prima enim mulier non exquisitarum dapum, sed sola pomi delectatione mortem mundo induxit, & antiquus hostis Regem nostrum non de carne, sed de pane tentauit, & Sodoma sulphure periit, quia panem in saturitate comedit. Quapropter clementiam tuam Deus imploro, vt sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes accedam. *Eccm. de pas. Domini. cap. 42.* Audiamus denique Bernardum abusiones gulæ quadruplices esse dicentem, & versiculo isto notantem,

Properè, lautè, nimis ardenter, studiosè,

Quare licet secundus absit, vtique lautitia, seu magnificentia ciborum, non propterea deerunt tres alij abusus; quorum quilibet sufficit reddere comestionẽ gulosam, & comedentem edacẽ, atque helluonẽ. Quæ sanè Monachis valde indecora, imò turpia & exitiosa sunt.

144. Trigesimumseptimum instrumentum, *Non somnolentum*. Post bibacitatem atque edacitatem, quid somnolẽtia prius, aut quid illis proprius? Licet enim Basilius somnolentiæ causam refundat in contemplationis desidiã, dicens. Sanè dormitatio nascitur, quoticscumque animum nostrum in contemplatione rerum diuinarum sinimus veluti lentescere, & Dei iudicia contemnimus: ipsam autem depellimus, quoticscumque veram, atque vt par est, de Dei majestate notitiam, cogitationémque concipimus, & desiderium illius perficiundæ voluntatis, velut ille qui dixit; Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniã locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Et hæc postquam intetrogauit. Quæ causa est intempestiuæ & immodicæ dormitionis? & qua ratione poterimus illam à nobis depellere? Arist. etiam hanc eamdem somnolentiæ causam in excessum vigilandi refundit. Germana nihilominus ac propria ratio somnolentiæ est nimia cibi aut potus intemperantiã & ingluuies.

37. *Instrumentum.*

Basil. in reg. breu. interrog. 32.

Psal. 131: 5.

Arist. de somno & vigil. c. 1.

Etenim

Idem vbi sup. prà. c. 3.

Etenim Arist. agens de somno inquit. Somnus fit maximè post sumptum cibum; quia tunc sursum effertur copiosus & corpulentus humor, qui cùm constiterit in cerebro, aggrauat, & dormitare facit, sed cùm descenderit, & calorem repulerit, tunc fit perfectè somnus, & dormit animal. Rationem autem subdens inquit. Somnum fieri per ascensum vaporum ad cerebrum ex eo patet quod cibi omnes & potus euaporantes dormire faciũt, vt vinum, & mandragora. Vnde

Idem ibid.

Tertull. de anima. num. 474.

Tertullianus lib. de anima agens de cibo & potu, dicit. In his plurima somni paratura est. Si igitur omnis cibus, & omnis potus, quid nimius?

145.

Et licet somnũ non magis euitare possimus quàm famẽ, sirim, lassitudinem, & alia quæ naturalia sunt, vt habet Chrysost. homil. 74. in Ioannem: imò multo minus quàm ista, quoniam (vt Aristoteles habet) somnus est necessarius animali ex suppositione quod se conseruare vult. Et rursum. Somni causa finalis est salus in animalibus, quia quiescunt in somno, cùm operari semper non possint. Augustinus etiam. Somnum corporis omnes debemus habere, quia si non habeatur somnus corporis, deficit homo, deficit ipsum corpus. Non enim potest diu sustinere corpus nostrum fragile animam vigilantem & intentam in actionibus. Si diu fuerit anima intenta in actionibus, corpus fragile & terrenum non illam capit, non illam sustinet perpetuò agentem, & deficit, & succumbit. Ideo Deus donauit somnum corpori, quo reparantur membra corporis, vt possint vigilantem animam sustinere. Tertullianus denique. Porrò somnum ratio præit, tam aptum, tam vtilem, tam necessarium, vt absque illo nulla anima sufficiat, recreatorem corporum, redintegratorem virium, probatorem valetudinum, pacatorem operum, medicum laborum, cui legitimè fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum etiam colorem. Quod si vitale, salutare, auxiliare somnus, nihil huiusmodi non rationale, non naturale. Hæc tamen omnia intelligenda sunt de moderato & temperato somno; nam intemperatus & nimius non modò insalubris, verùm & quodammodo lethifer, atque exitialis est; non tantùm quia (vt Chrysostomus dixit) somnus suapte natura est temporaria mors, & vnius dici interitus. Ex quo sequitur, quod nimius somnus erit nimius interitus atque nimia mors. Nec tantùm quoniam (vt Bernardus ait) suspecta res est somnus, & ex magna parte ebrietati similis, nihil temporis tam deperit de vita nostra quàm quod somno deputatur. Nec tantùm quia vigilia ad declinandas dæmonis tẽtationes maximè opus est, iuxta illud Christi ad discipulos in horto somno oppressos; *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Sed quia ferreus somnus lethargus est; morbus autem lethargicus exitialis. Item quia & epileptici, hoc est, comitiali morbo laborantes somno graui inuaduntur. Et pueri sex primis mensibus

Tertull. supràn. 4

Chrysost. homil. 2. Dauid.

Bern epist. fratres d Monte D

Matt. 26.

non

non possunt mouere collum, eo quod dormiunt maximè ; iuxta quæ Arist.habet libro de somno & vigilia.cap.3.

146. Inde dixerim ego definitiones illas somni quas ex variis Philosophis Tertullianus recenset,dicens.Stoici somnum resolutionem sensualis vigoris affirmant : Epicurei diminutionem spiritus animalis : Anaxagoras cum Xenophonte defetiscentiã: Empedocles & Parmenides refrigerationem : Strato segregationem consati spiritus:Democritus indigentiam spiritus:Aristoteles marcorem circumcordalis caloris. Dixerim inquam definitiones istas esse definitiones nimij & intemperati somni: nõ secus atque Augustini.Somno membra langueſcunt. Nam temperatus & sobrius salubris admodum est: eo quod vt cibus & potus ad vitam simpliciter necessarius, temperatus & cum proportione ad stomachum debet esse , nam nimij cibi insalubres & lethales sunt;ita & somnus. Vnde Tertullianus iterum. Omnis natura aut defraudatione, aut exorbitate rescinditur, proprietate autem conseruatur. Bernardus item.Sobrium cibum sequitur somnus sobrius.Carnalis verò somnus & brutus, &,sicut dicitur, lethæus abominandus est seruo Dei.Etiam Petrus; *Fratres , sobrij estote , & vigilate.* prius illud, postea istud, quoniã sine sobrietate vigilia non erit, sed somnolentia & torpor maximè contraria Monachis,quorum munus est meditari. cantare.& Deo gratias referre,eiúsque per omnia præcepta seruare.

Tertul. vbi suprà num. 469.

Aug.tom.1. lib de quantitate anim.c.22.

Tertul. vbi sup.n 476.

Bernard.vbi supra.

Quorũ adimpletioni repugnat somnolentia, dicente D. Thoma.Otiositas & somnolentia reducuntur ad torporẽ circa præcepta : otiosus omnia prætermittens, somnolentus ea negligenter implens. *D.Tho. 1.2. q. 36. art.4. ad 3.*

147. Repugnat etiam omni studiosæ fœlicitati, quoniam scriptum est Prou.20. *Noli diligere somnum , ne egestas te opprimat.* *Prou.20.13.* Vtique corporis simul & animę; pro qua scriptum est : *Hora est iam nos de somno surgere,* ne scilicet defatigemur dira egestate illa, qua epulo in tormentis gutta aquæ sitiens, nec obtinens. *Rom. 13. 11.* Sed(vt iterum in Prouerb.) *aperi oculos tuos, & saturare panibus.* Illis vtique quibus esurientes,& sitientes iustitiam saturãdi sunt: & etiam quibus corpora refici opus habent. *Qui enim vigilauerint ad Deũ* (ait Ecclesiasticus)*inuenient benedictionem.* Illam scilicet , quæ replet omne animal. *Oportet enim* (vt Sapiens inquit) *præuenire Solem ad benedictionem nostram. Si enim* (vt ait Iob) *diluculo surrexeris ad Deum,& omnipotentem deprecatus fueris , statim euigilabit ad te.* & ipse Prouerb.8. *Qui manè vigilauerit ad me,inueniet me.* Qui autem inuenit illũ, inuenit vitam,& haurit salutem ab eo.Somnolenti verò patiuntur repulsam ab illo , vt patet in virginibus fatuis. *Matth.25. 13.*

Matth.5.6.

Eccli.32.18.

Sap.16.28.

Iob.8.5.

Prou.8.17.

148. Trigesimumoctauum instrumentum , *Non pigrum.* Pigritia somnolentiæ cohæret,siue vt filia, siue vt mater, siue vt causa, siue vt effectus. Cùm enim dicitur Prou.6.*Vsquequò piger dormies?*& Prouerb.20. *Pigredo immittit soporem.* & iterum cap.26. *Sicut*

38. Instrumentum.

Prou.6.9, & 19.15. & 26.14.

Sicut ostium vertitur in cardine suo, sic piger in lecto suo. Cùm igitur hæc dicuntur, innuitur pigritiam esse somnolentiæ causam. Cùm autem ex instrumento præcedenti constet somnolentiam enervare vires, corpo-ríque per eam virtutem languescere, necessum est dicere, somnolentiam pigritiam generare, torporem, accidiam & negligẽtiam. Sed cùm causæ sint sibi invicem causæ (vt Arist. docuit) aliquando somnolentia ex pigritia, aliquando pigritia ex somnolentia erit: in abiectis istis atque contemptibilibus rebus maximè verum habet, quod aliquãdo sunt causa, aliquando effectus, vt patet in his quæ ex putri fiunt, vermis enim ex terra, & terra ex vermibus plerumq; generatur. Maximè quod sicut piger vult, & non vult, vt habetur Prouerb. 13. ita causat, & non causat, imò est, & non est. At siue hinc, siue inde pigritia procedat, miserrima valde est, vtpote, miserrimum faciens pigrum, Scriptura dicente Prou. 18. *Pigrum deijcit timor.* & cap. 19. *Abscondit piger manum sub ascella, nec ad os suum applicat eam.* & cap. 20. *Propter frigus piger arare noluit. Mendicabit ergo in æstate, & non dabitur ei.* & cap. 21. *Omnis piger in egestate est.* & iterum: *Desideria occidunt pigrum, noluerunt quidquam manus eius operari.* Vnde cùm scriptum sit; *Omnis arbor quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur.* & iterum Christus; *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Cuius gratia seruus inutilis in tenebras exteriores missus est, & ficulnea infrugifera maledicta; miserrima certè est pigri, pigritiæque conditio.

Arist. 2. Physic. c. 1. *Prou. 18. 8.* *cap. 19. 24.* *cap 20. 4.* *cap 21. 5.* *cap. 11. 25.* *Matth. 7. 19.* *Ioan. 15. 2.* *Matt. 25 30. & 21, 19.*

Probrosa item & contumelioſa est pigritia, Scriptura dicente Prouerb. 19. *Qui negligit viam suam mortificabitur.* Item Ecclesiastici 22. *In lapide lutea lapidatus est piger, & omnes loquuntur super aspernationem eius.* Item; *De stercore boum lapidabitur piger, & omnis qui tetigerit eum, manum excutiet.* Quare mittitur ad formicam, quæ eum cum eius ignominia doceat, iuxta id Prouerbiorum 6. *Vade ad formicam piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.* Etenim si honor hominibus nec leuis creuit ex hoc quod multifariam multísque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissimè doceret eos per filium vnigenitum suum, sibíque cònsubstantialem: sic ignominiæ & contumeliæ pigritantibus adscribendum est, quod ad formicas reiiciantur, vt illos sapientiam doceant. Est enim pigritia odibilis, iuxta id Prouerbiorum 10. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his qui miserunt illum.* & iuxta id Apocalyp. 3. Angelo Laodiciæ. *Scio opera tua, quia neque frigidus, neque calidus es: vtinam frigidus, aut calidus esses, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Nec mirum quod sit piger odiosus; est enim plerumque arrogans & superbus, Scriptura dicente

149. *Prou. 19. 16.* *Eccli. 22. 1.* *Ibid. 2.* *Prou. 6. 6.* *Prou. 10. 26.* *Apoc. 3. 16.*

psalmo

Psal.72.5. psalmo 72. *In labore hominum non sunt; & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate, & impietate sua.* Et iterum de tepido illo qui Dei stomachum prouocauit. *Dicis quod dives sum & locupletatus, & nullius egeo,* (superbissimi hominis verba sunt) *& nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Deo autem & hominibus superbia execrabilis est. Inde Bernardus. Abiiciamus pernicioſam tepiditatē; & si non quia Deo etiam solet vomitum prouocare, certè quia molestissima, plena miseriæ, & doloris, & inferno plānè proxima, & quæ vmbra mortis iure censetur.

Bern. Serm. 6. de ascensione.

150. Sed ô tetrum, & fœdum, horribiléque monstrum! Sunt enim (vt verba Bernardi vsurpem) qui ad omnia viæ & vitæ huius exercitia non solùm ambulant, sed & currunt, imò potiùs volant, & vt eis vigiliæ breues, & cibi dulces, & panes suaues, labores non solùm tolerabiles, sed & appetibiles videntur: ad ea verò quæ Dei sunt non sic, sed corde arido, & affectione recalcitrante, vix quidem, imò nec vix quidem trahuntur, gehennalíque compelluntur timore; cùm tamen non quæ super terram, sed quæ super cœlos sunt sapere teneamur. ad Colossenses 3. Et maledictus sit qui opera Dei facit negligenter; vt Ieremias habet. *Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in desideria multa & inutilia,* vt Paulus dixit, vtpote quod *radix omnium malorum est cupiditas,* vt etiam habet idem ibidem. Iure ergo de his maximè dicitur; *vult, & non vult piger:* quoniam temporalia, caduca, & transitoria volunt, æterna autem, immobilia & fixa non ita: diligunt illa quæ propter nos & in seruitutem nostram sunt condita, negligunt autem ea ob quæ nos conditi sumus, & ad quæ diuinitus & finaliter destinamur. Cùm igitur pigritia omnis exosa sit, maximè tamen ista quæ tantùm circa cœlica est. Quare Augustinus expendit maximè, quod Abraham audita voce trium Angelorum illorum qui sibi apparuerunt, & conuiuio illius annuerunt, per se ad armentum cucurrit, vxor eius accelerauit, puer festinat, quia nullus est piger in domo sapientis; præsertim in his quæ pietatis sunt & religionis. Quare præceptor noster longè à suis Monachis pigritiam ablegat, & longè ab illis esse vult.

Fern Ser. 3. de ascēsione.

Colos. 3.

Ierem. 48. 10.

Prou. 13.4.

Aug. to. 10. Serm. 70. de tempore. Gen. 18.6.

151. Trigesimumnonum instrumentum, *Non murmurosum.* Murmurare & peccare (ait Augustinus) conditio est cunctorum viuentium. Sed certè non propterea excusatior, quando quidem murmuratio omnis speciés maledicentiæ est, & *maledici* (vt scriptum est) *regnum Dei non possidebunt.* Quare super id ad Philippenses 2. *Vt sitis simplices & sine querela,* ait Chrysostomus. Non leuem maculam imprimit murmuratio. Et D.P.N. Bernardus. Graue peccatum est murmurario. Vnde

39. *Instrumentum. Aug. to. 10. Serm 26. ad fratres in Eremo.*

1.Cor.6.10.

Chrys. Ser. 8. sup. ad Philip.

Bern Ser 47. de modo viuendi.

Gregorius. Regnum cælorum nullus qui murmurat, accipit. Quod etiã ex seueritate & duritia qua Deus vel in hac vita murmuratores puniuit, colligi potest. Sanè contra eos qui aduersus Moysem & Aaron è populo suo murmurauerunt, pestilentiam comminatus est dicens Num. 14. *Feriam eos pestilentia, atque consumam.* Et licet precibus Moysis reuocauerit mulctam hanc, aliã subrogauit inquiens; *Non videbunt terram, pro qua iurauí patribus eorum.* Quæ sanè ad exitum vsque perducta fuit. Et Num. 12. Maria soror Moysi eo quod murmurauit contra illum, lepra repleta est, cadente supra eam (ait Augustinus) quasi nix. Cuius supplicij mysterium explicans ipse ait, ideo murmuratricem sororem lepra percussam fuisse, quia sicut lepra totum corpus deuorat, & sibi adhærentes inficit, sic & murmurator non solùm seipsum destruit, sed etiam cunctos audientes interficit & occidit. Et D. Bern. explicãs mulctã aliam, de qua Paulus dixit, quod detractores à serpentibus perierunt, ait. Quare à serpentibus perierunt, nisi quia serpens venenosus est, & omnis qui murmurat, venenum diaboli habet in lingua? Vnde Iacobus: *Lingua inquietum malum, plena veneno mortis.* Inde est quod 8. Synodus generalis, ex Basilio magno in constitutionibus monasticis, vt à Gratiano refertur, constituit huiusmodi murmuratores à fratrum vnitate abiiciendos, & illorum opera ableganda. Quod etiam Augusti-

Num. 14. 1. & 20.

Num. 14. 23.

Augustin. vbi supra.

Bern. vbi supra.

Grat. d. 91. c. Alienus.

Aug. vbi supra.

nus iussit dicens. O quàm pestis misera & mortalis! ô quàm venenosa! Hæc enim est quæ conuentus Clericorum, & ciuitates multas destruxit. Et quia grande periculum est inter murmuratores habitare, ideo expellendi sunt, ne cæteri corrumpantur.

152. Sed bone Deus! Vnde aut quomodo tantum flagitiũ, murmurare? Certè si rem ipsam attendimus, videbimus murmurare de malo esse opus naturalis virtutis, quæ est synderesis. Diuus enim Thomas 1. parte, quæstione 79. articulo 12. ad finem ait quod ad synderesim pertinet & inuestigare bonum, & murmurare de malo. Item quod synderesis est habitus principiorum operabilium naturaliter inditus, per quæ erga operabilia discurramus: sicut intellectus est habitus principiorum speculabilium, per quæ erga speculabilia discurrimus. Vt igitur synderesis opus bonum est, ita & murmurare de malo opus bonum erit, aut saltem non ita præposterum & exitiale. Nomen etiam ipsum exosum non est; murmurare siquidem idem est quod leuiter strepere, & murmur facere, seu mussitare, metaphora sumpta à sono aquæ fluitantis, cuius strepitus lenis est, & proinde audientibus gratus. Nihilominus (adhuc in nominis etymologia insistendo) quoniam aquarũ murmur ex repercussione illa est, qua ab aquis aquæ impelluntur ad cursum & agitationẽ; ideo quilibet strepitus, siue sonus ex aliqua pressura auditus, murmur, & quidem

graue

Plin. 2. hist. natur.c.80.

graue vocatur, iuxta illud Plinij dicentis de hiatibus terræ. Præcedit comitaturque terribilis sonus, aliàs murmur; similis mugitibus aut clamori humano, armorumue pulsantium fragori. & illud Ciceronis. Maris murmur; & iterum, minitans murmur. Ac proinde murmurare, aliquando significat crepare, mugire, strepere, iuxta illud Plauti;

Cicero 3. de Orat. Idē in Arato.

Plaut. Cass.

Mihi inanitate iam dudum intestina murmurant.

Quare murmuratio sumitur pro eo quod est nimia aut improba querimonia, infausta & iniusta querelā. Vnde Seneca, querulum murmur. Et quia de superioribus frequentissimè querimoniæ iactantur, & de illis crebrò inferiores queruntur: ideo murmurationis nomen ad incontinentiam linguæ contra superiores suos querimonias iactantis tractum, & desumptum est. Vti cùm Exodi 15. scriptum legimus. *Murmurauit populus cōtra Moysem dicens, quid bibemus?* Et cap. 16. *Murmurauit omnis congregatio contra Moysem & Aaron in solitudine, & dixit ad eos; vtinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium: cur eduxisti nos in desertum?* Et Num. 14. dicitur. *Vociferans omnis turba fleuit, & murmurati sunt contra Moysem & Aaron dicentes; vtinam mortui essemus in Ægypto.* Quare Aug. Attendite fratres, Maria hæc quę peccauit (vtique soror Moysi) animam subditorum & discipulorum significat, quando suo præposito vel presbytero obedire recusat; & recusando murmurat; & murmurando lepra afficitur, quod apparet dum culpa eius publicatur.

Seneca in Hercule Oet.

Exodi 15.25. 16.2.

Num. 14.1.

Aug. ibi supra.

Et quoniam è superioribus supremus & primus Deus est, ideo improbæ querimoniæ in illum sub murmurationis nomine in Scriptura notantur. Dicitur enim Exodi 16. *Dabit vobis Dominus panes in saturitate, eo quod audierit murmurationes vestras, quibus murmurastis contra eum: nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.* Id est, iniquæ istæ & improbæ querimoniæ contra Deum sunt. Et Num. 11. *Ortum est murmur quasi dolentium pro labore contra Dominum.* Et Iudas Apostolus in sua Canonica postquam dixisset: *Venit Dominus facere iudicium contra eos qui loquuti sunt contra Deum*, subiunxit; *Hi sunt murmuratores queruli.* Et ideo Paulus ad Philip. 2. *Omnia facite sine murmurationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei.* Vbi querelā murmurationi adiunxit, & vtramque simul relegauit. Eadē de causa Origenes notat, esse murmuratores contra Deū, qui de cæli intemperie, infœcunditate fructuum, raritate imbriū, aliorumve prosperitate vel aduersitate causantur. Et Chrysost. murmuratorem blasphemo proximum esse asserit. Et Ambros. ait quod inuidere dignitati quā Deus donauit alicui, est aduersus Deum murmurare: nam propter hoc quod Core & socij eius inuiderunt dignitati, quam contulit Moysi, dictum est de illis quod aduersus Deum murmurarūt. Imò Gregorius inquit,

153.

Exod. 16.8.

Num. 11.1.

Iude 16.

Philip. 2.

Origen. sup. Exod. 16.

Chrys. hom. 8. sup. ad Philip. Amb. epist. 82. ad Eccleſiā Colin.

Num. 12.1.

murmurare contra Deum illos qui eius flagella renuunt, vel ægrè ferunt quod Deus illorum orationes non audiat. Horum autem ratio alia esse non potest, nisi quia murmuratio est insolens querimonia, de Domino, vel etiam de præfecto. Quin potiùs ideo improbæ & iniquæ querimoniæ contra præfectos rationem murmuris habẽt, quoniam præfecti Dei funguntur officio, quatenus omnis potestas à Domino Deo est, & non est potestas nisi à Deo. Constat autem maledicẽtiam in Principes, maximè in maximos, seueriſſima animaduersione esse dignam: & propterea tam sæuè puniti, qui contra Deum, vel contra ministros illius murmurarunt. Aliæ autem leuiores murmurationes non sunt tanta pœna dignæ. In Monachis autem omnis murmuratio est grauis, vtpote in Christum. Christum enim tentat (inquit Bernardus) qui pro cibo, vel potu, siue pro vestimẽto murmurat. Sicut scriptum est: Tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis. Et iterum. Et murmurauerunt in tabernaculis suis, & non exaudierunt vocem Domini. Contra Christum facit, qui in Monasterio pluſquàm oportet requirit. Et Anacletus Papa apud Gratianum nostrum. Sententia Chami damnantur qui suorum præpositorum culpas ptodunt: pudenda enim illorum operire, non autem denudare tenentur.

Bern Ser.47. de modo viuendi.

Gratianus 297.cap.Plerumque.

154. 4c. *Instrumentum.*

Quadragesimum instrumentum, *Nõ detractorem.* Synonyma videntur murmuratores & detractores: nam Scriptura quod modò vocat murmurare, illicò vocat detrahere, vt est videre Num.4. At cùm præceptor noster inter ea distinguat, euidens est ipsa inter se differre. Ad cuius euidentiam sciendum quod iuxta D.Thom.2.2.q.73.art.12. Detractio, est denigratio famæ alicuius, siue læsio famæ eius per verba occultè prolata: nam quãdo fit per publica & manifesta, contumelia est, non detractio. Vnde Ecclesiastæ 10. *Si mordeat serpens in silẽtio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Et licet murmutare sit etiam leuiter strepere, & quasi mussitando denigrare famam alterius; quia tamẽ is leuis strepitus est per modum querelæ, & in ratione querimoniæ, vt patet ex instrumẽto præcedenti, detractio verò non sic, sed per modum vituperationis, qua proximi fama maledico dẽte carpitur, sub quacumque ratione suggilletur: ideo iure murmurator detractorque distinguuntur, murmuratioque & detractio. Inde Dauidicum illud; *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.*

Num. 4.2. & 11.

D.Th.2.2.q. 73.ar.12.

Eccle.10.11.

155. *Alex.1.epist. 3.apud Grat. 6.q. 1. cap. Summa. 16.*

Detractionis autem tantum est crimen, vt dicat Alexander à Gratiano relatus. Summa iniquitas est, fratres, detrahere. Vnde scriptum est; Omnis qui detrahit fratri suo, homicida est. Quod verbum licet sub hoc tenore scriptum non sit, sed sub isto; *Omnis qui odit patrem suum, homicida est.* Nihilominus quoniam alicui detrahere idem est quod illum odio prosequi, in idem prorsus recidit detrahere & occidere. Vnde Anacletus Pontifex epist. apud Gratianum.

Grat.ibi.cap. Deteriores.

Deterio

Deteriores sunt isti illis qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. Ipsi enim ea quæ extra nos, (licet nostra sint) auferunt, nostri autem detractores propriè nos ipsos decerpunt: & ideo iustè infames sunt,& meritò ab Ecclesia extorres fiũt. Cõcinit Zephyrinus Papa epist. 1. ad Episcopos Siciliæ apud euidem Gratianum dicens. Detractores diuina authoritate eradicandi sunt,& authores inimicorum ab Episcopali submouemus authoritate & testimonio. Vtique tanquam infames remouẽtur à testium dignitate. Quare meritò in eos inclamatum est; *Pſ.108.29.* *Induantur qui detrahunt mihi pudere, operiantur sicut diploide confusione sua.* Infamia enim pressi non possunt pudore non suffundi. *Ambros. 3. offic. cap. 3.* Ambros. etiam eorum crimina exaggerans ait. Si quid dolet membrum vnum,compatiuntur membra omnia. Vide quàm graue est, vt detrahamus aliquid ei, cui nos compati oportet; & cui debemus consortiũ ministerij,ei fraudi & noxæ simus. *Hieron epist. ad Celantiũ.* Et Hieronymus contra detractionẽ. Pauci admodum sunt qui huic vitio renuncient. Tantaque huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant. *De pœnitentia dist. 3. c. Nihil.* Vnde Pius I. epist. ad vniuersos Christi fideles apud Gratianum. Nihil prodest homini ieiunare, & orare, & alia religionis bona agere, nisi mẽs ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Vnde propheta; Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo,& fac bonum. Nemo enim bonum faciẽs alteri verbo aut facto nocere vult. Scriptura nihilominus est, quæ fortiùs perstringit istos, & reprehendit acriùs: quoniam nõ tantùm dicit, *abominatio hominum detractor*: verùm, *detractores Deo odibiles.* *Eccli.23.20.* *Rom.1.30.* Quo verbo nihil acerbius, nihil miserabilius, nihil durius.

Et est valde notandum quod non solùm detractores, verùm qui detractoribus patientem cõmodant aurem, eadem nota taxantur, Bernardo dicente. Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit nõ facilè dixerim. Et meritò quidem, quoniam apud Paulũ scriptum est; *Digni sunt morte non solùm qui talia agunt, sed & qui facientibus consentiunt.* & Prou. 4. *Remoue à te os prauum, & detrahentia labia procul sint à te.* & Prou. 24. *Detractoribus ne commiscearis, quoniam repentè consurget perditio illorum.* & Eccli. 28. *Sapi aurem tuam spinis, & linguã nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* Etenim vbi non est auditor, non effunditur sermo, etiam si optimus, nedum maledicus. Quare Hieronymus. *Nemo inuito auditori libenter refert; sagitta in lapide numquam figitur, interdum resiliens percutit dirigentem. Discat detractor, dum videt te non libenter audire, non facilè detrahere.* Sed Scriptura meliùs. *Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.* Quapropter etiam si detractoris auditor verbis aut nutibus non audeat repugnare,

156. *Bernar. 2. de Considerat. ad Eugeniũ.* *Rom. 1. 32.* *Prou. 4. 24.* *Prou 24.* *Eccli. 28. 29.* *Hieron epist. ad Nepotian.* *Prou. 25.*

pugnare, & detractorem corripere, si tamen demisso vultu adest illi, exsiccabit torrentem malidicentiæ eius, obtusamque faciet linguam illius: etiamsi (vt Bernardus inquit) lancea sit, gladius acutus, anceps, & triceps: vtpote fodiēs Christi corpus, & membrum de membro, nec iam exanime, sed exanime faciens: & ipsis quoque nocentior spinis, atque etiam clauis quibus manus & pedes Christi Domini sunt confixi. Licet enim (hæc omnia sunt Bernardi) leuis res sermo, tenera, mollis, & exigua caro lingua hominis, sed ideo leuis res sermo, quia leuiter volat, grauiter tamen vulnerat: leuiter transit, sed grauiter vrit; leuiter penetrat animam, sed nō leuiter exit: profertur leuiter, sed non leuiter reuocatur: facilè volat, atque ideo facilè violat charitatem. Detrahentia ergo labia procul sint à nobis, vt etiam simus procul à detrahentium labe.

Bern. de triplici custodia.

157. 41. *Instrumentum.* Quadragesimumprimum instrumentum, *Spem suam Deo cōmittere.* Rectè quidem & optimè, quoniam huiusmodi spes est illa, de qua Paulus Rom. 5. dixit quod non confundit. Cui consonat Ecclesiasticus dicens: *Scitote quia nullus speravit in Domino, & confusus est.* Vnde Dauid; *Deus meus, in te confido, non erubescam, neque irrideant me inimici mei. Etenim vniuersi qui te expectant, non confundentur.* & psal. 30. *In te Domine speravi, non confundar in æternum.* Confundi autem idem est quod spe fraudari, consilio labi, errore duci, & aliter euenire quàm sperabatur,

Rom. 5. 5.

Eccli. 2. 12.

Psal. 24. 1.

Psal. 30. 1.

per quæ humana spes à diuina distinguitur. Vt enim ista infallibilis, sic labilis illa atque fallax est, Scriptura dicente: *Spes impij tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus qui à vento diffusus est.* Impius autem reputatur, qui vel sibiipsi, nedū aliis fidit, iuxta illud Prou. 12. *Qui confidunt in cogitationibus suis, impiè agunt.* & 4. Reg. 18. dicitur: *An speras in baculo arundineo atque confracto, super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manus eius, & perforabit eas?* Vnde Ieremiæ 17. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Vtpote quia omnis homo mendax, & vana salus hominis. Ob quæ monemur: *Nolite confidere in Principibus, neque in filiis hominum, in quibus non est salus.* & Prou. 28. dicitur. *Qui confidit in corde suo, stultus est.* Et quidem adeò stultus, vt à iustis irrideatur, iuxta illud psal. 51. *Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent: Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine diuitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua.* & mox: *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternū & in seculum seculi.* Et antea ipse Dauid psalm. 30. *Odisti omnes observantes vanitates superuacuè.* Vbi per ly *vanitates* humana subsidia & præsidia intelligit, vt interpretatur August. dicens. Speras in pecunia? obseruas vanitatem. Speras in honore & sublimitate aliqua potestatis humanæ? obseruas vanitatem. Speras in aliquo amico-

Sapient. 3. 15.

Prou. 12. 2.

4. Reg. 18. 21.

Ierem. 17. 5.

Prou. 28. 26.

Psal. 51. 6.

Psal. 30. 7.

Aug. ad psal. 30.

amico potenti? obseruas vanitatem: quia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni, verbum autem Domini manet in æternum. Ideo Nazianz. humanam spem definit diurnum & perquàm leue somnium. Et ad idem Basilius. Quæ in manufactis collocatur spes, omnis euanida & inutilis est. Et iterum. Sicut execrandus est homo qui spem suam ponit in homine, ita omni laude dignus qui ex Deo pendet totus.

Nazianz. Iamb. 22.

Basil. sup. Esaiæ 16.

Idem orat. 7. de virtute & vitio.

158. Quæ autem speranda sint, non hic explicat legifer noster. At exquo nobis iniunxit hanc spem, tacitè subindicauit speranda, vtique cœlestis regni bona quæ homines beant, nec sinunt illos miseros vlla ex parte, dicente Paulo: *Expectamus beatam spem, & aduentũ gloriæ magni Dei.* & infrà: *vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* & ad Heb. *Habemus spem ingredientem vsque ad interiora velaminis.* Vnde D. Thomas dixit quod vita æterna, quæ in Dei fruitione consistit, est obiectum huiusmodi spei, & id quod ipsa principaliter respicit. Minus autem principaliter respicit alia bona, quæ mortalibus in hac vita ad aliam necessaria sunt: & ideo sunt eius obiecta, licet secundaria, iuxta illud psalmi 90. *Dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum Deus meus, sperabo in eum.* & psal. 103. *Domus Israël speranit in Domino: adiutor eorum & protector eorum est.* Et quidem cùm liceat nobis hoc à Deo desiderare, & ea ab illo petere, vt patet in oratione Dominica, cur non etiam sperare? Vnde Augustin. Cùm maledictus sit homo qui spem ponit in homine, consequens est, vt qui huiusmodi spem in seipso ponit, huius maledicti vinculo innexus sit. Vnde non nisi à Deo petere debemus, quæ speramus nos vel bene operaturos, vel pro bonis operibus adepturos. Et Basil. Lege nobis statutum, semper à Deo postulare quæ ad salutem pertinent; nam quid à Deo est, quod tui causa non sit exorabile?

ad Tit. 2.

Ibid. 3.

Heb. 6.

D Th. 2. 2. q. 17. art. 2. & 3 p. q. 7. ar. 4.

Psal. 90. 2.

Psal. 103. 9.

Aug. in Enchi. ad Laurent. c. 114.

Basil. in Exam. hom. 8.

159. Et quidem non tantùm sperandum, verùm quodammodo sperando hæc omnia per spem habemus. Nam in primis Scriptura dicit psal. 39. *Beatus vir cui est nomen Domini spes eius.* & Prouerb. 16. *Qui sperat in Domino, beatus est.* & 28. *Qui sperat in Domino, saluabitur.* & Paulus Rom. 8. *Spe salui facti sumus.* Per hæc enim non solùm in spe, sed quodammodo etiam in re beatificãtur in Domino qui sperant in illo. Vnde & lætitia quæ beatitudinis, & æternæ fœlicitatis nó contemnenda pars est, prædicatur de illis: ad Romanos enim dicitur, *spe gaudentes.* & ad Heb. *Fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem.* Et ante illos Dauid, *Lætentur omnes qui sperant in te Domine.* Vnde Augustin. explicans illud psal. 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit*; percontatur quisnam sit, qui manducat labores, & non potiùs fructus laborum. Et respondet. Modò labores habemus, fructus postea erit, sed quia ipsi labores sine gaudio

Psal. 39. 5.
Prou. 16. 20.
Cap. 28. 25.
Rom. 8. 24.
Rom. 12. 11.
Heb. 6. 18.
Aug. sup. id psal. 127.

non sunt propter spem, modò nos ipsi labores iucundant, & lætos faciunt. Firmitudo etiam & stabilitas quæ beatitudinis proprietates sunt, etiam in Scripturis prædicantur de hominibus spem istam habentibus. *Psal.25.1.* Psalmo siquidem 25. legimus. *In Domino sperans non infirmaber.* & *Psal.124.1.* psal. 124. *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion: non commouebitur in æternum qui habitat in Ierusalem* & *Esaiæ 30.* Esaiæ 30. *In silentio & spe erit beatitudo vestra: beati omnes qui expectant Dominum.* & *Cap.24 & 31.* cap. 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas vt aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.* Vnde *Greg. hom. 17. in Ezech.* Gregor. Spes cælestium mentem solidat, ne concutiatur fluctibus terrenorum: de qua per Paulum dicitur, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam. Ecce quãti pretij, quantique momenti sit Monachis spem suam Deo committere: est enim quasi Deo frui in hac vita: & certos esse (ni per illos stet) de æterna fruitione in alia.

Quadragesimũm secundũ instrumentum, *Bonum aliquod in se cùm viderit, Deo applicet, non sibi.* Huius ratio est: quoniam (vt *Iacobi 1.17.* inquit Iacobus) *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum.* Quod adeò verum est, vt dicat Paulus. *2.Cor.3.5.* *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* & ad *Rom.9.16.* Rom. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Id *D.Th. ibid.* est (iuxta D. Thom.) non est volentis velle, neque currentis currere, sed Dei miserentis. Quæ verba notauit Anastasius dicta esse propter Esau, qui vt patris benedictionem acciperet, *Gen.27.* cucurrit in campum ad afferendam venationem, vt cùm comedisset pater, benediceret ei: at Deus posthabita huiusmodi volitione & properatione, misertus est Iacob. Et ad Philipp. 2. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate sua.* Et ideo Paulus 1. Corinth. 4. rogauit. *Quis enim te discernit? Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris?* Quem locum versans August. ad Valentinum inquit. Quoniam carnalis homo & inaniter inflatus cùm audiisset, quis enim te discernit? posset respondere vel voce, vel cogitatione, & dicere, discernit me fides mea, oratio mea, iustitia mea: mox Apostolus occurrit cogitationibus eius, & dicit, quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris? Et epist. 106. Hoc totum ideo non vt homo non glorietur, sed vt in Domino glorietur, non ex operibus, ne forte extollatur, non quia bona opera ista frustrantur, cùm Deus reddat vnicuique secũdum opera eius, sitque gloria, honor & pax omni operanti bonum, sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia.

Anastas. q. 59.

Philip 2.13.

1.Cor.4.7.

August epist. 46.

Idem epist. 106.

Aliis autem Scripturæ locis roborat assumptum hoc Augustinus, & in primis ex illo psal. *Fortitudinem meam ad te custodiam*; adnotans quod cùm

161. *August. vbi sup.* *Psal. 58.10.*

hoc

hoc dixisset Dauid, ne tamen id suis viribus arrogasse videretur, subiunxit, *quia Deus susceptor meus est.* Deinde ex parabola filij prodigi Luc. 15. per quam significatum est, quod qui intelligit, se sibi sufficere ad suam custodiendam substantiam, profectus nihilominus in regionem longinquam luxuriosè agit, & prodigè disperdit omnia. Tertiò item ex illo psal. *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, in vanum vigilat qui custodit eam.* Quartò ex illud ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Et repetens iterum vers. illum psalm. 58. *Fortitudinem meam ad te custodiam;* subdit, quod postquam Dauid verbum istud protulit, reddidit ex composito causam dicens, *quia Deus susceptor meus est.* Et vt rursum signaret causam quare Deus susceptor eius esset, subdidit; *Deus meus, misericordia eius præueniet me.* Quasi diceret, quantumcunque cogitauero merita antecedentia mea, misericordia eius præueniet me. Et addit. Proinde ad illum attribuat fortitudinem suam, ad illum custodiens, eodem seruatore non perdit, quòd eodem largitore suscepit: neque ob aliud meretur ampliora, nisi piè fideliterque sciendo à quo sibi bona sunt omnia. His suffragatur Concilium Arausicanum definiens; Multa fiunt bona in homine, quæ non facit homo, nulla autem bona fa-

Luc. 15. 13.
Psal. 126. 1. & 2.
Rom. 3. 24.
Psal. 58. 10.
Psal. 58. 11.
August. vbi sup.
Conc. Arausic. can. 20.

cit homo quæ non præstet Deus vt faciat homo. Et Ambros. Vides quod vbique studiis humanis virtus diuina cooperetur, vt nemo possit ædificare sine Domino, nemo incipere sine Domino. Et Cyprianus. Dei est omne quod possumus.

Ambr. lib. 2. in Lucam.

Cypr. lib. 2. epist. 2.

Et quid mirum si bonum prosequi, aut etiam inchoare sine Deo non possumus, cùm nec vitare malum graui tentatione propositum sine fauore eiusdem neutiquam valeamus? Hæc sonant verba illa psalm. *In te eripiar à tentatione.* & illa; *Ego dixi in abundantia mea: Non mouebor in æternum. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* & illa: *Impulsus euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me.* & illa Sapient. *Nemo potest esse continens nisi Deus det.* Quare præcipimur orare Dominum dicentes; *Ne nos inducas in tentationem.* & Dominus ad Apostolos; *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Et hæc ideo quoniam (vt habet Innocentius I. epist. ad Concil. Carthaginense, apud August.) pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum potest facere auxilium. Et Concil. Mileuit. apud eumdem Augustinum. Gratia priuatus, necesse est in diaboli laqueis irretitus occumbat. Et Cœlestinus I. Nemo etiam baptismi gratia renouatus idoneus est ad superandas diaboli insidias, & adcuincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianũ auxiliũ

162.
Psal. 17. 30.
Psal. 29. 7.
Psal. 117. 13.
Sap. 8. 21.
Matth. 6. 13.
Cap. 26. 41.
August. epist. 91.
Idem epist. 93.
Cœlest. epist. ad Gallos c. 6.

Dei, perseuerantiam bonæ con-
Greg.in psal. uersationis acceperit. Et Grego-
26.2. rius magnus explicans illud psal. *Ne derelinquas me Domine Deus meus*, inquit. Illos Dominus relinquit, quibus constantiam in tribulatione non tribuit. Et author Imperfecti quasi horum rationem subiungens ait. Sicut nauis fracto gubernaculo illuc ducitur, quò tempestas voluerit: sic & homo diuinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum, agit quod non vult, sed quod diabolus vult. Cùm ergo iustitia nostra omnis constituta sit in hoc quòd est facere bonum, & declinare malum, consequens est, vt si vtrumque Dei opus est potiùs quàm nostrum, Deo acceptum; & non nobis referre debeamus; quod est huius instrumenti propositum maximè ad perfectionem conducens,
Bern.Ser.13. Bernardo dicente. Magna & ra-
in Cant. ra virtus est, vt magna operantem magnum te nescias, & manifestam omnibus sanctitatem tuam te solum latere: mirabilem te apparere, & contemptibilem tibi putare. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico.

163. Quadragesimumtertium in-
43. *Instrumentum.* strumentum, *Malum semper à se factum sciat; & sibi reputet.* Hoc
Osea 13.9. est, non Deo, sed sibi, iuxta Oseæ illud; *Perditio tua ex te Israël, in me tantùm auxilium tuum.* Quod est dicere. Nihil est, ô Israël, quod in malis tuis Deo succenseas, quia horum tu solus author, ille autem bonorum tuorum causa est. Ex te solo habes ruinam, ex illo verò auxilium ad præcauendam eam, & ad reparandam. Quod est illud Gre-
Greg.hom.9. in Ezech. gorij. Mala nostra solummodo nostra sunt: bona autem omnipotentis Dei sunt, & nostra. Etenim cùm de Domino scriptum sit: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* & iterum: *Odisti omnes qui fornicantur abs te.*
Psal.5.5.
Psal.72.27.
& apud Ezechiel: *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus?* & apud Matth. *Non est voluntas ante patrem vestrum, vt pereat vnus ex pusillis istis.* & denique apud Pet. *Deus neminem vult perire:* necessium est affirmare, omnem nostram perditionem à nobis esse, non à Deo; nos enim sumus qui peccamus, & agimus iniquè. Vnde Irenæus agens contra Florinum asserentem Deum mali authorem esse, ita apud Euseb. dicit. Ista dogmata, Florini, sanæ doctrinæ non sunt: sunt enim Ecclesiæ repugnantia. Ista dogmata nec hæretici quidem, qui ab Ecclesia exturbati sunt, vnquam affirmare audebant. Imò non tantùm hæretici, verùm neque Gentiles. Trismegistus enim dicit, à Deo factore nihil turpe, nihil malum prodire. Et Plato. Bonorum quidem solus Deus causa est dicendus, malorum autem quamlibet causam præter Deum quærere decet. Et Maximus Tyrus agens de causa mali. Eius nomen est improbitas, causamque ab eligentis arbitrio nanciscitur, Deo semper extra omnem causam constituto.
Matt.18.14.
1.Pet.3.9.
Euseb. lib.5 hist.c.19.
Trism in Pimandro. cap. vlt.
Plato 2.dial. de Repub.
Max. Tyrus Ser.15.

164. Contra hoc tamen obijci potest verbum illud Ioseph ad fratres, qui illum diuendiderant;

Madia

Gen. 45. 8. Madianitis; *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.*
Gen 50. 19. & iterum: *Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati?* & illa Petri Act. 2. *Hunc præfinito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis.* Act. 4. & iterum: *Conuenerunt in ciuitate ista aduersus Iesum facere, quæ manus tuæ, & consilium tuum decreuerunt fieri.* His enim videtur assertum, non tam hominum quàm Dei impulsu venditionem Ioseph, & Christi mortem fuisse patratas. At sicut in bonis operibus sæpe accidit actionem esse bonam, & passionem malam; vt patet in Sacerdote iure ministrãte Eucharistiam ei qui ob culpam latentem sumit illam indignè: ita in malis operibus sæpenumero accidit actionem esse malam, vt est mala actio vendentium Ioseph, & interimentium Christum, & passionem bonam, vt est bona perpessio tormentorum & mortis propter Christum. Et hoc pacto cadunt sub consilio & voluntate diuina; sub illo autem non nisi in permissione. Vnde Leo Papa Serm. 17. de passione Domini. Multum diuersum, multúmque contrarium est id quod in malignitate Iudæorum est præcognitum, & quod in Christi est passione dispositum. Non inde processit voluntas interficiendi, vnde moriendi, nec de vno extitit spiritu atrocitas sceleris, & tolerantia Redemptoris. Non enim impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit: nec præsciendo quod faciendum esset, coëgit vt fieret, cùm tamen ad hoc carnem suscepisset, vt fieret. Nullum ergo in Deum, sed omnia in nos sunt mala referenda.

Leo Ser. 17. de passione.

Id autem adeò verum est, vt licet multa ex illis, vtique ex malis nostris authorem habeant dæmonem, & quodammodo sint omnia ab illo, scilicet occasionaliter propter primum primorum hominum scelus: cuius causa dixit Dionysius; Multitudo dæmonum causa est omnium malorum & sibi, & aliis. Et ob eamdem qui mortaliter peccant, dicuntur serui fieri diaboli, dicente Domino: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* & Petro; *A quo quis superatus est, eius & seruus est:* nihilominus Gregorius Nazianzenus ex oppolito dicat: Quid nos omnibus in rebus miserum hostem accusamus, éique noxas omnes adscribimus, cùm ipsi scelerata nostra viuendi ratione potestatem demus? Tibi ipsi vel soli, vel potissimùm succense. Ignis enim noster est; flamma autem aduersi spiritus. Et adhuc D. Thom. aduersus magos ait, tum quod dæmon non potest esse causa peccati, nisi per modum persuadentis & proponentis appetibile: tum quod nobis non persuadet singula peccata. Id autem probat ex Origene dicente quod etiamsi diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborum, & venereorum, & similium. Restat igitur malum hominis quodcumque sit; refundendum in illum. Cuius causam assignat Diuus Thomas dicens quod sola voluntas hominis potest esse directè causa

165.

Dionys. de diui. nom. li. 4.

Ioan 8. 34. 2. Petr. 2. 19.

Nazianz. in sententiis tetrast. 52.

D. Tho. 1. 2. q. 80. art. 1. & 4.

Orig. 3. Periarch. c. 2.

illius, eo quod peccatum intantum est peccatum, inquantum voluntarium: & cùm voluntatem nostram nemo possit ab intrinseco mouere, nisi vel ipsa, vel Deus; & Deus non sit causa peccati, relinquitur quod sola voluntas sit causa illius: & ex consequenti, quod illi, & non aliis sit imputandum quod est culpa in nobis.

166. 44. *Instrumentum.* Quadragesimumquartum instrumentum, *Diem iudicij timere.* Sacrum quidem hoc saluberrimúmque consilium: quoniam, vt Chrysostomus habet, timor promissione potentior & efficacior bono: húncque plurimos inuenies bona promissa contempturos fuisse, si de supplicio securi essent; quandoquidem & nunc mihi satis est, supplicio aut pœna non affici. Ex omni autem timoris atque metus genere, quis similis timori iudicij? *Terribilis enim est expectatio iudicij, & ignis æmulatio. Dominus enim in igne venit* (ait Esaias) *& quasi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis.* & Malach: *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula, & inflammabit eos dies veniens,* &c. Quare apud Esaiam dicitur; *Vlulate, quia propè est dies Domini: quasi vastitas à Domino veniet. Propter hoc omnes manus hominis dissoluentur; & omne cor hominis contabescet, & conteretur.* & Amos: *Væ desiderantibus diem Domini, erit enim tenebræ, non lux.* Nec mirum: nam homines non tantùm insilient tunc, & introibunt in spelucas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria majestatis eius, cùm surrexerit percutere terram, vt habetur Esaiæ 2.19. verùm vt habetur Lucæ 21. 26. *æresçent omnes præ timore & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi: nam virtutes cælorum mouebuntur.* Et non tantùm iusti, verùm & peccatores ipsi Dominum formidabunt, iuxta illud 1. Regum 2. *Dominum formidabunt aduersarij eius, & super ipsos in cælis tonabit. Dominus iudicabit fines terræ.* & iuxta illud Esaiæ 2. *In die illa proijcit homo idola argenti sui, & simulachra auri sui, & ingredietur scissuras petrarum, & cauernas saxorum à facie formidinis Domini.*

Hebr. 10. 27. *Esaiæ* 66. 15. *Malach.* 4. 1. *Esaiæ* 13. 6. *Amos.* 5. 18. *Chrys. hom. 2. sup. 2. Thess.* *Esaiæ* 2. 19. *Luc.* 21. 26. 1. *Reg.* 2. 10. *Esaiæ* 2. 20.

167. Præterquàm quod omnia ista iudicij præambula tantùm & antecessiones sunt, post quas nobis sistendum est coram æquissimo illo scrutatore cordium, & iniquitatum vindice Christo, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum, rationémque de omnibus, etiam de minimis otiosis verbis reddat, ipso attestante Christo Matth. 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij.* Vnde Sap. 1. *Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium: in cogitationibus enim impij interrogatio erit. Sermo obscurus in vacuum non ibit.* & Esaiæ 66. *Ego opera eorum, & cogitationes eorum venio vt congregem cum omnibus gentibus & linguis.* Vnde Basilius magnus. Re-

Matth. 12. *Sap.* 1. 8. *Esaiæ* 66. *Basil. ep. ad virginem lapsam.*

uoca

uoca in memoriam Danielis visionem. Fluuius ignis decurrebat ante ipsum : millia millium ministrabant ei , centena millia adstabant ipsi , iudicij locum constituit , & libri aperti sunt, bona, mala , manifesta, occulta, res , verba , cogitatus, omnia acceruatim , vt ab omnibus Angelis & hominibus exaudiri possint , manifestè reuelabuntur. Ad hæc quales necesse est esse eos , qui malè vixerunt ? Et Bernardus. Quid tam pauendum, quàm iudicandum adstare tribunali terrifico,& incertam adhuc exspectare sub tam districto Iudice sententiam ? Horrendum est(ait Apostolus) incidere in manus Dei viuentis.

Bern. Serm. 7.in psalm. Qui habitat.

168. Inde vel ipsi optimi atque inclyti viri, vtique Dauid, Iob, & similes , huius Iudicij diem mirum in modum inhorruerunt. Dauid enim timore perculsus, conuersus ad Dominum dixit. *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine , quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* & Iob. *Quid faciam cùm surrexerit ad iudicandum Deus ? & cùm quæsierit , quid respondebo illi ?* & ibid. *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum , & pondus eius ferre non potui.* & alibi : *Verebar omnia opera mea , sciens quod non parcis delinquenti.* Vnde Gregorius. Iustorum mens semper sollicita venturo examini intendit. Omne enim quod agunt, metuunt , dum cautè considerant ante quantum Iudicem stabunt, scientes in hoc libro scriptum, astra non sunt munda ante conspectum eius. Quod si hoc electi & sancti , quid scelerati & iniqui? nisi fortè ad tantum nefas proiecti , vt desperatione acti nihil iam sit illis terribile. Quod damnationis extremæ extremum indicium est, Augustino dicente. Puto quia magna sit iam peccati pœna , metum ac memoriam futuri perdidisse Iudicij. Econtrà verò Iudicij timore percelli , egregium fœlicitatis augurium & argumentum est , Scriptura dicente: *Timenti Dominum bene erit in extremis : & in die defunctionis suæ benedicetur.* Quare Iudicij timor quodãmodo gratulatio & gaudium, magnáque lætitia est, vel potiùs gloria , Patriarcha Iobo dicente ; *Gloria manuum eius terror est.* Id est(vt exponit Gregorius) iustus inde gloriatur, vnde peccator pœnæ addicitur. Et quidem adeò gloriatur, vt nihil sit illi glorioſius quàm Iudicij terrorem à longè præsentire, & quodammodo subolfacere.

Psal.142. *Iob.31.* *Iob.9.28.* *Greg. 8.mor. c.13.* *August Ser. 120.de tempore.* *Eccli. 1.* *Iob.31.* *Greg.lib.33. mor.c.21.*

169. Quadragesimumquintum instrumentum, *Gehennam expauescere.* Gehenna hic Tartara infernа denotat : est enim translatum nomen à *gehennon*, loco abominabilibus spurcitiis pleno , licet aliàs irriguo , de quo Lauretus noster in suis eruditissimis allegoriis, verb. *gehenna*, & *gehennon*. Gehennon , hoc est, vallis Hennon , est vallis in suburbiis Ierosolymæ ad radices montis Moria, iuxta introitum portæ Carsith, hoc est, fictilis, quæ Austrum respicit. Hæc fontibus Siloë irrigata , excellentem loco præstat amœnitatẽ hortorum, & arborum nemorositatẽ,

45. *Instrumentum.*

Lauretus verb. gehenna, & gehẽnon.

vbi

vbi Iudæi idolum Moloch coluerunt, vocantes aram Tophet, hoc est, tympanum, vbi filios immolabant. Quem locum postea dissipauit Rex Iosias, & in perpetuam ighominiam vertit, nulli alij rei deinceps quàm sordibus & immunditiis deputatum. Vnde factum est, vt peccantium supplicia, quibus cruciandi sunt, hoc nomine significarentur, ab insigni hac loci turpitudine: atque ita Christus æterni ignis pœnam primus omnium gehennam nominauit. Cuius vallis illa typum gerit Iosue 15. & 18. Ieremiæ 7. & 19. & Matth. 18. Interpretatur autem gehennon vallis decipiens, vel contristans eos, siue vallis diuitiarum suarum. Hactenus Lauretus citans in margine pro re ista Hieronymum sup. Ierem. 7. sed potiùs ex illo sup. Matth. 10. desumpta sunt. Ibi enim Hieronymus ait. Nomen gehennæ in veteribus libris non inuenitur, sed primùm à Saluatore ponitur. Quæramus ergo quæ sit sermonis huius occasio. Idolum Baal fuisse iuxta Ierusalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit, non semel legimus. Hæc vallis & parua campi planicies, irrigua erat & nemorosa, plenáque deliciis, lucúsque in ea idolo consecratus. In tantam autem dementiã populus Israël venerat, vt deserta templi vicinia ibi hostias immolaret, & rigorem religionis deliciæ vincerent, filiósque suos dæmoniis incenderent, vel initiarent; & appellabatur locus ille gehennon, id est, vallis filij Hennon. Hoc Regum volumen & Paralip. &

Hieron. sup. Matth. 10.

Ieremiæ scribunt plenissimè, & comminatur Deus, se locum illum impleturum cadaueribus mortuorum, vt nequaquam Tophet & Baal, sed vocetur polyãdrium, hoc est, tumulus mortuorum. Futura ergo supplicia & pœnæ perpetuæ quibus peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo denotantur. Hęc Hieronymus. Huius igitur gehennę pauorem incutit nobis instrumentum præsens.

Et quidem huiusmodi pauor validissimum quid ad correctionem & emendationem nostram est. Si enim (vt Chrysostomus inquit) earum legũ quæ in mundo sunt, tantum potest metus vt à malis nos actibus cohibeat, multo magis poterit hoc recordatio futurorum, supplicium immortale, pœna sempiterna. Et mox. Etenim si aspectus dumtaxat mortui hominis mentem nostram pauore contrahit, quãto magis gehenna & ignis ille inextinguibilis? quanto magis vermis non moriens? Et rursum. Nemo eorum qui ob oculos gehennam habent, in gehennam incidet. Nemo gehennam contemnentium, gehennam effugiet. Quemadmodũ enim apud nos qui iudicia metuunt, iudiciis non damnantur: qui verò contemnunt, in ea incidunt; ita & hic. Nisi subuersionem veriti fuissent Niniuitæ, vtique subuersi fuissent: quia verò illã metuebant, subuersi non sunt. Magnum malum est contemnere minas: qui enim minas contemnit, confestim sentiet experientiam. Nihil ita est vtile atque de gehenna sermocinari: quouis

170.

Chrysost. hom. in 1 Thess.

argento

argento mundiores nobis animas facit. Et paulo inferiùs. Ne fugiamus quæ de gehenna dicuntur, vt gehennam ipsam effugiamus. Ne fugiamus supplicij memoriam, ne supplicio puniamur. Si dives ille ignem hunc cogitasset, vtique non deliquisset: quia verò nunquam eius in mentem illi venit, propterea in illum incidit. Hactenus Chrysostomus.

171. Et certè cùm nihil gehenna intolerabilius, nihil infœlicius excogitari possit, quis illam non expauescat? De illa quippe scriptum est, non solùm quod terra tenebrosa sit, operta mortis caligine; *Iob.10.21.* *Matth.8.12.* terra item miseriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: verùm quod illic fletus & stridor dentium: fletus (inquam) qui nunquam consolationem accipiet, & stridor ex pœnæ acerbitate durissima: vtpote sulphurea, igneáque, Scriptura dicente. *Psal.10.7.* *Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur, & spiritus procellarum.* Et: *Pones eos vt clibanum ignis.* *Psal.20.10.* Et: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* *Matt.25.41.* Quare vel Regibus ipsis, potentissimisque terrarum supplicium hoc proponitur, vt tãta animadversione perterriti in officio se se contineant, & auocentur à crimine. Psal. etenim 2. sic scriptum est: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Cùm exarserit in breui ira eius.* Et Sap. 6. *Fortioribus fortior instat cruciatio, & iudicium durissimum his qui præsunt, fiet.* Et apud Lucam Christus ipse omnibus dictum voluit: *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Quod sanè verbum clementia ductus protulit, Chrysostomo dicente. Quid autem dicam pressuras huius temporis, cùm non minus ipsa gehennæ comminatio, quàm promissio regni ineffabilem ipsius clementiam commendet? Nisi enim ille gehennam minatus esset, non facilè quispiam cælestibus bonis potiretur. Nec enim sufficit sola gaudiorum repromissio ad excitandos ad virtutem animos, nisi etiam eos pœnarum timor impellat, qui negligentiùs ad illam affecti sunt. Et alibi. Qui gehennæ semper meminerit, omnem mortem deridebit; & non præsenti tantùm angustia liberabitur, sed & ab illa flamma eripietur.

Sap.6. *Luc.12.* *Chrysost.lib. de prouidentia Dei.* *Idem homil. 5. ad populũ Ant.*

172. Quadragesimumsextum instrumentum, *Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare.* Magnum proculdubio postulatum hoc, sed non multum. Si enim (vt Aristoteles habet, & vel cæci vidĕt) amabile bonum: consequens est, vt summum bonum summè sit amabile. Tale autem ac tantum est vita æterna. Etenim Moysi à Domino postulanti; *Ostende mihi gloriam tuam,* *Exod.33.19.* responsum est, *ostendam tibi omne bonum.* Vnde Dauid: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* *Psal.16.15.* Hæc enim est beatitudo æterna, de qua Boëtius dicit esse statum omnium bonorũ aggregatione *Boëtius 4. de Consol.p.2.*

46. *Instrumentum.*

perfectum. Et ante illum Aristoteles dixit, fœlicitatem esse bonum sufficiens: & post vtrumque Anselmus noster, beatitudinem esse sufficientiam omnium commodorum. Quare figuraliter in libro Iudicum dictum est; *Tradet vobis Dominus locum in quo nullius rei penuria est.* & similiter in Deuteron. testatum legimus: *Absque penuria comedent omnes panem suum.* Vnde psalm. 83. scriptum habemus. *Melior est dies vna in atriis tuis super millia*; vtpote quod in illis magna & quàm magna multitudo dulcedinis Domini, quam præparauit diligentibus se, iuxta verbum psalmi 30. *vt inebrientur ab vbertate domus tuæ.* Per quæ (vt Esaias habet) *auferet Deus omnem lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui.* Et: *Sedebit populus eius in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta*; vt etiam habet idem capite 32. Qui item capite 49. subiungit. *Non esurient, neque sitient amplius, & non percutiet eos æstus aut Sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit illos.* & tandem capite 64. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Quare dicitur cap. 61. *In terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis.* & apud Matth. *Tunc fulgebunt iusti sicut Sol.*

Aristot. 1. Ethic. c. 7.
Anselm. lib. sim. c. 43. & 46.
Iudic. 18. 10.
Deut. 8. 9.
Psal. 83. 11.
Psal. 30. 20.
Psal. 35. 9.
Esaiæ 25. 8.
Esaiæ 32. 18.
Esaiæ 49. 10.
Esaiæ 64. 4.
cap. 61. 7.
Matth. 23.

173. Inde Dauid: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei?* Item: *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Cuius gratia dixit: *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Et quidem adeò inclinauit, vt veraciter dixerit; *Concupivit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* Ex amore siquidem finis procedit appetitus mediorum, & ex ardenti appetitu illius, ardens affectus ad media. Quare vt accendatur iste, debet flagrare ille. Et ideo Scriptura appetitione finis allicit nos ad appetitionem mediorum, iuxta illud Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* & Paulus: *Sic currite vt comprehendatis.* Et ideo legifer noster, vt in nobis generet monasticæ perfectionis studium, præparat nos ad eximium æternæ retributionis amorem.

Psal. 83. 3.
Esaiæ 118. 112.
Matth 4. 17.
1. Cor. 9. 24.

174. Sed dices; Numquid satis illi non esset, atque etiam nobis, vitam æternam desiderare, absque eo quod omni concupiscentia spirituali desideraretur? Certè Christus Dominus vt ad mandatorum suorum obseruationē alliceret, dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Vbi non dixit, si vis voluntate ardenti, vehementi, aut summa, sed simpliciter, *si vis.* At cùm omnes naturaliter velint esse beati, opus non erit talem à nobis requirere voluntatem. Vt enim Augustinus habet, nemo est qui non exoptet beatitudinē. Quis enim vnquam vel potuit, vel potest, vel poterit inueniri, qui esse nolit beatus? Et alibi. Omnes homines naturali instinctu beati esse

Matth. 19. 17.
Aug. conc. 1. sup psalm. 1. vers. 1.
lib. 1. contra Iulian. c. 3.

esse volunt. Cuius rationem adhibet 2. Confessionum dicens, conuersus ad Deum. Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec peruemamus ad te. Cùm ergo naturaliter omnes velint esse beati, tamen non propterea omnes beatitudinis tramitem insectantur, vt beati fiant: sed videntes & experimento probantes quod arcta est via quæ ducit ad vitam, lata verò quæ ducit ad perditionem, pauci sunt qui aggrediuntur illam, innumeri autem qui percurrunt istam. Vt igitur percurratur illa, (quæ legislatoris nostri mens tota est) non satis est simplex aliquod æternæ fœlicitatis votum, innatúmque desiderium: sed opus est ardenti efficacíque affectu & studio, tum ex præcordiis totis, tum ex Dei munere habito. Qui enim sic flagraret, verè vt alter Dauid diceret: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Dilatasti (inquam) tum magnitudine præmij, tum virtute incendij, quibus spariantur corda.

lib. 2. Confess. c. 10.

Psal. 138. 32.

175.

47. *Instrumentum.*

Quadragesimumseptimũ instrumentum, *Mortem quotidie ante oculos suspectam habere.* Etenim cùm vitæ terminus ignotus homini sit, Scriptura dicente; *Nescit homo finem suum:* & tamen nihil illo certius, ipsa etiam perhibente; *Statutum est hominibus semel mori:* necessum valde est omni momento vitæ horam mortis suspectam habere, & illam semper ob oculos versare. Nam vt Ecclesiastes vbi suprà inquit; *Capiuntur hi quibus extemplo supervenit, sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur.* Vnde Bernardus. Quoniam mors vbique te expectat, tu quoque si sapiens fueris, vbique expectabis illam. Et Seneca. Stat quidem terminus nobis, vbi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit: sed nemo nostrũm scit quàm propè versetur. Sic itaque firmemus animum, tanquam ad extremum ventum sit. Et huius quasi rationem assignans dicit. Meditare (loquitur cum Epicuro) vtrùm commodius sit, vel mortem transire ad nos, vel nos ad eam. (Vtique nos ad eam, meditando illam, & animum firmando, quasi iam in extremis essemus.) Egregia res est mortem condiscere. Supernacaneum putas id scire quo semel tantùm vtendum est? Hoc est ipsum quod semper meditandum est, & semper discendum, quod an sciamus experiri non possumus. Extremus igitur dies tanquam præsens meditandus est. Maximè quod, vt Ecclesiasticus habet; *Memento quod mors non tardat.* Et hoc non solùm quia quotidie in proximo sumus: ideo quoniam illo vnde nobis cadendum est, omnis nos hora propellit. Sed quia (vt Innocentius inquit) morimur dum viuimus, & tunc tantùm desinimus mori, cùm desinimus viuere. Melius est ergo mori vitæ, quàm viuere morti, quia nihil est vita mortalis nisi mors viuens. Vnde Salomon Ecclesiastæ 4. Laudauit magis mortuos, quàm viuentes. Hoc enim est illud mirabile, quod quanto plus crescit,

Bern lib. medit. c. 3.

Seneca epist. 101.

Idem ep. 26.

Innocent. de contemptu mundi.

Ecclesiast. 9. 12.

Heb 9. 27.

Eccles. vbi suprà.

tanto magis decreſcit: quia quãto plus vita procedit, tanto magis ad finem accedit. Et Auguſtinus. Exquo quiſque in corpore morituro eſſe cœperit, nunquam in eo non agitur vt mors veniat. Hoc enim agit mutabilitas vitæ huius, ſi tamen vita dicenda eſt qua venitur ad mortem. Omnino nihil eſt aliud vitæ huius tempus, quàm curſus ad mortem.

Aug 3. de ciuit. c. 10.

176. Magnum propterea momentum eſt in meditatione mortis quaſi iam imminentis: non ſolùm quoniam (vt Gregorius Nazianzenus habet) mortis meditationem hanc vitam exiſtimo. Cui Hieronymus aſſentitur dicens, Platonis dictum fuiſſe, quod omnis vita ſapientis meditatio eſt mortis. Et vtriſque Seneca inquiens. Vnum ex vitæ officiis ſcire mori. Et de breuitate vitæ. Mori tota vita diſcendum. Sed quia (vt Eccleſiaſticus habet) *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Vnde Auguſtinus. Nihil ſic reuocat homines à peccato quemadmodum meditatio imminentis mortis. Et item libro de ſententiis Proſperi, ſententia vltima. Diuitiis flores, & maiorum nobilitate te iactas, & exultas de patria, & de pulchritudine corporis, & de honoribus qui tibi ab hominibus deferuntur? reſpice teipſum, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis. Et Caſſianus. Memoria mortis omnium vitiorum peremptoria eſt. Et Gregorius. Nihil ſic ad edomandum deſideriorum carnalium appetitum valet, quàm vt vnuſquiſque

Nazianz. ep. 64.

Hier. ep. ad Heliodor.

Seneca epiſt. 72.

Idem de breuitate vitæ. cap. 7.

Eccli. 7. 46.

Auguſt. 2. de Geneſi cõtra Manichæos. c. 28.

Caſſian. coll. 16. c. 6.

Gregor. 16. mor. c. 31.

hoc quod viuum diligit, mortuum penſet. Et alibi. Dum rerum finis attenditur, omne quod præterit, quaſi iam fuiſſe penſetur. Et iterum. Qui conſiderat qualis ſit futurus in morte, ſemper fit timidus in operatione: atque vnde in oculis ſuis iam non viuit, inde veraciter viuit in oculis conditoris. Penè ſe mortuum conſiderat, qui non ignorat moriturum.

Idem 4. mor. c. 41.

Idẽ 13. mor. c. 15.

177. Inde voces illæ Eccleſiaſtici. *Melius ire in domum luctus, quàm in domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominũ, & viuens cogitat quid futurus eſt.* & alibi: *Memento nouiſſimorum, noli obliuiſci.* Quod etiam Gentiles ipſi monuerunt dicentes,

Viue memor lethi,
Extremúmque tibi ſemper adeſſe puta.
Ipſe iubet mortis te meminiſſe Deus.

Eccli. 7. 13.

Eccli 38. 21

Mart. 2. epigram. epig. 59.

Quæ tamẽ voces fundendæ ſunt ad pios probóſque viros. Mali enim (vt Gregor. inquit) neſciũt mortalia mortaliter cogitare; vita deficit, & deſideriũ creſcit: res habita corrumpitur, & habendi anxietas non finitur. Hæc eſt improborum conditio, de quibus in pſal. *Non eſt reſpectus morti eorum.* Id eſt, non conſiderant, nec cogitant mortem ſuam (vt explicant Anaſtaſius & Hieronymus ibi.) Vnde Gregorius iterum. Peruerſa anima rebus præſentibus dedita, terrenis voluptatibus reſoluta, abſcondit ſibi mala ſequentia, quia præuidere futura refugit, quæ præſentem lætitiam perturbant; dúmq; in præſentis vitæ oblectationib.

Gregor. 10. mor. c. 23.

Pſal. 72. 4.

Greg. ho. 3. in Euang.

ſe de

se deserit, quid aliud quàm clausis oculis ad ignem vadit? Ecce ob quæ scelerati & improbi mortem, & mortis tempus nec mente recolunt. Si autem aliquando recolunt, & memorantur illius, potiùs ad luxum quàm ad continentiam est, dicentibus ipsis apud Esaiam; *Comedamus & bibamus, cras moriemur.* Quocirca satius salubriusque illis esset, de morte vllam cogitationem non habere: concipiunt enim timorem, & pariunt iniquitatem; cùm tamen memoria mortis ad concipiendam generandamque, & in lucem edendam æquitatem, iustitiam & veritatem commendata sit, & à præceptore nostro nobis impræsentiarum commendetur.

Esaiæ 22. 13.

178. 48. *Instrumentum.*

Quadragesimumoctauum instrumentum, *In omni loco Deum se respicere pro certo scire.* Fidei dogma hoc variis Scripturæ locis assertum. Verbi gratia, Deut. 31.21. dicit ipse de Iosue. *Scio cogitationes eius, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in terram, quam pollicitus sum.* & 1. Reg. 2. 3. dicit mater Samuelis de eo: *Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.* & cap. 16.7. dicit ipse. *Ego iuxta hominis vultum non iudico: homo enim videt quæ patent, Deus autem intuetur cor.* & 2. Paralip. 16.9. *Oculi Domini contemplantur vniuersam terram.* Iob. 28.24. *Ipse fines mundi intuetur, & omnia quæ sub cælo sunt, respicit.* & cap. 31. 4. *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* & cap. 42. 2. *Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio.* & psal. 37.10. *Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* & psal. 32.15. *Intelligit omnia opera eorum.* & psal. 138.5. *Ecce tu Domine cognouisti omnia nouissima & antiqua.* & Prouerb. 15.3. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* & cap. 24. 12. *Infernus & perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum?* & Ierem. 17.10. *Ego Dominus scrutans cor & probans renes.* & cap. 32.19. *Magnus consilio, cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam.* & Eccli. 23.28. *Oculi Domini lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum.* & cap. 39. 24. *Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis eius.* Denique ad Heb. 4. 13. *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius; omnia nuda & aperta sunt oculis eius.*

179. Ipsa etiam ratio id conuincit: cùm enim de eo scriptum sit; *Attingit omnia à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter:* consequens est, vt omnia cognoscat. Maximè quod prouidentia sua cuncta gubernat, Scriptura dicente; *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus.* & iterum: *In manu illius & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia.* & apud Matth. *Nonne duo passeres asse* Matt. 10.29. *veneunt, & vnus ex illis non cadet sine patre vestro?* Et ad Corinth. 1. Cor. 15. dicitur de semine quod in terram iactatur: *Dominus dat illi corpus sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus.* Item cùm Iudex sit specialiter hominum, omnia illorum facta dictaue dignoscere debet, Ieremia Ierem. 32. 19.

dicente. *Oculi eius aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, vt reddat vnicuique secundum vias suas, & secundum fructum adinuentionum eius.* Quare ad Heb. dicitur discretor cogitationum & inuentionum cordis: vtpote cē-sor & Iudex illarum. Quocirca Augustinus inquit. Ista verā scientia summi Iudicis, cui perūium est omne solidū, & apertum omne secretum, cui obscura clarent, muta respondent, silentium confitetur, & sine voce mens loquitur. Omnia ergo nuda & aperta sunt (quod etiam Paulus dixit) oculis Dei, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: & ideo *si reprehenderit nos cor nostrum* (ait Ioannes) *maior est Deus corde nostro, & nouit omnia.* Fidei ergo dogma est instrumentum hoc.

Heb.4.12.

Aug.Ser.22. de tempore.

Heb.4.13.

1.Ioan.3.20.

180. Et iure dicitur instrumētum, ad multa siquidem vtile est. Malis enim deseruit ad fugienda mala: bonis autem ad facienda bona. Etenim de illis scriptum est. *Vsquequò peccatores Domine, vsquequò peccatores gloriabuntur: Effabuntur & loquentur iniquitatem: loquentur omnes qui operantur iniustitiam? Populum tuum Domine humiliauerunt: & hereditatem tuam vexauerunt. Viduam & aduenam interfecerunt: & pupillos occiderunt.* Et pro ratione fonteque subiicitur. *Dixerunt: Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Iacob.* Quos acriter carpens ait Dominus. *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiam? Dominus scit cogitationes hominum.* De iustis autem econtrà habemus, quod ad præsentiam Domini validiores fiunt. Nam vt accenduntur ad pœnitendum ex consideratione eius quod coram Deo peccauerunt, iuxta illud Dauid; *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci:* sic ad proficiendum & promerendum magis & magis, quando attendunt se coram Deo esse, & in conspectu illius militare; vt in Stephano patet, qui exquo vidit cælos apertos, & Iesum stantem & adstantem sibi, non solùm lapides, & lapidantium ictus, & probra, probè vt Christianus tulit, sed etiam vt Christus clamauit, & orauit pro illis. *Positis autem genibus clamauit voce magna dicens, ne statuas illis hoc peccatum.* Vnde mons ille Moria, in quo Abhahamus fortiter & plusquàm viriliter aggressus est illam rem, quam Deus appellauit rem magnam, vtique qui propter Deum vnigenito filio suo non pepercit: mons inquam ille Moria vocatus, vocatus est Dominus vidit: quasi in argumentum & signum quod ipse intuitus Domini; & conspectus illius reuerenter ab Abraham obseruatus, animum eius impulerit, armauerit, roburque dederit ad tam inclytum opus. Opus erit ergo Monachis hanc supra se semper præsentiam Dei attendere, & piè fideliterque obseruare, vt sic ad perfectiora (quæ ipsi profitentur) assurgant.

Psal.93.3.4. 5.& 6.

Ibid.7.

Ibid.8.9.10. 11.

Psal.50.5.

Act.6.56.& 60.

Gen.26.15. & 16.

181. Quadragesimumnonum instrumentum, *Omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere.* Scitum est, & summo

181. *Instrumentum.*

summopere sciendum illud po-
Psal.142.2. stulatum Dauid: *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia*
Sap.14.26. *non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*, vtpote quod septies
Iacobi 3.2. in die cadit iustus, & in multis offendimus omnes, siue mortaliter, siue venialiter; pro quibus
Iob.9.3. dixit Iob. *Si voluerit homo contendere cum Deo, non poterit respondere ei vnum pro mille. Si iustificare me voluero, os meũ cõdemnabit me. Si innocentem me ostendero, prauũ me comprobabit. Si lotus fuero quasi aquis niuis, tamen abominabuntur me vestimenta mea.* Et ita de venialibus interpretãtur prędictum eloquiũ illud psalmi Augustinus, Hieronymus, & Gregorius. Quia verò omnia qualiacumque sint, siue mortalia, siue venialia, ortum & initium à cogitationibus habent, iuxta illud Marci: *Ab intus de corde hominis*
Marci 7.21. *malæ cogitationes procedunt, adulteria, furta, homicidia.* & illud
Matt.15.19. Matth. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Ideo cogitationes obrepentes nobis, hoc est, imuitis & insciis prauas cogitationes insurgentes, opus est intercipere, infringere, atque quassare, ne ad consensum inducant & obtineant: nam consensu præstito peccata fiunt, etiamsi extra non procedant, nec verbo aut facto erumpant. Præsertim quod si semel placent, in promptu & in proximo est, vt in opus prosiliant.

Aug. lib. de perfectione iustitiæ. Hier.epist.ad Thesiphontẽ. Greg. in psal. 5.pœnitent. qui est psal. 141.

182. Vt igitur his occurramus incommodis, & cogitationes improbæ nec præualere, nec triumphum de nobis canere valeant, ad Christum hic eas allidere piè sanctéque monemur. Etenim de Christo Domino scriptum est esse (licet mysticè) petram, iuxta illud Pauli; *Petra autem erat Christus:* & quidem non tantùm petra, sed petra offensionis, iuxta illud Petri qui dixit; *Hic factus est lapis offensionis, & petra scandali.* Cuius gratia qui turpiter impegerunt in illum, vt impegerunt multi, miserrimè perierunt, Esaia dicente de illo; *Erit in lapidem offensionis, & in petrã scandali: & offendent ex eis plurimi, & cadent & conterentur.* Imò & Christus ipse ait: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur*; vtpote quod hostiliter tanquam inimici & hostes inciderunt. Cùm igitur cogitationes improbæ hostes, etiam eiusdem Christi sint, vt qui illum de sede animæ propulsare moliuntur, si graues sint, aut saltem leuem in cum offensionem prætendunt, si leues; nullũ conueniẽtius Christo saxũ, aut scopulus excogitari potuit, vbi cõminuantur, & penitus dissipentur. Illud enim alliditur, quod ad aliquam petram quassatur. Vnde in psal. *allidet*
1.Cor.10.14. *Psal.136.9.* *paruulos tuos ad petram.* Huius gratia nos corda signamus Cruce, cùm improbis infestamur cogitationibus, vt eas sic quasi impacto lapide conteramus, vel potiùs implanemus. Maximè quod cùm Christus ipse dixerit: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*; consequens est, vt ad illum, tanquam ad sacram anchoram, asylumque proprium confugere habeant, quotquot cogitationũ suarum mole

premun

premuntur. Cogitationum enim pondus non tam humeros & ossa conterit, quàm corda, etiamsi robustissima, consternat, Iobo ipso de se dicente: *Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.* Etenim sicut onus graue grauatæ sunt super nos, quia illarum pondus plusquàm plumbeum est. Cùm igitur qui laborant, debeant ad Christum confugere, vt reficiantur: consequés est, vt pressi cogitationibus, debeant quantum possunt, auolare ad illum.

Iob. 17. 11.

183. Nec solùm legislator hic monet, vt aduenientes cordi cogitationes prauæ allidantur ad Christum, sed vt mox & properè allidantur. Cùm enim cogitationes initio teneræ mollesque sint, vtpote recenter natæ, imò penè conceptæ, faciliùs eradicantur atque euelluntur, quàm si diuturnitate temporis increbuissent, & sese roborassent. Vnde Cassiodorus noster inclytè. Quæ nunc virgulta sunt, fiunt, si negligantur, robusta: & quæ modò facili auulsione dirimuntur, postea vix securibus ista succumbunt. Et August. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens. Paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando mergit nauim. Inde voces illæ Scripturæ. *Sicut à facie colubri fuge peccatum. Fugite fornicationem. Fugite ab idolorum cultura. Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis: tu autem, ô homo Dei, hæc fuge.* Hæc enim tunc verè fugimus, quando cogitationes quæ pro illis incidunt, quamcitissimè possumus, extirpamus, vt quæ nobis insciis inuitisque nascuntur, illis repugnantibus sub illarum ortum strangulentur, & ad Christum lapidem viuum conterantur. Vbi autem non sic euelluntur, ægrè incommoda quæ ab illis suboriuntur, euitantur. Quare ad perfectos spectat tales cogitationes, cùm primùm insurgunt, concidere, & penitus suffocare: & proinde instrumentum hoc maximè tangit Monachos.

Cassiod lib. 5. variarum. c. 38.

Aug. tract. 12. in Ioan.

Eccli. 21. 2.
1. Cor. 6. 15.
1. Cor. 10. 14.
1. ad Timot. 6. 11.

Quinquagesimum instrumẽtum, *Et seniori spirituali patefacere.* Altera præcedentis instrumẽti hæc pars. Cùm enim Christi adiutores sint qui eius spiritu pollent, dicente Paulo: *Dei enim sumus coadiutores, vtpote ministri noui Testamẽti non litera sed spiritu.* Cuius gratia Christus ad eos; *Qui vos audit, me audit: non enim vos estis qui loquimini. sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* & iterum; *Erunt omnes docibiles Dei:* quia quos Deus per suos ministros docet, per seipsum docet. Ideo legislator sanctissimus dum præcipit cogitationes improbas illicò allidẽdas ad Christum, simul imperat seniori spirituali patefaciendas, vtpote organo ministroque illius, eiusque verbi, quod quatenus gladius est anceps vtraque parte acutus, secare & resecare poterit quidquid in cogitationibus improbis maculosum ac tabidum est. Et quatenus malleus est conterens petras, poterit vt durissima petra ferreas ipsas & graues cogitationes cõterere. Et quatenus pharmacum est, quod sanat omnia (his enim tribus nominibus

184. 50. *Instrumentum.*

1. Cor. 3. 6

Matt. 10

Ioan 6. 45

verbum

verbum Dei in Scripturis sacris decoratur) morbidam medicari poterit cogitationibus animam. 1. Cor. 2. 15. Vnde Paulus; *Spiritualis homo omnia diiudicat.* & alibi: *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite huiusmodi.* ad Galat. vlt.

185. Præterquàm quod cùm scriptum sit, non solùm, *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia:* sed etiam; *Quàm speciosum canitiei iudicium, quàm speciosa veterani sapientia, & intellectus glorioſus!* Quale (rogo) humanis confugium, sicut seniorum, pro extricandis cogitationum inuolucris, earumque procellis turbinibusque sedandis? Propterea dum Tobias pater ad filium; *Consilium semper à sapiente perquire.* & Ecclesiasticus: *Cum sapientibus & prudentibus tracta;* ad seniores proculdubio spectarunt. Nam de senectute Ambrosius dicit. Vt pueritia habet innocentiam, sic prudentiam senectus. Et in Exameron. Senectus in bonis moribus dulcior, in consilio vtilior: infirmitas quoque corporis mentis sobrietas est. Vnde Apostolus 2. Cor. 12. Cùm infirmor, tunc fortior sum, & potens. Itaque non in viribus, sed in infirmitatibus gloriabatur. Responsum quoque diuinum refulsit oraculo salutari, quia virtus in infirmitate consummatur. Hactenus Ambrosius in encomium senectutis. Ratio esse potest, quoniam (vt Chrysost. habet) mortis & iudicij expectatio reddit senes modestiores & acutiores; & anima vt febricitat in iuuentute, ita in senectute roboratur. Et subdit. Canos honoramus, nō quia album colorem nigro præferimus, sed quia est signum vitæ quæ ex virtute agitur. Et quidem cùm senectus (vt August. notauit) aliam quam speret ætatem non habeat, sed extrema ipsa atque vltima sit: consequens est, vt lucis tunc maiores fulgores, & clariores mentis radios emittat: quod etiam iam moribundæ lucernæ (quibus viuentes comparamur) & ad extremum ductæ naturaliter faciunt. Præsertim cùm tantarum rerum notitia quam experimento ceperunt, prudentes illos ad optimè consiliandum faciat; & ideo cogitationum improbè contra nos insurgentium potiores chirurgi sunt. Vnde Basilius. Difficilibus ac morosis senibus aures libenter præbeto: quoniam prouerbialibus sententiis adolescentes ad recta studia cohortantur: neque oris deformitate quidquam afferunt detrimenti.

Ambros. t. 2. lib. de interpell. Iob. cap. 7. lib. 1. Exam. cap. 8. Aug. epist. 110. Basil. hom. de rerum abdicatione.

186. Est tamen notandum cum Origene, quod in Scripturis non illi dicuntur seniores qui longæuam duxerunt vitam; vt patet in Adamo, Mathusalem, & Noë, qui cùm multa secula viuendo percurrissent, seniorum nomen non obtinuerunt: sed illi qui maturitate sensus, & vitæ venerabili grauitate insigniter micuerunt, vt Abraham, & similes. Et idem repetit hom. 4. sup. cap. 17. Geneseos. Ratio esse potest, quia *Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Cuius gratia Chrysostomus. Senectus

Orig. hom. 16. sup. Iosue. Sap. 4. 8. Chrys. hom. 7. sup. ad Heb. 4. Chrys. sup. psal. 50. 1.

non in crinium candore, sed in animi virtute posita & constituta est. Et paulo antè. Neque enim in ætatis discrimine, sed in animi sententiæque differentia virtus & vitium constituta sunt. Ac siue sobrius ac prudens fueris, nihil tibi ætas immatura detrimenti afferet: siue segnitie ac socordia laboras, nihil tibi vtilitatis senectus comparabit. Et paulo superiùs. Neque enim canities virtus est, nec iuuenilis ætas vitium. Multi quidem in iuuentute probitatis specimen ediderunt, nam tres pueri in igne erant, & flammas extinxerunt: & Daniel duodecimum annum ætatis agens, Leones in oues conuertit, non natura mutata, sed feritate fidei fræno cõpressa, atque ad Hebræorum populum sermonem habuit. Econtrà in senectute plures prostrati sunt, vt Paulus, qui iam canus & senex Ecclesiæ agit prædonem: licet postea fidei palmam arripuit, probaque ouis extitit. Basilius etiam postquam ex Paulo induxit distinctionem interioris, & exterioris hominis, & distinctione animæ iuuentutis & senectutis, inquit. Senior secundum animam est, qui prudentia perfectus est, qualis erat Daniel, qui quamuis corpore iuuenis, sapientiam ac grauitatem omni canitie præstantiorem præ se ferebat. Idcirco dixerunt illi qui erant pleni dierum malorum, sede in medio nostrûm, nuncia nobis. Cùm igitur legislator sanctissimus iubens spirituali seniori omnes prauas cogitationes cordi aduenientes patefacere, nihil aliud intendat, quàm quod talis senior medeatur illis: consequens est, si æquè bene, aut potiùs præstantiùs & meliùs id iuuenis præstare potest, quod ad illum potiùs quàm ad istum nos confugere velit. Vt sicut princeps fit sapiens sapientium commercio (vt Eurepides dixit) ita seniorum prudentium consilio atque cõmercio Monachus reddatur prudens, improbis aliàs cogitationibus agitatus.

Basil. hom. in princip. Proverb.

SECVNDA

Secvnda Pars.

OS suum à malo & prauo eloquio custodire. Multum loqui non amare. Verba vana aut risui apta non loqui. Risum multum aut stultum non amare. Lectiones sanctas libenter audire. Orationi frequenter incumbere. Mala præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. De ipsis malis de cætero emendare. Desideria carnis non perficere. Voluntatem propriam odisse. Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiamsi ipse (quod absit) aliter agat, memor illius Dominici præcepti; Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Non velle dici sanctum antequam sit, sed priùs esse, quò veriùs dicatur. Præcepta Dei factis quotidie adimplere. Castitatem amare. Nullum odisse. Zelum & inuidiam non habere. Cõtentionem non amare. Elationem fugere. Seniores venerari. Iuniores diligere in Christi amore. Pro inimicis orare. Cum discordantibus ante Solis occasum in pacem redire. Et de Dei misericordia numquam desperare. Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis. Quæ cùm fuerint à nobis die noctuque incessabiliter adimpleta, & in die iudicij reconsignata, illa merces à Domino nobis recompensabitur, quam ipse promisit: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. Officina verò vbi hæc omnia diligenter operemur claustra sunt Monasterij, & stabilitas in Congregatione.

187. 1. *Instrumentum.*

VIgesimumprimum instrumentum, *Os suum à malo & prauo eloquio custodire.* Hoc est illud Pauli monitum; *Sermo malus ex ore vestro non procedat.* Ratio est, quoniam, vt dicitur Sapientiæ 1. *sermo obscurus in vacuum non ibit.* Id est, meritas luet pœnas sermo impurus, etiam latenter, & inter paucos editus. Vnde cùm dicitur in Prouerb. *Mors & vita in manibus linguæ*; procul dubio vt vita referatur ad pudicam & moderatam linguam: quia *beatus est qui verbo suo non est lapsus*; sic ad impudicam & effrenem mors: quia, vt dicitur Eccli. 8. *Multi ceciderunt in ore gladij: sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam.* & Prouerb. 18. *Os stulti contritio eius, & labia ipsius, ruina animæ eius.*

Ephes. 4. 29.
Sap. 1. 11.
Pron. 18. 21.
Eccli. 14. 1.
Eccli. 8. 22.
Prou. 18. 7.

Coloss.3.8. *eius.* Vnde ad Colossens.3. *Deponite vos turpem sermonem.* & Prouerb. 13. *Qui custodit os suum, custodit ab angustiis animam suã. Nam lingua quæ immoderata est, conterit spiritum.* & Eccli. 9. *Temerarius in verbo suo odibilis erit.* & psal. 100. *Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.* Id est, non erit facultas (exponit Paraphrastes Chaldaicus) comparendi coram oculis Dei. & psal. 139. *Vir linguosus non dirigetur in terra.* Hoc est, maledicus, criminosus, & qui lingua abutitur. Quapropter Chrysost. tom. 1. circa illud psal. 140. *Pone Domine custodiam ori meo*, postquam præmisit id ad Ephes. 4. *Sermo malus ex ore vestro non procedat*; & illud Eccli. 9. *Omnis narratio tua sit in lege altissimi.* ita inquit. Per os multi sunt vitæ interitus; vt quando quis obscœna verba loquitur, quando verbis scurrilibus vtitur, quando vanam præ se fert gloriam, quando se magnificè iactat & gloriatur. Et antea dixerat. Si nos aliqua lasciua & impudica cogitatio vrgeat, ea intus est suffocanda, nec permittendum, vt in verba exeat. Itaque abstinendum ab omni malo improboque eloquio, quia subuersio & iugulum authoris sui est.

Prou.12.3. Chrysost. to. 1. ad psal.140.

188. Est etiam & aliorum non leue exitium, cùm scriptum sit Prouerb. 12. *Verba impiorum insidiantur sanguini.* & cap. 26. *Os lubricum operatur ruinas.* & Eccli. 23. *Homo nequam in ore carnis suæ non desinit, donec incendat ignem.* & Prou. 16. *Homo peruersus suscitat lites, & verbosus separat principes.* & 1. Corinth. 15. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Vnde Chrysostomus. Cur enim si pestilentem locum & contagionis plenum videris, consuetudinem illius loci fugis, quamuis sexcenties ad domicilium illud traharis, & corporis valetudinem cæteris omnibus rebus anteponis: vbi verò opinionibus pestilentibus quidam complentur, ac ægritudinibus, quæ non modò corpus corrumpunt, sed animam quoque perimunt, ac deteriorem vilioremque reddunt, non omnino refers te? Audi, inquit quidam sapiens vir, ne steteris, resili, ne tardaueris, vel breuissimam hic metuas moram. Hæc dicimus non stabilitatem illarum opinionum veriti, sed imbecillitatem vestram metuentes. Hæc Chrysostomus. Valde ergo resiliendum & declinandum est ab omnibus locis, etiam à conciliis in quibus improba contra proximos verba sonant. Cùm enim verba ad commoditatem & vtilitatem mortalium instituta sint, pestis monstruosa est, ea in ipsorum perniciem retorquere. Maximè quod (vt Plutarchus dixit) faciunt dolorem verba perinde ac res. Vt igitur contagia fugimus corporum, etiam animorum & honorum contagia fugere sit in animo.

1.Cor.15. Chrys. orat. 2. de prouid. Plut. tract. de garrulitate.

189. Licet autem omnes tangat necessitas abstinendi ab iniquis indignisque sermonibus, & linguam ab omni verbo nequam cohibendi, maximè tamen Monachos: quoniam (vt Iacobus dixit) *si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam,*

Iacobi 1.

Basil.de instit. monast. post medium.

suam,huius vana est religio. Vnde Basilius. Sermo futilis,& quæ è familiaribus ac mutuis congressionibus mentis importuna nasci solet distractio prorsus exterminator:at si quid ad animarum ædificationem vtile sit, de hoc tantummodo sermo habeatur. Quin in his ipsis quoque quæ vtilia sunt, ordinis, modestiæque & temporis ad loquendum idonei habenda est ratio ad loquendum:& quæ dicēda sunt, ea ab his dici debent, quibus permissum sit loqui.Quod si ex inferiorum numero aliquis sit, is tamdiu expectet, quoad à superiore ad loquendum fuerit inuitatus. Et rursum. Susurrationes verò atque in aurem loquutiones,& quæ per nutus fieri solent significationes, hæc omnia à fratrum contentu submouentor longissimè. Nam & detractionis speciem habet susurratio, & quæ nutu fit significatio, indicto est fratri,malitiosum aliquem dolum obscurè in re illa latere.Porrò ex istiusmodi rebus odia suspicionésque nascuntur. Ecce quàm longè à Monachis Basilius vult verba, non solùm improba,sed quę prudenter non habentur apprimè necessaria.Vt qui non tantùm loquutionem, sed etiam [illegible] modum p[illegible] omnia sa[illegible]sinit, & ab omn[illegible]specie rélegat. Quare l[illegible]ster sanctissimus iu[illegible]xit nobis totius cloquij mali [illegible]ispensabilem prohibitionem.

190. 52.*Instrumentum.*

Quinquagesimum secundum instrumentum,*Multum loqui non amare.* Magna apud literas sacras encomia sunt pro illis qui suos moderantur sermones:probra verò ingentia in loquaces. In primis enim illi prudentię & sapientię commendantur, iuxta Prouerb.illud 17. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est.* & rursum Ecclesiastici 19.*Est tacens & ipse prudens.* & cap. 20. *Est tacens qui inuenitur sapiēs.*Item ibid.*Homo sapiens tacebit vsque ad tempus.* Isti autem imprudentiæ taxantur. & stultitiæ, iuxta id Prouerb. 26. *Qui imponit stulto silentium, iras mitigat.*& Prouerb.29.*Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quàm illius correctio.*& Eccli.20. *Sapiens tacebit vsque ad tempus, imprudens non seruabit tempus.*Item illi virtutis & honestatis laudantur, Scriptura dicente Eccli. 19. *Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam.* Isti autem malitiæ & peccati arguuntur, iuxta id Prouerb.10. *In multiloquio non deerit peccatum.*& Eccli.20. *Qui multis vtitur verbis, odit animam suam.* & apud Iob.11.*Vix verbosus iustificabitur.* Rursum illi honorantur atque diliguntur in populis;iuxta id Eccli. 20. *Tacitus & sensatus honorabitur.* Isti autem odio despectuíque habentur, iuxta id Eccli. 21. *Terribilis in ciuitate sua homo linguosus: & temerarius in verbo suo odibilis erit.* Demum illi tacent, quando tacendum est, iuxta id Amos 5. *Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.* Isti autem non sic, iuxta id Eccli. 20. *Imprudens non seruat tēpus.*Quod adeò verum est, vt vsque ad aliā vitam à loquendo non cessent. Tunc enim quod tacebunt scribitur,

Prou.17.27. *Eccli.19.28.* *Ibid.5.& 7.* *Prou.26.10.* *Prou.29.20.* *Eccli.20.7.* *Eccli.19.5.* *Prou.10.6.* *Iob.11.26.* *Eccli.20.* *Eccli.21.31.* *Amos 5.13.* *Eccli.20.3.*

bitur, dicente Domino; *Impij in tenebris cõticescent.* Vtpote quod, vt in psalmo habetur, *omnis iniquitas oppilabit os suum.* Quis igitur sic amabit, & nõ potiùs exosam habebit stultam, & sibi prorsus detestabilem loquacitatem?

191. Similia sunt quæ in garrulos profanæ iactant literæ, vel vno Plutarcho dicente. Cæterorum affectuũ & morborum, alij sunt periculosi, alij odiosi, alij deniq; ridiculi: ac in garrulitate hæc simul insunt; irridentur enim in quotidianis colloquiis, periclitatur nõ continẽtes ea, quæ in vulgus efferri nefas est; odio habentur ob infaustos & tristes nuncios. Et quidem in tantum deueniunt odium, vt (quod etiam Plutarch. notauit) omnes garrulo terga vertant: sic vt si sint in hemicyclo sedentes, aut in eodem spectantes, vt procul aduentantem garrulum conspexerint, discessum sibi repentè quasi per manus indicent, Et subdit ex Aristotele. Nihil tam mirabile quàm hominem pedes habentem garrulo sistere. Adiicit præterea, garrulos nimiùm infœlices esse, quia cùm cætera animi vitia, vt auaritia, ambitio, libido, facilè quod expetunt, consequãtur, solis garrulis ægrè hoc obtingit. Affectant enim audiri, & non inueniunt, qui aures præbeant: nam omnes illos fugiunt. Præmisit etiam insanabilem & immedicabilem esse garrulitatis plagam, quia garruli neminem audiunt, quasi sponte sua imperassent sibi surditatem: & accusarent naturam, quod vnam tantùm linguam, duas verò aures illis tribuerit, licet perpetuò garriant. Et proinde si pertusum nemo potest implere animum (vt Euripides dixit) minus poterit non recipientem. Maximè quod si quid minimum garrulus audit, velut æstu quodam impulsus, illud multiplicatum reddit. Et quidem vberiùs quàm porticus illa Olympica, quæ septiuoca dicebatur, quia ex vna voce multas reddebat. Garrulitas enim minimo verbo prouocata, contrà statim circumsonat, fides mentium minimè mouendas mouens. Et infert. Nunquam illis animi causa, sed linguæ, aures perforatæ sunt: mentis vacui, sono pleni sunt. Ludicrum ergo, ridiculũ, ac vile hoc quis vitium amabit, & non toto cælo, etiamsi non detur, fugiet?

Plutarch. lib. de garrulitate.

192. Est tamen apprimè hic notandum ly *amare*: nõ enim multiloquium cauetur simpliciter, sed amor multiloquij interdictus est, instrumento dicente, *Multum loqui non amare.* Interdum enim prolixus debet amari sermo, vti Augustino cõtigit, qui aliquando (vt ipse dixit) ab hora matutina sermonem vsque ad prandium (poscente tamen audientium necessitate) produxit. Imò Andreas [illegible] diuo viuẽs pendebat in [illegible]men incessanter doc[illegible]lus: & Paulus [illegible]cessan[illegible]uis orabat; & Christus [illegible]cipulos longissimum [illegible]te Cœnæ sermonem habuit. Quia tamen nihil horum fuit ex dicendi libidine, sed ex docendorum necessitate, nec garrulitas, nec verbositas, neque etiam loquacitas fuit,

Auguſt. tom. 10. Serm. 43. de verbis Domini.

fuit, sed potiùs dicendi sobrietas, cuius est tantum dicere, quantum sufficit. Interdum etiá aliqui sic verbis sunt naturaliter profluí, vt dicendi flumen vix cohibere valeant, vt in Demosthene, Cicerone, Quintiliano, & similibus licet videre: qui tamen multum loquentes, multum loqui non amarunt, sed vbertati & feracitati eloquentiæ suæ concesserunt; & ideo reprehensione aut nota digni non sunt, sed potiùs admiratione. At omnium laudatissimus est qui Senecam imitatur dicentem. Si fieri posset, quid sentiam ostendere, tacere quàm loqui mallem. Et qui vberrimus in dicendo cùm esset, sermo tamen illius plus sententiis quàm verbis redundabat. Vnde Iacobi 1. monemur: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Quod est illud Periandri; Audienda multa, dicenda pauca. Vtpote quod (vt Augustinus vidit) quodlibet audire bonum, bonum est, dicere autem non ita. Et quia cùm prudentum verba statera sint ponderanda (vt dicitur in Prouerb.) opus est tacere (vt Chrysostomus monuit) quia nihil silentio melius habemus dicere. Ad hoc autem prorsus necessarium est, multum loqui non amare.

Seneca epist. 77.

Iacobi 1. 19.

Prou. 21. 29.

193. 13. *Instrumentum.*

Quinquagesimumtertium instrumentum, *Verba vana aut risui apta non loqui.* Omnia vana risui apta sunt, vtpote ludirca. Cùm enim vanum idem sit quod inane, vacuum, ac futile, vt Isidorus habet, consequens est vt etiam ridiculum sit. Præsertim quod cùm verè subsistens non sit, sed tantùm veri ac subsistentis speciem præ se ferat, quæ tamen euanescit & fallit, risum expectatoribus incutit; qui genus irrisionis est. Vnde in psal. *Super eos ridebunt, & dicent, ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & praualuit in vanitate sua.* Vtpote quod *diuitiæ non proderunt in die vltionis.* Prouerb. 11. Quare scriptum est; *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere:* quia *qui confidit in diuitiis suis, corruet.* Et ideo Sapientiæ 5. à damnatis inclamatum est: *Diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra,* &c.

Psal. 51. 8.

Psal. 61. 11.
Prou. 11. 28.

Sap. 5. 8.

194. Inde est quod omnia in quibus temere ac falsò confidunt aliqui, ridicula apud veros æstimatores sint, dicente Abacuc de Chaldæo infensissimo hoste. *Ipse de Regibus triumphabit, & Tyranni ridiculi eius erunt. Ipse super omnes munitiones ridebit:* vtpote debiles & conculcabiles sibi, & ad resistendum futiles. Iobo item dicente de diabolo; *Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam.* Et in Ecclesiastico de diuite ad pauperem dicitur. *Si necessarius illi fueris, subridens spem dabit dicens, quid opus est tibi? & confundet te, & in nouissimo deridebit te:* vtique confidentem in homine, quod stultum pariter atque insanũ est, & proinde risu & irrisione dignũ. Vnde vbi apud Ierc. dicitur:

Abacuc 1. 10.

Iob. 41. 20.

Ierem. 17. 7.

Be

Benedictus vir qui confidit in Domino, prædictum est; *Maledictus vir qui confidit in homine.* Malè enim audiunt quotquot tam fugax falláxque fulcrum parant sibi. Est enim baculus arundineus, iuxta Esaiam. Inter auditiones malas, quænam leuior, dignior, aut proprior risu?

Ibid. 5.

Esaiæ 36.6.

195.

Vana item cùm dicantur ea quæ falsa sunt, iuxta id Paralip. 32. *Nec vana persuasione deludat.* & Prou. 31. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* risui etiam adeò apta sunt, vt quoniam Sara vanum, id est, falsum existimauit verbum trium istorum adolescentum qui nunciarunt se concepturam in senectute filium, riserit post ostium tabernaculi. Vnde textus: *Erant autem ambo senes, prouectaque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria.* Ridere autem hic, refellere fuit vt falsum promissum sibi de conceptione filij. Vnde rogatus Abraham; *Quare risit Sara?* subiunctum est: *Numquid Deo hoc est difficile?* Et accusata Sara cur riserit, ipsa timore perterrita negauit dicens; *Non risi.* Puduit enim illam vt futile repudiasse adolescentum oraculum. Vnde Horatius in arte poëtica post incredibile monstrum calamo delineatum, subdidit; *Risum teneatis amici.* Falsa enim quasi vera relata ridicula sunt. Vana rursus cùm inutilia dicantur, iuxta id Tobiæ; *Manifestè vana facta est hæc spes mea.* & Esaiæ; *Ecce omnes iniusti, & vana opera eorum.* & 1. Corinth. 15. *Quod si Christus non resurrexit, vana est spes nostra.* Vana igitur inutilia cùm dicantur, etiam risu refellantur, Ieremia dicente: *Vana sunt, & opus eorum risu dignum.* Vana demum cùm dicantur vaniloqua cuncta, & magniloqua, iuxta illa psal. *Vana loquuti sunt vnusquisque ad proximum suum.* & illa: *Quorum os loquutum est vanitatem.* Eccli. 3. *In vanitate detinuit sensus.* 2. Petri 1. *Superba vanitate loquentes.* risui pariter sunt exposita. Vnde Daniel. 14. cùm dixisset Rex magniloqua de Bel, vtique; *Magnus es Bel, & apud te non est dolus quisquam,* dicitur illicò, *risit Daniel:* vtique vanum de idolo Bel encomium. Quare dum præceptor noster prohibet sermones vanos & risui aptos, prohibet omne verbum falsum, inutile, inflatum, ventosum, otiosum, denique & scurriles ineptias, aniléque fabulas, vtpote quib. risus & irrisio debentur, & sunt maximè indigna his qui seria, vt Monachi, cælicáque profitétur. Iuxta quod (vt Bernardus inquit) vanus sermo citò polluit mentem, & facilè agitur quod libenter creditur. Vanus item sermo vanæ conscientiæ index est. Iure ergo hæc Monacho, imò Christiano viro cauentur.

Tob. 2. 22.
Esaiæ 41. 29.
1. *Cor.* 15. 17.
Ieren. 10. 15.
Psal. 37. 13.
Psal. 143. 4.
Eccli. 3. 26.
2. *Petr.* 1. 8.
Dan. 14. 1.
Bern. de interiori domo cap. 3.

196. 54. *Instrumentum.*

Quinquagesimumquartũ instrumentum, *Risum multum ac stultum non amare.* Vel sola huius instrumenti cautio ostẽdit, quod non omnis iustitiæ obseruatio in hac Regula constituta sit, vt habet inscriptio vltimi sui capitis. Non enim omnem, sed multum & stultum risum vetat, cùm tamen omnis iuxta literas sacras vetitus videatur. Etenim Saræ risus reprehensus legitur Genes. 18. 10. Imò & Abrahami risum

risum damnatum legimus apud Hieronymum. Et filius Noë qui risit & irrisit patrem suum, seruitute mulctatus est. Gen. 9. 25. & Ecclesiastæ 2. dixit Salomon: *Risum reputaui errorem.* & cap. 7. *Melior est ira risu.* & Prou. 14. *Risus dolore miscetur, & extrema gaudij luctus occupat.* & Iacobi 4. *Risus vertetur in luctum, & gaudium in mœrorem.* Ipsúmq; Christi exemplum vrget: nam (vt notarunt Basilius, Chrysostomus, Augustinus, Bernardus, & alij) Christus quod fleuerit legitur, non verò quod riserit. Et Chrysostomus asserit idem de Paulo, & de plurimis Sanctis. Imò de multis non Sanctis, sed potiùs Gentilibus quod non riserint legimus: Laërtius enim in vita Platonis refert de illo, quod semel tantùm in adolescentia riserit. Ælianus lib. 8. variæ historiæ refert de Anaxagora, quod nunquam risit: & idem de Crœso Plinius, & de Socrate, & de aliis alij. Quare Basilius cùm interrogasset, an in vniuersum ridere non liceat? Respondet. Cùm Dominus eos damnet, qui in hac vita rident, admodum perspicuum est, nullum omnino locum dari fideli, in quo ridere debeat. Locus autem Domini est apud Lucam: *Væ vobis qui ridetis.* Risus igitur cùm in Scripturis reprobatus appareat, consequens est Regulam sacram istā non omnem prohibentem risum, non omnem iustitiæ rigorem continere.

Hier. tract. cõtra Pelag.
Eccle. 2. 2.
Eccle. 7. 4.
Prou. 14. 13.
Iacobi 4. 9.
Basil. reg. 11. ex fusis.
Chrys. hom. 15. sup. ad Hebr. & homil. 6. in Matth.
Aug. tom. 10. in appen. Ser. 83.
Bern. Ser. 4. de Aduentu.
Ælian. lib. 8. var. hist.
Plin. lib. 7. c. 29.
Basil reg. 11. ex breuib.
Luce 7. 25.

197. At cùm risibilitas sit naturæ nostræ rationabilis comes, non potest eius actus secundum se malus esse: & proinde nec vetitus magis quàm actus loquendi, videndi, admirandi, & similes, qui à naturæ potentiis, proprietatibus, passionibúsque naturaliter oriuntur. Vnde Augustinus. Si duo ista proponas, & quæras quid horum sit melius, ridere, an plorare? Omnis homo plorare non vult, ridere vult, vtpote naturale hoc & gratum, illud verò non ita. Item Ecclesiasticus distinguens nobis tempus ridendi, & tempus flendi, planè vt fletum honestauit risum. Præsertim cùm scriptum sit: *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Vbi (secundum Augustinum) in fletu Dominus posuit officium, in risu beneficium. Id est, in fletu meritum, in risu præmiū. Quod ergo fletibus impetramus à Domino, & ipse in præmium nobis flentibus tribuit, quomodo potest esse malum, & non potiùs inclytum atque optimum? Quare Philo affectum ridendi prædicat honestissimū, vtilissimúmque: vtpote replens tranquillitate, & securitate totam animā. Hoc autem ad præmium conuenientissimum est. Adde quod interdum risus sic concitatur in homine, vt repentè erumpat, & adeò intra viscera ebullit, vrgéque non rarò, vt vix contineri valeat: & dum erumpit, simul latera, os, venas, vultus, oculos, genas, cor, demúmque omnia tundit. Cuius gratia definitur à Nazianzeno, genarum impulsus & subsultatio cordis. Non ergo risus vt sic reprobatus est.

Aug. Ser. 9. de verb. Apostoli.
Luce 6. 21.
August. vbi suprà.
Philo lib. de præmiis & pœnis.
Nazianz. in carmi.

198. Quid ergo dicendum oppositis? Certè nihil aliud, nisi nostri instrumenti consultum: vtique risum multum, aut stultum

esse cautum, non autem lenem, modestũ, aut remissum. De hoc enim commendatur sapiés, cùm
Eccli. 21. 23. dicitur: *Vir sapiens vix tacitè ridebit.* Vbi non negat sapienti risum, sed clamorosum. Stultus autem stultè, profusè, & cũ strepitu
Eccli. 7. 17. ridet. Vnde Ecclesiastic. de illo. *Sonitus spinarũ ardentium sub olla, sic risus stulti.* & c. 21. *Stultus in*
cap. 21. 23. *risu exaltat vocem suam.* Sara autẽ licet occultè riserit, & proinde submissè atque modestè, stultè tamen risit, quasi deridendo & subtrahendo fidem dictis virorũ ingentiũ: & idem fuit de Abrahamo, iuxta mentẽ Hieronymi ibi citati, dicit enim ex quadam incredulitate risisse. Filius autem Noë non tam risit, quàm irrisit patrem, quod verè impium fuit. Cùm autem dicitur iram meliorem esse risu, intelligendũ est ad correctionẽ delinquentis, de qua tũc ibi. Subiicitur enim, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Quod autem risus dicatur error, prouenit (vt Bernardus ait) ex eo quod plerumque suscipitur intempestiuè, vtique quando nõ debet suscipi, aut qualiter non debet suscipi.
Bern. Ser. 65. de modo bene viuendi. Error enim dicitur (ait Bern.) quando vnũ debet fieri, & aliud fit. Tunc ergo fit error ridendo, quando ille qui ridet, debet plorare. In hac autem lacrymarum valle plorandum potiùs quàm ridendum est; licet non semper plorandum, nam etiam tunc planctus error fieret, sed suo tempore ridendum, parcè tamen & modestè; nam risu inepto res ineptior nulla est, vt Catullus dixit. De Christo item etsi non legamus risisse, legimus tamen quod exultauit *Luc. 10. 21.* in Spiritu sancto, vtique gaudio quod ab anima exiliit in corpus. De aliis etiam, cùm modestus ac decorus risus sæpe necessarius sit, saltem ad vultus comitatem & gratiam, Martiale dicente,

Martial lib. 7. epigr. epig. 24.

Nec grata est facies, cui gelasinus abest.

Id est, cui abest risus dentes anteriores ostendens. Vnde Eccli. 26. *Diuitis & pauperis cor*
Eccli. 26. 4. *bonum in omni tempore, vultus illorum hilaris.* Qualis sanè fuit legislatoris nostri Benedicti, de quo Gregorius ait quod fuit
Greg. dialog. 2. vultu placido. Item & Beati Dominici Prædicatorum Patris, de quo refert eius Chronicon, quod os eius risu modesto perfusum erat semper. Et Eccli. 35. dicitur: *In omni dato hilarem*
Eccli. 35. 11. *fac vultum tuum.* Cùm igitur honestus ac decorus risus probis & honestis viris necessarius sit, crediderim cordatis illis, ac prudentibus Gentilium Philosophis risum cachinnationis, non verò exultationis negatum fuisse. Modestus ergo tempestiuúsque risus in laudem est: effusus autem in opprobrium; isto enim melior per omnia est fletus, Augustino dicente. Si proponas, quid est melius ridere
August. vbi suprà. phreneticum, an plorare sanum? Eliget sibi homo plorare cum sanitate, potiùs quàm ridere cum amentia. Tantum valet mentis sanitas, vt etiam cum planctu eligatur. Disertè ergo ac doctè cauet præceptor noster nobis non quidem omnem, sed multum risum aut stultum: per quæ non detrahit perfectioni Regulæ; nam ridere in tempore

non

non minus honestum quàm plangere est.

199. 55. *Instrumentum.*

Quinquagesimumquintum instrumentum, *Lectiones sanctas libenter audire.* Et quidem quis non sic audiet, Augustino dicente, sacras literas esse chirographum verbi Dei, quo se velut obstrinxit ad seruandam fidem promissorum? Præsertim quod multa lectio, etiamsi profana, multæ frugis est, dicente Plinio Iuniore. Multa lectio in subitis multa scriptio elucet. Proœmiatur aptè, narrat apertè, pugnat acriter, colligit fortiter, ornatè, excelsè: postremò docet, delectationem affert. Quod si hæc lectio profana (quam tantùm agnouit Plinius) quid sacra lectio? De qua in primis Author quæstionum noui & veteris Testamenti, quęstione 120. (apud Augustinum) Excitatur nostra deuotio, quando ea quæ licet non ignorantur, recensentur tamen. Tale est ingenium nostrum, vt torpescat, si vsus destiterit lectionis: sicut ferrum nisi vsum fuerit, rubiginem contrahit. Quare Dauid beatum prædicat illum qui die ac nocte legem Domini meditatur: & Apostolus ad Timotheum inquit, vt resuscites gratiam Dei quæ est in te. Et Bernardus. Per lectionem discimus quid facere, quid cauere, quò tendere debeamus. Vnde dicitur, lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Per lectionem sensus & intellectus augentur. Lectio nos ad orationẽ instruit & ad operationem. Lectio nos informat ad actiuam & contemplatiuam vitam: ideo dicitur in psalmis, beatus qui in lege Domini meditatur die ac nocte. Et infrà. Lectio demit errorẽ vitæ, subtrahit hominem à vanitate mundi. Per lectionem sensus & intellectus crescũt. Lectio enim docet quid facias, discernit quid caueas, ostendit quò tendas. Et August. Hortor vt literarum sanctarum studio te curam non pigeat impendere: sincera enim & solida res est, multum mouet, & multũ terret. Et alibi. Modò lectio necessaria est, quando ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autẽ venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Non enim in illa ciuitate vbi Angeli sunt, liber necessarius erit; neque Euãgelium legitur, aut Apostolus, sed verbo Dei pascuntur.

Plin. lib. 2. ep. ad nepotem suum.

Aug. q. 120. veteris & noui Testa.

Bern de modo viuendi. Ser. 50.

Aug. tom. 2. epist. ad Volusianum.

Idem præf. in ps. 93.

1. *Cor.* 13.

200. *Chrys. tom. 1. homil. in illud; Adstitit regina.*

Inde Chrysost. Attenti simus lectioni Scripturarum: anxietatẽ enim depellit, & cordi inserit incredibilem voluptatem: sublata malitia radices virtutis affigit animæ, intérque turbellas negotiorum non sinit vlla perturbatione conflictari. Neque enim funiculum hunc interrumpit vlla negotiationũ tentatio. Et rursum in explicatione illius versiculi, *Meditabor in mandatis tuis*, ex ps. 118. docet, lectionem diuinorum in bona opera terminari, quia scriptum est, *Meditabor in mandatis tuis.* & illicò: *Et leuaui manus meas ad mandata tua, & exercebor in iustificationibus tuis.* Et rursum. Sume librum in manus, lege historiam, & quæ notata sunt memoriæ tenens, obscura frequenter percurre. Quod si assiduitate lectionis

Idem ibid.

Idem tom. 2. conc. 3. de Lazaro.

non poteris inuenire quod dicitur, accede ad ſapientiorem, vade ad Doctorem: & ſi viderit te Deus tantam animi promptitudinem adhibere, ſi nullus homo te docuerit, ipſe te docebit. Memento Eunuchi Reginæ Æthiopum, qui cùm eſſet homo barbarus, & vndique circumſeptus negotiis, neque intelligeret quæ legebat, legebat tamen in curru ſedens. Quod ſi in via tantam præſtitit diligẽtiam, cogita qualis fuerit domi. Si tempore profectionis non ſuſtinuit abſque lectione manere, multo minus domi ſedens. Si nihil intelligens legebat, quanto magis poſtquam didicerat? Deus autem ſtudium eius amplexus miſit illi Doctorem illicò, vtique Spiritum qui Philippum mouerat. Et iterum. Magna aduerſus peccatum munitio eſt Scripturarum lectio; magnum præcipitium, profundum barathrum Scripturarum ignorantia, magna ſalutis perditio nihil ſcire ex diuinis legibus. Ea res & hæreſes peperit, & vitam corruptam inuexit; hoc ſurſum deorſum miſcuit omnia: nam ſine fructu diſcedere non poteſt, qui aſſidua attentáque Scripturarum lectione fruitur.

Idem ibid.

201. His conſonat Ambroſius dicens. Illa eſca nobis neceſſaria eſt, quæ vitam præſtat, quæ animum paſcit, & quæ perceptione ſui confeſſorem faciat, non proditorem. Hæc autem eſt lectio literarum ſacrarum. Negligit enim famem corporis, qui pabula lectionis intendit: nec ventris curam habere poteſt, qui alimentum verbi cæleſtis adquirit. Ipſa eſt refectio quæ ſaginat animam, quæ impinguat viſcera, cùm de diuinis Scripturis cibum eloquij accipimus. Ipſa eſt eſca, quæ vitam æternam tribuit, & inſidias à nobis diabolicæ fraudis excludit. Quod autem ſacrarum literarum lectio vita ſit, Dominus teſtatur dicẽs: Verba quæ ego loquor vobis, ſpiritus & vita ſunt. Hactenus Ambroſius. Conſonat etiam & maximè conſonat Baſilius dicens. Maxima viarum ad veri inueſtigationem, Scripturarum diuinarum meditatio eſt. In his enim rerum agendarum præcepta reperiuntur, & beatorũ hominum vitæ memoriæ proditæ, & tanquam ſimulachra quędam ad normam diuinæ iuſtitiæ repoſita. Ideo tam ille quàm ipſe per plura annorum curricula Scripturarum lectioni ſe penitus tradiderunt, vt in volumine de ſacra Scriptura, dub. 11. notaui. Et quod præſtantius eſt, beatiſſima Virgo dum adhuc in Templo ſeruiret, à ſummo mane vſque ad horam tertiam precationibus intenta erat, indéque ſumpto cibo vſque ad occubitum Solis lectitabat Scripturas, & in earum meditatione pernoctabat, vt refert Marcus Marulus lib. 2. c. 5. & lib. 3. c. 9. & Antonius Sabellius lib. 2. hiſtoriæ c. 9. Et iuxta eumdem Marulum, Bernardus mellifluus ex ſola Scripturarum lectione egregiè doctus euaſit in illis. Cyprianus etiam in lectione Tertulliani adeò ſedulus extitit, vt nullum diem prætermitteret abſque illa, dicens per ſingulas noctes Paulo notario ſuo, *Cedo Magiſtrum,*

Ambr. tom. 5. Serm. 35.

Baſil. epiſt. 1. ad Gregor. Theologum.

Marulus lib. 2. c. 5. & lib. 3. c. 9.

Sabellius lib. 2. c. 9.

gistrum, vtique Tertullianum, vt refert Hieronymus in catalogo illustrium virorum. Alfonsus denique Rex Aragoniæ gloriabatur frequenter, quod Biblia quater & decies cum glossis & commentariis perlegisset. Vnde ea ita insculpsit memoriæ, vt non tantùm res, sed longum etiam verborum ordinem absque libro recitare potuisset, vt refert Panormitanus lib.2. Quare tam prudens pariter & sapiés emersit in multis Princeps iste. Iure igitur lectioni sacræ assiduè præcipimur inhærere.

Panormit. lib.2.

202.

56. *Instrumentum.* *Luca 18.1.*

Quinquagesimumsextum instrumentum, *Orationi frequenter incumbere.* Non solùm frequenter, verùm incessanter iubent nos sacræ literæ orare, iuxta illud Domini: *Oportet semper orare, & numquam deficere.* & illud Pauli: *Galeam salutis assumite, per omnem orationem orantes omni* *ad Ephes 6. 18.*

1. Thess. 3. 10. *tẽpore.* & illud 1. ad 3. Thess. *Gaudemus propter vos ante Deum nostrum, nocte & die abundantiùs orantes.* Ratio huius est orationis efficacia in ordine ad Deum, *Esaiæ 65.24.* iuxta illud Esaiæ; *Erit antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.* & iuxta *Matth.7.7.* illud Matth. *Omnis qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.* & iuxta illud *Lucæ 11.13.* Lucæ: *Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se?* & *Ioan. 14.13.* iuxta illud Ioannis. *Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam.* Efficacia autem hæc non quidem in vno, vel in altero, sed in multis resplendet effectibus. In primis enim purgat peccata, iuxta illud Eccli. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur.* Leuitici 4. *Rogante pro eis Sacerdote propitius eis erit Dominus.* & rursum: *Rogabit Sacerdos pro peccato eius, & dimittetur ei.* Hostem etiã spiritalem fugat, dicente Christo; *Hoc autem genus dæmoniorum non eiicitur nisi per orationem & ieiunium.* & suprà: *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* & cap.6. *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Corporalem item hostem deuiat, iuxta id psal. *Inuoca me in die tribulationis, & eruam te.* Vnde Augustinus. Moyses orabat in mõte, & Iosue Amalec euincebat. Per orationem Ezechias sanatur, & salutem animæ & corporis adipiscitur. Demum bona cuncta impetrat, iuxta illud Eccli. *Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Deum, & curabit te.* Rom. 10. *Obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.* ad Philip. 1. *Scio quia hoc proueniet ad salutem per vestram orationem.* ad Colossen. 1. *Semper solicitus pro vobis in orationibus, vt stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei.* 2. ad Thess. 3. *Orate, fratres, pro nobis, vt sermo Dei currat, & clarificetur, & liberemur ab importunis & malis hominibus.*

Exod. 17.11.
Iosue 10.13.
Esaiæ 38.5.
Eccli. 38.9.
Rom. 10.1.
Philip. 1.19.
Coloss. 1.11.
2. Thess. 3.1.

205.

August. vbi sup.

Inde Augustinus vbi sup. Per orationem Saulus efficitur Paulus & doctor gentium, Ieremias cõfortatur in carcere, Daniel inter Leones exultat, Iob in sterquilinio nudus triumphat, Susanna inter senes defenditur, paradisum de cruce latro inuenit, Stephanus de torrẽte in cælo susci-

pitur, & inter lapidantes pro Saulo exauditur. Basilius etiam. Orationes lectionibus succedentes, recentiorem vegetioremque animam recipiunt, vtpote desiderio Dei iam flagrantem. Atqui illa est bona oratio, quæ compertam Dei notionem in animo generat; est verò Dei inhabitatio, insidentem intus Deum memoria complecti. Hac nos ratione templum Dei efficimur. Et Nazianz. Armorum apparatus, machinarum inuentiones, virorum myriades, & instructæ acies, ea perficere non possunt, quæ nos precibus solis. Et Bernardus. Dominus dixit, omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes accipietis: & Iacobus, multum valet deprecatio iusti assidua. Et mox. Oratio frequens diaboli iacula submouet, oratio quotidiana diaboli tela superat. Oratio est prima virtus aduersus tentationem, superat inimicos, vincit dæmones, & immundos spiritus: oratio dæmoniis omnibus prævalet. Quæ sunt simillima illis quæ Augustinus notauit de oratione Ionæ dicens. Clamauit de profundo Ionas de ventre Ceti; erat non solùm sub fluctibus, verùm in visceribus belluæ, nec tamen illud corpus, & illi fluctus intercluserunt orationem ne perueniret ad Deum: & venter bestiæ non potuit tenere vocem deprecantis. Penetrauit omnia, diripuit omnia, peruenit ad aures Dei.

Basil.epist.1. ad Gregor. Theologum.

Nazian. orat.4.

Bern de modo viuendi. cap.49.

Aug.in psal. 29.

Sed quid ad hæc Chrysostomus? Certè ad hæc & ad alia orationi affinia multa multigenaque. Tomo enim 5, dicit. Orãs Deum placat, & insurgentem animum humiliat. Orans cum ieiunio geminas habet alas, & ipsis quidem ventis leuiores: neque enim oscitat, & distenditur, & orans langueſcit, quod multi patiuntur: sed est igne vehemẽtior, & terra superior; & propterea talis maximè dæmonibus est infestus & hostis. Nihil enim fortius homine legitimè orante. Et lib.1. de orando Deum ante medium. Quisquis non orat Deum, is mortuus est, & vita carens, expersque sanæ mentis: nã hoc ipsum euidentissimum est argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec persuasum habere quod animæ mors sit non pronolui ad Dei genua. Vt enim corpus si non adsit anima, mortuum ac fœtidum est: sic anima mortua & misera, & grauiter olens, nisi seipsam inciret ad orandum. Et hom. 12. sup. ad Heb.7. Admiramur quod olim ignis descendens omnia consumebat; potest fieri vt omnia in cælum tollat. Tales enim Cornelij orationes, sacra Scriptura dicente Actorum 10. Orationes tuæ ascenderunt in conspectu Dei. Et hom.12. sup. ad Heb.12. Magna sunt arma preces: oratio bella euertit, est pharmacum salutare prohibens peccata, & medicamentum delictorum. Et tomo 5.tract.de oratione fol.1258. Ingens bonum omnique possessione præstantius oratio est. Ipsa enim solutis criminum catenis, Deum & ad misericordiã præparat, & à periculis, in quæ solemus incidere, securos & liberos reddit. Vnde Luc.22. Orate

ne intretis in tentationem. Denum tomo 4. hom. 27. sup. ad Heb. 11. inquit. Magna arma sunt preces, & vt earum vires intelligas, impudẽtiam, iniquitatem, crudelitatem, & importunam audaciam vincunt assiduæ preces. Audite quid dicat Iudex iniquitatis Lucæ 18. & quod non fecit amicitia, assidua fecit interpellatio, Lucæ 11. Si igitur tantum bonum, vel potiùs tanta, quinimò omnia bona deprecatione assidua & oratione instanti obtinentur à Deo, meritò legifer noster continuam nobis, iugemque orationem commendat: vtpote qui non tantùm pro nobis, sed pro omni populo tenemur preces effundere, & Deũ omnino, & pro omnibus deprecari.

205. *7. Instrumentum.*

Quinquagesimumseptimum instrumentum, *Mala sua praterita quotidie cum lacrymis, vel gemitu in oratione confiteri.* Aptè post orationis instrumentum, inducitur instrumentum compunctionis, & planctus pro peccatis præteritis; quoniam (vt Bernardus inquit) lacrymæ sunt panis orantium, de quo psal. 55. 9. Cibauit nos pane lacrymarum. & psal. 127. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Lacrymæ muniunt & roborant orationem, vt panis cor hominis confirmat. Præsertim quod ipsæ lacrymę tacitę quodammodo preces sunt, vt ait Ambrosius. Imò & ipsis precibus quodammodo efficaciores, dicente eodem ibidem. Vtiliores lacrymarum preces sunt quàm sermonum: quia sermo in precando for-

ern. Ser. 7. e panibus.

Ambros. to. Ser. 46. de exalt. Petri.

tè fallit, lacryma omnino non fallit. Sed propriùs nihilominus germaniusque lacrymæ pœnitentiæ & peccatorum confessioni iunguntur, cùm scriptum sit Esaiæ 38. 15. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. & Ioëlis 2. 12. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et propterea Petrus pœnitentia ductus fleuit amarè, Matth. 26. 75. Et mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, stans retro secus pedes Christi lacrymis (præ culparum dolore) cœpit rigare pedes eius, Lucæ 37. Et propter idem de seipso enunciauit Dauid. Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Et rursum, fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, psal. 41. 4. Et hoc ideo, quoniam, vt ipse dixit psalm. 50. 9. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

206. *Basil. in Ethic. defin. 1.*

Inde Basilius. Resipiscentes debent acerbè flere, & reliqua quæ resipiscentiæ sunt ex animo demonstrare. Et Athanasius. Magna virtus in lacrymis, quia per lacrymas magna peccata obliterantur, teste apud Euãgelium Petro. Hilarius. Pœnitentiæ vox est lacrymis orare, lacrymis ingemiscere, & per hanc confidentiam dicere, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Hæc venia peccati est, largo lacry[illegible]arum imbre

Athanas. de virgins.

Hilar. in ps. 118.

imbre madefieri. Ambrosius. Audiant qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant: vtique conuersione cordis, concussione viscerum, veluti cùm Thren. 2. dicitur; Sederunt in terra, præcinxerunt se cilicio virgines Ierusalem; defecerunt in lacrymis. Sic etiam fleuit & Niniue populus, sic denunciatum ciuitatis excidium euasit. Tanta est enim pœnitentiæ medicina, vt mutare videatur Deus suam sententiam. Cassiodorus. Tunc fœlicior anima cùm fleuerit, tunc celsior cùm se prostrauerit; lacrymis reparat quod gaudio perdiderat. Rupertus Tuitiensis. Lamentationes pœnitentium sunt, ne perueniant ad illud væ sempiternum. Et demùm Bernardus. Propter verecundiam peccati oculos tuos ne audeas leuare, erubesce, ambula demissa facie: cilicium & cinis inuoluant membra tua, esto semper plangens, semper mœrens, semper suspiria cordis emittens.

Cassiod. lib. de anima. cap. 6.

Ruper. sup. Apoc. 18.

Bernar. de modo viuendi. cap. 27.

207. Sed quid de his Chrysostomus? Certè multa obseruatione dignissima. Tomo enim 5. Ser. de pœnitentia fol. 769. ait. Magnus profectus est lacrymarum, vt plorando seruus propitiet Dominum: filius lacrymis mitiget patrem, & asperam matrem paruulus mulceat. Ita ergo & peccator profusis fletibus remouet iram Dei. Cupit videre Timotheum Paulus propter fletum. Desidero (inquit 2. ad Timot. 1.) videre te memor lacrymarum tuarum. Et Dauid dixit psal. 94. Venite adoremus, & ploremus coram Domino qui fecit nos. Et iterum psal. 55. Deus vitam meam annunciaui tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. Quasi diceret, suscipe lacrymas meas, quoniam lacrymæ sunt, quæ radunt rudera, & sanant vulnera, quæ cælum pulsant, crimina delent, & conscientiam degrauant, quæ reconciliant Deo, quæ animam à peccatis redimunt, & eius languores sanant. Et paulo suprà inducens illud Ierem. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum?* dicit, hoc desiderasse prophetam, eo quod lacrymę iuuant populum transmigrantium, & quia sciebat quod Deus fletibus flectitur, & lugentes lætificat, & pœnitentibus præstat esse. Quid item Augustinus ad hæc? Plura certè & pulchra, ex quibus tamen vnicum hic attexam elogium; quod ipse Serm. 17. de Sanctis prosequutus est, explicans illud psal. 83. *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum.* Etenim dum hæc commentatur, ita inquit. Vbi sunt ascensiones? In corde, inquit. Sed vnde ascendendum est? Vtique à conualle plorationis. Et quò ascendendum est: In locum vtiq; quem disposuit. Quis est iste locus, nisi quietis & pacis? Ibi enim est illa clara, & quę numquam marcescit sapientia. Quod ideo dictum est, vt nos in confessione pœnitentiæ dolendo, gemendo, & flendo, non remaneamus in dolore, gemitu, & fletu, sed ascendamus ab ista conualle in montem Ierusalem, vt ibi imperturbabili lætitia perfruamur. Hæc Augustinus. Quia igitur pœnitentia lacrymis irrigata,

Aug. Ser. 17. de Sanctis.

irrigata, vberrimos pro hac vita atque etiam pro alia fructus, imò & triumphos habet, iure legislator sanctissimus pro maximo perfectionis nostræ instrumento ponit hanc plangendi peccata præterita medicinam. Quare Maurus vt eius alumnus talem in his se gessit, vt de illo vitæ ipsius auctor Faustus Benedictinus dicat: Siquam ex secularium hominum verbo aut cogitatione maculam contraxisset, crebris lacrymarum fontibus expiabat.

208. 58. *Instrumentum.*

Quinquagesimumoctauũ instrumentum, *De ipsis malis de cætero emendare.* Instrumentum hoc essentialis pars est præcedentis: vtpote quod propositum de cætero non peccandi essentialiter pertinet ad veram animi pœnitẽtiam, dicente Ambrosio. Pœnitentia est prioris æui damnatio, & in futuro promissa correctio. Et Gregorio magno. Vera pœnitentia est admissa peccatà plangere, & plangenda iterum non committere. Imò & duobus celebertimis Conciliis Florentino. & Tridentino. Pœnitentia est dolor de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Quinimò & ipsa sacra Scriptura Amos 5. *Odite malum, & diligite bonum.* & Esaiæ 1. *Lauamini, mundi estote, quiescite agere peruersè, discite bene facere.* & Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus operibus suis, quæ operatus est, & custodierit vniuersa præcepta mea, vita viuet, & non morietur.* Vnde Paulus; *Vide in te bonitatem Dei, si perseueraueris in bonitate.* & ad Galat. *State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* & Actor. 20. *Non facio animam meam pretiosiorem me, donec consumminem cursum meum.*

Ambros. lib. 3. de pœnit. cap. 1.

Greger. hom. 34. in Euãg.

Floren. in instru. Armen. Trid. sess. 14. cap. 4.

Amos 5.

Esaiæ 1.

Ezech. 18.

Rom. 11.

Galat. 5.

Act. 20.

Ratio autem est, quia iuxta verbum Domini, vt habetur Eccli. 34. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proderit lauatio eius? sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit se humiliando?* & Ezech. 17. *Qui dissoluit pactum, numquid effugiet?* & cap. 44. *Dissoluitis pactum meum in omnibus sceleribus vestris.* & 2. Petri 2. *Si refugientes coinquinationes mundi, his rursum implicantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem relinquere! Contingit enim eis illud veri prouerbij: Canis reuersus ad vomitum suum; &, Sus lota in volutabro luti.* Vnde Matth. 12. *Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* & Ioan. 5. *Ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Et Gregorius hom. 34. in Euangelia. Quid prodest si peccata quis luxuriæ defleat, & tamen auaritiæ æstibus anhelet? Quid prodest si iræ culpas iam lugeat, & tamen adhuc inuidiæ facibus tabescat? Imò tantùm abest vt prosit, quod aliquando miserabiliùs nocet. Quare Ioan. 5. ad paralyticum peccatorem dictum est: *Vade, & amplius noli peccare.* Vllo vtique peccati genere. Nam propositum non peccandi de cætero, quod pœnitentiæ essentiale est, non tantùm includit fugam recidiuationis in præteritis & commissis, verùm & in

209.

omnibus aliis mortalibus criminibus. Vt reconciliatio hominum inter se non tantùm includit continentiam ab iniuriis illatis in aliquo genere, verùm in similibus etiam, atque in omnibus aliis quæ proximo notabiliter irrogati possunt.

210. *Virùm ad pœnitentiam requiratur expressum propositũ non peccandi de cætero, an sufficiat implicitum.*

Vtrùm autem propositũ hoc debeat esse explicitum & formale, vel sufficiat virtuale & implicitum, adhuc sub iudice est. Aliquĩ enim hoc secundum autumant, vt Maior & Almaynus in 4. dist. 14. quæst. 1. Andreas de Vega lib. 3. in Triden. cap. 21. Ioannes de Medina Codice de pœnitentia tract. 1. q. 3. Petrus Soto lect. 17. de pœnitentia. Nauarrus in summa cap. 1. n. 15. Quorum fundamẽtum est, quod neque ex sacris literis, neque ex natura pœnitẽtiæ colligitur necessitas propositi formalis & expliciti, sed tantùm necessitas nouæ vitæ, cum exclusione voluntatis peccandi mortaliter: quæ duo cohærere possunt absque formali proposito, vt de facto cohærent in eo qui repentè rapitur ad martyrium, & in eo qui toto corde ad Deum conuertitur, nulla mentione habita, sed neque cogitatione de vita futura. Testimonia autem Scripturæ quæ propositum nouæ vitæ requirunt, suprà recensita sunt. Ex quibus tamen nullum nos cogit ad votum adeò explicitum. Antiquiores tamen Theologi, vt Magister in 4. dist. 14. & 15. Alexander Alensis 3. p. q. 69. memb. 9. art. 2. D. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. & 3. p. q. 86. art. 2. Scotus & alij in 4. dist. 14. & 17. asserunt prædictum propositum debere esse formale. Quibus ex recentioribus adhærent Hadrianus quodlibet. 5. Caietanus additionibus ad 3. p. q. 1. art. 1. Soto in 4. dist. 17. q. 2. art. 1. & Melchior Cano relectione de pœnitentia. p. 1. & alij. Quorum prior ratio est, Scripturæ elogia, quibus ad veram pœnitentiam noua vita postulatur, non postulare illam vt actu exercendam, sed vt in posterum, & ex consequenti postulare propositum eius. Deinde quod dispositio ad gratiã debet esse per conuersionem perfectã voluntatis, quæ tamen non potest esse per solum recessum à malo, qui fit per detestationem, nisi etiam conuertamur ad bonum, quod per propositum fit. Quare cùm illi sint tanquã duo termini à quo & ad quem, non minus requiritur formale propositum boni ad perfectam conuersionem; quàm formalis detestatio mali ad veram recessionem.

211. Sed hæc facile est ad concordiam redigere, distinguendo ea quæ per se, ab his quæ per accidens requiruntur. Per se enim loquẽdo, certa mihi videtur hæc secunda pars: tum quia vnus ex potissimis pœnitẽtiæ finibus est emendatio vitæ præteritæ; res sanè admodum difficilis, & ex seipsa grauis & ardua. Vnde Leo Papa Serm. 11. de quadragesima. Magni est ergo operis & laboris mobilitatem cordis ab omnibus continere peccatis: & cùm vndiquè innumeræ voluptatum illecebræ blandiantur, ad nulla contagia vigorẽ animi relaxare. Quid ergo mirum si ex natura rei

Leo Ser. 11. de quadragesima.

rei requirat in peccatore expressam & explicitam voluntatem & votum id præstandi? Tum quia peccator vt in Dei amicitiam redeat, debet illum super omnia amare, formali quidem, per se loquendo, atque explicito amore. Constat autem quod is ægrè sine formali proposito seruandi mandata, esse potest. Tum quia Concilia & elogia allegata, cùm petunt ad veram pœnitentiam tale propositum, planè significare videntur quod petũt illud explicitum: nam implicitũ tantùm non est cur peterent, hoc enim suapte natura includitur virtualiter in contritione, & in vera detestatione peccati. Per accidens autem, hoc est, in aliquo casu, vtique quando quis subitò ad martyrium rapitur, & subitò strangulatur, & quando vehemens aliquis amor Dei excitatur in nobis, nõ est opus expresso voto & affectu de cætero non peccandi. Actus enim illi suapte natura sunt efficaces ad hoc, etiamsi futuræ pro tunc vitæ non recordentur. Quare
Reg. 12. Dauid 2. Reg. 12. exquo dixit; *Peccaui Domino*, statim iustificatus est: audiuit enim à Propheta, *Dominus quoque trãstulit peccatũ tuũ à te.* Vbi tamen nulla futuræ vitæ mentio intercessit. Et quantum potest colligi ex circumstantiis quæ ibi referuntur, tunc solùm habuit vehementem detestationem offensæ in Deum commissæ, vt declarat Chrysomus. Quare licet propositum nouæ vitæ essentiale sit pœnitentiæ, propositum tamen explicitum & formale non ita, sed pro ratione & conditione occasionis, temporis, & similium.

Chrysost. 10. hom. 6. de pœn.

Quinquagesimumnonum instrumentum, *Desideria carnis non perficere.* Prudens pariter ac perfectum valde instrumentum hoc. Prudens quidem, quia cùm opera carnis reproba multum sint, dicente Paulo ad Galatas 5. 19. *Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* & cap. 6. 8. *Qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem.* & 1. Corinth. 15. 50. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* & ad Rom. 8. 13. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Vtpote quod vel ipsa prudentia carnis inimica est Deo; & mors animæ, vt habet Paulus Rom. 8. 7. Etsi igitur opera carnis adeò improba exitiosaque nobis sint, nihilominus legifer noster non præcipit ea prorsus caueri, & omnino nesciri & vitari, sciens quod naturaliter caro ita concupiscit aduersus spiritum, vt vel repugnantibus nobis insiliat, & ad malum propellat. Quare licet Paulus de seipso dixerit 1. Corinth. 9. 27. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar*: nihilominus gemens clamabat; *Sentio aliam legem in membris meis, repugnãtem legi mentis meæ*, Rom. 7. 24. & antea: *Non quod volo bonum,*

212. 59. *Instrumentum.*

Galat. 5. 19.

Galat. 6. 8.

1. *Cor.* 15. 50.

1. *Cor.* 9. 27.

Rom. 7. 24.

Ibid. 25.

bonum, hoc ago, sed quod odi malum, id facio. Quare Leo Papa Sermone 7. de ieiunio septimi mensis. Donec corpus mortale gestamus, necesse est, vt contra carnis desideria dimicemus. Et *Ambros. to. 1. annot. in Leuitic.* Ambros. tom. 1. annotat. in Leuiticum ad Simplic. Qui carnem gerit, culpæ obnoxius est. Pro ratione autem assignat, tum quod carnis illecebræ repugnat integritati & innocentiæ: tum quia irrationabilis impetus citò nos præuenit, & flamma quædam celerrimi motus animam depascitur, eiusque innocentiam exurit. Tum quia præponderant futuris præsentia, iucunda seriis, asperis mollia, tristibus læta, & præpropera tardioribus, hoc est, iniquitas æquitati: quoniam iniquitas velox est etiam ad effundendum sanguinem, virtus verò lenta & cunctatrix. Ecce qualiter instrumentū hoc prudēs sit.

213. Perfectum etiam est, quia carnis desideria non perficere, idem est quod illis morem non gerere, sed potiùs obsistere & repugnare. Qui autem ita se gerūt, perfecti fiunt. Tum quia nihil damnationis in huiusmodi est, vrpote qui secūdum carnem non ambulant: quod est Pauli verbum ad Rom. 8. 1. Tum quia licet concupiscentia mala sit, tamen (vt Augustinus inquit lib. 6. contra Iulianum cap. 5.) peccatum non est, quia non reatum importat, sed pœnam. Quare exponens ipse eo loci elogium illud Iacobi 1. 13. *Concupiscentia cùm conceperit parit peccatum*, dicit quod expressè hic pariens à partu distinguitur, quia concupiscentia est pariens, partus verò peccatum. Et addit quod cùm concupiscentia non pariat, nisi priùs concipiat, & non aliter concipiat, quàm alliciendo, & obtinendo voluntatis assensum ad malum, fit vt repugnando illi, non solùm non pariat peccatum, verùm neque concipiat. Si autem inquiramus quidnam moliatur cōcupiscentia ista aduersum nos, si tamen nec concipere potest absque consensu nostro, & absque concursu liberæ voluntatis nostræ. *Iacobi 1.* Respondet Iacobus ipse quod tentationem; ait enim: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Quare sicut femina illiciens virum ad congressum, tentat quidem illum, sed tamen non concipit ex illo viro non congrediente: ita concupiscentia, cum qua voluntatis consensus non confluit, nec concurrit. Tentari autem ad malum, non est malum perpetrare. Perfecti igitur sunt, qui desideria carnis non perficiunt.

214. Sunt etiam perfecti, ex eo quod vel ipsa concupiscentiæ illecebra non consentita, sed potiùs repudiata perfectionis adminiculum & instrumentum est, Paulo attestāte, qui 2. Cor. 12. 7. *2. Cor. 12* dixit: *Virtus in infirmitate perficitur.* Quod exponens D. Thomas de infirmitate concupiscentiæ ita inquit. Mirus modus loquendi, idem est dicere, virtus in infirmitate perficitur, ac ignis crescit in aqua. Sed occasionaliter, & materialiter potest virtus in infirmitate perfici. Materialiter quidem, quatenus infirmitas est materia exercen

Rom. 8. 1.

Aug. lib. 6. contra Iul. cap. 5.

D. Tho. ibi

exercendæ virtutis,vt contumelia est materia exercendæ humilitatis , & tribulatio materia exercendi patientiam. Occasionaliter , quia est etiam occasio perueniendi ad perfectam virtutem,quatenus homo sciens se infirmum, magis sollicitatur ad resistendum ; & ex hoc quod magis resistit, efficitur exercitatior, & per consequens fortior. Et ideo Iudicum 3.legitur quod Deus noluit destruere omnes habitatores terræ , vt filij Israël exercitarentur pugnando cum illis. Et Scipio Africanus nolebat destructionem ciuitatis Carthaginensium , vt dum Romani haberent hostes exteriùs , non sentirent hostes interiores,contra quos durius bellum est , vt ipse dicebat. Hæc D.Thomas.Si igitur colluctatio & pugna aduersus concupiscentiam perfectionem parit , consequens est, vt instrumẽtum prohibens concupiscentiæ assensum,perfectissimum sit. Inde Chrysost. hom. 21.Imperfecti. Nisi anima priùs victa fuerit, nunquam caro potest peccare. Caro quidem priùs concupiscere malum potest,peccare autem non potest, nisi anima illi consenserit, quia caro in potestate animæ est, non anima in potestate carnis. Et hom.13. Caro animæ subiecta est , non anima carni.Caro aduersus animam certare potest,vincere non potest,nisi ipsa anima consenserit vt vincatur.Anima autem aduersus carnem & certat,& vincit. Et tomo 5.homilia de Oratione Dominica docet , quod quando spiritus superat carnem nostram,tunc aduenit ad nos regnum Dei:quia qui iudicat terram carnis suæ,rex est terrę suę. Ecce quãtæ perfectionis sit carnis desideria non perficere , sed prosternere,consternare & proculcare , quod maximè Monachorum est, apud quos iure verificandum esset illud Ieremiæ elogium cap. 50. *Confractus est malleus vniuersæ terræ* ; vt verificatum retulit Augustinus Serm. 150. cap.4. de aliquibus dicendo. Post aduentum Domini per innumerabilia Monasteria , & per cleros, vel laicos castitatem seruantes quasi confractus malleus ille videtur.

Chryſ hom. 21. Imperfecti.

Idem ibid. hom.13.

Ierem. 50.

Auguſt. Ser. 150.cap.4.

Sexagesimum instrumentum, 215.
Voluntatem propriam odio habere. 60. *Instrumentum.*
Laboriosum planè,& dirũ quodammodo est instrumẽtum hoc, vtpote duriora à nobis quàm præcedens requirens.Illud enim ad non perficienda carnis desideria nos compulit:hoc autem ad propriæ voluntatis odiũ nos premit;cùm tamẽ desideria carnis deteriora & truculentiora omni nostra voluntate sint : & constat minora mala minoris detestationis esse digna. At si amor sui ex propria voluntate procedit , vt Bernardus habet tract. de decem oneribus. cap. 23.consequens est , voluntatem propriam esse primordialem radicem omnis mali, quia tale est amor sui,Augustino dicente 14. de ciuitate. cap. 28. Amor sui vsque ad contemptum Dei ædificat ciuitatem Babylonis : vt econtrà amor Dei vsque ad contemptum sui ædificat ciuitatem Ierusalem. Et subdit de vtraque ista ciuitate. Illa quærit ab hominibus gloriam , huic autem

Bern. de decem oneriò. c.23.

Aug. lib.14. de ciuit. cap. 28.

Deus est gloria. Illa in gloria sua exaltat caput suum, hæc dicit Deo suo, gloria mea, & exaltans caput meum. Illi in principibus suis dominandi libido dominatur, in hac seruiunt inuicem in charitate, & præpositi consulendo, & subditi obtemperando. Illa in potentatibus suis diligit virtutem suam, hæc dicit Deo suo, diligam te Domine virtus mea. Ideóque in illa sapientes secundum hominem, aut corporis, aut animi sui bona sectati sunt, aut qui potuerunt agnoscere Deum, non sicut Deum honorarunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & ad simulachra adoranda, vel duces populorum, vel sectatores fuerunt: in hac autem nulla est homini sapientia nisi pietas, qua rectè colitur Deus expectãdo præmium in societate Sanctorum. Hæc Augustinus. Per quæ planè ostẽdit quod sicut amor Dei est fontale principium & radix omnis boni, etiam pietatis in Deum, sic amor sui radix omnis mali, etiã idololatriæ, quæ est iniquitas maxima, & peccatum contra Deum altissimũ; ad quod tamen carnis illecebræ non ascendunt.

216. Hac de causa Paulus exquo dixit 1. ad Tim. 3. 2. *In nouissimis diebus erunt homines seipsos amantes*; illicò subiecit, *cupidi, elati, blasphemi, superbi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegãtes.* Quibus omnia vitiorum genera comprehenduntur. Vnde D. Tho. in commentario huius loci. Radix totius iniquitatis est amor suiipsius. Ratio autẽ, quia (iuxta Gregorium homil. 4. in Ezech.) scimus quia vehementer claudit oculos cordis amor priuatus. Et Bernard. vbi suprà. Qui amat propriam voluntatẽ, oneri est illi voluntas aliena; & ideo quæ sua sunt quærit, non quæ aliorum. Itaque non quia voluntas, sed quia propria, sed quia nostra, in cãusa est quod totius mali radix sit. Quare Leo magnus explicans illud Eccli. 8. *Post concupiscentias tuas non eas, & à volũtate tua auertere*; ita discurrit Sermone 8. de ieiunio septimi mensis. Cùm sint in animis hominum multæ bonæ concupiscentiæ, & laudabiles voluntates, quid est quod iubemur vt nostris non consentiamus affectibus, nisi quod ab illa concupiscentia prohibemur, & ab illa voluntate reuocamur, cuius ortus ex nobis est: & ideo mala pronuntiatur, quia nostra esse conuincitur? Ad distinctionem igitur concupiscentiarum quæ sunt ex Deo, bene homini dictũ est, post concupiscentias tuas nõ eas, vt quas cognouerit proprias, sciat esse vitandas.

D. Tho. in 1. ad Timoth. 3. lect. 1.

Greg. hom. 4. in Ezech.

Bern. vbi suprà.

Eccli. 8.

Leo Ser. 8. de ieiunio septimi mensis.

1. ad Tim. 3. 2.

Ibid. n. 3.

217. Inde Oseæ 10. 6. *Confundetur Israël in voluntate sua*: vtiq; quoniam praua, & totius prauitatis origo, dicente etiam Chrys. tom. 1. hom. 24. in Genesim. In confesso est, quod voluntas nostra malorum omnium est causa. Ierem. item 7. 24. dicitur: *Abierunt in volũtatibus, & in prauitate cordis sui mali, factique sunt retrorsũ, & non ante.* Id est, potiùs facti sunt

217. *Osee 10. 6.*

Chrys. hom. 24. in Genesim.

Ierem. 7. 24.

sunt peiores in dies quàm melio-
res. Seu omnia illis in peius suc-
Ierem. 7. 26. cesserunt (vt infrà num. 26.) *Peiùs operati sunt quàm patres eorum:* vtpote quod qui propriæ voluntatis ductum sequuntur, in dies in grauiora, maioráque incommoda ruunt. Quare Lucæ
Luc. 14. 16. 14. 16. *Qui non odit patrem suum, & matrem suam, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* & Ioan. 12. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam.*
Esaiæ 58. 13. Contrà verò Isaiæ 58. 13. *Cùm non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt non loquaris sermonem: tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui; os enim Domini loquutum est.* Propterea
Lucæ 22. 42. Christus Lucæ 22. 42. ad Patrẽ; *Non mea voluntas, sed tua fiat.* &
Ioan. 12. 25. Ioan. 12. 25. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quis autem est qui sic odio habet animã suam, nisi qui odio habet voluntatem suam? Perfectionis igitur est instrumentum hoc plusquàm præcedens, in quo dum præcipimur desideria carnis non perficere, non adstringimur nisi carnem nostram, vel corpus nostrum odio habere, hoc est, appetitum carnis nostræ, qui est sensitiuus. Dum ergo in præsenti monemur voluntatem nostram odio habere, compellimur appetitũ animæ, qui animæ propensio ad malũ est, detestari.

218. *Instrumentum.* Sexagesimumprimum instrumentum, *Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiamsi ipse (quod absit) aliter agat, memor illius Dominici præcepti; Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, nolite facere.* Instrumentum hoc affine præcedenti est: qui enim propriam voluntatem abnegat, reliquum est, vt alienam sequatur, præsertim illam cui se per omnia deuinxit, qualis est Abbatis respectu sui Monachi. Ideo enim vocatur Abbas, quod significat pater: obedientia enim nos constituit filios eius cui obedimus, adeò vt Chrysostomus *Chrys. hom. 8. sup. ad Romanos.* homil. 8. super ad Rom. explicans illud Rom. 4. quod Deus de Abrahamo dixit; *Patrem multarum gentium constitui te,* dicat de Abrahamo. Sicut Deus pater est, non secundum naturalem generationem, sed secundum fidei necessitudinem, ita & ipse: obedientia enim patrem facit, ac genitorem omnium nostrûm. Vide D. Thomas explicans illud ad Ephes. 6. 1. *Filij obedite parentibus vestris;* dicit. Proprium *Ephes. 6. 1.* filiorum est obedientia. Et Psal. *Psal. 17. 45. & 46.* 17. exquo num. 45. dixit Deus: *Populus quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.* subdidit num. 46. *Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt.* Insinuando quippe per hæc, eos qui sibi obtemperabãt, filios eius proprios genuinósq; esse, reliquos verò alienos, & à sua filiatione extraneos. Quare exquo nos in Oratione Dominica ad illum órãdo dicimus, *Pater noster qui es in cælis,* euestigio subiungimus, *adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua.* Cùm igitur Abbas idẽ quod pater sit, consequens est, Monachũ esse filiũ talis Abbatis, & proinde obtemperaturũ illi, eiúsq; præceptis morigerum se præstiturum.

Quia

219. *Rom.2.12.* Quia verò potest contingere, vt qui alios docet, seipsum non doceat, & qui prædicat non furandum (vt ait Paulus Rom.2.12.) furetur; & proinde quod moribus destruat, quod verbis ædificat: ideo ne occasione huius Monachus subterfugiat Abbatis imperium, pro instrumento perfectionis inducitur obtemperandum etiam illi, & per omnia obsequendum, qui ea quę prohibet, agit, & omittit quæ præcipit, ob tenorem illius verbi; quod in textu producitur; *Quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere.* Circa quod *Chrys. hom. 74. in Matt.* Chrysostom.hom.74.in Matth. Ne quis dogmata negligat, neue in Sacerdotes insurgat id summopere iubet, nullam inobedientiæ occasionem auditoribus relinquens. Ne quis enim dicat propter Doctoris improbitatem se negligentiorem fuisse, hunc quoque prætextum aufert. Sic igitur quamuis nequam essent, principatum eis confirmauit, vt vel post increpationem edixerit, facite quæcumque vobis facienda confirmant. Author etiã. *Imperfectus hom.43.* Imperfecti hom.43. ad idem inquit. Frequenter de homine malo doctrina bona procedit, vt vilis terra pretiosum aurũ producit. Numquid propter terram vilem pretiosum aurum cõtemnitur? Non: sed sicut aurum eligitur, & terra proiicitur: sic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite. Et vt apibus herbæ necessariæ non sunt, sed flores herbarum, & ideo illæ flores colligunt, & herbam relinquũt: sic & vos flores doctrinæ colligite, & conuersationem relinquite, vt sicut inutilis herba arescat. Fidem prædicant, & infideliter agunt: pacem alios docent, & sibi non habent: veritatem laudant, & mendacia diligunt: auaritiam castigant, & auaritiam exercent. Quia ergo scire bonũ & malum in natura positum est, facere autem in voluntate, ideo bene dicere, omnium est, facere autem bene, paucorum. Et subdit, huiusmodi prælatos, Doctores, & concionatores similes esse Scribis, item & Pharisæis, qui legem prædicabant de Christo venturo, ipsi autem non recipiebant præsentem: & propterea Christum monuisse populum, vt attenderet dictis illorum, ab operibus autem abhorreret.

220. Similia sunt quæ noster Gregorius magnus lib. 6. in Iob. c. 15. profert, inquit enim. Stultus aliquando donum rectæ intelligentiæ accipit, Scripturæ sententiis docetur, bona loquitur, & tamen nullo modo ea quæ dicit operatur: verba Dei profert, nec tamen diligit: laudando exaggerat, viuendo calcat. Is autem qui ad Deum per sancta desideria anhelat, discit quod audit, agit quod didicerit. Sicut suos veritas admonebat de Pharisæis dicens, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere. Et quidem licet vice monstri sit, prælatos aliud facere, aliud verò docere, vtpote quod genus contradictionis hoc sit, quatenus quæ verbis dicũt, operibus contradicunt; & quæ verbis ædificant, moribus destruũt: nihilominus patres cùm sint subditorum suorum, non mirum si quæ in filiis requirunt, ipsi *Greg. lib. 6. in Iob. c. 15.*

non

non habeant. Frequenter enim laicus optat filium clericum, agricola militem, illiteratus doctum, imò & improbus probum & virtute præclarum. Nec vitio id parentibus datur, sed potiùs laudi ac merito, vtpote quod meliores seipsis suos filios optãt, & quoad eius fieri potest, sedulò procurant, vt medicus valetudinarius bonam ægris suis valetudinem, & sæpe moribus improbi possunt consilio esse optimi. Maximè si præstantiorum Patrum placita & decreta rimantur: vt rimari necesse habent Monachorũ Abbates, quibus in Regula & in constitutionibus Ordinis præfixus per omnia modus viuendi est, à quo declinare in fratrum regimine non licet.

221. 62. *Instrumentum.*

Sexãgesimum secundum instrumentum, *Non velle dici sanctum antequam sit, sed priùs esse, quò verius dicatur.* Hic cauetur hypocrisis, inanisq; gloria damnatur, & omnis superbia retunditur, vt Monachus per omnia illustretur. Etenim cùm (teste Augustino libro 2. de sermone Domini in monte cap. 3.) quisquis se vĩderi vult quod non est, hypocrita sit; simulat enim iustum, & non exhibet: consequẽs est, esse hypocritam qui optat vocari sanctum, vel haberi, cùm non sit. Et cùm totus huius appetentiæ finis fructúsque (vt etiã testatur Augustinus ibid.) laus hominum sit; consequens est huiusmodi vitium inanem gloriam esse. Talis enim est appetitus laudis humanæ. Et cùm etiam (apud eundem lib. 14. de ciuitate. c. 13.) superbia definiatur, & sit appetitus propriæ excellentiæ, necessum est, appetitũ nimiæ immeritæque commendationis superbiam esse. Tria ergo mala hoc vno instrumento pelluntur. Et quidem si qui verè ieiũnant, hypocrisis vitio laborant, dum facies suas exterminant, vt appareant hominibus ieiunantes, Matth. 6. 16. quidni hypocrisi turgent, qui volunt vocari sancti antequam fiant? Item si qui profusas in pauperes eleemosynas fundunt, vt palàm hominibus fiant, inani gloria flagrant, Matth. 6. 1. quidni falsum sanctitatis nomen ambientes flagrabunt? Demum si de acceptis gloriari, quasi non acceptis, superbia est, dicente Paulo 1. Cor. 4. 7. *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quid velle de nondum habitis acceptísque gloriari? Cũm igitur omnis hypocrisis valde cauẽda sit, quia omnis hypocrita nequam est, Esaiæ 9. 17. Propter quod *non veniet in conspectum Domini*, Iob. 13. 16. Item si gloria inanis, qualis humana est, respuenda venit, eo quod sicut omnis caro fœnum, ita omnis gloria eius quasi flos fœni, Esaiæ 40. 6. Et demum, si omnis superbia est detestanda, quia *odibilis coram Deo & hominibus*, Prou. 16. 5. Consequens fit, has omnes maximè fugiendas esse, vtique hypocrisim, vanitatem, & superbiam istam, de quibus in præsenti: vtiq; quia tanto magis vituperabiles sunt, quanto ex debilioribus initiis ortæ, & quæ verum simulãt potiùs quàm ostentant. Falsa siquidem in illis est sanctitatis no-

Matth. 6. 16.
Ibid. n. 1.
1. Cor. 4. 7.
Esaiæ 9. 17.
Iob. 13. 16.
Esaiæ 40. 6.
Prou. 16. 5.

Aug. lib. 2. de serm. Domini in mõte c. 3.

Idem 14. de ciuitate. c. 13.

menclatura, quam præ se ferunt.

222. Et licet virtutum semina, imò & germina fructúsque in aliquibus, vel potiùs in plurimis Monachorum sint: vtpote qui perfectioni studeant, & in illa radices agere, & quidem altas prætendunt, prout scilicet pios ac veros decet Monachos; id tamen quoniam studiosiras potiùs quàm sanctitas est, sanctitatis cognomen non meretur: & proinde potiùs obsistendum illi, quàm optandum. Etenim si vitio Rabbinis ipsis verè Rabbinis, hoc est, magistris, vertitur, quod velint Rabbini magistríque vocari, Matth. 23. 7. & propterea vel ipsis Apostolis à Domino dictum est ibid. num. 8. *Vos autem nolite vocari Rabbi.* Id est, non solùm non ametis vocari his tanti fastus nominibus, verùm data opera illis obsistite, & quantum in vobis est, repellite & repudiate, indignos vos iudicantes tam inclyta nomenclatura. Si igitur Rabbini cognomen vel ipsis Rabbinorum potioribus interdictum est, vt interdicatur vanitas & superbia, quid sanctitatis Monachis, qui nondum sanctitatis sunt satis adepti culturam? Item si Lucæ 17. 10. diuinitus dictum est; *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus:* id est, non alio quàm humillimo isto vos decoretis nomine; quomodo appellatio sanctorum Monachis ad perfectionem tendentibus integra erit, & non intercluſa potiùs, & omnino prohibita, imò & terrifica eis? Certè si turbatur Maria in sermone Angeli, quia eam gratia plenam dixit: quidni turbabitur Monachus nondum sanctus, cùm se sanctũ viderit compellari? Non ergo antequam sit sanctus, appetat sanctum vocari, etiamsi iustus sit.

Matth. 23. 7.

Luc. 17. 10.

223. Nec ideo iustitia eius detrimentum aliquod patietur, sed augmentum potiùs & commodum: quoniam, vt Bernardus noster Ser. 4. super psal. *Qui habitat*, explicans versic. eius 4. *Scapulis suis obumbrabit tibi*, dicit ad suos Monachos. Credo nullum hic esse qui si quartam partem corũ quæ facit, in seculo actitaret, nõ adoraretur vt sanctus, reputaretur vt Angelus: nunc autem tanquam negligens arguitur & increpatur. Paruumne hoc lucrum ducitis, quod non reputamini sancti antequam sitis? An non timetis ne forte hic vili mercede recepta, in futuro mercedem non habeatis? Necessaria ergo est hæc absconsio non solùm ante oculos aliorum, sed etiã multo magis ante seipsum. Hæc est vtique magna virtus, & summa securitas, quando & piè viuis, & tamen plus attendis quæ desunt tibi, quàm quæ obtinuisse videris, oblitus quæ retrò sunt, & extendens te in anteriora. Hæc est absconsio quam sub scapulis suis præstat Deus, qualis forsan fuit obumbratio quæ Mariæ à Spiritu sancto facta est, ad celandum tam incomprehensibile sacramentum. Ecce qualiter cõmodum & augmentum iustitię, potiùs quàm detrimentum pariat cautio ista. Præterquàm quod cùm sanctitas iuxta Diuũ Thomam 2. 2. quæst. 81. artic. 8.

Bern. Ser. 4. sup. psal. Qui habitat.

D. Tho. 2. 2. *q.* 81. *art.* 8.

impor

importet essentialiter duo, vtique perfectam munditiam, atque firmitatem in ea; consequēs est, vt licet daretur Monachus immaculatus omnino, quia tamen firmus securusve videri nō potest, ideo sanctitatis nomen iure non obtinet. Et ideo Sancti omnes potiùs sese peccatores, & ingentes peccatores nominant in suis scriptis quàm Sanctos: imò nunquam Sanctos se dicunt, sæpe autem peccatores se appellant. Quod illis ingentis lucri est, dicente Chrysostomo homilia 38. ad populum. Si magna vis reddere merita tua, ea ne magna putes, & tunc magna erunt. Sic & Centurio dicens; Non sum dignus vt intres sub tectum meum, dignus factus est, & admirationi propterea super omnes Iudæos habitus. Matth. 8. 8. Sic & Paulus dicens, non sum dignus vocari Apostolus, propter hoc omnium primus factus est. 1. Corinth. 15. 9. Item & Ioannes dicens, non sum dignus soluere calciamenta eius, amicus quoq; sponsi fuit: & manū quam dixit calciamento indignām, hanc super caput suum Christus attraxit. Matth. 3. 11. Sic & Petrus dicens, exi à me, quia peccator sum, Ecclesiæ fundamentum factus est. Lucæ 5. 8. & Matth. 16. 18. Nihil Deo tam gratum, quàm cum extremis peccatoribus se connumerare. Et hoc est totius sapientiæ principiū. Hæc intelligēda sunt de nomine sanctitatis propriè dictæ: largo enim modo sumptū nomen hoc fidelium cuique aptatur, etiam apud sacras literas: vti cùm dicitur psal. 31. *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus*, id est, omnis fidelis. & psal. 149. *Laus eius in Ecclesia Sanctorum*, id est, fidelium. & ad Rom. 1. *Omnibus qui sunt Rome vocatis Sanctis*. At instrumentum hoc de priori sanctitatis genere, non verò de isto militat.

Chrys. hom. 38. ad populum. *Matth. 8. 8.* *1. Cor. 15. 9.* *Matth. 3. 11.* *Luc. 5. 8.* *Matt. 16. 18.* *Psal. 31.* *Psal. 149.* *Rom. 1.*

Sexagesimum tertium instrumentum, *Præcepta Dei factis quotidie adimplere.* Cùm vitam æternam ingressuris opus sit custodire mandata, dicente Domino. Matth. 19. 12. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* & hæc mandatorum obseruatio in adimpletione sita sit, dicēte ipso Matth. 7. 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. sed qui fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est.* & Paulo Rom. 2. 13. *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Cùm igitur hæc ita sint, necessum est præcepta Dei factis implere, vt bene sit nobis. Vnde Deuteronom. 5. 32. *Custodite ergo & facite ea quæ præcepit vobis Dominus Deus, & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram, vt viuatis, & bene sit vobis.* & Iacobi 1. 22. *Estote factores verbi, & non auditores tantùm fallentes vosmetipsos.* Vbi apprimè notandum est ly, *fallentes vosmetipsos.* Innuitur enim quod qui factis legem non implet, seipsum turpiter fallit, atque etiam enormiter, non verò illum (ait Augustinus Serm. 27. de diuersis. cap. 8.) à quo audit legem. Dico enim quod fallit se turpiter & enormiter, quoniam, vt

224. 63. *Instrumentum.*

Matt. 19. 12. *Rom. 2. 13.* *Deut. 5. 32.* *Iacobi 2. 22.* *Aug. Ser. 27. de diuers. cap. 8.*

Matth.7.24. scriptum est Matth.7.24. *Seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit plagis multis.* &
Iacobi 4.7. Iacobi 4.7. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Et quidem graue (vt notauit Ambros. lib.2.officiorum. c.20.) Idcirco
1.Ioan 3.7. Ioannes 1. Canonic. cap. 3. *Nemo vos seducat, qui facit iustitiam, iustus est.* Id est, ille solus est iustus qui facit iusti opera. Oppositum autē existimare error grauis & fallacia est. Et quidem si fides sine operibus mortua est, adeò vt Augustinus dicat in Enchir.c.17. Frustra credit, qui non amat; & Chrysostomus homil. 62. in Ioan. Fides recta nihil proficit, si vita praua est: quid mirum si mandatorum auditio, vel meditatio absque operum complemento inanimis sit?

Aug. in Enchirid.c.17.

Chryſ.hom. 62.in Ioan.

225. Qui verò opere mandata Dei implent, magnis se bonis exornant, Spiritu sancto dicente
Prou.3.1. Prouerb. 3.1. *Præcepta mea cor tuum custodiat, longitudinem dierum, annos vitæ, & pacem apponent tibi.* &
Cap.6.23. cap.6.23. *Qui custodit mandatum, custodit animam suam.* Sap.6.19. *Custoditio legum, consummatio incorruptionis est.*
Ierem.7.23. Ierem.7.23. *Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus; & ambulate in omni via quam mandaui vobis, vt bene sit vobis.* & Lucæ 11. *Beati qui*
Luca 11. *audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* &
Ioan.14.23. Ioan.14.23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* & Apo-
Apoc.1.3. cal. 1.3. *Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius, & seruat ea quæ in ea scripta sunt.*

Dicuntur autem quotidie adimplenda, id est, toties quoties occurrunt: nam qui peccat in vno, factus est omnium reus. Vnd psal.67.92. *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas.* & psalmo 97. 1. *Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est.* & psalmo 118. 6. *Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.* & num: 60. *Paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.* & num. 112. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum.* Fiunt autem in æternum, quando ab illis non disceditur, sed toties quoties occurrunt, obseruantur. Eccléſiastici item 6. 37. dicitur: *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei.* Vtique ne memoria excidant tempus & opportunitas adimplēdi illa. Quod præsertim Monachos decet, qui ideo vigiles noctu ac diu sunt, vt semper meditentur, quomodo pleniùs obseruent Dei mandata: scientes quod mandauit Deus custodiri nimis, hoc est, exactè, plenè, & ad summum, psal.118.4. 226.

Psal. 67.92.

Psal.97.1.

Psal. 118.6. & 112.

Eccli.6.37.

227. Sexagesimumquartum instrumentum, *Castitatem amare.* Apposítum omnibus, sed maximè Monachis instrumentum hoc. Omnibus quidem, quoniam, vt Cyprianus ait libro de habitu virginum, munus maximum castitatis. Pulchrum etiā, siquidem scriptum habemus Sapientiæ 4. 1. *Quàm pulchra est casta generatio*: vtpote quod castitatis puritas Angelica perfectio cùm sit, quodammodo ex hominibus facit Angelos,

64. *Instrumentum.*

Cypr.de habitu virginum.

Sap.4.1.

Matt.22.30. los, dicente Domino Matthæi 22.30. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Quare Athanas. lib. vltimo de virginib. dicit, castitatis vitam esse vitam Angelicam. Et Cyrillus Ierosólym. catechesi 12. dixit, castitatem esse Angelorum gloriam & coronam. Et Ambros. lib. 1. de virginit. Nemo miretur si Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur. Vtique animæ castitatis dono illustres: cùm sit scriptum de illis Apocal. 14. 4. quod sequuntur Agnum quocumque ierit: & Sapient. 6. 20. *Incorruptio facit proximum Deo.* Vnde castitatis cultores cælibes nuncupantur, id est, vitam cælo dignam degentes; vt ex Hieronymo classici omnes adnotant. Itaque omnibus appositissimum est instrumentum hoc.

Athan. lib. vlt de virginib.

Cyril. catechesi 12.

Ambros. lib. 1 de virginitate.

Apoc. 14. 4.

Sap. 6. 20.

228. Quod autem Monachos tangat, maximè ex eo liquet quod illos maximè tangunt Angelica munia, Basilio dicente Serm. 1. de institut. Monach. quod Monachi ad Angelicæ dignitatis ordinem transierunt, & quod proposuerunt sibi Angelorum conuersationē imitandam: quia proprium est Angelicæ naturæ, liberam esse à vinculis coniugij, neque ad aliam vllam pulchritudinem contemplandam animo distrahi, sed oculos in Dei os assiduè intentos habere, media nocte surgentes ad confitendum illi, ac vespere, mane, & meridie Dominicas laudes narrantes. Item Chrysost. tom. 5. hom. 56. de vita Monachi. Interrogamus quid ab Angelis differat hic chorus super tectam canentium, & dicentium; Gloria in altissimis Deo? Inde Bernardus hom. super. Euang. Eman., dicit Monachos esse vigiles, quia omni tempore obseruant custodias Domini; & qui ad ostium tabernaculi excubant, qui Oriones, & Hyades, interioraque Austri dicuntur; & demum qui consurgunt de nocte in principio vigiliarum suarum, vt effundant sicut aquam cor suum ante conspectum Domini Dei sui. Constat autem cælibatum maximè conducere deditis precationibus istis, atque perfectionibus, dicente Paulo de cælibatu 1. Corint. 7. 35. quod facultatem præbet sine impedimento Dominum obsecrandi, seu (vt Greg. 3. p. past. adm. 38.) Domino obseruiendi.

Basil. Ser. 1. de institut. Monach.

Chrysost. tom. 5. hom. 26. de vita Monachi.

Bern. hom. sup. Euang. Eman.

1. Cor. 7. 35.

Gregor. 3. p. past adm. 38.

Castitatis autem amor, & nō sola castitas in præsenti suggeritur: vtpote quod castitas, dum non ardenter amatur, citò deperditur: quia (vt habet Basil. lib. constitut. monast. cap. 4.) cogitationes turpes nos turbant, confundunt, & animæ bella anxietatesque vel nobis inuitis inducunt. Quapropter mulierum cōuersationes quàm maximè fugere oportet, nisi aliqua incuitabilis necessitas cogat. Quæ si contingat, velut ab igne cauere conuenit, ita vt celeres ac repētinos discessus faciamus. Quia scriptum est Prouerb. 6. *Quis deligabit ignem in sinu, & vestimenta non comburet? Aut quis ambulabit super prunas ignis, & pedes non comburet?* Et hom. 14. ad adolescentes, refert quod Alexander habens captiuas admirabilis pulchri

229.

Basil. de cōstitu monast. cap. 4.

Prou. 6. 27.

Idem hom. 14. ad adoles.

chritudinis duas Darij filias,nec aſpicere quidem dignatus eſt, præcauens ſanè periculum concupiendi eas. Quare Origenes hom.3. ſuper Numer. expendit quod filij Iſraël nullos ad Regem Og , qui erat Rex Baſan, legatos miſerunt , etiamſi per terram illius erant tranſituri, quia Og interpretatur turpitudo , cum qua nullum nos decet habere commercium , aut colloquium. Et hom.8.in Ioan. dicit quod Ioſue exercitum fugiens Hay , & tamen debellans illum , ſignificat quod ad debellandam turpitudinem opus eſt fugere ab ea.Vnde Paulus; *fugite fornicationem*,& iterum:*Nec turpitudo nominetur inter vos , ſicut decet Sanctos.*

Orig. hom.3. ſup. Numer.

Idem hom.8. in Ioan.

230.

65.*Inſtrumentum.*

Sexageſimumquintum inſtrumẽtum,*Nullum odiſſe.* Peccatum odij grauiſſimum eſt : nam odiũ Dei eſt omnium peccatorũ maximum, iuxta quæ habet D.Th. 2.2.q.34.ar.2.vtpote quod auerſio à Deo (in qua conſiſtit tota ratio culpæ)in ſolo hoc peccato eſt per ſe intenta & volita , in aliis verò non niſi per aliud; videlicet quatenus ea quæ appetuntur , habent talem auerſionẽ annexam. Odium item proximi etiam eſt grauiſſimum omnium peccatorũ quæ in proximũ committuntur : quoniam (vt habet D.Thom.ibi) licet quantum ad nocumẽtum quod infertur proximo,peiora & grauiora ſint exteriora peccata, furti,v.g.homicidij, contumeliæ , & ſimilium: quidquid tamen ineſt culpæ in eis,ex inordinatione voluntatis, quæ in interiori odio eſt,procedit;adeò vt ſi exteriores illi actus eſſent abſque inordinatione voluntatis , peccata non eſſent , vt patet in amentibus & dormientibus. Vnde omnia iſta contra proximum ſcelera odij effectus ſunt,& maximè maximum omnium , quod eſt homicidium: adeò vt dicatur 1.Ioan.3.15. *Qui odit fratrem ſuum , homicida eſt.* Quare de fratribus Ioſeph dicitur Geneſ. 37. 4.*Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui ; vnde & dicebant , venite , occidamus eum.* Et de illis, de quibus Chriſtus dixit Ioan. 15. 24. *Odio habuerunt me gratis* , ſcriptum legimus apud Ieremi. 11. 10. *Euellamus eum de terra viuentium , & nomen eius non memoretur amplius.* Et licèt alia peccata ex his quæ proximum lædunt, ab huiuſmodi radice proſiliant , ſingulariter tamen homicidium prædicatur de odio ; quia omnia reducuntur ad illud , vt omnis violenta percuſſio , etiam leuis , præcepto non occidendi interdicta eſt, vtpote via ad occiſionem, ſiue inchoata occiſio.Ind Chryſoſtom. hom. 17. ſup.ad Heb.Peccatum odij non paruum , ſed maximum eſt. Et Beatus Ephrem tom. 1.interrogat. Quemadmodum omnium virtutum extrema eſt charitas , ita vniuerſorum vitiorum grauiſſimum odium : vtpote charitati ex diametro aduerſum atque ſuccedaneum ; adeò vt Baſilius Serm. de inſtitut. Monach. dicat. Vbi deliquium patitur charitas , eo prorſus eius loco odium ſuccedit. Et rurſum. Si(vt eſt 1.Ioan. 4.9.) Deus charitas eſt, ſine dubio neceſſarium eſt , diabolum odium

1.Ioan.3.15.

Gen.37.4.

Ioan.15.24.

Ierem.11. 10.

D.Th.2.2.q. 34.ar.2.

Chryſ. hom. 17. ſup. ad Hebræos.

Ephrem tom. 1.interrog.

D. Tho. vbi ſup.

1.Ioan.4.8.

odium esse. Vt igitur qui charitatem habet, Deum habet, sic qui odium habet, diabolum in se nutrit. Idcirco sicut diabolus dicitur princeps tenebrarum, & immundus spiritus, ita & odium, dicente Chrysostomo hom. 13. Imperfecti. Odium est spiritus tenebrarum, & vbicumque insederit, sordidat pulchritudinem sanctitatis. Ioanne item 1. Canonic. 2. 10. perhibente: *Qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat, & nescit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Item, vt diabolus dicitur homicida ab initio mundi, Ioan. 8. 44. quoniam ab initio mundi omnia & singula in homines machinatur, & moliuntur mala, non solùm necis & mortis, verùm infamiæ & famis: sic qui fratrem odit, homicida dicitur, vt vidimus, eo quod odium fraternum omnis mali & damni in proximum radix & caput est.

ſ. hom. Imperfe-

m. 1. 11.

a 8. 44.

231. Hæc tamen sunt intelligenda de odio boni, quod verè bonum est, vel debet apprehendi vt bonum. Talis enim boni odiū improbum atque iniquum est, etiamsi causam habeat, vt habet in illo qui malum malo repensat, lacessitus priùs ab eo qui illum odit, aut grauiter in aliquo offendit: nedum quando causam non habet; vt non habet in eo, qui non prouocatus odit, sed (vt dici solet) odio habet gratis: atque etiam in eo qui nō solùm nō habet causam, verùm habet motiua ad oppositum; quale est illud quod habent ingrati, vel inuidi in sibi beneuolos & benefícos, quos potiùs amare & diligere, quàm odisse deberent; insolentissimumque omnium illorum odium est, qui nullum sibi commodum reputantes ex aliorum casu & interitu, nihilominus illum moliuntur, & toto corde appetunt, vt dæmones proculdubio ruinam nostram affectant. Quare istiusmodi odium propriè diabolicū est. Igitur maledicta hæc quæ in odium congessimus, intelligenda sunt de odio boni præcisè: nam odium mali, quod verè malum est, vel debet apprehendi vt malum, non solùm non est peccatum, imò quid maximè honestum, atque Deo gratum: nam etiam Deus ipse odio prosequitur illud, dicente Paulo Rom. 1. 30. *Detractores Deo odibiles.* Vnde cùm Ecclesiastici 20. 5. dicatur: *Odibilis homo procax.* & cap. 37. 23. *Qui sophisticè loquitur odibilis est.* & Prou. 14. 17. *Vir versutus odiosus est.* Consequens est, vt odio habere hæc monstra, imperfectionis non sit, sed perfectionis potiùs, atque virtutis. Quare D. Thomas expendens, an omne odium sit peccatum, 2. 2. q. 34. art. 3. dicit quod amor non debetur proximo nisi secundum id quod habet à Deo, vtique secundum naturam & gratiam, non autem secundum id quod habet à seipso & à diabolo, hoc est, secundum peccatum & iustitiæ defectū: & quod ideo licet habere odio peccatum in fratre, & omne illud quod pertinet ad defectum iustitiæ; sed ipsam naturam & gratiam fratris non potest aliquis odio habere sine peccato.

Rom. 1. 30.

Eccli. 20. 15.

Cap. 37. 23.

Prou. 14. 17.

D Th. 2. 2. q. 34. art. 3.

Et cùm obiecisset D. Thomas 232.

in

D. Tho. vbi sup. Luca 14.

in priori argumento illud Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, non potest meus esse discipulus*; ex quo videbatur inferri, quod omnia iure possumus odio habere. Respondet quod parentes quantum ad naturam sunt diligendi, iuxta præceptum de honorandis parentibus Exodi 20. odiendi autem quatenus impedimentum præstant filiis accedendi ad perfectionem diuinæ iustitiæ. Et cùm in 2. argumento obiecisset illud quod nos ex Paulo Rom. 1. induximus, scilicet; *Detractores Deo odibiles*, ex quo videbatur sequi, quod etiam nos possumus illos odio prosequi. Respondet quod Deus in detractoribus odio habet culpam, non naturam: & sic sine culpa possumus detractores odio habere. Et cùm etiam in 3. argumento obiecisset, quod est naturale cuique odio habere id quod est sibi contrarium: ex quo videbatur sequi, esse nobis per naturam insitum odium inimicorum, & proinde quod ad eorum dilectionem non tenemur. Respondet quod homines secundum bona quæ habent à Deo, non sunt nobis contrarij; & sic quantum ad hoc sunt nobis amandi. Contrariantur autem nobis secundum quod contra nos inimicitias exercent, quod ad eorum culpam pertinet, & quantum ad hoc sunt odio habendi. Hoc enim in eis debemus odio habere quod nobis sunt inimici.

Exod. 20.

Rom. 1.

233. Inde lux verbo illi Christi Domini Matth. 5. 44. *Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Hæc enim licet prima fronte videantur inter se pugnantia, re tamen vera non sunt, cùm respectu diuersorum sint: illud enim respicit malitiam, & malignitatem inimici, quæ Deo hominibúsque sunt necessariò exosa. Vnde vt Sapient. 4. 9. de Deo dicitur, quod *odio sunt Deo impius, & impietas eius*: sic Dauid de se, deque fideli populo psal. 118. dixit; *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* Quod explicans D. Th. 2. 2. q. 25. art. 6. ad 1. dixit. Iniquos propheta odio habuit, inquantum iniqui sunt, habens odium iniquitati ipsorũ, quod est ipsorum malum. Et hoc est perfectum odium, de quo ipse dixit: Perfecto odio oderam illos. Istud verò respicit fraternitatis, humanitatis, & proximitatis bonum, quod etiam in truculentioribus inimicis amandũ est: & propter illud eis in omni necessitatis articulò, præsertim animæ, subueniendum: ita vt propter illud ab isto non deficiamus, neque claudicemus, sed simus filij Patris nostri, qui in cælis est, hoc est, similes ipsi Deo, qui licet grauiter à peccatoribus offensus, grauiterque illorum auersans crimina, & odio peccata habens, illos tamen vult saluos fieri, & ad hæc tam gratiæ quàm naturæ impendit donaria, pluens (vt ipse dixit) super iustos & iniustos, & Solem suum oriri faciens super bonos & malos.

Sapientiæ 9.

Psal. 118.

D. Tho. 2. 2. q. 25. art. 6. ad 1.

Matth. 5. 43. & 44.

234. Inde percipiet quilibet quàm longè ab intelligentia huius literæ sunt, qui verbum hoc, *odio habebis*

habebis inimicum tuum, asserunt esse corruptelam commentumque adulterinum Pharisæorum in legem Dei, cùm tam debeatur inimicitiæ odium quàm humanitati amor; licet propriè & rigorosè loquendo, non possit dici quod datur præceptum odiendi inimicum, sed tantùm diligendi: quoniam odium illud
h.2.2.q. *rt.3.* species amoris est, dicẽte D.Th. sup.q.34.art.3. Hoc ipsum quod in fratre odimus culpam & defectum boni, pertinet ad fratris amorem. Eiusdem enim rationis est quod velimus bonum alicui, & quod odiamus malum ipsius. Vnde simpliciter accipiendo odium fratris, semper est cum peccato. Exemplum est in proximo infirmo, quem amare, non autem odio habere tenemur: etiamsi quoad fieri possit ægritudinem eius funditus eradicare debeamus; quod sanè odium contra infirmitatem, infirmi amor est. Et idem est de Iudice plectente sceleratorum impia facta: hoc enim non est odio prosequi illos, sed amore; quia bono illorum consulitur.

235. *. Instru- ctum.* Sexagesimumsextum instrumentum, *Zelum & inuidiam non habere.* Adeò salutare omnibus monitum istud est, vt Cyprianus dicat. Nihil magis Christiano cauendum, nihil cãtiùs prouidendum, quàm nequis inuidia capiatur. Rationem autem subiungens dixit. Non est quod aliquis existimet malum istud vna
r. lib. de & lino. specie contineri, aut breuibus terminis & angusto fine concludi; latè patet zeli multiplex & fœcunda pernicies, radix est omnium malorum, fons cladiũ, seminariumque delictorũ. Quibus consonat D. Thomas dicens, tam authore Gregorio quàm ratione, quod odium (de quo præcedenti instrumento) oritur ex inuidia. Cùm ergo illud adeò ferum, atque nocentissimum sit, consequens est, causam ipsius truculentissimam esse. Nec mirum, quoniã (vt inquit Chrysost. hom. 52. in Genesim) inuidia nihil cũ ratione operatur. Quod autẽ per omnia & in omnibus à ratione deflectit, quid non rationi aduersum tentabit? Quare non tantùm proximos in bonis fortunæ, vitæ, honorisque lædit: vt patet in Cain respectu Abel: Saüle respectu Dauid, & diabolo respectu Adami; verùm & ipsi Deo bellũ indicit, dicẽte Basil.hom.11. quę est de inuidia. Quid hoc morbo perniciosius? Interitus vitæ, pestis naturæ, aduersa omnibus bonis ex Deo venientibus. Demũ ipsi Deo cõtraria. Per inuidiam enim diabolus palàm Deo aduersari inuentus est. Dolens enim ob præclara dona homini concessa, quando Deo nocere nõ valuit, ipsum insidiis petiit hominẽ. Et Caĩn videns honorem fraternũ, exarsit in inuidiã, atque eũ qui honoratus fuerat à Deo, occidit, vt Deũ irritaret, qui illum honorauerat.

D. Tho. vbi sup.

Chrys. hom. 52 in Genesim.

Basil. hom. 11.

236. Et adhuc isthæc omnia leuiora sunt, si cum his quæ inuidus ipse patitur, conferamus. Vt enim Basilius vbi suprà inquit. Inuídia ante omnia nocet authori, aliis verò quàm mínimè. Quemadmodum enim rubigo ferrum, sic inuidia eos qui eam possident, consumit. Magis autem sicut viperas dicũt abrupto

Basil. vbi sup.

matris ventre nasci; sic inuidia concipientem se animam corrodit simul ac tabescere facit. Quapropter animo inuidi numquam tristitia, numquam mœstitia deest. Inde sunt illæ Scripturæ voces; *Putredo ossium inuidia.* Prouerb. 14. 3. *Parvulum occidit inuidia.* Iob. 5. 2. & illæ Gregorij Nysseni libro de vita Mosis. Inuidia mortifer stimulus, mucro reconditus, venenosa bilis, tabes spõte adhibita, telum animarum, clauus animam figens, flamma cordis, intestinorum ignis. Ex quibus planè haurimus quanto iure dixerit ille apud Hieronymum sup. ad Galat. 5.

Prou. 14. 3. Iob. 5. 2.

Nyssen. lib. de vita Mosis.

Hier. sup. ad Galat 5.

Instius inuidia nihil est, quæ protinus ipsum
Authorem rodit, discruciatque animum.

Et ille alius:

Inuidia Siculi non inuenere Tyranni
Maius tormentum.

Inuidus enim (ait vbi sup. Basilius) nihil ab homine nudo, qui omnium iaculis petitur, differt.

Basil. vbi sup.

237. Si autem inquirere velimus, à quo malo tantum malum? Inuenietur non à malo, sed (quod vice monstri est) à bono tantùm profectum. Nam (vt Basilius vbi suprà dicit) est inuidia dolor de proximi prosperitate, ac rerum successu cõceptus. Fortis est aliquis, alius fama clarus, alius eloquentia, alius prudentia præstat: hæc omnia maligni feriunt animum. Chrysost. etiam hom. 7. in Epist. ad Rom. Cùm alios inuidi commendatos vident, seipsos mordent & excruciant. Et Gregorius lib. 5. moral. cap. 32. Non possumus non inuidere eis quos in aliquo nobis meliores putamus. Vnde scitè admodum Nyssenus vbi suprà de inuidia notat. Hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infœlix est. Vtique more illius, cui dixit Dominus; *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Matth. 20. Quare vitium hoc non solùm habenti pessimum, pestilens, & exitiosum est, verùm contumelioſum & ignominia plenum; quia ignominiosum valde est honore alterius inhonorari. Cuius gratia omnis qui inuidet, nec mutire (vt ait vbi suprà Basilius) audet, sed gaudium simulat, & coràm hilaritatem præfert, licet rumpatur intus, detegere nolens morbum dedecoris plenum. Et nihilominus non tam sæuiendum arbitror, quàm compatiendum tanto malo infectis: quoniam (vt vbi suprà Nyssenus) naturæ morbus est: & quidem humano medico medicamentoque destitutus, præter humanarum rerum contemptum. Vt enim August. lib. 11. de Genesi ad literam cap. 14. dixit: amando quisque excellentiam suam, vel paribus inuidet, quod ei coæquantur, vel inferioribus, ne ei coæquentur, vel superioribus, quod eis non coæquetur. Et ideo super id psal. 139. *Absconderunt superbi laqueum mihi*, dicit. Nemo inuidet alteri in eo quod non vult vel esse, vel videri. Alius tibi inuidet, quod dives, aut clarus, aut nobilis es, & hoc ideo quoniam ipse dives, aut clarus, aut nobilis esse vult, vel videri. Et sic omnia quæ videntur bona

Matth. 20.

Basil. vbi sup.

Nyssen. vbi sup.

Aug. 11. de Genes. ad literam. cap. 14.

Idem sup ps. 139.

Idem ibid.

Greg. 5. moral. cap. 32.

hoc seculo, in quibus homo vult excedere, in eis inuider. Igitur vt non inuideamus, vnicum asylum erit terrena despicere, & soli Deo inhiare. Quod quia profitentur Monachi, ideo instrumentum hoc imperiale est; quia verò Aulici insudant illis, præsertim honoribus, inuidia rigidè premit eos.

238. 67. *Instrumentum.*

Sexagesimumseptimum instrumentum, *Contentionem non amare.* Imò toto cælo auersari illam, vtpote filiam inanis gloriæ, sicut etiam est discordia ipsa: iuxta quæ habet D. Thomas 2. 2. q. 38. art. 2. dicens. Sicut discordantes sunt, qui distant corde in propositis, ita contendentes sunt aliqui ex hoc quod vnusquisque verbo id quod sibi videtur defendit: & ideo eadem ratione ponitur contentio filia inanis gloriæ, sicut & discordia. Definitur autem contentio à Cicerone lib. 4. Academicarum quæst. idem quod concertatio: & à D. Thoma vbi suprà, art. 1. idem quod impugnatio seu contrarietas in loquutione, vel impugnatio cum altercatione verborum. Quam definitionem videmus approbatã à Paulo dicente 2. ad Timot. 2. *Noli verbis contendere.* Vnde Cicero iterum 2. Philippica dixit esse, decertare cum aliquo contentione dicẽdi. Hæc autẽ decertatio, seu cõcertatio, vel est (ait D. Th. vbi suprà) cõtra veritatẽ, & tunc vituperabilis, adeò vt si inordinatè fiat, sit peccatum mortale. Imò dixerim ego esse peccatum in Spiritum sanctũ, quod maximè cõsistit in hoc quod est agnitam veritatem proteruè confutare. Vel est contentio contra falsitatem, quæ sanè laudabilis est, si tamen cum debito modo & acrimonia fiat: aliàs erit peccatum veniale, nisi fortè tanta inordinatio fiat in contendendo, quod ex hoc aliorum generetur scandalum. Vnde Apostolus cùm dixisset 2. ad Timot. 2. 14. *Noli verbis contendere*; subdidit, *ad nihilum enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Hæc D. Thomas. Quæ obseruata vellem ab illis qui etiam si scirẽt Mariam Virginem in originali conceptam, proteruè id aduersus tantum ac talem Christiani populi incursum, piúmque affectum defensare statuerunt. Vnde Chrysostomus hom. 6. super ad Titum 3. explicans illud Pauli, *Contentiones deuita*; docet contentiones etiam aduersus hæreticos, & aduersus omnes qui animo decreuerunt sententiam non mutare, omnino vitandas esse, quia nullum ex illis commodum reportatur, magis quàm ex hoc quod est seminare inter saxa.

Ibid. art. 1.

2. ad Tim 2.

Cicero 2. Philippica.

D. Tho. vbi sup.

2. ad Timot. 2. 14.

Chrys. hom. 6. sup. ad Titum 3.

239.

Et licet non omnis contentio huiusmodi sit, quia tamen frequenter est non tantùm cum verborum pugna, sed etiam cum pertinacia, audaciaque, ideo sapienter monemur à Paulo 1. ad Titum 3. 9. contentiones & pugnas deuitare, vtique ad verborum iniurias contumeliasque vitandas. Ob quas sanè Salomon dixit Prouerb. 20. 3. *Honor est homini, qui separat se à contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumeliis*, videlicet contentionum: vtpote (ait Glossa) quod omnes qui contentiones

1. ad Titum 3. 9.

Prou. 20. 3.

amant, stultos se esse ostendunt; propterea quod contentiones raro sine contumeliis geruntur. Cuius gratia Paulus 1.Cor. 11.16. *Siquis videtur contentiosus esse; nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Vnde Iob. 6.29. *Respondè, obsecro, absque contentione.* & psal. 106. *Effusa est contentio super principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via.* & Eccli. 40.9. *Mors, sanguis, contentio, romphæa, oppressiones, fames, contritio, & flagella, super iniquos creata sunt.* Vbi inter grauiora iniquorum flagra computatur contentio. Nec sanè mirum, quoniam (vt D. Thomas ait sup. ad Rom. 13.) solet contentio ex inuidia generari. Et ideo postquam dixit Paulus, *non in contentione*, subdidit, *& æmulatione.* Vnde etiam Iacobi 3.16. *Vbi zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum.* Inuidiam autem omnia detrimenta sequuntur, ærumnæque comitantur.

1.Cor. 11.16. Iob. 6.29. Ps. 106.40. Eccli. 40.9. D.Th. sup. ad Rom. 13.13. Iacobi 3.16.

240. *Nazianz. Orat de modera. in disp. seruanda.*

Ideo Nazianz. Orationem de moderatione in disputat. seruanda contexuit, ne disputationis vtilitas in contentionis perniciem prosiliret; docens planè nos, quod licet sine acrimonia animorum nemo magnum aliquod pietatis, aut cuiusque alterius virtutis munus exequi possit: tamen magna & feruentia ingenia, nisi prudentia & scientia rationeque gubernentur, tumultus tantùm, & hos quidē inutiles excitabunt. Quare sicut ad hoc quod equus à bello, vel à cursu victor & non victus discedat, non solùm illi opus est acri atque generosa natura, sed etiam quod sit fræno eruditus, & acutiori exercitatione domitus & cicuratus: sic feruentia fortioraque ingenia sapientiæ rationisque disciplina, vt in disceptationibus vincant, prorsus egent. Et Oratione 33. ita inquit. Qui pro verbo acriùs quàm verbo ipsi gratum sit, depugnant, hominibus mente captis similes sunt, qui suas domos incendunt, vel liberos dilacerant, vel parentes protrudunt, pro alienis videlicet eos habentes. Ecce quid pariant verborum pugnæ & rigidæ contentiones. Et ad finem Orationis 26. dicit. Si mihi obtemperandum duxeritis iuuenes & senes, præfecti & subditi, Monachi & qui in sodalitio viuitis, superuacaneas & inutiles ostentationes, (tales nominat contentiones verborum, vtpote inanis gloriæ filias, iuxta superiùs dicta) valere iubebitis: atque id potiùs curabitis, vt per morum probitatem, honestamque vitæ rationem, ac sermones periculo vacuos ad Deum appropinquantes, ad alterius seculi veritatem & contemplationem perueniatis in Christo Iesu Domino nostro. Inde est quod instrumentum hoc non monet à cõtentiõibus abstinere, sed illas nõ amare; quia quod ad ostẽtationem, & ex inani gloria fit, ex mera voluntate est. Quam cùm repulerint Monachi, promptum illis erit contentiones vitare.

Idem Orat. 33.

Idem Orat. 26.

241. 68. *Instrumentum.*

Sexagesimumoctauum instrumentum, *Elationem & iactãtiam fugere.* Elatio mẽtis propriè amẽtia est, & aliquando summa, cùm dictum

dictum sit Regi Tyri Ezechielis
Ezech.28.1. 28. 1. *Eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris, cùm sis homo & non Deus: & dedisti*
2.Machab. 5.21. *cor tuum quasi cor Dei.* Et 2. Machab. 5. 21. de Antiocho dicitur: *Antiochiam velociter regressus est, existimans se præ superbia terram ad nauigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum propter mentis elationem.* Et licet nō vbique tam insolens superbáque sit, semper tamen superbiæ speGreg.23.moral.c.7. cies est, vt Gregorius habet lib. 23. moral. cap. 7. & à gloria inani profecta, vt habet idem lib.
Idem 31.moral.c.31. 31. mor. cap. 31. & non sine deOsee 13.6. spectu Dei, dicente ipso Oseæ 13. 6. *Eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei.* Ideo seuerè punit
Daniel. 5. 20. eos, Danielis 5. 20. Vbi contra Nabuchodonosor dicitur; *Quoniam eleuatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus in superbiã, depositus est de solio regni sui; & gloria eius ablata est.* & iuxta
Ezech. 28.7. Ezech. illud cap. 28.7. *Eo quod eleuatum est cor tuum, idcirco ego adducam super te alienos, robustissimos gentium; & nudabunt gladios super pulchritudinem sapientiæ tuæ, interficient & detrahent te, & morieris in interitu occisorum in corde maris.* Vide Chrysost. tom. 1.
Chryst. tom. 1.hom.4.sup. Esaiæ 6. homil. 4. super Esaiæ 6. Elatione diabolus homines in exitium trahit.

242. Et quidem non in qualecũque exitium diabolus trahit elatos, sed in suum proprium, dicente
Idem tom.2. homil.67.in Matth. Chrysostomo tom. 2. hom. 67. in Matth. Inflatus enim diaboli supplicia sustinebit. Propterea
1.ad Tim 3. dicebat Paulus 1. ad Tim. 3. Ne fortè in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Quódq; mirabile est, contrarium semper quàm optat, ei euenit: nam cùm cæteros contemnat, vt maiori dignus honore videatur, maximè omniũ ipse despicitur. Præterea tanta est elatorum vanitas & debilitas, vt ipsi vel nullo impellente, vel saltem leuiori impulsu excidant, & protinus ruãt, dicente rursus eodem Chryso- *Chryst. tom. 5. Ser. contra desperat. & superb.*
stomo tomo 5. Sermone contra desperationem & superbiã. Videtur mihi, horum hominum stupiditatem cum stupa aliquando flammescenti conferri posse: quando post incendiũm mox illa inflatur, & surgit, postmodum leuiori quodam manuum tactu dissoluitur omnis in cineres tenuissimos. Eiusmodi sunt istorum animi, quorum tumores & inflationes spiritus quiuis fortuitus & aduersus casus comprimere poterit, aut disturbare. Elatio siquidem illa non satis integra valetudine constat; sed quemadmodum in aquis ampullæ facilè dissoluuntur: ita & istiusmodi homines intereunt leuiùs. Hæc de elatione.

243. Iactantia elationis est filia; vt
D.Tho.2.2. q.112 art.2. enim D. Tho. habet 2. 2. q. 112. art. 2. Iactantia propriè importat quod homo verbis se extollat: illa enim quæ vult homo iactare, in altum eleuat. Tunc autem aliquis propriè se extollit, quando de se supra se, aut supra id quod de eo homines opinantur, dicit. Vnde Ber. Ser. de aquę- *Bern. Ser. de aquaductu in Natiuitate Mariæ.*
ductu in Natiuitate Marię. Bonũ silentium à iactantia, bonũ à blasphemia, bonum à murmure & detractione: vtique quoniã cùm hæc verbis fiãt, silentio percunt.

Ad quod satis nos ipse pudor deberet perstringere: siquidem vt ipsemet Bernard. inquit Ser. de cautela & verecundia. Quid tam proprium verecúdiæ, quàm proprias vitare laudes, vitare iactantiá? Præterquàm quod (vt dicitur Prouerb. 28.) *Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat.* Vtique quoniam non patiens alios sibi præferri, aut saltem æquari, eos illicò contra se excitat: & quia in alios contumelioſus & petulans plerumque est, velut Pharisæus ille qui iactans se Lucæ 18. dicebat; *Non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, sicut etiam hic publicanus.* Quid autem turpius, & pudore dignius petulantia ista, dissensionum seminatrice, quæ vt sua eleuet, aliena obruit? Nec solùm apud homines exosa est, verùm & apud Deum, dicenté de Pharisæo Lucæ 18. 14. *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.* Id est, publicanus à Pharisæo accusatus, iustior ipso Pharisæo sese accusante exiliit. Quod expendens Chrysostomus hom. 4. super Esaiæ 6. dicit. Vis tibi dicam quantum bonum sit modestia, quantum malum sit arrogantia? Peccator iustum superauit, publicanus Pharisæum; & verba factis fuere superiora. Quomodo verba? Publicanus dixit, Deus propitius esto mihi peccatori. Pharisæus dixit, non sum sicut cæteri homines, ieiuno bis in Sabbatho, decimas do. Pharisæus opera iustitiæ præstabat, publicanus verba modestiæ dicebat, & verba plus potuerunt quàm facta: tantúsque thesaurus cum contumelia reiicitur, & tanta inopia inter diuitias computatur. Magnum ergo ad perfectionem instrumentum est, elationem atque iactantiam fugere.

Idem Ser. de cautela & verecundia.

Luce 18. 12.

Idem ibid. 14.

Chrys. hom. 4. sup. Esaiæ 6.

244. 69. *Instrumentum.*

Sexagesimumnonum instrumentum, *Seniores venerari.* Diuinum pariter & canonicum, necnon & politicum est instrumentum hoc. Diuinum quidem, quoniam scriptum habemus Leuit. 9. 32. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis, & time Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus*: vtique qui præcipio hoc & 1. ad Timoth. 5. 1. *Seniorem te ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.* & 1. Petri 5. 5. *Adolescentes subditi estote senioribus.* Canonicum autem, quoniam, vt ait Zozimus Papa relatus à Gratiano 25. quæst. 5. Decreta Patrum senectutem sanxerunt reuereri. Vnde illorum scripta plena sunt commendatione venerationis istius, vt infrà videbimus. Politicum denique, quoniam, vt habetur *l. Semper. de iure immunitatis.* senectus semper venerabilis fuit, & maiores nostri penè eúdem honorem senibus, quem magistratibus tribuebant. Vnde Plutarch. lib. Quod administratio Reipublicæ pertineat ad senes dicit. Honor senectutis ab obtrectationibus securus est, & conceditur vltrò. Et rursum. Vt lex coronam ac diadema: ita canos natura venerabiles facit. Et Iuuenalis Satyra 1.

Leuit. 9. 32.

1. ad Tim. 5. 1.

1. Petr. 5. 5.

Gratian. 25. q. 5.

Plutarch. lib. Quod administ. Reip. pertineat ad senes.

Iuuen. Sat. 1.

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non assurrexerat.

Ouidius item Fastorum libro tertio.

Ouid. 3. Fast.

Magna

Magna fuit quondam capitis
reuerentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis
erat.

245. Caput autè venerationis huius non vnum, sed multiplex est: nam in primis assignatur pro capite consiliorum maturitas & salubritas ex multa prudentia pariter & sapientia senum, iuxta id Ecclesiastici 25. 6. *Quam speciosum canitiei iudicium! quam speciosa veterani sapientia, gloriosus intellectus & consilium!* Vtique quoniam, vt habetur Iob. 12. 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* & psal. 104. 12. *Senes eius prudentiam docebunt.* & psal. 118. 100. *Super senes intellexi.* Quare tam in diuinis, quàm in humanis ad regendam & iudicandam Rempublicam senes assumpti sunt, iuxta id Exodi 3. 16. *Vade, & congrega seniores Israël.* & Esaiæ 3. 14. *Dominus ad iudicium venit cum senibus populi sui.* Et iuxta ea quæ refert Plutarchus vbi suprà, vbi etiam animaduertit Senatum à senio nuncupari, dicens. Romanorum Senatus vsque in hunc diem à senio nomen gerit. Et hoc quidem, quoniam (vt habet Ambros. lib. 1. Exameron c. 8.) senectus ipsa in consiliis vtilior. Et Hieronymus epist. 2. ad Nepotianum. In senibus crescēte sola sapientia, decrescunt cætera, vti ieiunia & vigiliæ. Vnde Nazianzenus Oratione in plagam grandinis. Non æquo animo patior cadente canitie iuuentutem leges præscribere: tacente sapientia imperitiam iuuenili temeritate se in publicum inferre. Et alibi, vtique Sententia 57. Senex omni sapientiæ genere excellit, iuuenis autem viribus corporis. Et demum vbi suprà Plutarch. Talis consilio, qualis senex. Doctores autem, peritiores & sapientiores consiliarios, Magistratus & Iudices, quis non vel genu venerabitur flexo?

Eccli. 25. 6.
Iob. 12. 12.
Psal. 104. 12.
Exod. 3. 16.
Esaiæ 3. 14.
Plutarch. vbi suprà.
Ambros. lib. 1. Exam. c. 8.
Hieron ep. 2. ad Nepotia.
Nazianz. Oratione in plagam grādinis.
Idem Sententia 57.
Plutarch. vbi suprà.

246. Item venerationis istius caput est, germana ipsa coæuáque senectuti innocentia, aut sanctitas: siquidem Scriptura dixit Sapientiæ 4. 8. *Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Quæ adeò senectutem concernunt, vt dicat Hieron. super id psal. 91. *Senectus mea in misericordia vberi.* Diligenter attendo in Scripturis, vbi primùm legerim senectutem. Adam 930. annis vixit, & tamen senex non dicitur: Mathusalem 969. annis vixit, & senex non dicitur. Venio ad diluuium, & post diluuium per annos fermè tria millia, & nullum inuenio qui dictus est senex. Primus Abraham senex dicitur. Et certè multo minoris ætatis quàm Mathusalem, & propterea dicitur senex, quoniam senectus ipsius vncta fuit oleo vberi. Denique scriptū est ibi: Mortuus est Abraham nutritus in senectute bona plenus dierum. Propterea in senectute bona, quoniam plenus dierum. Omne enim tempus vitæ ipsius dies fuerunt, & non nox. Hoc ipsum quod dictum est de Abraham, dictum est de Isaac & Iacob. Qui enim simul seruierunt Domino, rectè simul senes Domini nuncupantur. Hæc Hieronymus. Quæ procul dubio cæ Basilio magno deprompsit.

Sap. 4. 8.
Psal. 91.
Hier. sup. ps. 91.

Is

Esaiæ 3.2. Basil. sup. Esaiæ 3.

Is enim super id Esaiæ 3. 2. *Dominus exercituum auferet robustũ, validum & senem,* longo verborum ductu obseruat, quod præ superioribus generationibus solus Abraham senioris nomen obtinuit: quia (inquit) planè senior erat, quod eius anima incanuisset virtute. Nec mirum, innocentiam esse senectuti germanam: siquidem (vt Plutarchus vbi suprà notauit) senectus plurima vitia abolet. Quare sicut paruulus, quamuis loquatur vt paruulus, quando autem factus est vir, euacuat quæ erant paruuli, vt de se dixit Paulus 1. Corinth. 13. 11. sic licet adolescens, quæ adolescentiæ sunt insequatur, senior tamen factus, quæ adolescentum sunt non solùm reprimit, sed euacuat vitia. Hos ergo virtuti deditos venerabiles senes quis non procidens venerabitur? Maximè in religione, in qua verè sunt religionis, pietatis & humilitatis magistri.

Plutarchus vbi suprà.

1. Cor. 13. 11.

247. 70. *Instrumentum.*

Septuagesimum instrumentum, *Iuniores diligere in Christo.* Vt seniores qui consilio nobis exemplóq; sunt, venerari oportet, sic & adolescentes diligere: quoniam nutritione, educatione, consilio, magistro & correctore egent, ad quæ amor omnino requiritur, & quidem eximius. Si enim parentes vt isthæc præstent filiis, paterno amore egent, hoc est, tenero, grandi, alacri: quid vt aliis alij? Item si vt proximus subueniat in necessitate proximo, præcipitur vt eũ tanquam seipsum diligat, Matth. 22. 39. quid vt in tam arduis opẽ iunioribus ferat? Arduum quippe est, aliquem ab adolescentia pascere. Propterea enim Iacob Dei penes se magnificans largitatem, dixit Genes. 48. 15. *Domine qui pascis me ab adolescentia mea.* Educare item non minus graue quàm pascere est. Vnde Dominus Thren. 2. 22. dolens & mœrens dixit: *Quos educaui, & enutrini, cõsumpsit inimicus.* Quare 1. ad Timoth. 5. 10. vt egregium opus viduæ commendatur educasse filios. Et iure quidem: nam (vt habet Seneca lib. 2. de ira) recta educatio potest & corpus & animam optimã reddere. Et Plato lib. 4. de Repub. c. 1. Bona ingenia per educationem in meliora euadunt. Et lib. 6. de legib. carm. 3. Hominem dicimus esse animal mansuetũ; si cum natura fœlici rectam disciplinam fuerit assequutus, in diuinissimum euadet: si verò aut non satis, aut non bene fuerit educatus, ferocissimum omnium redditur. Quid autem de cæteris dicam, vtique de eo quod est consiliare, docere & corripere? cùm scriptum sit: *Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiam.* psal. 93. 10. Arguere autem hic idem prorsus est quod ratione conuincere. Hoc autem quis ambiget difficile & arduum esse? Ardua verò quis sine amore insequitur?

Gen. 48. 15

Thren. 2. 22

1. ad Tim. 5. 10.

Seneca 2. de ira.

Plato 4. de Rep. carm. 1

Idem 6. de legib. car. 6.

Psal. 93. 10.

248. Quod autem adolescentes apprimè his omnibus egeant, ex eo planum fiet, quod ex vno capite multa & præclara eos ornamẽta concernunt; ex alio verò grauia impedimenta obsistunt, quibus repellendis ingẽti conamine est opus. Etenim adolescentum prima & maximè decens virtus verecundia est, iuxta id Ambrosij lib. 1.

Ambr. 1. offic. c. 17.

lib. 1. offic. c. 17. Vt in senibus grauitas, ita in adolescentibus verecundia naturæ donum est. Et iuxta id Bernardi Sermon. 18. in Cantica. Quid verecundo adolescente amabilius? quàm pulchra hæc & quàm splendida gemma in vultu adolescentis, bonæ indolis index! Cui tamen obest fastus & elatio animi, vernacula (vt notauit Basil. ad cap. 3. Esaiæ) atque coæua iuuentuti vitia. Vnde (iuxta quæ notarunt Philo lib. de resipiscentia Noë, & Chrysost. homil. 29. in Genesim) Cham filius ille Noë, qui Gen. 9. 23. inuerecundus adeò, & contumelioſus extitit patri suo, vt videns verenda eius nudata, non solùm ipse irriserit, verùm & tentarit allicere duos alios fratres suos, vt illos impudentiæ suæ haberet socios; iunioris nomine eo loci insignitur. Vbi enim nos legimus; *Euigilans Noë ex vino, cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus minor*, Græca apud Chrysostomum habent; *cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus iunior*. Qui tamen ætate minor iuniorve non erat, vtpote natu maior quàm Iaphet, minoris tamen & iunioris inuritur nomine propter impudentiam suam. Alia item adolescentum virtus, & quidem eximia, pudicitia est, dicente Paulo ad Titum 2. 6. iuxta lectionem Hieronymi; *Iuuenes hortare vt pudici sint*. Circa quod Hieronymus. Proprium adolescentulorum hoc posuit, vt pudici sint in omnibus, tam scilicet mente quàm corpore, tam opere quàm cogitatione, vt nulla sit in adolescente suspicio turpitudinis. Huic tamen obstat

Ber. Ser. 48. in Cantica.

Basil. sup. Esaiæ 3.

Philo lib. de resipiscentia Noë.

Chrys. hom. 29. in Genesim.

Gen. 9. 23.

ad Titum 2. 6.

Hier. sup. ad Titum 2.

lasciuia ingenita illi, ob quam Prou. 7. 22. appellatur iuuenis lasciuiens agnus.

Tertia item virtus, quæ plures inter omnes adolescentum virtutes complectitur, obsequiũ erga maiores, seniores que est, dicente Petro 1. Canon. 5. 5. *Adolescentes subditi estote senioribus.* Vtique vt viarum ignari, cùm iter suscipere gestiunt, insunt & adhærent illis qui locorum periti sunt; iuxta quæ Ambros. lib. 1. offic. cap. 43. commonuit iuuenes, vt sic à veræ virtutis tramite non deflecterent. Dixit enim. In conuersationibus adiungantur senioribus: namque vt æqualium vsus dulcior, ita senum tutior est: qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentum, & velut murice probitatis. Vt ignari locorum peritis insunt ne errent; nihil enim pulchrius quàm eosdem & magistros vitæ & testes habere. Et alibi, libro scilicet 2. cap. 20. Adolescentibus vtile sapientes viros sequi: quoniam qui congreditur sapientibus sapiens est. Ostendunt enim adolescentes eorum se imitatores esse, quibus adhæserunt. Vnde tantus Iesus Naue, quia eum non solùm erudiuit ad legis scientiã Moysis copula, verùm etiã sanctificauit ad gratiam. Cypr. etiã lib. duodecim abusionũ inquit. Sicut in senibus morum perfectio requiritur, ita in adolescentibus obsequium. Vtique ad morum integritatem & consummationem, in qua senes perlucent. Huic tamen obsequio bonorum omnium capiti obstat innata iuuenibus propensio libertatis, &

249.

1. Petr. 5. 5.

Ambr. 1. offic. c. 33.

Idem lib. 2. c. 20.

Cypr. lib. 12. abus.

resiliendi auiditas. Cuius gessit imaginem prodigus ille iunior à paterna obedientia descisces, & sui se iuris faciens, & ideo protinus in tot præcipitia ruens, de quo Luc. 15. Adeò enim præpostera est iuuenilis conditio, vtpote iugi impatiẽs. Vnde Gen. 8. 41. dicitur: *Sensus & cogitatio humani cordis in malũ prona sunt ab adolescentia sua.* & psal. 24. 7. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Et Prou. 30. 19. inter sinuosa & maximè obliqua cõputatur ideo via adolescentũ; dicitur enim: *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cælo: viam colubri supra petram: viam nauis in medio mari; & viam viri in adolescẽtia sua.* Vtpote quod per omnes horas in diuersa sese adolescentes torquent, & nunc in ista, nunc in illa se præcipitia inferunt: & ab honesta rectaque disciplina deficientes, ad luxum & voluptatem temere dilabuntur. Horum igitur regimen quis facile dixerit, & non potiùs durum, acerbum & arduum? Meritò ergo non tantùm amore, verùm amore Christi & in Christo prosequenda iuuentus: quoniam is amor est ardentior, & virtuosior cũctis, vtpote de quo Paulus Rom. 13. 10. *Plenitudo legis est dilectio, qui diligit proximum legem implent.* Et Chrysost. tom. 4. hom. 33. super 1. Corint. Dilectio opifex virtutis omnis: & hom. 23. Dilectio non aliquam tantummodo partem, sed omnem in nobis virtutẽ perficit.

Gen. 8. 41. *Psal. 24. 7.* *Prou. 30. 19.* *Rom. 13. 10.* *Chrys. tom. 4. homil. 33. super 1. ad Corinth.*

250. 71. *Instrumentum.*

Septuagesimumprimum instrumentum, *Pro inimicis orare.* Circa materiã huius instrumenti D. Tho. 2. 2. q. 83. a. 4. instituit disputationem, vtrùm teneamur orare pro inimicis. Et à parte negatiua arguit primò, ex eo quod in Scriptura sacra, (quæ nobis pro magistro est Rom. 5.) inducuntur multæ imprecationes cõtra inimicos: vti cùm dicitur psalm. 6. *Erubescãt & conturbentur inimici mei: confundantur & erubescant valde velociter.* Non ergo nos precationibus tenemur illos prosequi, ex eo quod Sancti (qui semper nobis exemplo sunt) vindictã de inimicis petunt, iuxta illud Apocalyp. *Vsquequò non vindicas sanguinem nostrum de his qui sunt in terra?* Vnde de vindicta impiorum lætantur, iuxta illud psalmi 57. *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam.* Ergo non est orandum pro inimicis, sed magis cõtra eos. Secundò, quia cùm liceat debellare inimicos consequens est, vt nõ debeamus bene precari illis. Pro parte autem affirmatiua inducit illud Matth. 5. & Lucæ 6. *Orate pro persequentibus vos.* Concludit autem quod eodẽ modo quo tenemur inimicos diligere, tenemur etiã & pro illis orare: eo quod orare pro alio, est charitatis opus, vt ibi art. 3. ostendit. Vnde licet perfectionis sit, & quidem eximiæ, diligere amore speciali, & in particulari inimicos, & speliter orare pro illis, vt fecit Christus: necessitatis tamen, hoc est, precepti, nõ est, vtpote quod adstricti nõ sumus diligere inimicos, nisi vt proximos; ad quod tamen satis est, non excludere illos à communi amore, quo illos in vniuersum prosequimur, & ab

D. Tho. 2. 2. q. 83. a. 4. *Psal. 6.* *Apoc. 7.* *Psal. 57.* *Matth. 5.* *Luc. 6.*

& ab oratione communi quam pro illis fundimus: nisi in aliquo casu speciali, vtique quãdo specialiter indigent dilectione, & oratione nostra. Tũc enim præcepto adstringimur ad illa respectu cuiuscũque proximi, etiã inimici: & proinde ad hoc quod est habere animum præparatum ac promptum ad id ingruente necessitate præstãdum; secus verò minimè. Ad arguimenta autem respondet, imprecationes illas sæpe esse propheticas futurorum prędictiones, quę nõ optanter, sed enunciatiuè promũtur. Vel esse imprecationes malorum temporaliũ in impiorum correctionem, vt castigati à peccando desistant. Quæ omnia iure fiunt, vtpote quæ in bonum ipsorum inimicorum cedunt.

251. Inde Aug. Ser. 59. de tempore; & Greg. lib. 34. mor. c. 16. explicantes quidnam in orationibus pro inimicis sit petendum, dicũt, id propriè esse quod Apost. iussit: nimirũ vt Deus det illis pœnitentiã, vt resipiscãt, & à laqueis diaboli sese eximant. Ex quibus inferunt, pro dæmonibus, neq; pro hominib. damnatis orandũ non esse, eo quod nõ possunt resipiscere, & à peccato ad gratiam remeare. Et addit August. lib. 21. de ciuit. cap. 24. orandum nõ esse pro illis, de quibus diuinitus constat æterna subituros supplicia, eo quod neq; isti legitimos pœnitentiæ fructus sint adepturi. At si inimicos vt proximos tenemur diligere, vt reipsa tenemur, consequens fit, vt non tantùm spiritalia, sed etiam temporalia bona, quæ ad spiritalia ordinantur, iuréque requirũtur, optare illis, & per orationem precari teneamur. Siquidẽ proximos vt nos ipsos diligere debemus: & proinde nullos esse præscitos, quantumuis agnitos, à quibus, dum adhuc viuunt, dilectionis & orationis saltẽ generalia subsidia possimus subtrahere; cùm tales absolutè loquẽdo proximi nostri sint. Quare etiã reprobo Iudæ bene Dominus noster Iesus Christus precatus est, etiã cùm sciret æternis proximè eum addiciendũ ignib.

252 Nec graue censendũ est monitum hoc orandi pro inimicis: nã cùm dulcia nobis & iucunda apparẽt acerba quæq; & dura, si modò humanã conciliant nobis gloriam: consequẽs est, vt opem inimicis ferre, insipidum & acre non sit, vtpote honorificentissimũ cuique; adeò vt Plutarc. lib. de vtilitate capiẽda ex inimicis, dixerit ex Ciceronis mẽte. Cùm Cæsar Pompeij statuas deiectas reponi iussit, constabiliuit suas. Quod si hæc dura quæ caducam gloriam ingenerãt, quid quæ diuinam & æternam prorsus, qualem inimicorũ dilectio, & fusa pro illis oratio Christiano parit homini? Idcirco Aug. Ser. de S. Steph. ait. Grandis labor est inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare: nec nos negamus, fratres; non quidem paruus labor est in hoc seculo, sed grãde erit præmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici efficieris amicus Dei imò nõ solùm amicus, sed etiã filius: sicut ipse Dominus dixit Matth. 44.

Septuagesimum secundum instrumentum, *Cum discordantibus ante Solis occasum in pacem redire.*

Greg. lib. 34. moral. c. 16.

Aug. lib. 21. de ciuitate. cap. 24.

Plut. lib. de vtilita. cap. ex inimicis.

Aug. Serm. de S. Stephano.

Matth. 5. 44.

253. 72. *Instrumentum.*

Magnum ex inimicis cordatus quisque & sapiens potest commodũ reportare,vti ex Aug.precedenti instrumẽto notauimus; & Plutarchus vbi suprà monuit, dicendo, quod sicut animantia quæ plurimùm stomacho valẽt, etiamsi serpentes ac scorpiones edant,concoquunt;cùm interim graciles ac valetudinarij panem etiam ac vinum fastidiant: sic stulti corrumpunt, ac perdunt etiam amicitias, cùm tamen qui sapiunt,etiam simultatibus commodè nórint vti. Nihilominus simultatum causas, vtique dissidia & discordias omnino oportet vitare: saltem quoniam, vt Apostolus dixit 1. Corinth. 14. 13. *Non est dissensionis Deus, sed pacis.* Et idem de natura humana dixit Seneca lib.1. de ira.c.5. sub his verbis.Beneficiis humana vita consistit & concordia, nec terrore,sed mutuo amore in fœdus auxiliumque commune constringitur. Præsertim quod (vt Basilius dixit homilia de ira) audímus in Prouerbiis scriptũ, ira sapientes perdit: audimus & Apostolicum dictum;Ira & omnis indignatio, & clamor à vobis abscedat cum omni malitia: & Dominum dicentem, si quis irascitur fratri suo temere, reus erit iudicio. Quod si fortè omnino discordias & indignationes vitare non contigerit, illas tamen quamprimùm intercipere, carúmque ab exordio sopire flammas expedit:quoniam inueterata iracundia odium est. Vnde Paulus ad Ephes.4.26.*Sol non occidat super iracundiam vestram.* Vtpote quod iracũdia quæ citò non soluitur,citò in vulnus cõuertitur,& citissimè suppuratur.

Plutarch. vbi suprà.

1.Cor.14.3.

Seneca 1. de ira.c.5.

Basil.hom.de ira.

Epes.4.26.

Mox Paulus subdidit: *Nolite locum dare diabolo.* Quippe qui tenebrarum pater,discordiarúmq; caput cùm sit,& inimicitię parẽs, nocturnis sese protinus discordiis ingerit. Vnde Chrys. ho.14. sup.ad Ephes.Nunquá locum sic habet diabolus vt in inimicitiis. Hinc mala nascuntur innumerabilia.Et quomodo quamdiu quidam sunt condensati & bene cõpacti lapides, neque quidquam habẽt vacuum,stant infracti;sin autem cõtigerit solius acus fieri perforationem, quæ vnius pili solùm locum teneat,hæc omnia dissoluit & perdit:ita etiam diabolus,quando fuerimus coniuncti,benéque compacti,nihil omnino infert ex his quæ sua sunt: quando autem nos parum laxauerit,& mollierit,tanquam torrens quidã influit. Influit(inquit) quoniam suggerere incipit quæ consona sunt irato: vtique vindictam,sæuitiam,pernicię,atrocitatem, & similes irati pectoris comites. Et influit in omnes: quoniam, vt Seneca lib.3.de ira. c. 2. loquens de rabie ista dixit. Nullam transit ætatem, nullum hominum genus excipit.Quędã gentes beneficio egestatis non nouere luxuriam, quædam quia exercitæ sunt effugere pigritiã. Quibus agrestis vita est,circumscriptio & fraus ignota sunt, & quodcumque in foro malum nascitur.Nulla gens est,quam non ira instiget, tam inter Graios, quàm inter Barbaros potens. Denique cætera singulos corripiunt, hic vnus affectus est, qui interdũ publicè concipitur.Núquam vniuersus populus vnius fœminæ

254. *Epes.4.27.*

Chrys. hom. 14.sup. ad Epes.

Seneca lib.3. de ira.c.2.

fœminæ amore flagrauit: neque in pecuniam aut lucrum tota ciuitas spem suam misit: ambitio viritim singulos occupat. Impotentia non est malum publicum. Sæpe in iram vno agmine itum est. Viri, fœminæ, senes, pueri, principes, vulgus consensere, & tota multitudo paucissimis verbis concitata, ipsum concitatorem antecessit, ad arma protinus, ad ignemque discursum est. Inde est quod de illa dicitur, scilicet, dare locum diabolo, vtpote commune malum aduersario communi.

255. Noxam autem istam, licet omnino omnes, Monachi tamē potiùs declinare tenentur. Omnes quidem: quoniam (vt Greg. in past. 3. p. adm. 23. dicit) admonendi sunt dissidētes, vt nouerint, quod tamdiu nullum boni operis Deo sacrificium immolant, quamdiu à proximorum charitate discordant. Scriptum quippe est Matth. 5. 23. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum ante altare, & vade priùs reconcilari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Ex qua præceptione pensandum est, quorum hostia repellitur, quàm intolerabilis culpa monstratur. Nam cùm mala cuncta bonis sequentibus diluantur, malum discordiæ bonum subsequi non permittit. Specialiter autem Monachi: quoniam animorum discordia specialiter spiritualibus pugnat, repugnatque viris, eodem Gregorio magno vbi suprà, paulo antè dicēte. Discordes admonendi sunt, vt certissimè sciant, quia quantislibet virtutibus polleant, spirituales fieri nullatenus possunt, si vniri per concordiam proximis negligunt. Scriptum quippe est, fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax. Qui ergo seruare pacem non curat, ferre fructum Spiritus recusat. Hinc Paulus ait 1. Cor. 3. 3. *Cum sit inter vos Zelus & contentio, nonne carnales estis?* Hinc iterum quoque dixit Heb. 12. 14. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Hinc rursus ad Ephes. 4. 3. *Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Inde verbum illud psal. 132. *Ecce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum,* accipiunt Basil. regula 19. 32. & 34. ex fusis, & regula 85. 93. & 131. ex breuioribus, August. epist. 109. & Serm. 22. de tempore, & alij, de Monachorum statu & instituto, quod animorum pariter atque locorum vnitatem requirit, ita vt multitudinis eorum sit cor vnum & anima vna, vt de multitudine credentium tempore nascentis Ecclesiæ dictum est Actorum 4. 33. Non quod vnam animam haberent omnes. Quomodo enim hæc in diuersis corporibus fuerit? Sed quia animo concordes erant, hoc est, vnanimes. Quod est potissimum, pariterque iucundissimum vinculum, & cœnobialis vitæ coagulum. Vt enim vidit Hugo de Sancto Victore annot. in psal. 81. Loco vnum esse, & non animo, pœna est: animo, & non loco, gratia: animo simul & loco, gloria. Quare Bernardus po-

Greg. in past. adm. 23.

1. Cor. 3. 3.

Heb. 12. 14.

Ephes. 4. 3.

Psal. 131. 1.

Basil. reg. 19. 32. & 34. *ex fus.* & 85. 93. & 131. *ex breu.*

August. epist. 109. & *Ser.* 22. *de tempore.*

Greg. vbi sup.

Hugo vict. in psal. 82.

Bern. epist. ad Guilliel. Abbatem.

tioris huius vinculi iacturam in aliquibus Monachis dolens, sic gemebundus queritur Epistola ad Guillielm. Abb. Vbi nunc illud vnanimitatis exercitium? Fusi sumus exteriùs, & de regno Dei quod intra nos est non curamus. Relictis veris ac perennibus bonis foris quærimus vanam consolationem de vanitatibus, ac insaniis falsis: ac iam religionis antiquæ non solùm virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Omnes igitur, sed Monachi magis tenentur discordiarum pugnas vitare, præsertimque diuturnitatem, & pertinaciam in illis.

256. 73. *Instrumentum.*

Septuagesimum tertiũ instrumentum, *De misericordia Dei numquam desperare.* Hoc vltimum bonorum operum instrumentum est, & verè tali nomine insignitur: quoniam (vt habet D.Thomas 2.2.q. 22. art.1.) per spem præmij inducitur homo ad obseruantiam præceptorum.

D.Tho.2.2. q.22. art. 1.

Psal 33. 23. Vnde psal.33.23. *Non delinquent qui sperant in eo.* Non enim delinquent, qui legis præcepta explent. Et non tantùm ad seruanda præcepta instrumentum est, verùm ad omnia inclyta inclytè peragenda: vtique ad frequentiùs orandum & ieiunandum, ad largiùs pauperibus subueniendum, iniuriasque mitiùs condonandum; & denique ad maiores in omnium virtutũ genere progressus faciendos. Vnde psal. 36. 3. *Spera in Domino; & fac bonitatem*; hoc est, fac omnium virtutum opera; (vt ibi etiam D. Thomas exponit) quoniam spes ad omnium virtutum opera tanquam instrumentum generale

Psal. 36. 3.

D. Thom. in Psal. 36.

prævalet. Quare idem D.Thom. suprà quæst. 20. art. 3. dicit. Per spem reuocamur à malis, & inducimur ad bona prosequenda. Et propter idem August. tract. 56. in Ioannem dicit. De spe multa nobis mandata sunt. Vtique illud psal. 4. 6. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* & illud psal. 9. 11. *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum.* & illud psal. 61. 9. *Sperate in eo omnis congregatio populi.* & illud Ecclesiastici 2. 6. *Crede Deo, & spera in illo.* Etenim cùm spes ad multa necessaria sit, & propter multa, nimirum propter finem suum, qui est vltimus finis noster, iuxta id Hebr. 6. *Habemus spem incedentem vsque ad interiora velaminis*: de quo D.Thom. vbi suprà quæst. 17. art. 2. Necessaria item propter media quæ conducũt ad huiusmodi finem: quia sæpe vel ad orandum, vel ad tentationes vincendas, vel ad quodcuis aliud arduum aggrediẽdum, necessum est sperare, & spem remunerationis concipere; ideo multa nobis de spe mandata sunt, vtique tot mandata quot sunt in præcepto opera, ad quorum exequutionem spes necessariò requiritur. Verè igitur instrumentum hoc est bonorum operum instrumentum.

D.Th.2.2.q. 20.art.3.

Aug. tract. 86.in Ioan.

Psal.9.11.

Psal.61.9.

Eccli.2.6.

Heb.6.

D. Tho. vbi sup q.17.art. 2.

257. Est etiam vltimum, quia peccatoribus cœno peccatorum immersis, quid aliud præter diuinę misericordiæ asylum & fulcrum reliquum esse potest? Hoc autem infallibile est, & prorsus indefectibile: cùm Scriptura dicat Exodi 34. 6. *Miserator & misericors Domine, clemens & patiens, qui custodis misericordiã in millia.*

Exodi 34. 6.

&

Deut.5.10. & Deut. 5. 10. *Facit misericordiam in multa millia.* & psal.32.5. *Misericordia Domini plena est terra.* & psal.85.25. *Miserator & misericors Dominus, patiens & multũ misericors.* Sapientiæ 5.1. *Tu autem Deus noster, suauis & verus es, & patiens, & in misericordia disponis omnia. Etenim si peccauerimus, tui sumus.* & Ecclesiastici 18.12. *Misericordia Domini super omnem carnem.* Huiusmodi autẽ misericordiæ vel miserationes diuinæ maximè nitent in reducendis ad meliorem frugem peccatoribus: tum quia cùm suprà Exodi 34. legitur, *Miserator & misericors Domine, clemens & patiens, qui custodis misericordiam in millia,* pro ratione assignatur, *qui aufers iniquitatem & scelera.* Tum quia cùm Ionæ 5.4. dicitur, *Scio quia tu es Deus clemens & misericors, & patiens, & multæ miserationis,* subiungitur quasi pro dictorum causa, *ignoscens super malum.* Tum etiam quia id potissimum est, quod ex infinita misericordia eius peccatores speramus, vtpote qui ab illo accepimus Ezechiel. 18.32. *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* & Lucæ 9.56. *Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Quapropter, licet humiliter, cõstanter nihilominus possumus precari illum, cum Augustino & Ambrosio, pariterque cum Ecclesia: *Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speranimus in te.*

Deut.5.10. Psal.32.5. Psal.85.25. Sap.15.1. Eccli.18.12. Exodi 34. Ionæ 5.4. Ezech.18.32. Lucæ 9.56. Augustin. & Ambros. in Te Deum laudamus.

His subiiciamus, quod in diuina non sperare misericordia, omnino desperare est, quo nihil execrabilius, turpius & ineptius. Execrabilius quidem: quoniam licet ex aliquo capite, nempe ex parte Dei, alia sint peccata grauiora, vtique infidelitas & odiũ Dei, iuxta quæ D. Thom. nos docet vbi suprà q. 20. art. 3. at ex parte nostra maximum omnium peccatorum desperatio est: quoniam vt per spem reuocamur à malis, & inducimur ad bona prosequenda, necessum est, vt sublata spe irrefrenatè omnes prolabantur in vitia, & à bonis operibus retrahantur. Vnde ait D. Tho. sup. illud Prou. 24. *Si desperaueris lassus in die angustia, minuetur fortitudo tua.* Super hoc igitur dicit Glossa. Nihil est execrabilius desperatione, quam qui habet, & in generalibus huius vitæ laboribus, & in fidei certamine constantiam perdit. Et Isidorus libro 2. de summo bono. cap. 14. dicit. Perpetrare flagitiũ aliquod, mors animæ est, sed desperare, est descendere in infernum. Turpius item & ineptius: quoniam est turpiter crassaque minerua ignorare infinitatem & immẽsitatem diuinæ misericordiæ, de qua Basilius in regulis breuioribus. q. 13. Si peccata & magnitudine & numero possunt definiri, miserationes autem Dei neque magnitudine, neque numero possunt circumscribi. Sine dubio non est cur desperatio adhibenda sit, sed agnoscenda misericordia Dei, & commissa peccata detestanda. Et ad idẽ Chrysost. proœmio in psal. 50. Nolo dicas, blasphemus sum, persequutor sum, immundus sum, habes omniũ ostensiones, in veteri Testamẽto Dauid, in nouo Paulum. Peccasti? Pœnitere. Millies peccasti? Millies pœnitere. Et

D. Tho. 2.2. q.20 art.3. D. Tho. sup. Prou.24.10. Isid. lib.2.de summo bono. cap.14. Basil. in reg. breu q.13. Chrys. proœmio in ps.50.

Aug.

Aug Ser. 11. de verbis Domini.

Aug. Ser. 11. de verbis Domini. De nullo desperandũ est, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit. Exemplo nobis est vel ipse primus parens, qui licet lapsu suo totum perdiderit mũdum, omnemque suam prolem infecerit, nihilominus ad meliorem mentem reductus, cælo sublatus est: & idem suo modo de Dauid, de Nabuchodonosor, de Matthæo, de Magdalena, de bono latrone, ac denique de Apostolo Petro prædicare licet. Vnde Bernardus Serm. 3. in solemnitate Sanctorum Petri & Pauli inquit. Si Petrus post tam grauẽ lapsum, ad tantam rediit eminẽtiam sanctitatis, quis de cætero disperet, si tamen egredi voluerit à peccato? Non ergo de diuina desperandum est misericordia, sed potiùs maximè sperandum in illa, cùm scriptum sit psal. 3. *Sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Illa vtique qua ipse dives est, Ephes. 2. 4. & hoc in omnes qui inuocant illum, Rom. 10. 12. Vt omnes (si Deo placet) Monachi noctu diuque inuocamus.

Bern. Ser. 3. in fest. SS. Petri & Pauli.

Psal. 3. 10.

Ephes. 2. 4.

Rom. 10. 12.

259. *Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis.* Cùm ars sit virtus intellectualis, & habitus operatiuus faciens facultatem boni operis, vt habet D. Th. 1. 2. q. 57. art. 3. ad 4. cõsequens est, quamcumque artem instrumentis sibi proportionatis egere; & proinde spiritualem artem instrumentis spiritualibus, quæ sunt (vt in fronte capitis legifer noster dixit) instrumenta bonorum operum, hoc est (vt ab initio explicui) ipsa bona opera, siue malis, canones & regulæ directiuæ & enunciatiuæ bonorum operum: ad eum modum quo omnis Scriptura, etiam sacra, dicitur instrumentum. Et quoniam (vt idem D. Tho. 1. 2. q. 8. art. 2. ad 2. dicit) quælibet ars operatiua considerat, & finem, & ea quæ sunt ad finem; ideo in ista spirituali arte tam circa finem, qui beatitudo est, quàm circa media, quæ sunt præceptorum obseruationes, & bonorum operum exercitationes, canones præscribuntur, & in dies exarantur.

D. Th. 1. 2. q. 57. art. 3. ad 4.

D. Th. ibi. q. 8. ar. 2. ad 2.

260. *Quæ cùm fuerint à nobis die noctuque incessabiliter adimpleta, & in die iudicij reconsignata, illa merces à Domino nobis recompensabitur quam ipse promisit.* Quod necessarium sit ad vitam seruare mandata, vtriusque fœderis pagina docet. Etenim Deut. 10. 12. dicitur: *Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua, custodiasque mandata Domini, & ceremonias eius, vt bene sit tibi?* & Ezech. 18. 9. *Si in præceptis meis ambulauerit, & iustitias meas custodierit, hic iustus est, vita viuet, ait Dominus.* Item Matth. 19. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quod autem hæc omni tempore præstanda sint, exituque complenda docuit nos Salomon dicens Eccles. 9. 8. *Omni tempore sint vestimenta tua candida*; hoc est, mores cãdidi, & ad normam legis affabrè compositi, dicente inter alios Cyrillo Oratione 14. de adoratione in spiritu, quod Salomon phrasi ista non solùm suasit nobis vitam virtutibus plenam,

Deut. 10. 12.

Eccli. 9. 8.

Cyrill. Orat. 14. de adorat. in spiritu.

plenam, virtutumque ſplendoribus nitidam, nedum ab omni vitiorum genere defæcatam, verùm amictu Chriſti indutam; hoc eſt, veteri expoliato homine, nouum induentem, iuxta verbũ Pauli Rom. 13.14. & Epheſ. 4.22.&24. Vt ſicut nuſquã homo ſine indumento incedit, ſic neq; ſine innocentia ac vitæ prodeat ſinceritate, albo veſtimentorum colore deſignata: quoniam color albus purus & luculentus eſt, & nullus luci proximior. Ratio autem eſt, quia nihi coinquinatum cælorũ regna penetrabit. Apoc. 21.27. Quare vt in die retributionis communis & iuſti iudicij Dei, cælorum pateat ad vitam ingreſſus, opus erit inceſſabiliter virtutũ operibus inſudare. Quod tunc dignè fit, quando ſiue manducamus, ſiue bibimus, ſiue ſomnum, vel aliud quodpiam animi laxamentum capimus: aut econtrà laboris & difficultatis operibus incumbimus, omnia in gloriam Dei facimus: vt nos Paulus 1. Corint. 13.31. facere monuit; & Dauid faciebat cùm dixit: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* pſal. 32.2. Vtique vel actualiter, vel virtualiter, vel habitualiter.

Rom. 13.14. *Epheſ.* 4. 22. & 24.

Apoc. 21.27.

1. *Cor.* 13.31.

Pſal. 32.2.

261. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum.* Hæc ſunt verba Pauli 1. Cor. 11. 9. quæ in remunerationis æternæ commendationem ſcripſit, & quæ ab Eſaia cap. 64. 4. enunciata legit. Et iure: ſiquidem Gen. 15. 2. Abrahamo à Domino dictum eſt; *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* & Dauid pſal. 102.

1. *Cor.* 11.9.

Eſaiæ 64.4.

Gen. 15.2.

Eſai. 102.5.

5. *Pars mea Dominus in æternum.* Et ideo ipſe ad Deum pſal. 72. 25. *Quid enim mihi eſt in cælo? & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Dominus in æternum.* Paulus item Rom. 8. 18. *Exiſtimo quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* & 2. Cor. 4. 17. quaſi horum rationem reddens ſcripſit; *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Pſal. 72.25.

Rom. 8.18.

2. *Cor.* 4.17.

Officina verò vbi hæc omnia diligenter operemur, clauſtra ſunt Monaſterij, & ſtabilitas in Congregatione. Quemadmodum ad literas diſcẽdas apud Græcos pueri ad ſcholas ibant, & nunc itur vbique; ſic apud Perſas vt iuſtitiam diſcerent, prout libro 1. Cyropedias à Xenophonte proditum eſt. Apud Chriſtianos verò Monaſteriorum clauſtra virtutum gymnaſia ſunt, vtpote domus Dei, in quibus cognoſcitur Deus, pſal. 47. 4. atque etiam oratur, quia domus Dei, domus orationis eſt cunctis gentibus, Matth. 21. 13. & obſequia erogantur, & impenduntur illi, clamantibus apud Eſaiam cap. 2. cunctis: *Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.* Singulariter verò ad Deum dicente Monacho: *Introibo in domum tuam in holocauſtis, reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea,* pſal. 65. 13. Inde Bernardi illa tract. de modo viuendi. Ser. 20. In Monaſterio eſt vita con-

262.

Xenophon. lib. 1. *Cyropedias.*

Pſal. 47.4.

Matt. 21.13.

Eſaiæ 2.

Pſal. 65.13.

Bern. de modo viuendi. Ser. 20.

templatiua, vita ſancta, vita ſpiritualis, vita cæleſtis, vita quieta, vita pacifica, vita tranquilla, vita caſta, vita perfecta, vita virtutibus plena. In Monaſterio vita ſanctitatis, in ſeculo autem vita iniquitatis.

263. Subiicitur autem in textu, *& ſtabilitas in Congregatione.* Vtpote eſſentialis omnino ad proficiendum monaſticè. Si enim (vt Seneca inquit epiſtola 2.) nihil æquè ſanitatem impedit ac remediorum crebra mutatio: non enim venit vulnus ad cicatricem, in quo crebrò medicamenta tentantur: nec conualeſcit planta quæ ſæpe transfertur, neque quidquam tam vtile eſt quod in tranſitu proſit. Si igitur hæc pro corporum curatione & medela, quid pro animarum perfectione monaſtica?

Seneca epiſt. 2.

Certè de loci inſtabilitate Bernardus adeò contra Monachos perperam ſenſit libro de præcepto & diſpenſatione, vt cap. 20. eam interdixerit illis, etiamſi optatã arctioris vitæ deſiderio. Et cap. 25. appellat illam mortem & præcipitium Monachorum. Quocirca Dauid non ſolùm habitationem in domo Dei, ſed perpetem optauit, dicens pſal. 26. 6. *Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Et ideo Anna prophetiſſa non diſcedebat à Templo ieiuniis & orationibus vacans, & ſeruiens Domino nocte ac die. Lucæ 2. 37. Quare Seneca vbi ſuprà. Primum argumentum compoſitæ mentis, poſſe conſiſtere, & ſecum morari. Nuſquam eſt, qui vbique eſt.

Bern. l. de præcep & ſpen. cap.

Idem ib. cap. 25.

Pſal. 16.

Luc. 2.

Seneca ſuprà.

De obedientia diſcipulorum.

CAPVT V.

PRIMVS humilitatis gradus eſt obedientia ſine mora. Hæc conuenit his, qui nihil ſibi Chriſto charius exiſtimant, propter ſeruitium ſanctum quod profeſſi ſunt, ſeu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ. Mox vt aliquid imperatum à maiori fuerit, ac ſi diuinitus imperetur, moram pati neſciunt in faciendo. De quibus Dominus dicit: Ob auditum auris obediuit mihi. Et item dicit Doctoribus: Qui vos audit, me audit. Ergo hi tales relinquentes ſtatim quæ ſua ſunt, & voluntatem propriam deſerentes, mox exoccupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede iubentis vocem

cem factis sequuntur. Et velut vno momento prædicta Magistri iussio,& perfecta discipuli operà in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citiùs explicantur, quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam viam arripiunt; vnde Dominus dicit: angusta est via quæ ducit ad vitam; vt non suo arbitrio viuentes, vel desideriis suis,vel voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno iudicio & imperio,in cœnobiis degentes, Abbatem sibi præesse desiderent. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam qua dicit: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me. Sed hæc ipsa obedientia tunc erit acceptabilis Deo, & dulcis hominibus, si quod iubetur,non trepidè,non tardè,non tepidè, aut cum murmure,vel cum responso nolentis efficiatur. Quia obedientia,quæ maioribus præbetur,Deo exhibetur.Ipse enim dixit:Qui vos audit,me audit Et cum bono animo à discipulis præberi oportet:quia hilarem datorem diligit Deus. Nam cum malo animo si obedit discipulus, & non solùm ore, verùm etiam in corde si murmurauerit, etsi impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam:imò pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit.

1. PRIMVS *humilitatis gradus est obedientia sine mora.* Nodum verba ista, & quidem non laxum implicant. Quomodo enim obedientia potest esse humilitas, nedum præstantissima humilitas; id enim sonat hic ly, *primus humilitatis gradus*:cùm obedientia & humilitas à se inuicem distinguantur, vtpote virtutes diuersæ? At quoniam humilitatis proprium est subesse, & substerni, vt econtrà superbiæ efferri & extolli: ideo vt superbia est non obedire,iuxta id Deuteronomij 17.12. *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio,ex decreto Iudicis morte moriatur.* Et extremum superbiæ crimen est procaciter repugnare præceptis:vt malorum reluctantia Angelorum compertum est. Ita humilitati adscribitur obedire, & summæ humilitati,protinus obtemperare. Vnde Matth. 11. 29. exquo dixit Christus: *Tollite iugum meum super vos,* subdidit; *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Et mox: *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue*;vtique humilibus: quippe qui subesse amant, & subiici,& ideo promptè obediunt & sine cunctatione: quo-

17.12.

Matt.11.29.

niam obedire placidum & lene illis est.

2. *Philip.* 2.8. Paulus item de Christo Domino dixit ad Philip. 2.8. *Humiliauit semetipsum vsque ad mortem.* Circa quod Chrysost. Ser. 6. super ad Philippens. Animi humilitas est, non impetum adversus maiorē facere. Et D. Tho. ibi lect. 6. Modus humiliationis, & signum humilitatis est obedientia, quia proprium superborum est propriam sequi voluntatem, quia quærunt altitudinem: ad rem autem altam pertinet, quod non reguletur alio, sed ipsa alia regulet, & ideo obedientia contrariatur superbiæ. Ideo 1. Regum 25. 13. dicitur esse idololatriæ genus nolle acquiescere: hoc est (vt habet Bernardus Serm. 19. de modo viuendi) non obedire: videlicet quoniam obedire nolle, idem est ac nolle superiorem habere, neque ab alio regulari. Quod proprium cùm sit Dei, relinquitur vt inobedientia idololatriam sapiat, quasi per inobedientiam præripiat sibi homo immunitatem Dei. Vt igitur non obedire, superbire est, & contumaciter inobedire, idem quod superbissimè agere: sic obedire humilitati datur, & sine mora obedire, summæ humilitati adscribitur. Quod agnoscens Amb. to. 4. lib. 1. epistolarum, epist. 84. ad Demetriadem dixit. In eo humilitatis proprietatē definimus, quod per omnia Deo subditur. Et Bern. Ser. de subiectione humilitatis nostræ. Totius humilitatis nostrę summa est, si y lūtas nostra subdatur Deo. Vtique præcipienti siue per se, siue per suos ministros, de quo infrà numero vltimo. Quæ valde obseruata vellem ab his qui spontaneas, & irregulares humiliationes suas canonicis & regularibus præferunt: cùm tamen potissimus humilitatis gradus sit, regularibus subdi pareréque decretis. Imò nisi à primo isto gradu ad secundum illum humiliter conuenienterque non proceditur, sed superbè potiùs & inutiliter. Hæc si attendissent qui nuper aliquot exemplaria excuderunt, non pro ly, *Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora*, legissent & inseruissent, *Primus obedientiæ gradus est*, &c. Quoniam hic non de obedientiæ gradibus, qui nulli recensentur, sermo inducitur: sed de obedientiæ præstantia, quæ potissimum humilitatis gradum pertingit. Videantur priores quatuor humilitatis gradus cap. 7.

Chrys. hom. 6. super ad Philip.

D. Tho. sup. ad Philip. 2. lect. 6.

1. *Reg.* 25. 13.

Bern. Serm. 19. de modo viuendi.

Amb. tom 4. lib. 1. epist. epist. 84. ad Demetriadē.

Bern. Serm. de subiect. hum.

3. *Hæc conuenit his qui Christo sibi nihil charius existimant.* Rectè quidem: quoniam ad parendum per omnia, & in omnibus Christi ministris, opus est plusquàm nos ipsos diligere Christum, aliàs potiùs nostram, quàm illorum amplexabimur voluntatem. Quare vt particularia quæque subseruiant bono communi, indigent magis ad illud, quàm ad proprium & peculiare inclinari, vt patet, v. g. in grauibus contra propriam inclinationem & pondus sursum ascendentibus, ne detur vacuum: & etiam in brachio similiter contra propriam inclinationem exponenti se ictibus minantibus capiti. Sic subditus

ditus contra propriam debet voluntatem Prælati exequi; quod est Christum plusquàm se amare.

4. *Propter seruitium sanctum quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ.* Tria hæc motiua attexit Doctor sanctissimus ad obediendū prōptè. Primum, obedientię votum: secundum, timor gehennæ ob violationem illius: tertium, expectatio gloriæ propter obseruantiam eius. Primum autem efficacissimum est: quoniam Deo obedientiam vouere, est illum super omnia diligere, vtpote negare voluntatem propriam, & diuinæ inhærere. Talis autem amor cùm veræ amicitiæ sit, perfectæque dilectionis ad Deum, à charitate elicitur, estque charitatis actus, vtpote amor Dei, quatenus in se bonus & summū bonum; iuxta quæ nos docuit D.Thom. 2.2.q.23.artic.5. & 6. Quare necesse est vt amantem maximè alliciat ad obediendum Deo, obsequiúmque illi promissum sine mora præstandum. Vnde Christus ipse Ioan. 14. 23. *Qui diligit me, sermonem meum seruabit.* & Paulus Rom. 13. 10. *Plenitudo legis est dilectio.* & Ioan. 5.3. *Hæc est enim charitas Dei, vt mandata eius custodiamus.* Et quidem si tot annorum curricula tantorum laborum pondere & onere prægrauata, videbantur Iacobo dies pauci præ magnitudine amoris, quo prosequebatur Rachel, Genes. 29. 20. quid de Christi suaui iugo, atque onere leui, vtique de mandatis eius, quę grauia (vt ait Ioan. 1. Canonica cap. 5. 3.) non sunt, dicemus, respectu illorum qui toto corde, tota mente, atque ex omnibus viribus suis diligunt eum, vt diligi Deuter. 6. præcipitur?

D.Tho. 2.2. q.23. art. 5. & 6.

Ioan. 14.23.

Rom. 13.10.

Ioan. 5.3.

Gen. 29.20.

1. Ioan. 5.3.

Deut. 6. 5.

5. Deinde gehennæ metus, qui est timor seruilis, vtique timor pœnæ, adeò ad præcepta seruanda multus est, vt de eo dicatur Prouerb. 3. 7. *Time Dominum, & recede à malo. sanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio ossibus tuis.* & cap. 8. 13. *Timor Domini odit malum.* & cap. 15. 28. *Per timorem Domini declinat omnis à malo.* & Ecclesiastæ 7. 19. *Qui timet Dominum, nihil negligit.* & cap. 12. 13. *Deum time, & mandata eius serua.* & Ecclesiastici 2. 18. *Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius, inquirent quæ beneplacita sunt illi, & custodient mandata illius, & patientiam habebunt vsque ad circumspectionem eius.* & demum cap. 15. 1. *Qui timet Deum faciet bona.*

Prou. 3.7.

cap. 8.13.

cap. 15.28.

Eccle. 7.19.

cap. 12.13.

Eccli. 2.18.

cap. 15.1.

6. Scio ista & simillima elogia non de timore seruili, sed de filiali interpretaturos hæreticos Lutheranos, vtpote asserentes apud Bellarm. tom. 2. lib. 1. de pœnit. cap. 6. & lib. 2. cap. 17. solum timorē Dei filialem posse nos retrahere à peccato, & ad mandatorum adimpletionem adigere: eo quod solus procedit ex amore boni, & est timor de malo culpæ, prout est Dei offensa: non autem seruilis, qui tantùm est timor mali & peccati, non quidem prout malum Dei & offensa illius, sed prout malum nostrum, vtique prout habens annexum pœnæ malum, vel ipso Augustino authore, qui explicans illud psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas,*

Bellar. tom. 2. lib. 1. de pœn. cap. 2. & lib. 2. cap. 17.

Aug. sup. id psal. 118. cōcione 25.

sic concione 25. discurrit. Timor quo non amatur iustitia, sed timetur pœna, seruilis est, quia carnalis est: & ideo nõ crucifigit carnem. Viuit enim peccandi voluntas, quæ tunc appareret in opere, quando speratur impunitas: cùm verò pœna creditur sequutura, latenter viuit, viuit tamen. Mallet enim licere, & dolet non licere quod lex vetat, quia non spiritaliter delectatur eius bono sed carnaliter malum metuit, quod minatur. Fundamentum aliud Lutheranorum est, quod cùm nullus possit perfectè odio habere malum. v.g. morbum aut mortem, nisi priùs perfectè dilexerit bonum contrarium illi, vtique sanitatem & vitam; quoniam amor est prior odio: conuincitur non posse hominẽ perfectè odio habere peccata, nisi priùs perfectè dilexerit virtutem & iustitiam. A quo tamen longissimè distat seruili timore correptus, vt qui nõ amore iustitiæ, sed odio incommodi auersatur malum: & proindè timor seruilis non est satis ad vitanda peccata, & mandata implenda.

7. Nihilominus hæc tantũ probant, timorem seruilem gehennæ, alteriusve proprij incommodi perfectum neutiquam esse, sed imperfectum potiùs, & proprium imperfectorũ, quod apud omnes planè in confesso est. At neutiquam probant, non esse actum bonum, & maximi momenti, apud illos qui virtutis amore non allecti ad auersanda crimina, formidine tamen pœnę perculsi acriter execrantur illa, & longè fiunt ab eis. Constat enim id non minus laudabile esse, quàm longè fieri à decretorũ ciuilium transgressione intuitu declinandi pœnas aduersus trãsgressores taxatas, & quàm fugere colũbrum prõpter periculum. Vnde Ecclesiastici 21. 2. scriptũ est; *Quasi à facie colubri fuge peccatum*: vtique quia nocet, & animæ exitiosum est, vt coluber corpori. Et ideo cum præceptis ipsis simul Scriptura pœnas interminari solet, dicens Genes. 2. *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo morte morieris.* & Matth. 5. 22. *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* & cap. 18. *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Ad quid ergo tam stricta suppliciorum interminatio, nisi vt timore perculsi in officio contineantur fideles, iussis stando, & prohibita non transiliendo? Quare Concilium Triden. sess. 14. c. 4. timorem istum bonum, atque dono Spiritus sancti habitum & infusum proclamat. Quod etiam indicarunt Sancti à Bellarm. vbi suprà citati, agnoscentes gehennæ timorem esse remedium & obicem aduersus peccatũ. Quæ cùm Scripturæ verbis quæ induximus concinant, signum est quod illa de timore seruili intelligenda veniant.

Eccli. 21. 2.
Gen. 2.
Matth. 5. 22.
Matth. 18.
Trid. sess. 14. cap. 4.
Bellarm. vbi suprà.

8. Expectatio demum retributionis æternæ nõ minus ad præcepta valens & vrgens est. Siquidem dixit Dauid psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes*

Psal. 118.

Hier. sup. ps. 118.

Matth. 19.

ficationes tuas in æternum; propter retributionem, vtique (addit Hieronymus) æternam. Et Christus Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*: vtpote quod æternæ fœlicitatis amor impellit ad præceptorum custodiam, non secus ac intentio finis ad exequutionem mediorum. Vnde

1. Cor. 9. 23.

1. Cor. 9. 23. *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & ille quidem vt corruptibilem coronam accipiat, nos autem incorruptam.* Ex quo licebit coniicere quanto prolapsi sunt errore hæretici nouiores, qui (vt refert Bellarm. tomo 3. lib. 5. de iustificatione. c. 8.)

Bellar. tom. 3. lib. 5. de iustific. c. 8.

incusant tanquam omnino malum, quodlibet opus factum intuitu retributionis æternæ: cùm potiùs retributio æterna diuinitus proponatur nobis, vt amore tanti finis de mediorum applicatione tractemus. Quare

Trid. sess. 6. c. 11. can. 31.

Conc. Trid. sess. 6. c. 11. can. 31. hunc errorem anathemate ferit; & damnatum potiùs ab Innocentio III. refertur in

Direct. Inquisit p. 2. q. 9. & 10.

Directorio Inquisit. p. 2. q. 9. & 10. Quibus palàm patrocinatur ratio: siquidem cùm intentio comparandi gloriam bona & laudabilis sit, & illam non ab alio quàm à Deo sperare liceat; amare eum vt beneficũ, nobis omnino bonum est. Maximè cùm inde procedat studium seruandi mandata, à quorum obseruatione omnino pendet gloria: quia hoc tantùm vtimur ad commodum nostrum, & tanquam medium eligimus ad finem quem intendimus: Deum autem semper vt finem principalem habemus, in cuius potissimè gloriam (vt etiam Concilium vbi suprà vidit) nos & omnia nostra referimus.

Neque obstat (vt aduersarij obiiciunt) quod amare Deum propter vtilitatem nostram & commodum nostrum, potiùs sit amare nos ipsos quàm Deum: quoniam amamus Deum, non quidem propter se, sed propter nos. Quod tamen inordinatum videtur, vtpote quod nobilius, scilicet Deum, ordinamus ad ignobilius, vtique ad commodũ nostrum. Non inquam obstat: tum quoniam (vt habet D. Tho. in 3. dist. 29. art. 4. ad 2.) aliud est agere de obiecto amoris huius, quod est Deus, aliud autem de ipso actu amoris, ex quibus non illud, sed istum, id est, non obiectum, sed actum nostrum nostræ vtilitati subordinamus, imò illi tam actum nostrum, quàm nostram vtilitatẽ subiicimus. Tum quod licet Deum amatũ in nostrum commodum subordinaremus, non propterea inordinatè ageremus in illum: quia Deũ sic in nostrum commodum subordinare nihil aliud est, quàm eum in nostrum patrocinium & beneficentiam assumere. Quo pacto suprema sæpe ad inferiora ordinantur, vt incarnatio, vita, & mors Christi in salutem hominum: & spiritualia bona, vtique orationes, eleemosynæ, ieiunia, sacrificia Missarum, & similia, in aliquorum bonorum temporalium assequutionem, id est, conseruationem. v. g. vitæ, honoris, salutis, & substantiæ rei familiaris. Ex quibus non tantùm infertur, dilectionem Dei habitam intuitu remunerationis æternæ, bonam & proficuam esse

D. Tho. in 3. d. 29. art. 4. ad 2.

esse ad ingenerandum studium Deo in omnibus, & per omnia obediendi: verùm suo etiã modo dilectionem Dei habitam intuitu temporalium bonorum, quatenus à Deo sperantur per virtutẽ Theologicam spem, per quam etiam temporalia sperantur, quatenus ad æterna conducunt, vt videre est apud D. Thomam 2.2.q.17.

D. Tho. 2.2. q.17.

10. *Mox vt aliquid imperatum à maiori fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo,* &c. Hic duo notatu digna implicantur. Primum est, imperata facere. Secundum, vt maturè & incunctanter fiant. Quorum quodlibet ex dictis infertur: nam si omnia tam inanima quàm animata, quæ vniuersalis boni inclinatione reguntur, illud etiam contra proprias inclinationes, quando necessitas vrget, obseruant, vt patet in aqua mox ascendente sursum: & in homine, cuius tam interni quàm externi sensus, & adhuc externa ipsa corporis membra ad nutum voluntatis (quæ totius hominis inclinatio est) mouentur citissimè, nisi paralysi fortè, aliove simili morbo hæreant: consequẽs est, omnes nos Prælatorum voluntati addictos, aut debere illorum nutum & imperiũ promptè & sine mora exequi, aut fateri nos in religione languidos, & malignitatis ac procacitatis torpore enervatos esse: quod inciuile admodum & inglorium Monachis est, ne dicam sacrilegum.

11. *Vtrùm Prælati præcipiẽdo obligent sub mortali, necne.*

Sed obediendi obligationem expendamus, primò inquirentes, an omnia Prælatorum præcepta nos sub mortali, vel tantùm sub veniali, aut quomodo & qualiter obligent. Ratio autem dubitandi est, quoniam (vt Nauarrus, vir egregiè sanctus & doctus, notauit in Summa cap. 23. num. 50. & deinceps) penè nullum est verbum positum in aliqua lege, quod ex vi sua, & germana significatione denotet obligationem potiùs sub mortali, quàm sub veniali: nam ly *decernimus*, ly *præcipimus*, ly *mandamus*, & similes voces, tam legibus obligantibus sub veniali, quàm etiam sub mortali, communes & necessariæ sunt, aliàs leges non essent. Quod si hæc de legibus, quid de præceptis? Cæteris enim paribus, maior legum quàm præceptorum obligatio est; vtpote quod illæ communi semper bono consulunt, istæ verò non ita, sed plerumque particulari.

Nauarrus in Summa cap. 23.n.50.

12. *1. Conclusio.*

Pro explicatione igitur dicẽdum primò. Nisi materia præcepti ex aliquo capite grauis sit, non potest sub mortali obligare alicuius superioris præceptum. Sic Driedo libro 3. de libertate Christiana cap. 3. Castro lib. 1. de lege pœnali cap. 5. documento 2. Corduba in Summa q. 188. punct. 1. Azor. tom. 1. Institut. mor. lib. 5. cap. 6. q. 5. Bartholomæus de Medina 1. 2. q. 96. art. 4. & ibi Franciscus Suarez, & Gabriel Vazquez. Valentia 1.2.d.7.q.5. p.6. & alij. Ratio est, quoniam materia leuis non est capax malitiæ mortalis magis quàm peccatum leue. Vnde peccatum veniale ex genere repugnat fieri mortale. Et ideo vel ex ipsis præceptis Decalogi nullum est erga:

Driedo lib. 3. de libertate Christiana. cap 3.
Castro lib. 1. de lege pœn. c. 5. doc. 2.
Corduba in Summa. q. 183 punct. 1.
Azor. tom. 1. lib. 3. c. 6. q. 5.
Medina 1.2. q. 96. art. 4.
Valentia 1. 2. d. 7. q. 5. p. 6.

erga leuem materiam quod ad mortale obliget; vt patet in precepto prohibente leuia & officiosa mendacia, & iuramenta vana, licet vera. Quod si obiiciamus præceptum de ligno vetito primis nostris interminatum parentibus, de leui materia fuisse, vtique de non gustandis pomis illius, & tamen sub mortali obligasse. Respondendum est, materiæ grauitatem non tam ex quantitate illius, quàm etiam ex qualitate pensandam. Hæc autem qualitas multum ex circumstantiis, potissimè autem ex fine præcipientis dependet.

13. Etenim si Princeps, vel Prælatus aliquis maximè de aliquo sibi subdito meritus, intuitu, v.g. experiendi gratitudinem eius, & maioribus cum muneribus cumulandi, quæ tandem in bonum commune mitum in modum cederent; exigeret præcepto à subdito illo, vt leuaret, v.g. festucam, barbaramve fricaret, nec tamen faceret subditus, tunc mortalis criminis reus esset: non quidem ob arduitatem materiæ secundùm se sumptæ, sed prout tot támque miris ornamentis vestitæ, & circumseptæ. Quod certè in prælegato præcepto abstinendi à ligno euenisse exploratissimum est: vtpote quod ab eius obseruantia pendebat conseruatio immortalitatis interim concessæ Adamo, & iustitiæ originalis propagatio in omnes eius posteros.

14. Inde videre datur quantopere expediat statæ legis præceptiue circumstantias, & maximè illam quæ finis est, agnoscere: siquidem materia quæ ex se, & secundum se leuis apparet, his sæpe comitibus grauis redditur. Quocirca ratio legis diligenter inspicienda est; quoniam sicut absque ratione non est lex, quantumuis Principis consensus accedat, & voluntas inclinet. *Cap. Erit autẽ lex.* 4. ex Isidoro, & D. Tho. 1. 2. quæst. 90. artic. 1. ad 3. Castro lib. 1. de lege pœn. cap. 1. Soto lib. 1. de iustitia & iure. q. 1. art. 1. Menchaca lib. controu. illustr. cap. 50. sic rationis pondus & grauitas ex mensura ponderis & grauitatis, aut etiam leuitatis materiæ pensanda est. Quando autem ratio non attingitur, ex grauitate pœnæ potest diiudicari. Nam lex, v.g. quæ sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ fertur, proculdubio, si iusta est, sub mortali obligat. Et idem est de lege quæ præcipit actum, vel prohibet sub reatu vitæ, aut etiam mutilationis, aut præcisionis alicuius potissimi membri.

Cap. Erit autem lex. 4. D. Th. 1. 2 q. 90. a. 1. ad 3. Castro vbi sup. c. 1. Soto de iust. & iure lib. 1. q. 1. art. 1.

15. Dicendum secundò. Si materia præcepti grauis est, tunc præceptum necessariò obligat sub mortali, etiamsi præcipiens nihil tale intendat. Ita Victoria relectione de potestate ciuili. numero 9. Bellarminus tomo 1. libro 3. de Ecclesia militante. cap. 1. Mexia in Pragmatica panis. conclusione 1. numero 111. Aragon 2. 2. quæstione 62. articulo 3. Medina & Vazquez vbi sup. Salon 2. 2. quæstione 67. articulo 1. controu. 8. & alij. Ratio autem est, quia implicat transgressionem rei grauis prohibitæ grauem non esse, & proinde graue peccatum, atque

2. *Conclusio.*

Victoria de potest. ciuili. num. 9. Bellarm. lib. 3. de Ecclesia milit. c. 1. Mexia in Pragm. panis. conclu. 1. num. 11. Aragon 2. 2. q. 62. art. 3. Salon 2. 2. q. 67. art. 1. controu. 8.

adeò mortale: veniale siquidem graue non est. Inde enim aucupamur, quæ præcepta etiam ex diuinis, tam naturalibus quàm positiuis obligent sub mortali.

16. Scio conclusionẽ istam multos refragatores habere: vtique Nauarrum in Summa Hispanica cap. 23. n. 47. & Latina ibid. num. 49. Soto 1. de iustitia & iure. quæst. 6. artic. 4. Castro de lege pœnali lib. 1. cap. 5. docum. 4. Toletum in Summa, verb. Peccatum mortale. c. 19. num. 3. & 4. Sayrum nostrum in claui regia. lib. 3. cap. 3. q. 5. puncto 6. quæstiunc. 2. Abbatem Panormitanum nostrum cap. Nam concupiscẽtiam. de cõstitutionc. Caietanum in Sũma, verb. Præcepti transgressio. & alios. Qui dicũt, quod cùm sola volũtas superioris sufficienter inferioribus manifestata sit, quæ illos obligat in conscientia, iuxta quæ habet D. Th. 2. 2. q. 104. art. 2. ad 1. consequens est, vt quãtitas obligationis non possit excedere mensuram voluntatis Prælati: quia non potest effectus præstãtior esse sua causa, neque excedere virtutem illius.

Nauarrus in Sum. c. 23. n. 47.
Soto de iust. & iure. q. 6. art. 4.
Castro vbi suprà. lib. 1. cap. 5. doc. 4.
Tolet. verb. P. m. c. 19. n. 3. & 4.
Sayr. in claui reg. lib. 3. c. 7. q. 5. pũct. 6. quæstiunc. 2.
Abbas c. Nã concupis.
D. Thom. q. 104. artic. 2. ad 1. ex 2. 2.

17. At vellem ego percontari hos inclytos Patres, & mihi & omnibus maximè colendos, vnde adæquatè colligant, esse aliquot præcepta naturalia, diuina & positiua obligantia sub mortali, & alia sub veniali tantùm, nisi præcisè & nudè ex sola grauitate materię, vel etiã leuitate? Si enim materia est grauis, omnino dicũt quod sub mortali obligant, sin minus, quod sub veniali, nulla prorsus facta mentione intẽtionis aut cogitationis ipsius Dei ferentis leges. Quam tamen facere debuissent, si intentio legislatoris ad obligandum sic, vel aliter, magis aut minus, per se referret ad maiorem, vel minorem obligationem. Ex quo rursum argumentari liceret, nos tamdiu nescire, an res graues, quas prohibet Deus, vel etiam præcipit iure naturali necessario, aut positiuo liberè, obligent sub mortali, leues etiam sub veniali, aut hos magis minusve quàm illos, quãdiu non constiterit de mente & intentione Dei in parte ista. Quis enim citra reuelationem specialem scire poterit diuinam in hac parte intentionem: & an omnes, vel potiùs non omnes, sed tantùm aliquos in particulari voluerit sub veniali, aut etiam sub mortali obligare præceptis suis?

18. Idcirco dicendum est, quod licet in arbitrio legislatoris sit ferre, aut non ferre leges, præcepta & mandata, semel tamen lata non est illi liberum cõstituere quod obligent sic, vel aliter, non iuxta materiæ quam præcipit, prohibetve exigẽtiam. Quoniã de ratione præcepti est obligare iuxta mensuram & conditionem materiæ suæ, non autem iuxta mensuram mentis intentionisve præcipientis, dummodo sit illi præcipiẽdi voluntas, aliàs non erit præceptum, & proinde neque sub mortali, aut veniali obligans. Vt igitur nisi ignis cõbustibili applicetur, nullo modo generabit ignem; at applicatus semel non est in voluntate applicantis, vt maior minorve generetur, quàm pro quantitate qualitatéque combustibilis, pariter

riter in præsenti: siquidem tam proprium est præceptorũ obligare, quàm ignis ignire; & ita pendet obligationis mensura à mensura materiæ in præceptis, vt quantitas & conditio ignis à quantitate & conditione combustibilis.

19. *Vtrùm vbi plura sunt præcepta circa eandem materiam, plures sint rationes culpæ in transgressione.*

Inquirimus rursum, an quoties materia præcepti grauis est, & plurib. innodata præceptis, obliget tunc sub diuersis, an potiùs sub vna culpa. Ratio autem est, quoniam cùm de ratione præcepti sit obligatio in conscientia, videntur multiplicari obligationes in cõscientia, quotiens præcepta multiplicantur: & proinde esse plures culpæ mortales in transgressione præcepti v.g. audiẽdi sacrum in die festo, quando non solùm Ecclesia, sed etiã Prælatus fert illud.

20. 1. *Conclusio.*

Sed dicendũ primò, tunc tantùm diuersas conscientiæ obligationes intercedere, quãdo pro distinctis præceptis diuersæ rationes intercedunt motiuæ finalesve. Ratio est, quia tunc tantũ sunt distincta præcepta. Cùm enim ratio legis, hoc est, ratio propter quam stabilitur lex, sit de legis essentia, vbi tantùm est vnica ratio, ibi tantùm est vnica lex formaliter quidem & essentialiter, licet materialiter & indiuidualiter sint plures, iuxta pluralitatem numeralem earum, quæ tamen pluralitatem formalem non infert. Quare quotiens intuitu eiusdem virtutis id quod erat iure naturali prohibitum, aut præceptum, postea contingit prohiberi, aut præcipi humano iure, siue regio, siue pontificio, siue vniuersali, siue particulari; idẽ omnino est ac si vno tãtùm fuisset iure interdictum, aut decretum: & proinde violatio eius vnica tantùm culpa est, & vnica malitia, non plures.

21. Nec valet dicere cum aliquibus, violationẽ iuris positiui esse, propriè loquendo, inobedientiam, vtpote oppositam obediẽtiæ, quam tenemur Prælatis & magistratibus præstare: violationem autem iuris naturalis esse peccatum alterius speciei, vtpote tantùm oppositam alij speciali virtuti distinctæ ab obedientia; vtique iustitiæ, si est peccatum furti, vel liberalitati, si est peccatum auaritiæ. Non inquã valet; eo quod primum assumptũ falsũ est. Vt enim D.Th. docet 2.2.q. 104. art.2. ad 1. non pertinet ad specialem virtutem obedientiæ seruare præcepta, nisi quando & quatenus seruantur sub ea intentione & ratione quod à superiori præcepta sunt; & proinde neque violatio præcepti est peccatum inobediẽtiæ propriè & specialiter dictæ, nisi quando est cũ contemptu & per contemptum præcepti & præcipientis: aliàs in omni peccato. v.g. iniustitiæ, duplex distincta specie reperiretur malitia, altera inobedientiæ specialiter dictæ, propter violatum præceptũ; altera iniustitiæ, propter iustitiam, cui tale peccatum opponitur, & idem est de reliquis. Quo tamẽ nihil absurdius; eo quod præcepta non obligãt nisi ob ea quæ vel cauent, vel iubent, quæ cùm necessariò ad aliquam virtutem pertineant, per ordinem ad eam sumit speciem præcepti violatio. Vnde qui ieiunium quadragesimale

D.Tho.2.2. q.104 art.2. ad 2.

frangit, non propterea dicitur inobediens, sed intemperatus: quia præceptum illud non datur de obedientia, sed de temperantia, quamuis in omnibus præceptis includatur tanquam conditio generalis obedientia, quæ tamen non dat speciem actibus.

22. *2. Conclusio.* Dicendum secundò. Quotiés distincta præcepta habent obiecta & motiua adæquatè distincta, hoc est, rationes finales & fundamentales diuersas, tunc tot sunt in transgressione malitiæ adæquatè distinctæ, quot præcepta specie diuersa. Ratio est, quia cùm hic intercedant simpliciter & absolutè plura præcepta, per ordinem ad distinctas virtutes, necessarium etiam est interuenire plures obligationes, & proinde diuersas in transgressione malitias. Vti quia alia est obligatio in Monacho abstinendi à turpi congressu propter præceptum generale, quod prohibet illum, alia propter votum castitatis, quod vt Monachus vouit, duplex in turpi congressu intercedit malitia, altera incontinentiæ propter primam obligationem, altera sacrilegij contra votum.

23. Idem de eodem respectu voti obedientiæ asserit Gabr. Vazquez disp. 98. cap. 3. n. 7. dicens eum qui vouet obedientiam in religione, dupliciter peccare cùm transgreditur mandatum superioris, quod vērè mandatū est: quia ex hoc capite peccat contra virtutem, in quam tendit tale præceptum; & ratione voti peccat contra virtutem religionis, quæ obligat ad seruanda promissa facta Deo. At cùm votum obedientiæ non determinet materiam in particulari, magis quàm votum diligendi Deū super omnia, potiùs videtur circumstantia generalis ad omnia peccata contra regularia præcepta quàm specialis malitia. Per hoc enim quod quis in religione vouet obedientiam, solùm adigitur iurisdictioni superiorum illius religionis, vt prout illis, & quando illis conuenientius visum fuerit, præceptis adstringant eum ad materiam singularium virtutum. Quare præcepta ista potiùs sunt modificationes & determinationes illius obligationis & generalis subiectionis voti, quàm obligationes diuersæ. Sicut præceptum de diligendo Deo super omnia, non importat distinctam obligationē ab obligationibus aliorum præceptorum, quæ obligant in conscientia, quoniam illis seruatis seruatur simul illud; sed est quædam ratio obligationis eorū, quæ modificatur per obligationes particulares particularium præceptorum. Quod tamen in exemplo continentiæ posito non inuenitur; quia ibi expressè nuncupatur votum abstinendi à carnali concubitu; & obligatio ista ex voto per accidens omnino adiungitur illi, quæ est ex præcepto, neque vna est modificatio aut complementum alterius. Et ideo vbique hic agnoscitur duplex malitia, non verò illic.

Datur nihilominus casus, 24.
quando obedientia in Monacho sit actus religionis, vtpote quando imperata facit intuitu voti quod obediendi emisit. Et tunc

si præ

si præceptum quod implet, respicit aliquam aliam singularem virtutem, actus obedientiæ erit duplicis virtutis specie decorus. Et datur similiter casus, quando inobedientia duplicem malitiæ contineat speciem, vtique quando præceptum violatur ex contemptu voti obedientiæ præstiti: tunc enim sacrilegij intercedit malitia, simul cum illa quam habet præcepti impositi contra singularem virtutẽ transgressio. Quod etiam contingit in præcepto diligẽdi Deum super omnia: licet enim sit circumstantia generalis ad omnia peccata, tamen actus qui fit sub ratione dilectionis diuinæ, vt sæpe fit actus eleemosynæ, habet duplicem bonitatem, vtique liberalitatis & charitatis. Et actus malus qui fit ex odio, vel tædio Dei, duplicem malitiam sortitur: aliàs vnam tantùm. Hæc de præceptorum obligatione.

25. De modo autẽ exequẽdi illa, id nõbis sedulò iniungitur, vt non serò fiant, sed illicò, propter illud psal. 17.45. *Ob auditũ auris obediuit mihi.* Sic enim Ambrosius ibi, & August. tam ibi quàm lib. 17. de ciuitate cap. 16. legũt, vbi nos, *In auditu auris obediuit mihi.* Vtrumque tamen in idẽ recidit, quia sensus est, imperium & obsequium simul esse debere, nec morã in obediendo fieri. Et iure quidem: quoniam si quæ nos petimus, & suppliciter efflagitamus, volumus vt non tãtùm prosperè, sed etiam properè & incunctãter fiant, dicẽtes vel ipsi Deo, non solùm, *Deus in adiutorium meum intẽde*; sed etiã, *Domine ad adiuuãdum me festina:* cuius gratia potuit ipse apud Esaiam cap. 5. 19. dicere; *Dicitis, festinet & citò veniat opus eius, vt videamus.* Si igitur nos id cùm miseri petimus, quid dũ nobis aliquid strictè à maiori præcipitur? Præsertim quod ad impetranda prosperè postulata à nobis nihil conducibilius apparet, quàm præcepta properè adimplere: quoniam celeritas ista vrget vehemẽter illam. Vt enim orando Dominũ dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, scientes quod refert dimittere, vt nobis dimittatur, & Deũ sic præuenire & antecedere, vt nos eius cõdonatio sequatur: sic obedientiam nostrã nos præstolari expedit, vt sic misericordias illius quantum in nobis est præstolemur: quia in qua mensura mensi fuerimus, remetietur nobis. Vnde Zachæus, quoniã festinè descẽdit, festinusque in domũ suam ingressus est, iuxta præceptũ Christi, festinè etiam ab illo gratiam & misericordiam accepit. Quod versans Bernard. Ser. 2. de Sãcto Andrea ait. Vis audire perfectę obediẽtię formã? Vidit Dominus (ait Euãgelista) Petrum & Andreã mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Faciam (inquit) de piscatoribus piscatores, imò & prædicatores. At illi continuò nihil diiudicantes, aut hæsitantes, non soliciti vnde viuerent, non considerantes quonã modo rudes homines & sine literis prædicatores fieri possent, nihil denique interroganres, sine omni mora relictis retibus & naui secuuti sunt eum.

Esaiæ 5.19.

Psal. 17.45.
Ambros. sup. psal. 17.
Aug. 17. de ciuit. cap. 16.

Bern. Ser. 2. de Sancto Andrea.

Agnoscite, fratres, quoniam propter vos scripta sunt hæc, vt discentes veræ obedientiæ formam, castigetis corda vestra in obedientia charitatis. Magni igitur refert obedientia sine mora.

26. Vnde verbum Domini est apud Matth. 7. 14. *Angusta est via quæ ducit ad vitam.* Quod adeò verum est, vt Christus ipse non solùm (quod aiunt) iunctis in Cruce pedibus, hoc est, suppositis, seu superpositis, vnoque clauo transfixis, incesserit per eam: sed etiam D. Bartholomæus, vt expeditiùs illam posset transcurrere, pellem exuerit: Lucia oculos, Agatha mammillas, Martinus Episcopus pallium, Apostoli omnia deposuerint. Et saluandi quique veterem expoliare tenentur hominem. Colossen. 3. 1. & quotquot verè Monachi patrem suum & matrem relinquere, quinimò & seipsos, scientes quod Christum sequuturi, seipsos abnegare debent, hoc est, propriam voluntatem abiicere, & superiorum nutibus parere: vt paruit Christus ipse hic inductus dicens: *Descendi de cælo, non vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Ioan. 6. 38. Et iterum ad patrem in horto; *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Lucæ 22. 42.

Matth. 7. 14.

Ioan. 6. 38.

Lucæ 2. 42.

27. Et quidem (vt Bernardus Ser. 3. de Resurrectione notauit) non quia voluntas Christi non esset bona, voluntati patris cessit, ex quo enim erat voluntas Christi, non poterat non esse optima; sed quia melior erat patris voluntas, vtpote planè diuina, & nullo modo humana. Propter quod dum exhortamur nostras voluntates abiicere, non ideo fit, quasi omnis nostra volitio improba videatur, apage, sed quia tutior illa & planè consultior, quæ prudentum superiorum est: vtpote nostris semper vigilantium commodis & profectibus, quasi qui rationem pro nobis (vt inquit Paulus Heb. 13. 17.) sint reddituri. Nihilominus quia id graue cuique & strictissimum est, ideo de stricta via hic inducitur sermo, quasi dicatur, stricta hæc obedientiæ via ad strictam vitæ viam necessaria est, & proindè neque execranda, nec declinanda, sed tenenda potiùs: ita vt (quod ait hic textus) Monachi non suo arbitratu viuentes, vel desideriis suis, vel voluptatibus obedientes, sed alieno iudicio ambulãtes, Abbatem sibi præesse desiderent, Dominum imitantes qui dixit, *non veni facere voluntatẽ meam.* Etenim cùm regnum cælorum vim patiatur, adeò vt violenti rapiant illud, Matth. 11. 12. imò non nisi violenti, violenti autem sint illi, qui contra inclinationem propriam perpetiũtur alienam: ideo ad introitum regni obedientiæ obsequium sacrificiumque omnino necessarium est.

Heb. 13. 17.

Matt. 11. 12.

28. *Hæc ipsa obedientia acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus, si quod iubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure, vel cum responso nolentis efficiatur.* Hic obedientiæ perfectæ proprietates traduntur. Quarum prima est, *non trepidè*, hoc est, non timidè, & quasi præ timore obedire, sed intrepidè potiùs, fidenter atque audacter: vtpote

Bern. Ser. 3. de Resurrect.

quod

.20.28. quod scriptum est Prou.20.28. *Vir obediens loquetur victorias.* Trepidantium autem quis vmquam victorias cecinit? Secunda est, *non tardè*: vtpote quod in auditu auris obediendum est. psal. .107.1. 17. Vnde Dauid psal. 107. *Paratum cor meum Deus, paratum cor* .118. *meum.* & psal. 118. *Paratus sum & non sum turbatus, vt custodiam* Titum 3. *mãdata tua.* Et Paulus ad Titum 3. *Admone illos dicto obedire; ad omne opus bonum paratos esse.* Tertia item, *non tepidè.* Tepidum siquidem euomit Dominus, *quia tepidus es, incipiam te euomere de* oc.3.16. *ore meo.* Apoc. 3.16. Quare viriliter obediendum est, & huius gratia dictum; *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui* al. 30.25. *speratis in Domino.* psal. 30.25. Obediens autem multa sperare in Domino, & à Domino debet; cùm scriptum sit Deuteronomij 11. *Propono vobis benedictionem, si obedieritis.* & Ierem. 11.4. *Facite quæ præcipio, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in* .15.14. *Deum.* & Ioan. 15.14. *Vos amici mei eritis, si feceritis quæ præcipio vobis.* Quarta præterea, *sine murmure.* Quæ sanè est illa ad Philip. 2. 14. Philip.2.14. *Omnia facite sine murmurationibus, & hæsitationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij* Corint.10. *Dei.* & illa de qua 1. Corint. 10. *Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* & Iacobi 1. *Qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur.* Quinta denique, *vel cum responso nolentis*, vtiq; aut fastidiosè obtrectando vel oganiendo fiat. Etenim vt 1. Reg. Reg.10. 10. *Filij Belial dixerunt: num potest iste saluare nos?* & alij Lucæ 19. 19. *Nolumus hunc regnare super nos.* & Iudæi in Christum; *Non habemus Regẽ nisi Cæsarem.* Ioan. 19. vtpote quod *vir vanus* (vt dicitur Iob. 11.) *in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat.* Sic non desunt alij qui non humiliter, simpliciter ac demissè, sed exacta priùs rei imperatæ ratione, & ad vnguem discussa, & examinata, ad obtemperandum procedunt, & adhuc non sine argumentis, querelis & hæsitationibus: cùm tamen exemplo Christi tenerentur, etiamsi ad occisionem ducerentur, non aperire os suũ, præsertim si Monachi, vtpote quos debent Prælati velut oues ducere, vt Deus duxit velut ouem Ioseph, & qui verè populus ille est, quem Deus sicut oues ducit.

29. Hanc autem obedientiam tot ornamentis amictam textus Deo gratam, & hominibus prædicat dulcem dicens; *Hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, & dulcis hominibus.* Et iure quidem, quoniam scriptum est Prou. 1. Prou.1.33. 33. *Qui me audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato.* & Esaiæ 1.19. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Esaia 1.19. & Matth. 16.25. *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam, & in vitam æternam custodit illam.* Matt.16.25. Quæ omnia in Deo gratiam, & voluptatem̃ referunt in hominibus, quibus labor etiam improbus, diuturnusque insuauis non inuenitur, si modò eum debita præmia non fallant.

30. *Quia obedientia quæ maioribus præbetur,*

præbetur, Deo exhibetur, &c. vsque ad finem capitis. Hæc est ratio ob quam est obedientia Deo acceptabilis. Cùm enim omnis potestas à Domino Deo sit, & cum illo sit semper, consequens est, vt sicut qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, sic qui potestati paret, Dei ordinationi subseruiat. Ratio autem est, quia (vt D. Thom. 2.2. quæst. 104. art. 1. habet) sicut in rebus naturalibus superiora mouent inferiora ad suas actiones propter excellentiam virtutis collatæ diuinitus, sic in rebus humanis oportet quod superiores moueant inferiores per suam voluntatem, ex vi authoritatis diuinitus ordinatæ. Mouere autem per rationem & voluntatem est præcipere. Quare qui libenter obtemperant, vt obtemperauit qui dixit; *Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei qui in cælis est*, Ioan. 14. 34. gratum & valde gratum se facere Deo sciant, nam si datorem hilarem ipse diligit, 2. Corint. 9. etiamsi calicem aquæ frigidæ donet; quid qui totum seipsum, hoc est, voluntatem suam alacri manu tribuit, & illi per omnia substernit? Qui verò secus faxit, iram Dei sibi conciliat; quoniam (vt dixit ipse 1. Reg. 8.) *non te abiecerunt, sed me.* & rursum: *Qui vos spernit, me spernit.* Matth. 10. 10. Et ideo Heb. 2. testatum habemus, *Omnis prævaricatio & inobedientia accipiet iustam mercedis retributionem.* Grande ergo inobedientiæ malum, econtrà verò grande obedientiæ bonũ.

D. Tho. 2.2. q. 104. art. 1.

Ioan. 14. 34.

1. Reg. 8.

Matt. 10. 10.
Heb. 2.

De Taciturnitate.

CAPVT VI.

FACIAMVS quod ait Propheta: Dixi, custodiam vias meas, vt nõ delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam: obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Hic ostendit Propheta si à bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet taceri: quanto magis à malis verbis, propter pœnã peccati debet cessari? 2 Ergo quamuis de bonis & sanctis ad ædificationem eloquiis, perfectis discipulis propter taciturnitatem rara cõcedatur licentia: quia scriptum est; In multiloquio non effugies peccatum. Et alibi; Mors & vita in manibus linguæ. 3 Nam loqui & docere Magistrum condecet, tacere & audire discipulo conuenit. Et ideo siquæ requirendæ sunt à Priore, cum

omni

omni humilitate, & subiectione, & reuerentia requirantur, ne videatur plus loqui quàm expedit. 4 Scurrilitates verò,& verba otiosa & risum mouentia æterna clausura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus.

1. FACIAMVS *quod ait Propheta.* &c. Innumera sunt taciturnitatis bona,vt etiã innumera garrulitatis mala: quare hic inducitur illa, hęc verò interdicitur. Etenim vbi scriptũ est Prou.13.3. *Qui custodit os suũ.custodit animã suam* ibi etiã scribitur; *Qui autẽ inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Item vbi legimus Prou. 21. 23. *Qui custodit os suum & linguam suam.custodit ab angustiis animam suam,* legimus etiam ; *lingua autem quæ immoderata est, conteret spiritum.* Ratio tanti discriminis ex parte taciturnitatis est, quod (vt habetur Esaiæ 32. 17.) *Cultus iustitiæ silentium.* Hoc est, virtutum omnium cultus,ornamentum, veneratio, religio,obsequium , amor & honor, item cultura & exercitatio , silentium est. Hæc enim omnia & pleraque alia significat ly *colere,* & ly *cultus.* Vnde Bernardus epist.89. appellat silentium matrem & nutricem virtutum : & Gregor.3. parte past.admon.15. ait. Cultus iustitiæ silentium; quia mens à iustitia desolatur, quando ab immoderata loquacitate non parcitur.Et Ambros. in psal. 38. silentium & patientiam inter maxima virtutum fundamenta iacit. Vnde Petrus Damianus epist. 130. perpendẽs & exponens id quod 3.Reg.6.7. dicitur, vtique quod malleus,& securis , & omne ferramentum non sunt audita in domo Domini,cùm ædificaretur,inquit. Templum quippe Dei per silentium crescit, quia cùm mens humana per exteriora se verba non diffundit,in sublime fastigium spiritalis ædificij consurgit : custos enim iustitiæ silentium est.

Prou. 13.3.
Prou. 21.23.
Esaiæ 32.17.
Gregor. 3. *p. past.adm.*15.
Ambros. in psal. 38.
Petrus Dam. epist. 130.

2. Ratio esse potest , quod vt Prou. 10.19.dicitur ; *Qui moderatur labia sua.prudentissimus est.* & cap.17.27. *Qui moderatur sermones suos , doctus & prudens est.* & Eccli.20. 5. *Est tacens & ipse prudẽs.* Cùm igitur vniuersæ virtutes sint cõnexæ in prudentia. 1.2.q.65.art.1.vtpote quod prudentia definitur ratio agibilium. 6.Ethic.5.cõsequens est,taciturnitatem esse omnium virtutum radicẽ,vtpote eximiè prudẽtem. Inde Seneca epist. 86. Qui prudens est,temperans est;qui tẽperans est,constans est;qui cõstans est,imperturbatus est;qui imperturbatus est,sine tristitia est ; qui sine tristitia est,beatus est ; Ergo prudens beatus est.Ob id etiam Esaiæ 30.15. *In silentio & spe erit fortitudo vestra* ; quia hic omnis virtus.

Prou. 10.19.
*Cap.*17.27.
*Eccli.*20.5.
Arist. 6. Ethic. cap. 5.
Seneca epist. 86.
Esaiæ 30.15.

3. Exemplo nobis sit Maria Virgo,de qua vtpote gratia plena, & omni virtutum genere cõspicua,sic argutus ille pariter atque pius Ludouicus Viues libro 1.de Christiana fœmina. Exemplar taciturnitatis honestæ dixa Maria Virgo.Cedo quàm multa legis Mariæ verba in tota quatuor

Ludou. Viues libro .. de Christiana fœmina.

Euangeliorum historia? Intrat ad eam Angelus, & paucis verbis tanti mysterij nuntium absoluit, iisque sapientissimis & sanctissimis. Visit Elisabetham, loquitur, vt Deum laudet. Parit filium Deum, celebratur ille ab Angelis, adoratur à pastoribus, mater tacet, conseruans omnia quæ ab illis dicebantur, cõferens in corde suo. Adoratur à Magis, qui procul cò venerant; quid ipsam legis loquutam? Alia forsan de illa regione fuisset percontata de opibus, de sapientia illorũ, de astris, ipsa, quod teneram decebat Virginem, muta semper. Offert filium in Templo, & vaticinantem de illo Simeonem tacita audiuit. Rogasset alia eorum quæ dixerat rationem & modum. Vertit sermonem ad Virginem Senex de filio; Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt aperiãtur multorum cordium cogitationes. Alia mulier, quãdo, quomodo, & vbi futurum, esset scisitata; ipsa nihil legitur dixisse. Amittit charissimum filium Ierosolymis, quæsitum tribus diebus, tandem inuentum, quot verbis compellat? Fili quid feciſti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Natu iam grandior, in nuptiis, tantùm illum admonet, fili, vinum non habẽt. Ad Crucem omnino elinguis, nihil ex filio quærit, cui se relinquat, quid moriturus mandet, quod in publico loqui non didicerat. Hanc virgines, hanc fœminæ omnes imitentur, paucilo-

quam quidem, sed ad miraculum sapientem. Hactenus prædictus Doctor.

Idcirco Ecclesiastici 19.1. habetur: *Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam*; vtpote quod virtutum accessus, vitiorum exitium & exterminium est. Propter quod à die quo peccatrix illa ad melioré frugem se recepit, taciturnitati se dedit, adeò vt nec verbis, sed gemitibus, suspiriis, singultibus, & lacrymis peccatorum veniã petierit, Lucæ 7. Et sorori de ipsa conquerenti quod eam non adiuuaret, nihil respõdit, Lucæ 10. discipulosque indignè ferentes effusionẽ vnguenti, & contra eam frementes tacita pertulit. At Dominus pro ea respondit, & eam vbique defendit, Matth. 26. Marci 14. Et mulier in adulterio deprehensa, coram Domino accusata, tacuit. Dominus autem pro ea loquutus est, & eam absoluit, Ioan. 8. Hæc igitur ratio discriminis ex parte taciturnitatis.

4.

Luce 7.

Luce 10.

Matth. 26.
Marci 14.

Ioan. 8.

Ex parte autem garrulitatis hæc à taciturnitate distinctionis est ratio, quod sicut taciturnitas est mater virtutum, sic ex aduerso garrulitas vitiorum, Iacobo dicente cap. 3.5. *Lingua ignis est, & vniuersitas vitiorum.* Nec mirum sanè, quoniam vt habet Salomon Prou. 25.28. *Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu, sic vir qui non potest in loquẽdo cohibere spiritum suum.* Constat autem quod patens & nullis obsessa muris vrbs, amicis exitum, inimicis autem aditum absque vlla difficultate ministrat: exposita enim est, & expedita, non tantùm irreptioni hostium,

5.

Iacobi 3.5.

Prou. 25.28.

stium, quæ latens & per insidias est, verùm & apertissimæ incursioni. Vnde Num. 19.15. dicitur: *Vas quod non habuerit operculum, immundum erit*, & Iob. 21.5. præcipimur supponere digitum ori nostro. Et Ambros lib. de Cain & Abel cap. 9. monet. Claudamus oris ostium, ne culpa intret. Culpa inquam illa quæ multiplex vel omnis est: vtpote dicente Bernardo Serm. de triplici custodia. Quis sanè numeret quantas modicum linguæ membrum contrahat sordes, quàm multiplex in labiis incircumcisis immúditia coaguletur, & quàm sit grauis pernicies oris incircúcisi? Sed de his nos aliqua paulo inferiùs. Quibus planè cõstabit, quanto iure dictum sit Prou. 10. 21. *In multiloquio non effugies peccatum.* Quapropter Dauid non tantùm aiebat: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis*, psal. 140.3. sed quod hic in fronte capitis inducitur; *Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea*, psal. 38. 1. Id est, non tantùm linguã aduersus loquacitatem, verùm & vias ipsas, quæ aditum garrulitati præbent, & occasiones & ansulæ ad loquendum sunt, diligẽter præcludam, præscindam, & muniam à longè, & quasi præsidio obstruam, excubiasque agã semper. Vnde subiecit; *Posui ori meo custodiam: obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.* Ostendens per hæc (ait hic legifer noster) quod si propter taciturnitatis bonum, aliquando à bonis tacendum est, quanto magis à malis abstinendum verbis propter peccati mulctam & noxam?

Num. 19.15.
Iob. 21.5.
Ambros. lib. de Cain & Abel cap. 9.
Prou. 10.21.
Psal. 140.3.
Psal. 38.1.

2 *Ergo quamuis de bonis & sanctis ad ædificationem eloquiis*, &c. Sensus est: ob taciturnitatis bonum, rara ad loquendum, etiã optima, honesta, & pulchra, Monachis etiam perfectis licentia tribuatur. Durum nimis & acre videtur institutum hoc; quoniã si Dauid exquo vbi suprà dixit, *silui à bonis*, subiecit illicò, *& dolor meus renouatus est. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*: vtpote quod sicut dicitur Iob. 4.2. *Conceptum sermonem quis poterit sustinere*? Maximè si igneus vel ignitus est, siquidem, vt ait Salomon Prouerb. 6.27. *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, quin vestimenta eius ardeant*? Eloquia autem Domini ignita sunt, dicente eodem psalmographo psal. 118.40. *Ignitum eloquium tuum vehemẽter*; & ideo taciturnus ipse Dauid æstuabat, & ardorem repressi sermonis ægrè ferebat. Si igitur id Dauid ignito sermone concepto, quid homunculi nos? Certè adeò graue est silere à bonis, vt vel Ieremias Propheta statuens penes se non diu loqui, quià tamen sermo conceptus igneus erat illi, illicò in loquelam proruperit. Etenim cap. 20.9. dicit: *Non recordabor eius, neque loquar vltrà in nomine eius.* (vtique in nomine Domini) *& factus est in corde meo quasi ignis æstuans, claususque in ossibus meis: & defeci, ferre non sustinens.* Imò, quod notauit D. Thomas sup. psal. 38. ipse Dauid postquã tacere proposuit dicens vers. 2. *Posui ori meo custodiam*; exquo tamen silendo à bonis concaluit intra se cor eius, subdidit,

Prou. 6.27.
Ierem. 20.9.
D Tho. sup. psal. 38.

loquutus sum in lingua mea. Durum ergo valde est non nisi rarò Monachis etiam perfectis licentiam præstare loquendi, etiam perfecta & inclyta.

7.

Nihilominus cùm Ecclesiastici 32.10. scriptum sit: *Adolescens loquere in tua causa vix.* (notate verba.) *Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, sed audi tacens.* Si igitur id ibi, quid mirum si hoc nobis hic? Deinde, cùm omnes ad loquendum tardos velit Iacobus dicens cap. 2. 19. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*; quid mirum si præceptor noster taciturnos suos Monachos optet? Item si, vt idem Iacobus cap. 3. 8. inquit, *linguam nullus hominum domare potest:* vtpote quod Prouerb. 16. 1. dicitur; *Domini est gubernare linguam.* Vnde August. Serm. 30. de verbis Domini. Intelligamus, charissimi, si linguam nullus homo domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram. Igitur si ad Deum pro frænanda lingua confugiendum est, quid mirum si Dei ministri taciturnitatem commendent, silentiumque nobis imponant? Non quidem à leuibus, aut etiam reprehensibilibus, & omnino cauendis sermonibus: hi enim naturæ præceptis cauti & interdicti sunt; sed etiam à bonis & vtilibus. Vt enim vinculis carcereque domantur inquieti, qui motu gaudent: sic silentio lingua quæ loquacitate laborat. Silentio autem, non quidem perpetuo, æternove, aliàs non tam domare linguam, quàm eneruare esset, & ferè belluinam facere, vtpote quod manducationi tantùm, non verò loquutioni inseruiret; sed diuturno potiùs, ita vt loquendi licita concedatur, licet rarò authoritas. Semel autem sic edomita lingua, leue illi est silere à bonis: siquidem ab assuetis non fit passio, quin potiùs passio est, & quidem durissima, assueta relinquere. Cui autem diuturnum à bonis non erit gratum silentium, quo tandem in taciturnitatis naturam, & præstantiam deueniendum est, & à garrulitatis periculo lõgissimè eundum? Æquum ergo & sacrum hoc institutum est.

Ecclí. 32.10.

Iacobi 2.19.

Idem 3.8.

Prou. 16.1.

Aug. Ser. 30. de verbis Domini.

8.

His subiiciamus lubricitatem linguæ, cui tot tamque acerba mala affinia sunt, vt propterea Iacobus cap. 3. 5. dixerit illam ignem magnam incendentem syluam. Et Nazianz. Oratione de silentio dicit. Nulla res est quæ maiorem pernicie afferat quàm lingua. Equus est perpetuo cursu mentem inuertens, telum promptissimum ac paratissimũ, sagitta in arcu est. Alia quàm simillima Patres simillimi. Quæ omnia sacris concinunt Scripturis, in quibus legitur: *Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore eius, & non est stimulatus in tristitia delicti.* Ecclesiastici 14. 1. & cap. 23. 20. *Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum; est enim in illa verbum peccati.* Maximè autem quod hic ex Prouerbiorum 10. inducitur: *In multiloquio non effugies peccatum.* & ex capite 18. 21. *Mors & vita in manibus linguæ*: vtique quoniam

Iacobi 3.5.

Nazianz. Orat. de silentio.

Eccli. 14.1.

Cap. 23.20.

Prou. 10.

Cap. 18. 21.

niam ſcriptum eſt; *Ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Et quidem cùm multa ſint peccata linguæ, vtique vaniloquium, murmur, iactantia, adulatio, detractio, mendacium, falſum teſtimonium, petiurium, blaſphemia, maledicentia, irriſio, multiplex eſt peccatum multiloquio annexum. A quibus tamen omnibus vna taciturnitatis (vt præter Auguſtinum in pſal. 38. vidit Laurentius Iuſtin. lib. de diſciplina cap. 5.) diſciplina defendit: ſola ſiquidem taciturnitate vitantur. Antidotum autem adeò inclytum aduerſus tot dira mala, quis non benignum ſentiet, & placidum reputabit? Vide ſequentia.

Aug. in pſal. 38.
Laur. Iuſtin. lib. de diſcip. cap. 5.

9. 3 *Nam loqui & docere Magiſtrum condecet, tacere & audire diſcipulo conuenit.* Hoc nos docet elogio Pater ſanctiſſimus, quod præcedenti decreto de ſpontaneis tantùm, non verò de neceſſariis loquutionibus egerit. Exquo enim dicit quod docere conuenit Magiſtro, tacere & audire diſcipulo, & quod reuerenter petamus à Priore quæ expediunt, innuit quod loquendi licentiam non tollit, ſed offert omnibus, quibus loquutioni operam dare expedit, vt expedit Magiſtro, & Monacho petituro aliquid à Prælato, & ſimilibus. Quare quoties aliquis loquendi, etiam abundè, prudenter tamen, neceſſitate laborat, eodem, imò potiori quàm Magiſter poterit iure loqui, & loquendi licentiam petere: vt ex more petimus nos dicendo maiori qui adeſt, *Benedicite*, vt ſic de licentia illius ac de benedictione loquamur, non verò aliter, neque alio modo.

Sed quid ſi petita negatur? repetere, & repetendo inſtare. Et adhuc procaciter denegatam omnino repetere, nullo autem modo præripere; niſi tam ſtricta vrgeat aliquando neceſſitas, vt iure ad loquendum cogamur. Saltem enim tunc militat Nazianz. illud Oratione de moderatione in diſputat. ſeru. Loquere ſanè, ſi quid ſilentio melius & excellentius habes. Tunc enim loqui opportunius & ſalubrius eſt quàm ſilere: lex enim naturæ ſoluit linguam, vt loquatur mutus, quem obturauit Prælatus. Et adhuc illi cum omni humilitate & ſubiectione, reuerentérque loquendum eſt, prout hic textus iubet, & ſancit, dum ait. *Ideo ſi quæ requirenda ſunt à Priore, cum omni humilitate, & ſubiectione, & reuerentia requirantur.*

10.

Nazianz. Oratione de mod. in diſp. ſeru.

11. 4 *Scurrilitates verò, & verba otioſa & riſum mouentia aterna clauſura in omnibus locis damnamus.* Hoc eſt grauius huius capitis onus. Itane Monacho numquam ridere licet? numquam ſodales ſalibus refricare ſuis? O lugubrem mœrentémque vitæ cõditionem Monachi! Quod enim facetiis non affluat, nec ſeſe in iocos effundat, ſacrum & diuinum eſt: præſertim in illos qui dicteria ſunt, ſpecie iucunda, argutia tamen & mordacitate plena: pro quibus eſt illud pſalmi 54. *Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.* Et de quibus Plin. lib. 4. c. 22. iucundum nefas. Et Ambroſ. lib. 1. offic. cap. 22. Incrementa gratiæ

Pſal. 54.
Plin lib. 4. cap. 2.
Ambroſ. lib. 1. off. c. 22.

Seneca de vita beata. *Laërtius.*

næuo offensionis respersa. Seneca de vita beata, venenatos sales. Et ante omnes Laërtius.

Medio de fonte leporis,
Surgit amari aliquid, quod in
ipsis faucibus angit.

Quod igitur ab his abstineat, longéque fiat Monachus; sacrum est. At omnem etiam venusti, modesti, & grati risum à Monacho relegare, & verba ad illum prouocantia interdicere, & æterna clausura damnare, rigidum & insuaue prorsus institutum est, & maximè contrarium illi de quo cap. 4. instrum. §5. vbi nos specialiter num. 198. illius capitis. Et fortè cùm passio ridendi naturalis homini sit, qui magis obstiterit ei, minus cuincet, Aristotele 7. Ethicorum dicente. Risum qui continere obluctantur, accumulatum effundunt.

Aristot. 7. Ethic. c. 7.

12. At si licentia loquendi bona & sancta, atque ad ædificationem vtilia, rarò Monachis etiã perfectis concedenda est, vt ex præcedentibus in isto capite liquet: quid mirum si prorsus illis risus interdicatur, & verba ad illum prouocantia illis omnino denegentur: cùm risus ad ædificationem non sit, neque simpliciter ad vitam necessarius, sed tantùm ad melius? Quod si aliquando oppositum videbitur, vt fortè videtur nunc ob imbecillitatem naturæ, qua cuncti laboramus, & ob quam laxamentis ferè vt alimentis egemus, ac medicamentis: idem de licentia ridendi dicendum est, quod de loquendi licentia paulo antè diximus num. 10. modò risus venustus modestúsque sit. Cachinnosus autem & immodestus neque ad simpliciter, neque ad melius conducere potest, sed semper ad peius. Quoniam si stultus est, non qui ridet, sed qui in risu exaltat vocem suam, non omnis risus, sed nimius in vitio est. Et hoc est quod cap. 4. instrumento §5. indiximus. Nullus autem risus in consilio est, qualis de Christo Domino, & aliis refertur. Nec propterea mœrens, lugubrísque vita illius. Quoniam risus, licet sit aliqua voluptatis species, at non omnis: citra risum enim oblectantur homines obtentu bonorum quæ cupiunt aut sibi, aut suis. Et vt dicitur Prouerb. 10. 28. *Expectatio iustorum lætitia.* Et dum anima iusti renuit consolari, exquo tamen recordatur Dei, delectatione perfunditur.

Prou. 10. 28.

De hu

De Humilitate.

CAPVT VII.

1 CLAMAT nobis Scriptura diuina, fratres, dicens: Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Cùm hæc ergo dicit, ostendit nobis, omnem exaltationem genus esse superbiæ. 2 Quod se cauere Prophera indicat dicens; Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me. Sed quid? Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam, sicut ablactatus est super matre sua, ita retribues in animam meam. 3 Vnde, fratres, si summæ humilitatis culmen volumus attingere, & ad exaltationem illam cælestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter peruenire, actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est, quæ in somno Iacob apparuit, per quam ei descendentes Angeli & ascendentes monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille, & ascensus à nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere, & humilitate ascendere. 4 Scala verò ipsa erecta nostra est vita in seculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad cælum: latera enim eiusdem scalæ nostrum dicimus esse corpus & animam, in quibus diuersos gradus humilitatis, vel disciplinæ vocatio diuina ascendendos inseruit.

1. CLAMAT *nobis*, &c. Proœmio infit caput hoc, in quo de virtute humilitatis, déque gradibus eius sermo est. Quæ cùm opposita sit superbiæ, diuersos omnino effectus, affectúsque habet. Etenim superbia appetit excellentiam & exaltationem, & circa hæc versatur; parit nihilominus abiectionem, contumeliam, atque ruinam: humilitas autem in abiectionem, per oppositum, & prosternationem propendet; parit verò exaltationem & gloriã, vel ipsa Scriptura dicente, prout hic textus habet; *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur*. Lucæ 14. 11. Ex quo Doctor sanctissimus infert, *Luc.* 14. 11.

fert, omnem exaltationem (vtique illam qua se quisque temerè extollit) esse superbiæ genus. Quod adeò verum est, vt definiens Cyprianus superbiam lib. 1. epist. 3. esse dicat exaltationem, inflationem, atque arrogantiam. Ad quod inducit illud Esaiæ 14.13. *In cælum ascendam, super stellas Dei ponam sedem meam.* Et Basilius in admonitione ad filium spiritualem, definiens superbum, dicit. Non se patitur cuiquam esse subiectum, sed semper principatum cupit, & ad maiorem gradum emergere, & quod ex meritis non potest, ambiendo festinat obtinere. Et Chrysostomus homil. 59. in Matthæum de eodem inquit. Qui statura cubitum non superat, instar montium, imò altiorem se putat. Et Augustinus lib. 14. de ciuitate cap. 13. inquit de superbia, esse peruersæ celsitudinis appetitum. Et D. Thom. 2.2. quæst. 162. artic. 3. definit eam appetitum propriæ excellentiæ. Vnde ibidem articulo 1. ex Isidoro dicit, superbiam nominari ab hoc quod quis per voluntatem tendit supra id quod est, quia super vult videri quod est, hoc est, plusquàm est. Et ideo scriptum est Tob. 4. *Superbiam in tuo sensu, aut in tuo verbo nunquam dominari permittas:* vtique quoniam superbiæ id tantùm in votis est, dominari & præesse, & omnia sibi subiicere.

Cypr. lib. 1. epist. 3.

Esaiæ 14.13.

Basil. admo. ad fil spirit.

Chrys. hom. 59. in Matt.

Aug. 14. de ciuit. c. 13.

D. Th. 2.2. q. 162. art. 3.

2. *Quod se cauere Propheta indicat*, &c. Quasi diceret: animo perpendens Propheta detrimenta superbiæ, & implacabile odium, quo Deus prosequitur illam, semper resistens ei, dixit Domino, se nunquam elationem superbiæ incurrisse, sed humilitatem amasse, & illi toto corde adhæsisse. Egregium sanè encomium, & tanto viro dignum, quem Deus ipse inuenit (vt ipse suprà testatur) secundum cor suum. In eo tamen aliqua, licet obiter, expendenda sunt. Quorum primum est ordo literæ, qui videtur inuersus, vtpote procedens ab vniuersalibus ad particularia negatiuè, hoc est, à negatione elationis cordis, ad negationem elationis oculorum & sensuum: est enim ac procedere à negatione causæ ad negationem effectus; quoniam exquo cordis elatio comprimitur, oculorum, sensuum, operúmq; cunctorum elationes cauentur: sicut exquo terra arescit, sequitur non virescere arua. Vnde licet consequentia sit optima à negatione causæ ad negationem effectus, exaggeratio tamen nulla est. Quid enim exaggerationis haberet dicere, neque sum homo, neque filius hominis? Exquo enim homo non est, consequens est, vt neque filius hominis sit. Et proinde exquo negauit Dauid sui cordis exaltationem, nihil orationi adauxit negando oculorum & sensuum, operumve elationem: quoniam ex illa negatione hæc necessariò deducebatur.

2.

Secundum est licentia, quam præripuit Dauid præconizandi sese adeò cõmendabilibus egregiísque præconiis: cùm tamen nemini liceat commendare seipsum; maximè apud Deum, in cuius conspectu nemo iustificari potest. Quare vel Pharisæus ille, qui

3.

qui etiam gratias agendo commendauit seipsum ante Deum, in malam abiit crucem. Luc. 18. 11. Et hoc sanè, quoniam (vt dixit Paul. 1. Cor. 10. 18.) *non qui seipsũ commẽdat, ille probatus est.* Tertiũ est, quodnam imprecationis genus sit; *Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in animam meam:* quoniã vel puerilis est, vt ipsa verba sonant; vel si virilis, non tã est imprecatio quàm benedictio: quoniã tunc pueri ablactantur, hoc est, à matrum vberibus auelluntur, quãdo robusti, & pollentes viribus iudicantur. Imò quænam sit retributio ablactati, adhuc sub iudice est, vel potiùs ignota omnino.

Luc. 18. 11.

1. *Cor.* 10. 18.

4. Sed leuia ista sunt. Ad primũ enim dicimus, quod quidquid sit de personis priuatis, aduersus tamen publicas, quales sunt Reges & Principes, obiectio illa nullius momenti est; vtpote quod Principes quantacumq; intrinsecus humilitate polleãt, extrinsecus tamen ob majestatẽ officij debent supercilium sępe & fastũ ostendere: quod tamen se feciſſe Dauid negauit, ostendens quod humanitati potiùs quàm majestati regię studuit propter subditos. Præterquàm quod hęc verba significant omnis elationis in tãto Rege fugam, hoc est, negationem elationis tam secundũ speciem, quàm secũdum rem: ita vt Dauid neq; esset, neq; appareret superbus, insolens, aut elatus, sed humillimus potiùs. Quod tamẽ priuatis non minus quàm publicis, imò priuatis maximè cõuenit personis. Adde quod oculorum humiliatio, quæ hic prædicatur, cùm dicitur, *neque elati sunt oculi mei*, congruẽter referri potest ad circumspectionis, prudentísque considerationis iudicium, secundum quod in oculis suis, hoc est, in existimatione sua, nullius exaltationis aut extollentiæ inueniebatur dignus. Veluti cũ Sauli dictũ est, fuisse aliquãdo paruulũ in oculis suis. 1. Reg. 15. 17. hoc est, in cõspectu suo, prudẽti existimatione & iudicio. Et tũc potiùs causa quàm effectus humiliationis cordis, & sequentiũ depressionum & humiliationũ est. Secundũ quã expositionẽ inoffẽso currũt pede verba ista Dauid.

5. Ad secundum item dicendum, longè à calumniis esse encomiũ istud, quo se præconizauit Dauid. Quoniã suppliciter enarrare dona diuinitus comparata & accepta (vt hic cõmemorauit Dauid, omnem in se elationẽ denegans & auersans) & illa mẽte reuoluere, & ore promere, idẽ omnino est quod acceptũ referre, & in Domino tantũ gloriari: quod planè sacrũ & honestũ est, iuxta illud Pauli monitũ 1. Cor. 10. 18. *Qui gloriatur, in Domino glorietur:* vtpote quoniã Deo dicitur psal. 148. *Gloria virtutis eorũ tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrũ.* Sic. n. gloriari in Domino, nõ tam sonat iustificare, aut magnificare se, quàm Deum ipsum tãti largitorẽ & donatorẽ boni.

1. *Cor.* 10. 18.

Psal. 148.

6. Ad tertium respondetur, rigidum sanè & sæuum maledictum illud esse, quia sæuum & rigidum est lactentem filiũ materna benignitate priuari, vt priuari se pueri dolent, dum à maternis sibi mirum in modum charis auelluntur vberibus. Iudicant enim se iam despectos,

& quasi odio habitos vel à suis maternis visceribus. Quæ inter vniuersas repulsas proculdubio grauissima est, & quæ maximè torquet, dilaniátq; pueros, existimantes se despectui habitos, & morti iam propinquos. Quare digna aduersus elationẽ animaduersio est, & contra vniuersos elatos pœna iustissima.

7. 3 *Vnde fratres, si summa humilitatis*, &c. Sensus est, veram ad exaltationem viam humilitatem esse. & maiori humilitate sublimius exaltationis culmen comparari. Ratio autẽ, quoniã ballista (prout habet Hier. lib. 1. contra Iouin.) quo plus retrahitur, eo fortiùs mittit. Vnde Aug. expendens super ps. 18. verba illa prodigi ad patrem Luc. 15. *Non sum dignus vocari filius tuus*, dicit. Infœlix per humilitatẽ impetrauit fœlicitatem: & eo se ostendit dignum, quo se confitebatur indignum. Huius gratia Iob c. 22. 29. dicit; *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, & qui inclinauerit oculos, ipse saluabitur.* Et de Christo Paulus ad Philip. 2. 7. *Humiliauit semetipsum propter quod exaltauit illum Deus.* Et legifer noster hic proposita scala Iacob, dicit descensum Angelorum per illã & ascensum, nihil aliud nobis portẽdere nisi quod exaltatione descenditur, & ascenditur humilitate: Idcirco Dei genitrix Virgo Luc. 1. dixit de se. *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatã me dicent omnes generationes.* De superbis autẽ & humilibus: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.*

Aug sup. ps. 18.

Ioh. 22. 29.

Philip. 2. 7.

Luc. 1.

8. 4 *Scala verò ipsa*, &c. Varia apud Interpretes sunt scalæ huius commenta Gen. 28. 12. Quoniam in primis Theodoretus & alij dicunt fuisse symbolum prouidentiæ & gubernationis diuinæ, qua Deus desuper per Angelos sibi famulos & ministros descendentes de cælo & ascendentes moderatur summa & infima, attingens à fine vsque ad finem fortiter, disponénsq; omnia suauiter. Deinde Rupertus noster & alij dicunt fuisse symbolũ Christi, qui in sinu patris cõsistens vt Deus, & sedens ad dexterã patris vt homo, media Incarnatione sua qua descendit ad terras, ima summis, cælestia terrenis, humana diuinis, ac tandem Deum & hominem in se copulauit: & sese fecit viam qua nos ad patrem ascenderemus. Ioan. 14. 8. & quã percurrentes Angeli legationibus vicissim fungerentur, Dei ad nos, & nostri ad Deum, curámq; nostri gererent, inspirationes & auxilia à superis deducendo, & beandas animas in cælum asportando mediis Christi Domini & eius personæ meritis. Alij etiã alia commentantur significata: at quod hic præceptor noster aperit, appositissimum est; vtique scalam à terra in cælum productam esse vitam nostram. Deinde huius scalæ latera esse corpus nostrum & animam, ac tandem gradus illius esse humilitatis nostræ affectus bonos & actus. Quę omnia genuina sũt. Primò, quoniam via quæ humilitati non innititur, cælum vsque non graditur, dicente Domino Matth. 18. *Nisi cõuersi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Quæ verò humilitati innititur, antegreditur: quoniam

Theod. qq. in Genesim.

Rupertus.

Ioan. 14. 8.

Matth. 18.

niam Lucæ 14.11.scriptum est;. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Secundò, quoniam vita nostra absque anima corporísque compage non est, imò hoc solum est. Vt enim mors consistit in huius compaginis desolatione; sic in eius constructione vita. Tertiò denique, quoniam si (vt præmissum est) humilitate, & non nisi humilitate ascenditur: consequens fit, ascensionis gradus omnino fore humilitatis gressus.

Luc.14.11.

Primus gradus Humilitatis.

1 PRIMVS itaque humilitatis gradus est, si timorem Dei sibi ante oculos semper proponens, obliuionem omnino fugiat, & semper sit memor omnium quæ præcepit Deus. 2 Et qualiter contemnentes Deum in gehennam pro peccatis incidunt: & vitam æternam quæ timentibus Deum parata est, animo suo semper reuoluat. Et custodiẽs se omni hora à peccatis & vitiis, id est, cogitationũ, linguæ, oculorum, manuum, pedum, voluntatísve propriæ, desideria carnis amputare festinet. 3 Existimet se homo de cælis à Deo semper respici omni hora, & facta sua in omni loco ab aspectu Diuinitatis videri, & ab Angelis omni hora Deo nunciari. Demonstrat nobis hoc Propheta, cùm in cogitationibus nostris ita Deum semper præsentẽ ostendit, dicẽs: Scrutãs corda & renes Deus. Et item, Dominus nouit cogitationes hominum, quoniã vanæ sunt. Et item dicit: Intellexisti cogitationes meas de lõgè. Et quia cogitatio hominis confitebitur tibi. 4 Nam vt sollicitus sit circa cogitationes suas peruersas, dicat semper humilis frater in corde suo: Tunc ero immaculatus corã eo, si obseruauero me ab iniquitate mea. 5 Voluntatem verò propriã ita facere prohibemur, cùm dicit Scriptura nobis: Et à voluntatibus tuis auertere. Et item rogamus Deum in oratione, vt fiat eius voluntas in nobis. Docemur ergo meritò nostram nõ facere voluntatẽ, cùm cauemus illud quod dicit Scriptura; Sunt viç quę videntur hominibus rectæ, quarũ finis vsque ad profundum inferni demergit. 6 Et cùm cauemus illud quod de negligẽtibus dictum est: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. In desideriis verò carnis ita nobis Deum credamus semper esse præsentem, cùm dicit Propheta Domino: Ante te omne desiderium meum.

Cauendum ergo est ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est. Vnde Scriptura præcipit dicens, post concupiscentias tuas non eas. 7 Ergo si oculi Domini speculantur bonos & malos, & Dominus de cælo semper respicit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum, & ab Angelis deputatis nobis quotidie die noctúque Domino factori nostro opera nostra nunciantur, cauendum est omni hora, fratres (sicut dicit in psalmo Propheta) ne nos declinantes in malum, & inutiles factos aliqua hora aspiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore, quia pius est, & expectat nos conuerti in melius, ne dicat nobis in futuro: Hæc feci sti, & tacui.

9. 1 PRIMVS *itaque humilitatis gradus*, &c. Cùm timor Domini sapientiæ initiũ sit psal. 109. 10. cõsequens est, vt etiam sit humilitatis principium: quoniam vera humilitas verissima sapientia est, Scriptura dicente Prou. 11. 2. *Vbi est humilitas, ibi est sapientia*; adeò vt mysteria quæ sapiẽtibus ipsis & prudentibus Deus abscõdit, paruulis reuelet, Matth. 11. 25. Vnde Cyrillus lib. 6. in Ioan. c. 22. Venit Christus in hunc mundum, vt paruulos illuminaret: humilis enim de se existimatio gratię largitatem consequitur affatim, & cæleste impetrat auxilium. Et Greg. lib. 25. mor. c. 17. Numen intelligentiæ humilitas aperit, superbia abscondit. Vera ergo humilitas verissima sapiẽtia est, aut sapientiæ initium: non secus ac timor Domini. Quapropter cùm psal. 2. 10. dicitur: *Eruditimini qui iudicatis terram*, mox versu sequenti subditur; *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam.*

Pſal. 109. 10. *Prou.* 11. 22. *Matt.* 11. 25. *Cyrill. lib.* 6. *in Ioan. cap.* 22. *Greg.* 25. *moral. c.* 17. *Pſal.* 2. 10.

10. Dicitur etiam primus humilitatis gradus timor Domini; quoniã in primis timere & humiliari, semper & necessariò est per ordinem ad superiorẽ: adeò vt de timore dicat D. Th. 2. 2. q. 19. art. 11. ad 2. & 1. contra gent. c. 89. ad 8. quod nõ potest esse in Deo, quia Deus non habet superiorem. Et de humilitate idẽ dicendum est, quippe quę cõtraria superbiæ cùm sit, sequitur, vt sicut superbiæ est nolle subesse (vt suprà ex Basilio docuimus) sic humilitatis sit velle subiici. Deinde vera humilitas idẽ est quod vera ad Deum, siue propter Deũ submissio, vel subiectio, dicente Ambrosio lib. 11. ep. 4. (quod etiã suprà induximus.) In eo proprietatẽ humilitatis definimus, quod Deo per omnia subditur. Et Bernardo Serm. de subiectione volũtatis. Totius humilitatis summa in eo consistere videtur, si volũtas nostra diuinæ subdatur. Vnde Petrus 1. Canon. cap. 5. 6. *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Et idem de timore dicendum est, vtique importare subiectionem ad illum qui timetur.

D. Th. 2. 2. *q.* 19. *a.* 2. *ad* 2. *& 1. contra gen. c.* 89. *ad* 8. *Amb. lib.* 11. *ep.* 84. *Bernar. Ser. de subiectione voluntatis.* 1. *Petri* 5. 6.

Ex quo

Ibid. 2.18. Ex quo iterum Petrus: *Serui subditi estote in omni timore dominis.* *Ephes.* 5.21. & Paulus, *subiecti inuicem in timore.* Ex quo sequitur, quod timor Dei importat submissionem, & subiectionem ad Deum, vt humilitas. Quare vt humiliatis munus & opus est submittere, ita & timere: & vt primus humiliatis gradus est submissio, ita & timor, vtique Dei, cui se vera semper prosternit humilitas.

11. Præterquàm quod, vt humilitas est (vt Cyprianus ait) primus religionis introitus, fundamentumque sanctitatis; ita timor est primus qui iacitur gradus supra fundamentum istud, vt sic procedatur ad reliquos. Vnde Augustinus explicans illud Esaiæ 11. *requiescet super eum spiritus Domini*, inquit. Cùm septem illa notissima dona spiritualia commendarit, incipiens à sapientia peruenit ad timorem Dei, tanquam de sublimi descendens ad nos, vt doceret nos ascendere. Sicut ergo ille à sapientia vsque ad timorem Dei descendit, sic nos à timore vsque ad sapientiam oportet ascendere; initium enim sapientiæ timor Domini.

Cypr. Ser. de natiu. Christi.

Aug Ser. 1. de annũciat.

12. Is autem timor ob oculos semper versandus proponitur, vti Prouerb. 2. indicitur, cùm habetur: *In timore Domini esto tota die*; hoc est, omni tempore. Ratio est, quoniam timore Domini nobis opus est, non tantùm ad cognoscendam Domini voluntatem, iuxta Augustini illud; Ante omnia opus est Dei timore, ad cognoscendam eius voluntatem, siquid nobis appetendum, fugiendumve præcipiat; propter quod iure dicitur initium sapiẽtiæ: verùm ad studiosè amandam adimpletionem eius necessarius est, iuxta illud psal. *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.* Vnde hic subiicitur; *Semper sit memor omnium quæ præcepit Dominus*: vtpote quod illorum memoria ad eorumdem obseruantiam est via, psalmographo dicente: *Memores sunt mandatorum illius ad faciendum ea.*

Prou. 2.17.

Psal. 111.1.

Psal. 102.18.

Augustin. de doctr. Christ. cap. 7.

13. 2 *Et qualiter contemnentes Deum*, &c. Duram item hic nouissimorum (vtique gehennæ & glorię) ad sic declinanda peccata iugem contemplationem iniungit: vtpote quod scriptum habemus; *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Nouissima autem sunt non tam mors & iudicium, quàm pœna & præmium, gehenna & gloria, ad quę tandem tandem perueniendum est. Vnde Aug. Terruit Dominus cùm Euangelium legeretur, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impiis, timent, & continent se à peccato. Et alibi de timore gehennæ inquit. Timor iste, quo gehennam times, continet te, & voluntatem peccare non sinit; est enim custos timor, quasi pædagogus legis litera est minans. Et Hieronymus. Cùm tormenta formido, seruauit gratiam quam accepi. Et Chrysostomus. Ne fugiamus supplicij memoriam, ne supplicio pereamus. Si diues ille ignem hunc cogitasset, vtique non deliquisset; quia verò numquam in eius mentem venit, propterea in illum incidit.

Eccli. 7.40.

Augustin. in psal. 127.

Idem Ser. 13. *de verb. Apost.*

Hieron. epist. 127.

Chrys hom. 2. *sup ad Thess.*

14. Gloriæ item consideratio iniungitur, eo quod ad idem maximè opus est: est enim vehemens ad non deficiendum in via Dei incentiuum. Vnde apud Matth. roganti iuueni; *Quid faciendo, vitam æternam possidebo?* respondit Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Cui mox iuuenis; *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea*, ostendens quod huius vitæ amore ad iugum hoc ferendum allectus est. Et capite 7. dixerat Christus: *Qui fecerit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Ipse (inquit) & non alius, quoniam puram illam, perfectamque Curiam non nisi puri perfectique ciues adeunt, dicente Ioan. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Repelli autem ab ea durum adeò atque graue est, vt dicat Chrysostom. Qui in gehenna vritur, cælorum regnum prorsus amittit. Quæ certè pœna maior est quàm cruciatus ille flammarum. Noui autem quod plurimi pertimescant tantùm gehennã: ego autem illius gloriæ amissionem multò amarius, quàm ipsius gehennæ dico esse supplicium. Et alibi Intolerabilis gehẽna, confiteor, & multum intolerabilis, intolerabilior tamẽ regni amissio, hæc cogitate. Opus igitur est ad omnia cauenda peccata, Dei semper meditari timorem, gehennam, gloriam.

Matt. 19. 17.

Ibid. 7. 21.

Apocal. 21. 20.

Chrys. hom. 24. in Matt.

Idem hom. 48. ad pop.

15. 13 *Æstimet se homo*, &c. Firmat denuo, ac fortiùs sanctissimus præceptor doctrinam quã de meditando semper timore Dominico inuexerat, confirmat, dicens quod Deus ipse semper & sine intermissione nos de cælo prospicit, omniaque facta nostra dictaque speculatur, & quod Angeli ipsi omnia hæc ei nunciant: idque subiectis probat Scripturæ verbis, quæ planiora sunt, quàm vt vllis nostris interpretationibus egeãt. Æquiualent enim illis psal. *Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* & illis Prou. *Oculi Domini in omni loco contemplantur bonos & malos.* Quæ adeò vera sunt, vt propterea vel ipsum nomen Dei sumptum sit ab operatione videndi, Damasceno dicẽte. Nomẽ Dei Theos, quod est à verbo theaste, eo quod omnia prospiciat. Nihil enim ipsius oculos fallere potest, vtpote rerum omnium inspectoris. Et idem habet Gregorius Nyssenus, dicens quod nomen Dei significat operationem spectandi & videndi. Et inde arguit quod ly *Deus* non significat naturam aut essentiam diuinam, sed aliquid consequens eam, vtique operationem inspiciendi & intuendi. Si igitur qui rationem omniũ exacturus est, tam perpete & perspicaciter speculatur singula; quid mirum si ei qui rationem omnium redditurus est, eorumdem assidua iugisq; meditatio indicatur? Oportet ergo hæc omnia mente perpendere, & Deum semper nostra contemplantem attendere. Et adeò oportet, vt de negligentibus ista, scriptum legamus: *Non est Deus in corde eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferentur iudicia tua à facie eius; omnium inimicorum suorum dominabitur.* Hoc est, non curabit, sed potiùs

Psal. 32. 15.

Prou. 15. 3.

Damasc. 1. de fide c. 12.

Nyssen. lib. Quod non sunt tres Dij.

Psal. 9. 26.

potiùs contemnet, despiciet, & pro nihilo ducet inimicos suos: ex quo fit, vt absque repugnantia & resistentia conculcetur ab eis. Econtrà verò de illis qui sibi præsentē semper cogitant Deū, diuinaque iudicia; *Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo, & iustitias eius non repuli à me. Et ero immaculatus cum eo, & obseruabo me ab iniquitate mea. Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum, in conspectu oculorum eius.* *Psal.17.23.*

16. 4 *Vt solicitus sit*, &c. Hoc difficile intellectu est, numquid momenti habet corde aut ore promere verba hæc, ad nos reddendos solicitos contra nostras improbas cogitationes? Experimentum siquidē ex aduerso est; illa enim sæpe, vel similia, vel potiùs maiora repetimus, & tamen desides in frænandis nostris cogitationibus improbis, & imbecilles ad cauendas illas notamur. Sed certè aliud est dicere verba hæc, aliud humiliter, & ex corde dicere: illud enim ad tantum finem debile est, istud autem validum. Scriptum quippe habemus: *Sapiens cor & intelligibile abstinebit se à peccatis.* Cor autem quod talia meditatur, humiliter sapiens simul & intelligibile est; & proinde solers ad vitanda peccata, atque adeò ad peruersas fugandas fugiendasque cogitationes. Saltem quoniam quæ corde geruntur, seriò & ex voto agitantur. In hoc enim ab his quæ labiis tantùm explanantur, maximè distinguūtur. Vnde Christus; *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Futilis enim labiorum tantùm laus inuenitur, nisi etiam corde laudemus. Et Dauid: *In corde meo abscondi eloquia tua* (id est, animo volui, cogitaui, & mecum meditatus sum) *vt non peccem tibi.* Inde Origenes illud Genesis 25.23. *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi*, exponit de corde nostro, cuius cogitationes probæ & improbæ, vniuersus bonorum & malorum populus & confluxus est, seu omnis homo, vel potiùs plusquàm omnis homo: quoniā, vt Bernardus inquit, plura machinatur cor in vno momento, quàm omnes homines perficere possunt vno anno. Multum ergo refert verba illa corde producere, & humiliter inculcare, ad obseruandos nos ab iniquitatibus nostris. *Eccli.3.32.* *Matth.5.8.* *Psal.118.11.* *Origen hom. 13. in Genesim.* *Bern. in meditat. cap. 9.*

17. 5 *Voluntatem verò propriam*, &c. Sensus est, quod ad obseruandos nos ab iniquitatibus nostris, opus est in primis nostras voluntates abiicere, vt nos abiicere monent innumera sacræ paginæ verba, quæ dicunt, *à voluntatibus tuis auertere.* Quod idē omnino est, ac si diceretur, ab iniquitatibus tuis auertere: siquidem, vt inquit Augustinus, peccatum intantum est peccatum, inquantum est voluntarium, id est, à voluntate procedens. Vnde tam ipse Augustinus, quàm Beda dictum illud Christi; *Arbor mala non potest bonos fructus facere*, de nostra voluntate intelligunt, quæ catenus mala quatenus propria nobis est. Quocirca cùm apud Esaiam rogaretur à quibusdam Deus, vel arguerētur potiùs; *Quare ieiunauimus, & non aspexisti,* *Aug. lib. 19. cōtra Faust. cap. 22.* *Idem in Enchirid. c. 15. & 1. contra Iuli. cap. 5.* *Beda sup. Matth. 7. 18.* *Esaiæ 58. 3.*

assexisti,humiliauimus animas nostras, & nesciſti? reſpondit ipſe: *Quia in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.* Per hoc enim euidenter arguitur, voluntatem noſtram,quæ propria nobis eſt, id eſt(vt ait Bernardus)non nobis Deoque communis & prudentiæ, eſſe virus, venenumque bonorum omnium operum, & proinde vndique iniquam, vel iniquitatem ipſam. Cuius gratia Bernardus dixit.Propria voluntas Deum impugnat, paradiſum ſpoliat, ditat infernum, ſanguinem Chriſti euacuat, & ditioni diaboli ſubiugat mundum. Et diuinus Plato adeò improbè de propria hominis voluntate ſenſit,vt contra precationem illam vulgarem, Deus donet tibi quæ vis,dicat in Critone; Imò numquam det,ſed faciat vt velis,quę ipſe vult.Hæc enim eſt pura religio, ſi te religes Deo. Sacrum planè & diuinum, & à diuino homine verbum: vtpote maximè affine illi, de quo in Oratione Dominica, *fiat voluntas tua*; & illi quod hic attexitur, *fiat voluntas Dei in nobis, non verò noſtra:eo quod ſunt viæ quæ videntur homini rectæ, nouiſſima autem earum ducunt ad mortem.*

Bern. Ser. de verbis ſapiẽtia.

Plato in Critone.

18. 6 *Et cùm cauemus illud*, &c. Senſus eſt, quod ad obſeruandos nos ab iniquitatibus noſtris, non tantùm opus eſt proprias voluntates,ſed etiam voluptates abiicere : quia deſideria carnis ſunt in quæ Deus attendit. Deliciæ molles ſubintelligũtur hic nomine voluptatum, de quibus ſacræ literæ multa probra. Etenim Eccleſiaſtes dicit: *Dixi ego in corde meo, vadam & affluam deliciis,& fruar bonis,& vidi quod hoc eſſet vanitas*: vtpote quod(vt Auguſt.ait) perpetuò fluunt,fugiuntque antequam capiantur. Imò(vt Baſilius inquit)plus moleſtiæ continent,quàm iucunditatis. Saltem ob fugacitatem illarum,more cucurbitæ illius,ſuper quam lætitia magna hilarecebat Ionas, quæ tamen acceſſu vermis illicò exaruit, & ſic triſtitiã potiùs quàm lætitiam intulit Ionæ. Idcirco Iob ait: *dulcedo illius vermis*: vtique exedẽs, & corrodens cor.Et Eccleſiaſtes vbi ſuprà ſubdit; *Riſum reputaui errorem,& gaudio dixi, fruſtra deciperis.*Quoniam,vt dixit Plato, vmbræ ſunt, & ſimulachra voluptatum,potiùs quàm voluptates.Et ad hoc retulit Philoſophi cuiuſdam eloquium, quo aſſerebat deliciis deditos eſſe Troianis ſimiles, qui veram ignorantes Helenam, de illius tantùm imagine cõtenderunt.Imò multo minus quàm vmbræ ſunt, vtpote quod Amos 6. recenſitis à numero 4. potentiorum deliciis ſub hac forma: *Qui dormitis in lectis eburneis,& laſciuitis in ſtratis veſtris. Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem pſalterij bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti*, &c.ſubditur numero 14. *Qui lætamini in nihilo.* Vtpote quod deliciæ iſtæ pro nihilo ſunt: eo quod,vt apud Iob habetur,*gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Momentaneum ſiquidem eſt.

Aug.Ser.25. de verb. Dom.

Baſil.in Pſal. 33.

Ionæ 4.6.

Iob.24.20.

Eccle.2.

Plato lib. 9. de Repu.

Amos 6.

Iob.21.12.

19. Et non ſolùm vanitatis, aut etiam inanitatis voluptates iſtæ arguuntur,verùm & iniquitatis: ſiquidem ſcriptum eſt; *Væ vobis qui*

Eccle.2.1.

Luc.6.25.

qui ridetis nunc, quia lugebitis. & in Apocalypsi: *Quantum glorificauit se in deliciis, tantum date illi tormentorum.* Cuius gratia Threnorum 4. *Qui vescebantur voluptuosè, amplexati sunt stercora.* Ratio autem est, quoniam voluptates istæ non tantùm in malorum numero censendæ sunt; quas propterea vocauit Virgilius apud Senecam, mala mentis gaudia; vtpote (ait Seneca ibi) quia homines malo suo lætantur. Non igitur in malorum numero tantùm censendæ sunt, verùm etiam & inter malorum radices & fontes computandæ, dicente Basilio. Voluptas mater est peccati, & nutrix æterni vermis. Et Chrysost. Nihil dæmoni tam gratum quàm deliciæ, quæ omnium sunt fons malorum. Nec mirum, quoniam istæ deliciæ ex illarum numero sunt quas repulit Paulus dicens; *Sicut in die honestè ambulemus, non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, sed induimini Dominũ Iesum Christum.* Constat enim hæc causas peccatorum esse, etiam idololatriæ, vt patet Exod. 32. in Israëlitis, qui sederunt comedere, & bibere, & surrexerunt ludere: atque etiam sodomiæ horribilis, siquidem saturitas panis fuit iniquitas Sodomæ. Vnde Chrysostomus vbi suprà. Quid enim mali non operantur deliciæ? Ex hominibus porcos efficiunt, & porcis deteriores. Vnde hìc ex psalmo dicitur; *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis.*

Apoc. 18. 17. *Thren. 4. 5.* *Seneca epist. 59.* *Basil. hom. 13.* *Chrysost. hom. 71. ad pop.* *Rom. 13. 13.* *Exodi 32. 6.* *Ezech. 16. 49.* *Psal. 13. 2.*

20. Et quod hic maximè notandum est, voluptuosi isti deputantur nomine negligentium, dicitur enim, quod *de negligentibus dictum est; Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt.* Ratio autem est, quod desidia, pigritia & inertia plerumque delicioſi laborant, eo quod ipsæ deliciæ eneruant homines, animos effeminant, ac veluti stupidos, & adhuc inter viuendum mortuos faciunt. Nam cùm Paulus dixit; *Vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est*, quid aliud innuere voluit, quàm quod in deliciis viuere, mori est? Quod etiam vidit Seneca dicens de delicato seu delicioso omni, quod otiosus est, quod æger, quod mortuus, aut saltem semiviuus, vt est videre in libro de breuitate vitæ, vbi ad rem ait. Audio quemdam ex delicatis (si modò deliciæ vocandæ sunt) vitam & consuetudinem humanam dediscere, cùm ex balneo inter manus elatus, & in sella positus esset, dixisse interrogando, iam sedeo? Et mox. Hunc tu ignorantem an sedeat, putas scire an viuat? an an videat? otiosus sit? Iure ergo delicioſi ac voluptioſi isti negligentium nomine hic à legislatore nostro deuruntur.

1. ad Tim. 5. 6. *Seneca de breuit. vitæ cap. 12.*

21. Vocat autem præceptor sanctissimus desideria carnis voluptates istas, vt distinguat eas à voluptatibus spiritus, quæ non tantùm vitio carent, verùm virtutum fruges atque fructus sunt; & quæ superæ nobis, & à supernis descendunt, dicente Dauid psal. 35. *Torrente voluptatis tuæ potambis eos.* Vtpote quod torrens exundans quid est, ex cæli imbribus montiumve sca-

Psal. 35. 10.

turigine profluens, & rapidus vehemensque descendens, & irruens. Vnde voluptatis diuinæ torrens, idem quod torrens mellis, atque butyri, prout dixit Iob, eo quod magna multitudo dulcedinis Domini (psal. 30.) quam abscondit timentibus se: id est, quam in arcanis suis thesauris reposuit, tutóque collocauit, & quam propterea manna absconditum esse dixit Ioannes. Manna autem cælitus defluit, & absque strepitu sicut pluuia in vellus descendit. Voluptates igitur spiritus desuper in nobis sunt: & propterea adeò superis gratæ, vt scriptum sit; *Delectare in Domino*, hoc est (vt Hebræa Græcaque apud Hieronymum habent, deliciis affluе,) *& dabit tibi petitiones cordis tui.*

Iob. 20.17.

Psal. 30.20.

Hieron. sup. Esaiæ 55. *& sup. Ierem.* 31.

22. Voluptates autem, quæ (vt diximus) deliciæ molles sunt, & quæ carnis desideria hic compellantur, omnino spiritualibus contradicunt: siquidem scriptum est; *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis, caro enim concupiscit aduersus spiritum.* Et ideo Rom. 13. iniunctum est; *Carnis curam ne feceritis in desideriis.* Et Petrus dixit: *Charissimi, obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis quæ militant aduersus animã.* Et iure, siquidem opera carnis (prout ad Galatas habetur) sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, & similia, de quibus ibidem Paulus; *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Si igitur talia sunt carnis opera, quid desideria? Ideo concupiscentiæ appellãtur, propterea quod concupiscentiæ nomen idem est quod appetitio carnis sine ratione; non quidem (ait D. Thomas) quia totaliter auferunt iudicium rationis, sed quia in nullo procedunt secundum iudicium rationis. Vnde prouenit, quod sint tentationum radices, & peccatorum fontes, dicente Iacobo: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Vnde hic subiicitur; *Cauendum igitur ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis est.* & mox id Ecclesiastici 18. *Post concupiscentias tuas ne eas.* Tuas inquit, diuinas enim appetere, prosequi persequique sacrum est. At quoniam absconditæ sunt & seruatæ timentibus Deum, vt psalmista habet, necessarius omnino est ad assequendas illas, eisque fruendum, timor Domini. Qui propterea hic totiens incutitur, dum desideriis nostris præsens Deus ipse intimatur, secundum illud psal. *Domine ante te omne desiderium meum*, & ad idem voluptates seculi quod ex animo euellamus, monemur: vtpote quod istæ obex & impedimentum sunt illis.

ad Galat. 5. 16.

Rom. 13.14.

1. *Petr.* 2.11.

Galat. 5.20.

D. Th. 2.2. *q.* 150. *art.* 4. *ad* 3.

Iacobi 1. 14.

Eccli. 18.30.

Psal. 30.20.

Psal. 37.10.

23. 7 *Ergo si oculi Dei*, &c. Epitome dictorum hoc, vt totiens geminata doctrina de scientia & præscientia Domini ad omnes actus nostros, timore configamur, ne aliquid indecorum tentemus. Sanè cùm rogasset Dauid; *Propter quid irritauit impius Deum?* illicò respondit, inquiens.

Psal. 9.34.

quiens, *Dixit enim in corde suo, non requiret*, assignans pro radice & causa tam horribilium criminum, quod putant impij quod Deus hæc nec curat, nec mente cogitat. Eodem omnino capti, deceptive errore, quo illi apud Iob dicebant: *Quid enim nouit Deus? Quasi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius. Circa cardines cæli perambulat, nec nostra considerat.* Vt tanto igitur legifer noster malo præcurreret, & procul à nobis relegaret, non semel & iterum, sed sæpe iterat, repetitque Deum omnibus atque singulis actibus, atque etiam cogitationibus nostris adesse, præsentem: omniaque scrutari, & mente concipere, & vltra hoc ab ipsismet Angelis suis & nostris de omnibus admoneri; vt sic nos perterrefacti, tantam reuerentes præsentiam, peccatorũ lapsus caueamus: scientes quod licet tacuerit, & per longiora tempora dissimulauerit, tandem inspector cùm sit & Iudex oculatus omnium, obiiciet in perditionem dicendo; *Hæc feci, & tacui*, vt sic tarditatem supplicij grauitate compenset. Horum enim cõsideratio maximum necesse est nobis timorem incutiat, qui timor appellatur hic primus humilitatis gradus.

Iob. 22. 14.

Secundus gradus Humilitatis.

1 SECVNDVS humilitatis gradus est, siquis propriam non amans voluntatem, desideria sua non delectetur implere, sed vocem illam Domini imitetur dicentis: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui me misit. Item dicit Scriptura, voluntas habet pœnam, & necessitas parit coronam.

1. 1 SECVNDVS *humilitatis gradus*, &c. Sensus est. Vt ad primum humilitatis gradum pertinet, nostram voluntatem non facere ob Dei timorem; sic ad secundum spectat, eamdem non amare, neque eius adimpletionem appetere, neque illi satisfacere, gustumve aut oblectamentum ex tali adimpletione accipere. Egregius sanè is humilitatis gradus est, & multis etiam ex humilibus inaccessus, adeò vt Basilius dixerit. In vita communi id assequi, longè difficillimum est, & ab omni prorsus facultate remotissimum. Nihilominus gradus iste Euãgelicus est, vtpote scriptum: *Qui vult post me venire, abneget semetipsum*; hoc est, voluntatem suam contemnat, & pro nihilo ducat. Propriam enim negare voluntatẽ, est abnegare seipsum, vt Basilius vbi suprà docuit inquiens. Abnegatio sui est, à propria voluntate recessio. Ratio

Basil. in reg. fus. q. 6.

Matt. 16. 24.

autem est, quod si tunc dicimur negare patrem, aut matrem, aut amicos, aut notos, quando eorum votis nequaquam annuimus, neque vllam precationis ipsorum curam gerimus, nec illis in quouis negotio occurrere, aut opitulari curamus: consequens est, vt etiam negare & abnegare nos, idem prorsus sit quod nostram voluntatem contemnere, & vota illius pro nihilo ducere. Quod etiam vidit, & notauit Chrysostomus. Qui licet (vt Hieronymus & Venerab. Beda) per abnegationem sui, exponat vitæ contemptum, adhuc contemptus iste propriæ voluntatis est; quoniam voluntas in homine pro eius vita habetur; siquidem communi brocardico vulgari nostro dicitur, *Voluntad es vida.* Quod desumptum videtur ex illo Ecclesiasti; *Iucunditas cordis hæc est vita hominis.* Et ideo voluntatem propriam abnegare, idem apud omnes est, quod crucem Christi tollere, & mundo crucifigi. Et licet tantum gradum pertingere admodum difficile sit, non propterea tamen omnino desperandum est, nec difficultati cedendum, scientes quoniam *arcta est via quæ ducit ad vitam*, & quod id est strictissimum eius: scientes etiam, quod *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, & quod violentia nulla est nisi quando infertur vis contra inclinationem propriam, quæ in nobis est nostra voluntas.

Eccli.23.27.

Matth.7.14.

Matt.11.11.

25. Præterquàm quod, voluntas propria malus vndique consiliarius est: adeò vt cùm dixisset Christus; *Iudicium meum iustũ est,* Ioan 5.30. vt id probaret, subdiderit verbũ quod hic attexitur, vtique, *quia non quæro voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Per quod apertè innuit, voluntatem propriã humanam per se sumptam, hoc est, absque subordinatione ad diuinam, potiùs errandi, quàm rectè iudicandi causam fore. Quocirca apud Origenem & alios volũtas propria significata est, & inumbrata vino vehementi illo quo inebriatus est Loth: eo quod propriæ voluntatis amor vitium est mentem inebrians, perturbansque omnes sensus nostros. Ex quo sequitur, voluntatẽ propriam bono intellectus nostri esse in primis aduersam. Aduersarium autem tam dirum quis non despiciet facilè, & sponte contemnet?

Origen.hom. 1.sup.Cãtic.

26. Est etiam voluntas propria (vt Anselmus vidit) instar venenosę mortiferæq; herbæ quæ animæ vitã perimit, atque eius intima proiicit: vtpote quod omne malum est in solo isto malo. Vnde Bernard. Quid punit Deus præter voluntatem propriam? Cesset propria volũtas, & infernus nõ erit. Etenim vt omne bonum est in vno isto bono propriã volũtatem negandi, propter quod nihil vt illud sic remunerat Deus; sic omne malum est in vno illo malo, & ideo Deus omnia punit in illo, vt monumẽta Scripturæ, Sanctorumq; Patrum elogia, & Conciliorum decreta nos de re ista certificant. Cuius gratia hic in textu subiicitur: *Item dicit Scriptura; voluntas habet pœnam, & necessitas parit coronam.* Dicit inquam Scriptura, non quidẽ sub hac serie verborũ, sed

Anselm.lib. similitud.cap. 37.

Ber.Ser.3.de Resur.

sub

sub illis, quibus narrantur exempla eorum qui periere propter propriæ voluntatis amorem, & illorum qui emerserunt in gloriam propter propriæ voluntatis despectum. Hic autem nomine voluntatis subintelligēda est voluntas propria, hoc est, illa quæ tantùm ex propriis agit, & sese pro libito mouet, circumscriptis omnibus regulis quæ sunt ex rationis præscripto. Necessitatis verò nomine intelligenda est subiectio, quæ prouenit ei ab extrinseco, vtique à regulis morum, qualia sunt præcepta & iura, quæ moraliter & in conscientia nostram voluntatem obligant. Dicitur autem necessitas hæc obligatio, quoniam est determinatio ad vnum, & ab extrinseco, & tandē obligatio in conscientia. Vnde nō est physica necessitas, sed moralis. Si igitur voluntas propria tantam sibi & nobis perniciem parat, haud graue erit illius amorem abiicere, & illi non placere.

Tertius Humilitatis gradus.

TERTIVS humilitatis gradus est, vt quis pro Dei amore omni obedientia se subdat maiori, imitans Dominum, de quo dicit Apostolus, factus est obediens vsque ad mortem.

27. TERTIVS *humilitatis gradus est*, &c. Excelsior is gradus est præ aliis hactenus inductis: & quidē vndique excelsior, hoc est, tam ex parte causæ quàm ex parte effectus. Causa enim est amor in Deum, qui longè timorem Dei, ac despectum propriæ voluntatis exuperat: vtpote quod amor in Deum, est ipsamet charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Charitas autem præstantius quid est inter meliora charismata, & excellentior via. Propter quod vinculum perfectionis nominatur ad Colos. 3. Ibi enim dicitur; *Super omnia charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.* Quare Tertullianus vocat illam Christiani nominis thesaurum: & Clemens Alex. præcipuum Christiani hominis. Et meritò quidem: tum quia, vt habetur apud Ioan. *omnis qui diligit, ex Deo natus est*, vtique qui diligit ex charitate Deum. Quid autem natiuitate ista sublimius, locupletius, & amplius? & qualisnam tantorum natorum hereditas? Tum quia sine charitate cætera quæcumque sint, etiam largitas, eleemosyna, prophetia, fides, imò & martyrium ipsum, nihil sunt. Et ideo sine illa omnes sunt nihil habentes, cum illa autem sunt omnia possidentes. Iure ergo Christiani nominis thesaurus dicta est.

Tertull. lib. de patientia. Clem. Alex. in Paran.

Rom. 5. 5.

1. Ioan. 4. 7.

1. Cor. 12. 31.

Coloss. 3. 14.

1. Cor. 13. 3.

28. Effectus item huius tertij gradus sublimior est, vtique obedientiæ omnis, cuius habetur exemplum hic in Christo, de quo dixit Apostolus, *factus est obediens patri vsque ad mortem,* prout hic notatur in textu, & ad rem præsentem inducitur. Et meritò quidem: quoniam optimæ sublimioríque causæ debet optimus sublimiórq; correspondere effectus. Quare si (vt inquit Ambrosius) miles qui Imperatorem diligit, bella pro Imperatore suscepta non metuit: & seruus amans dominum quamuis per dubia & prærupta mittatur, tamen pericula omnia domini amore contemnit, & qui transmare positus filios videre desiderat, non naufragia metuit, liberorum charitate ingreditur maris fluctus. Si igitur hæc amor humanus, quid diuinus? Et si hęc de amore hominum, qui carneus est, quid de amore Dei, qui charitas? Vnde Paulus de illo; *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita,* &c. *poterunt nos separare à charitate Dei:* vtpote quod charitas ardua quæque superat, consternat & vincit.

Philip. 2. 7.

Ambros. Ser. 9. in ps. 118.

Rom 8. 38.

29. Neque ad hunc tantùm effectum potis est charitas, sed etiá ad omnes qui virtutum, & maximè præceptorum sunt, dicente eodem Paulo: *Charitas benigna est, patiens est, non æmulatur, non agit perperam, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet.* Vnde Christus; *Qui diligit me, sermonem meum seruabit.* Et plerique Sanctorum dilectionem Dei nominant matrem virtutum, & arcem bonorum omnium. Inducitur autem pro hoc gradu obedientia ista: quoniam humilitatis est, quod qui voto se tantùm adstrinxit ad aliqua, sese tradat postea & submittat ad omnia. Monachi enim non se plenè dederunt Prælatorum placitis atque nutibus, sed illis & ad illa tantùm, quæ regulam, quã professi sunt, concernunt.

ad Galat. 5. 22.

Ioan. 14. 23.

30. Cæterùm quia hæc perspicua non inueniuntur, oportet examinare an Monachi teneantur ad omnia quæ illis Prælati præcipiunt, etiamsi præter regulam, aut supra regulam, modò contra illam, aut contra bonos mores non sint. In quo sanè dubio aliqui partem affirmatiuam tutati leguntur apud D. Thomam in 2. d. 44. quæst. 2. art. 3. Et potest probari ex hoc, quod (vt ipse D. Thomas asserit) in hoc differt obedientia religiosorũ ab obedientia communi Christianorũ, quod illa est vniuersalis, & quoad omnia, hæc verò particularis, & tantùm quoad aliqua. Huius ratio est, quod religiosi omnem omnino transferũt voluntatem suam in superiores suos medio obedientiæ voto. Propter quod non solùm summi Põtifices eos ad arctiorem vitæ regulam coguint, vt coëgit Pius Quintus anno 1567. claustrales Diui Francisci in Hispania degentes, vt ad aliquem ex Ordinibus mendicantibus absque mora transirẽt. Et Bonifacius Octauus, & post illum alij moniales premunt ad perpetuam clausuram seruandã, quam ipsarum regula non constituit. Igitur non tantùm summi Pontifices, verùm & ipsa gene-

Vtrùm Monachi teneantur obedire Prælatis in his quæ præter, aut supra regulam sunt.

D. Tho. 2. 2. 186. a. 5. 1.

generalia Capitula, imò etiam prouincialia de auſteriori vitæ modo leges plerumque ferunt. Quinimò & ipſi particulares Prælati non rarò præcepta imponunt, quinimò & cenſuras Monachis & ſubditis ſuis erga licita quidem, & non concernentia, neque affinia regulis ſuis.

31. Oppoſitum nihilominus ſentiendum eſt cum D. Thoma, Bonauentura, Durando, Gabriele, Antonino de Florẽtia, Caietano, Soto, Toſeto Cardinali, Azor. Gabrĩele Vazquez, & innumeris aliis, aſſerentibus religioſos prout ſic, à nemine ſuperiorum ſuorum poſſe præcepto adſtringi ad alia, quàm ad ea quæ vel directè & explicitè, vel ſaltem indirectè & implicitè continentur in regulis quas vouerunt. Ratio autem eſt, quod ad hæc tantùm ſeipſos obedientiæ voto obligarunt, nec ſuis Prælatis ad alia authoritatem indiderunt. Quare ſicuti propter hoc non poſſunt obligari ad ſtrictiorem vitam in alia religione faciendam, ſic nec in ſua propria.

D. Th. 2. 2. q. 104. artic. 2. ad 3.
Bonau. in 2. d. 44. art. 3. q. 2.
Durand. ibi. q 4 art. 4.
Gabr. in 4. d. 38. q. 1. ar. 1.
Antonin. 3. p tract. 16. c. 1. §. 9.
Caiet. 2. 2. q. 88. art. 8.
Soto 3. de iuſt. & iure. q. 3. art. 1. d. 2.
Telet. tract. de ſeptẽ pecc. mort. c. 16.
Azor. tom. 1. lib. 13. c. 11. q. 19.
Vazquez 1. 2. d. 154. c. 4. n. 22.

Hæc planè (vt potiori authoritate fulciantur) viderunt illi religionum ac religioſorum decus omne Gregorius magnus, & Bernardus noſtri. Ille enim lib. 1. Reg. ep. 19. relatus in cap. Geſta. d. 74. dicit. Iuſtum eſt, vt nemo creſcere compellatur inuitus. Iſte autem lib. de præcepto & diſpenſatione cap. 7. inquit. Is qui profitetur, ſpondet obedientiam, non tamen omnimodam, ſed determinatè ſecundum regulam: neque aliam quàm Sancti Benedicti; vt oporteat eum qui præeſt, non fræna ſuæ laxare voluntati ſuper ſubditos, ſed præfixam ex regula ſibi ſcire menſuram, & ſic demum ſua imperia moderari circa id ſolum quod rectum eſſe cõſtiterit, nec quodlibet rectum, ſed id tantùm quod prædictus Pater inſtituit. Sic ſe quippe habet profeſſio: Promitto, non quamdam regulam, ſed obedientiam ſecundum regulam Sancti Benedicti. Non ergo ſecundum voluntatẽ Præpoſiti. Proinde ſi profeſſo ſecundum illam regulam Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentauerit, quod non ſit ſecundum regulam, aut etiã quod non ſit ſecundum iſta inſtituta, vẽrbi gratia, Baſilij, Auguſtini, Pacomij, quænam mihi quæſo in hac re neceſſitas imminet obſequendi? Solùm quippe id à me poſſe exigi arbitror, quod promiſi. Hactenus Bernard. Quietiã cap. 8. ſubiungit. Videtis iam ergo obedientiæ limites quos requiritis. Eſt enim modus obedientionis tenor profeſſionis, nec ſe valet extendere poteſtas imperantis, niſi quatenus attigerit votum profitentis. Profectò citra & vltra, necnon etiam econtrà, quid aliud quàm obedientiæ limites quoſdam cenſuerim, & his ſuis terminis virtutem eamdem circumcludi? Et infrà. Ergo Prælati iuſſio, vel prohibitio non prætercat terminos profeſſionis, nec vltra extendi poteſt, nec contrahi citra. Nil me Prælatus prohibeat eorum quæ promiſi, nec plus exigat quàm promiſi. Hæc Bernardus.

Gregor. lib 1. Reg ep. 19.
Gratian. d. 74. c. Geſta.
Bernard. de præcepto & diſpenſ. c. 7.
Idem ibid. cap. 8.

Neque

53. Neque obstant argumenta in contrarium, quoniam D.Thomæ elogium ab ipso explicatum habemus quodlibeto 10.art.10. vbi dicit, obedientiam religiosorum dici vniuersalem & quoad omnia, non quia comprehendat ea quæ supra, aut præter regulam sunt, aliàs etiam comprehenderet ea quæ contra illam, sed quia est circa generalem vitæ dispositionem, quam obedientię, paupertatis & castitatis vota concludunt. Illud itē quod de Pontificibus, déque Capitulis generalibus atque prouincialibus ac demum de Prælatis obiicitur, citra dictorum præiudicium est: quia implicitè, vel explicitè credendum est omnia illa in regulis contineri. Quod si fortè non continentur, vtpote duriora & potiora quàm durissima & potissima regulæ, (non enim in virtute causæ potest contineri effectus præstantior sua causa) occurrendum est ad ingruentem necessitatem, secundum quam superiores nouiter decernunt ea quæ vltra professionem sunt. Necessitas quippe (vt habet vbi suprà Bernardus) non habet legem; & proinde remedium illius nullis potest esse legibus circumscriptum, nec limitibus circumseptum. Maximè in Pontifice Maximo, qui religiosorum atque religionū omnium supremus Generalis est. Quod si non vrget necessitas ad tam vrgentia iura, iniuriæ potiùs quàm iura sunt dicenda, quantumuis à Capitulis generalibus orta. Summus autem Pontifex, qui in vniuersos fideles habet iurisdictionem amplissimā, ampliter in necessariis potest obligare omnes. Cùm igitur ex vi voti obediētiæ Monachi non teneantur ad plura quàm ad ea quæ directè, indirectéve professi sunt; consequens est, eorum humilitati adscribendum, quod sese ad omnia subdant, vt cuncta superiorum suorum placita & præcepta expleant. Vnde falsum est, quod Monachi per omnia transferant voluntates suas ex vi voti obedientiæ Prælatis; non enim transferunt, nisi circa tenorem & terminū regulæ quam vouent.

Bernard. vbi suprà cap. 8.

34. Sed maior difficultas est, an regulam consuetudine religiosorum laxatam, teneantur professores illius in proprio & primitiuo rigore vigoréque obseruare. In hoc enim variæ admodum sententiæ circumferuntur. In primis enim Maior, Corduba, & alij omnino affirmatiuè respondent, ea ratione ducti, quod votum obseruandi regulam ab Ecclesia approbatam, est verè & realiter votum, & proinde obligationem inducens ex iure diuino naturali, quod nulla consuetudine aduersa relaxabile aut reuocabile est. Diuus autem Thomas, Turrecremata, Cardinalis, Ioannes Azor, Nauarrus in Summa, & alij tueri absolutè videntur partem negatiuam, dicentes excusari professos à transgressione obseruantiarum regulæ, quæ in desuetudinem abiere. Ratio illorum est, quod non præsumitur quamdiu non explicatur votum de obseruanda austeritate regulæ, quæ desuetudine obliterata est. Demum Abbas Panormitanus cap.

Maior in 4. d.38.q.20. Corduba in reg.B.Fran. cap.10.q.15. puncto 1.

D.Tho.in 4. d.38.q.1.a.3. quæst.1.ad 5. Turrecr. 17. q.1. Card. c. Ad Monasteriū. §. In refect. n.4. Azor. vbi sup q.15. Nauar c.12. n.50.

Abb.c.Super eo.

Super

Super eo.n.5.de regularibus. & cap.Deus.n.13.de vita & honestate clericorum.& cap.Cùm ad Monasterium. de statu Monachi.Felinus cap.Nam ad concupiscentiam.n.12.de constitutionibus. Decius cap.Ad nostram. n.21.& 22. de appellationibus. Siluester verb.religio. cap.15.q. 12.& alij,distinguentes inter cõsuetudinem diu multúmq; protractam, quæ immemorialis dicitur , & inter eam quæ recens, nec pristina est,nec immemorialis, dicunt obseruantiam regulæ strictam cõsuetudine immemoriali obliteratam , non obligare professores, bene tamen quamdiu tam diuturna desuetudine obliterata non est.Ducuntur ad primum , quoniam talis regula longè alia à primitiua putatur. Ad secundum verò , quia tunc probè pro integra habetur.

cap Deus. & cap.Cùm ad Monasteriũ. Felinus cap. Nam ad cõcupisc. Siluester verb. religio.

35. Dicendum tamen existimo, quod si sermo est de substantialibus & essentialibus religionis, qualia sunt vota castitatis, paupertatis & obedientiæ , quæ in religione approbata nuncupantur, tunc non obstante quantacumque diuturna immemoriali consuetudine, vel desuetudine, omnino professores tenentur ad veram legitimámque obseruantiã illius.Vota enim semel emissa iure diuino naturali obligant, quod nulla consuetudine reuocabile est. Si autem sermo sit de aliis contentis in regula ob integritatem & perfectionẽ monasticam, tunc non solùm diuturna immemoriali consuetudine,verùm diuturna, memorabili tamen,excusantur professores ab stricta obseruatione illius: eo quod ista non rationẽ voti habent,sed legũ, quæ tamẽ desuetudine diuturna,licet nõ immemoriali;reuocantur. Et hác existimo mẽtem D.Thomæ vbi suprà citati, & aliorum , qui eius vestigia insequuntur,& ei in hac parte adhærent.

36. Sed quid si Capitulũ generale aut prouinciale , aut Generalis vel Prouincialis istiusmodi religionis, præcepto tẽtaret cogere professores illius ad eius integrã rigidámq; obseruantiam? Certè adhuc in hoc est multiplex dicẽdi modus. Aliqui enim distinguunt inter doctos & indoctos, discretos & imprudentes , senes & pueros,homines & mulieres, & dicunt quod illi tenerentur, non verò isti, quia illi cogitare debuissent euenire posse & debere,vt ad primæuum statũ talis regula restauraretur , non verò isti. Alij autem solummodo distinguentes inter talis regulę peritos & imperitos,tempore quo vouere illam,dicunt quod periti tenentur obseruare regulam denuò reformatam, non verò imperiti;quia de illis, non verò de istis præsumendum est,quod illã profiteri in omni suo vigore voluerint. Alij tertiò dicunt , eos tãtùm teneri ad obseruationem regulæ sic reformatæ,qui nó habuerunt intentionem obligandi se ad regulam ita collapsam.Alij demum asserunt , integrum esse omnibus seruare,vel non seruare regulam denuo instauratam, dummodo si seruare noluerint, ad aliam religionem migrent,si verò noluerint ad mitiorem transire , suam denuo reformatam obseruent.

290. Communior tamen veriórq; sententia est, teneri omnes professores regulæ denuo reformatæ, ac ad pristinum statum restitutæ à maiori parte Capituli, illam obseruare. Ita Innocentius, Cardinalis, Abbas, Siluester, Corduba, Azor, Vazquez, & alij quammulti. Quorum ratio est, quod subiiciens se alicui per ordinem ad aliquem finem, se quoque illi subiicit in his quæ valde necessaria sunt ad talem finẽ, qualis est regulam iam collapsã reformari. Maximè quod cùm professores regulæ non coacti, sed spontanei vitæ religiosæ se subdant, & regulari obseruantiæ substernant: consequens est, vt parati esse debeant quantum est ex se, ad conseruationem illius procurandam. Quare si bonus religionis status collapsus sit, tenentur pati vt instauretur, & ad suam primitiuam austeritatem restituatur, & proinde regulam sic instauratam obseruare. Ex quo sequitur, generalia Capitula teneri sub reatu maximo, collapsam religionis austeritatem ad pristinum statũ, quantum est ex se, reuocare mediis constitutionibus & legibus strictè ad id obligantibus, placidè tamen, aliàs sensim, & suauiter latis, ne perstrepant Monachi & insiliant. Maximè quod desuetudines contra vigorem & ardorem pristini & primæui status, non tam desuetudines, contrariæve consuetudines, quàm relaxationes & abusus censendæ quodammodo sunt & vocandæ. Sed quidquid obligationis sit, humilitatis tamen est, Monachum maioribus subdi quoad omnia, iuxta gradum hunc tertium, nedum quoad ista.

Innoc. c. Super eo. Cardin. ibi. n. 2. q. 4. Abbas ibi. n. 6. Siluest. verb. Religio. c. 6. q. 6. Corduba vbi suprà c. 10. q. 2. Azor vbi suprà c. 17. Vazquez ibi. d. 154. cap. 4.

Quartus Humilitatis gradus.

1 QVARTVS humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris & contrariis rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis iniuriis tacita conscientia patientiam amplectatur, & sustinens non lasscscat, vel discedat, dicente Scriptura; Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Item, Confortetur cor tuum, & sustine Dominum. 2 Et ostendens fidelem pro Domino vniuersa etiam contraria sustinere debere, dicit ex persona sufferentium: Propter te morte afficimur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis. 3 Et securi de spe retributionis diuinæ, subsequuntur gaudentes & dicentes; Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Et item alio loco Scriptura: Probasti nos (inquit) Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribula

bulationes in dorso nostro. Et vt ostendat nos sub Priore debere esse, subsequitur dicens; Imposuisti homines super capita nostra. 4 Sed & præceptum Domini in aduersis,& in iniuriis adimplentes per patientiam, percussi in maxillam,præbent & aliam:auferenti tunicam,dimittunt & pallium:angariati mille passus,vadunt & duo milliaria,& cum Paulo Apostolo falsos fratres sustinent, & persequutores, & maledicentes se benedicunt.

38. IVARTVS *itaque humilitatis gradus*, &c. Hic proponitur alius humilitatis gradus, qui altior prædictis aliquâ ex parte est:vtique ex parte effectus, vtpote qui consistit in hoc quod est subiici non tantùm maioribus,& præpositis, supra aut præter regulam imperantibus licita, aut secundum regulam necessaria, verùm omnibus & singulis aliis illicita,iniusta & iniqua in eum iactantibus, probris, ac maledictis eum lacessentibus:quod subiectionis, submissionísque genus extremũ est. Vt autem id stabiliat,inducit primò illud Christi Domini nõ semel repetitum verbum; *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Quod (me hercle) elogium aliquibus extra rem videbitur, vtpote pertinens ad perseuerãtiam,de qua nullus hic sermo, sed tantùm de obediẽtia. At cùm in hac obedientia diuersi constituantur gradus capite isto, quorum primus est, duris rebus voluntatem submittere,appositè admodum de perseuerantia vsq; in finem elogium inductum est. Siquidem vel Christus ipse prohibens vni discipulorum suorũ interesse funeri parentis sui ad tumulandum eum:& vetans alteri nuper ad discipulatũ vocato renunciare domesticis conuersionem suam,& illis vale dicere. Prohibens ergo hæc quæ duritiem præ se ferre videbantur, vt bono illos animo esse iuberet, necessitatem perseuerandi vsq; in finẽ proposuit, subiecta quadam metaphora agriculturę. Dixit enim: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus regno Dei.* Innuẽs per hoc,quod sicut qui aratro terram subigit, totus aratro debet esse intentus, aliàs inceptum non aptè ducet sulcum;etiamsi sic semper arare, durum nimis & graue onus sit: graue siquidẽ est nõ posse arantem huc illúcque traducere oculos, sed fixos eos immobiléque in aratrum semper coniicere.Sic qui obedientiæ dat operã, obediẽtiæ debet directum iter prosequi,nec aliò digredi,quantumcumq; illud salebrosum sit; aliàs regnum Dei non recto,sed obliquo petet. Ad hoc autem quoniam præstanti excellentíq; corde opus est,subiicit in textu præceptor sanctissimus illud psalmi: *Confortetur cor tuũ,& sustine Dominum.* Quod adeò ad propositũ est,vt illud explicans D. Tho. super eumdem locum dixerit.Hoc præmittit,quia qui perseuerauerit vsque in finẽ, hic saluus erit. Vnde sustine Dominum,scilicet

xii. 10.22. 24.13.

Psal. 26.14.

D. Th. in psal. 26.

x 9.54.

bona quæcumque facis, etiamsi videantur aduersa. Quare Eccle-
siastici 2. Væ illis qui perdide-
runt sustinentiam, & qui dereli-
querunt vias rectas, & diuerte-
runt in vias prauas. Hæc D. Tho.

39. 2 *Et ostendens fidelem*, &c. Hoc pertinet ad secundum obedien-
tiæ gradum qui hic suggeritur, vtique ad illum qui circa cõtra-
ria est: nimirum circa terribilia, quæ mortificationes vocantur. Vnde pro eo quod nos; *Propter te morte afficimur tota die*, Vulga-
tus habet; *Propter te mortificamur tota die*. Et quidem ly *tota die* mortificationem refert, nõ mor-
tem, quoniam (vt Cassiodorus hic vidit & monuit) non mors vera & propriè dicta, sed mor-
tificatio est, quæ tota die, id est, per totum vitæ tẽpus afficit nos, & affligit: nam vera mors subitò vitam perimit, & illàm protrahi nullatenus sinit. Talis enim mor-
tificationis nomine primò in-
telligenda venit dira & acris vi-
tiorum resectatio, de qua ad Co-
lossenses Paulus; *Mortificate mẽ-
bra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidi-
nem, concupiscentiam malam & auaritiam.* Hos autem improbos concupiscentiæ affectus, eo Pau-
lus appellat mẽbra nostra, quo-
niam re ipsa sunt veteris illius hominis atque inueterati mem-
bra, qui corpus peccati est: de quo Rom. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, vt vltrà non ser-
uiamus peccato*: sed carnem no-
stram cum vitiis & cõcupiscen-
tiis crucifigentes, inueniamur nos mundo crucifixi, & mun-
dus nobis. Quod Monachis adeò congruum atque neces-
sarium est, vt Cassianus dicat, fi-
nem illorum esse mortificari, & crucifigere omnes voluntates suas. Et Climacus propterea vo-
cauit Monachum perpetuam naturæ violentiam.

Cassian. c. 19 c. 8.

Clim. gra. 1. scala.

Huius autem mortificationis 40.
nomen significat cõtinuas quo-
tidianásque, etiam præter expe-
ctatum & votum ingruentes ærumnas & miserias, sæpe mor-
te ipsa duriores, quas qui præ-
stanti animo tolerat, mortifica-
tionem, & quidem grauissimam subit, similem illi, pro qua Pau-
lus. *In omnibus tribulationem pa-
timur, sed non angustiamur: apo-
riamur, sed non destituimur: per-
sequutionem patimur, sed non de-
relinquimur: deijcimur, sed non
perimus: semper mortificationem
Iesu in corpore nostro circumferen-
tes, vt & vita Iesu manifestetur
in corporibus nostris. Semper enim
nos qui viuimus, in mortem tradi-
mur propter Iesum, vt & vita Ie-
su manifestetur in carne nostra
mortali.* Vita (inquit) Iesu, quo-
niam qui sic premitur & com-
primitur angustiis, redditur ho-
stia viuens, sancta, ac Deo pla-
cens. prout fieri Paulus monuit: & prout Ambrosius docuit, ex-
hortans nos ad repręsentandam semper passionẽ Christi in cor-
poribus nostris, quæ etiam no-
mine occisionis subiunctæ in textu subintelligenda est, vtpo-
te quod Christus sicut ouis ad occisionem est ductus, & nos vt oues ad mortificationem du-
ci expedit: eo quod ouium est (vt Cassiodorus notauit) nec ventilare cornua, quia non ha-
bent: nec dente contendere aut

2. Cor. 4. 8.

Rom. 12. 1.

Ambros. ad Corinth.

Cassiod. ad id Pauli.

Coloss 3. 5.

Rom. 6. 6.

rostro

roſtro, nec fuga ſe munire, aliquave reluctatione defendere. Quod ſanè Eccleſia videns pro Martyribus cecinit.

Tradūtur gladijs mare bidemiū, Non murmur reſonat, non querimonia.

Hier. epiſt. 27. Aug. Serm. 250. Monachi autem vita (vt Hieronymus dixit, & Aug. vidit) martyrium quotidianum eſt.

41. 3 *Et ſecuri de ſpe retributionis*, &c. Spes retributionis diuinæ lætitiam in aduerſis cordi inuictumque robur miniſtrat, dicente Paulo, *ſpe gaudentes*: & pſalmographo; *Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion.* Vnde Gregorius. Spes cæleſtium mentem ſolidat, ne concutiatur fluctibus tumultuum terrenorum. De qua per Paulum dicitur: *Quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Quare nunc in textu ſubiicitur, quod ſpe diuina gaudentes ſeſe ſuperiores iactabunt aduerſus omnes incurſus ærumnaſque irrumpentes, etiam extremas & igneas, licet aliàs Prælatis ſuis in omnibus & per omnia colla ſubmittant, vtpote ſcientes impoſitos diuinitus eſſe ſuper capita illorum.

Rom. 12.11. Pſal. 124.1. Greg. hom. 27. in Ezech. Heb. 6. 19.

42. 4 *Sed & præceptum Domini*, &c. Is eſt vltimus qui ſuggeritur humiliationis circa obedientiam gradus: nimirum illatas iniurias patienter ferre, & ad ſimiles ſufferēdas promptos paratoſque fieri. Quid enim in hac parte, hoc eſt, in genere ſubmiſſionis ſublimius? Certè nihil. Siquidem de Chriſto ipſo dicitur, quod exinaniuit ſe, ob id quidem quod humiliauit ſe, factus obediens vſque ad mortem crucis. Quare exemplo eius

Philip. 2. 8.

oportet eximanire nos, ictum ictu non retaliando, ſed potiùs ad excipiendum alium denuo incutiendum latus offerendo aliud, & malefactoribus bona pro malis reddendo. Cùm enim Chriſtianiſſimus ſit (prout dixit Baſilius) Dei ſimilitudo, quam humana natura capere poteſt; opus eſt Chriſtianum quemcumq; verè Chriſtianum, nedum Monachum bona pro malis retribuere, & mala patienter tolerare, atque longanimiter ferre, vt vult atque fert ipſe Deus. *Baſ. hom. 3. in Exam.*

43. Sed cùm percutienti ſe Chriſtus alteram maxillam non præbuerit, ſed potiùs impactam ſibi alapam exprobrauerit, dicens: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, ſi autem bene, cur me cædis?* non videtur perfectioni conſonum, aut ſaltem requiſitum, vno petitum colapho, ad alterum ſe offerre & exponere; quoniam aliàs Chriſtus illud non refugiſſet, ſed opere ipſo præſtaſſet. Imò Paulus in faciem percuſſus de mandato Pontificis, probris laceſſiuit eum dicens; *Percutiat te Deus paries dealbate.* Cùm igitur Paulus ex perfectiſſimis fuerit, & tamen ægrè tulerit vnam, nedum alteram alapam; videtur conſequens, hoc ſufferentiæ genus perfectionis non eſſe. Hinc Auguſtinus variis in locis, & alibi alij dicunt, hoc Chriſti elogium de offerenda & obiicienda dextra poſt ſiniſtram maxillam colaphizatam, non grāmaticaliter & prout ſonat, ſed prout ſufficit, intelligendum eſſe, nimirum in præparatione

Ioan. 18. 23. Act. 23. 3.

Aug. epiſt. 4. lib. 22. contra Fauſtum cap. 26. & lib. de mend. ad Conſen. c. 15.

animi & cordis, non verò corporis: quia non opus est corporis maxillam parare ad secundam alapam, sed cordis affectum habere ad talem pręparationem, & animo non reluctari. Quæ doctrina satis authoribus suis digna est, modò non excludamus omnem corporis præparationẽ ad ictus, sed illam tantùm quæ ad salutem vel percutiẽtis, vel patiẽtis iniuriã necessaria nó est; aliàs non tantùm in affectu, sed in effectu ipso oportet corpus exponere. Inde enim est quod Christus ipse processit obuiam satellitibus illum ad necem quærentibus, Ioan. 18. & cùm malè tractaretur, non aperuit os suum, Esaiæ 53. Per quæ Esaiæ illud impletum est: *Ego non contradixi, retrorsum non abij, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus; faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me*, iuxta quæ Irenæus, Origenes, Naziãzenus, Cyprianus, Augustinus, & alij apud Leonem Castrensem notarunt. Vnde clamantibus crucifixoribus, *descendat nunc de Cruce, & credemus ei*, acquiescere noluit, sed passione consummari, vt sic multos filios in gloriam adduceret.

Ioan. 18.4.
Esaiæ 53. 7.
Esaiæ 50. 6.
Iren. lib. 4. cap. 66.
Orig. hom. 3. *in Genes.*
Nazianz. in fine apolog. 2.
Cyp. 2. *contr. Iud cap.* 12.
August. Ser. 114. *de tempore.*
Leo Castren.

Paulus item in tribulationibus gloriabatur, Rom. 5. dissoluique cupiebat, & esse cũ Christo, Philip. 1. quia licet illi Christus vita esset, mori tamen reputabat lucrũ. Apostoli item gaudentes ibant à conspectu concilij, Actorum 5. Et ideo quod tam Christus, quàm Paulus aliquando ad secundas alapas se subduxerint, in causa fuit, quod tunc opus non erat, & quod intempestiuæ passiones extra prudentiam sunt. Quare Christus ipse, quamdiu tempus suum paratum non erat, tamdiu mortem distulit, Ioan. 7. Quamdiu autem appropinquauit, vltrò se concessit, Esaiæ 53. & Ioan. 18. Et ob idem aliquando Paulus per murum in sporta fuit demissus, Actor. 9. vt manus interfectorũ effugeret: aliquando verò martyrium alacriter consummauit. Sensus igitur verborum Christi est, tanta nos patientia & humilitate abundare oportere, vt non solùm illatas iniurias sufferamus, sed ad sustinendas illas quę denuo possunt inferri, prompti & paręti simus totiens quotiens opus fuerit. Aliquãdo enim opus est nos nõ defendere, sed (prout dixit Paulus) dare locum iræ; aliquando autem nó cedere. Quorũ quodlibet prudentiæ semper iudicio cõmittendum est; modò affectus promptus sit ad expediens: hoc enim vbique & semper necessarium est, nec vllius arbitrio relinquendum.

Ioan. 7. 6.
Esaiæ 53. 7.
Ioan. 18. 4.
Actor. 9. 25.
Rom. 12. 19.

Inde est quod legifer noster hoc Christi monitum vocat in præsenti præceptum, dicens; *Sed & præceptum Domini in aduersis & iniuriis per patientiam adimplentes.* Vt enim præceptum est illas iniurias non vlcisci, sic inferendis corde, imò & corpore non repugnare, modò ad salutem animæ necessarium sit: aliàs non est præceptum, sed consilium. De hoc enim non aliter quàm de verbo diligendi inimicos, & benefaciendi illis qui oderunt nos, philosophandum est. Vt enim præceptum est, illos

45.

Marc. 15. 32.
Heb. 2. 10.

44.

Rom. 5. 3.
Philip. 1. 23.
Actor. 5. 41.

specia

ſpecialiter diligere, boniſque operibus proſequi, quotiens illis hoc ipſum neceſſarium eſt, aliàs non niſi conſiliũ: ita in præſenti.

Quintus Humilitatis gradus.

1 QVINTVS humilitatis gradus eſt, ſi omnes cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, vel mala à ſe abſconditè commiſſa, per humilem confeſſionem Abbati non celauerit ſuo. 2 Hortatur nos de hac re Scriptura dicens: Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo. Et item dicit; Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius. Et item Prophera; Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitias meas non operui. Dixi, pronunciabo aduerſum me iniuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei.

46. 1 QVINTVS *humilitatis gradus eſt*, &c. Magnus is gradus humilitatis eſt: nam ſi magnum humilitatis argumentum in Paulo fuit contemnere maiorem quàm pro ſuis meritis laudem, iuxta illud verbum ipſius: *Parco autem, nequis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut audit aliquid de me*; quid latentes ſuos aperire næuos, & planè illos & integrò palàm facere? Etenim ſi *qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius*, opera (inquit) eius; quod humilitatis culmen, & pudoris non erit, quod aliquis non tantùm improba facta ſua, verùm & reprehenſibiles cogitationes ſuas, & ſimul ſe ipſum tam de facto quàm de cogitatu coarguat? Et quidem apud quem vnum pluris faceret in pretio haberi, quàm apud cæteros alios, vtique apud ſuum Abbatem. Magni tamen operæpretij eſt: nam quid magis conducibile ægrotis, quàm ægritudines ſuas medico ediſſerere, & penitus enucleare? Monachi autem animo febricitantis & languentis medicus Abbas eſt, vti cuiuſcumque ſubditi ſuus Præpoſitus & Prælatus. Imò non tantùm medicus, verùm & medicina. Scriptum quippe eſt: *Numquid reſina non eſt in Galaad, aut medicus non eſt ibi? Quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?* Eſaiæ item 3. aſſumptus quidam, vel præceptus potiùs ad Principis dignitatem, vt ſeſe à tanto onere vindicaret, clamauit dicens; *Non ſum medicus.* Sciens Principem Præfectumque omnem morum animorumque medicũ eſſe debere, prout Aug. Philo, & alij tradũt.

2. *Cor.* 12. 6.

Ioan. 3. 20.

Ieremi. 8. 22.

Eſaiæ 3. 5.

Aug. in Pſal. 87.

Philo lib. de Ioſeph.

2 *Hor*

47. 2 *Hortatur nos*, &c. Huiusmodi elogiis prædicta culparum cõfessio comprobatur. Primum enim quod ex psal. 36. inducitur, ad idẽ explicatur & sumitur ab Origene, Ambrosio, Hesychio, Alcuino, Haymonio, D. Thoma, Brunone, Hug. Cardinali, & aliis. Secundũ item quod ex psal. 105. refertur, in hoc eodẽ sensu explicatur à Chrysost. ibi, & aliis in locis. Tertium denique quod ex psal. 31. allegatur, apertam de peccatis confessionem præfert. Vnde colligitur, appositè admodum à sapientissimo legislatore inducta ad rem istam fuisse. Sed difficultas est, & quidem non contemnenda, an de sacramentali confessione, quæ ad peccatorum absolutionem dirigitur, vel tantùm de priuata & extraiudiciali, quæ ad alios fines refertur, sermo hic inducatur. In eo enim quod humilem confessionem indicit, sacramẽtalem significare videtur, quæ humilis debet esse: adeò vt si non est humilis, verè sacramentalis non sit. In eo autem quod elogiis veteris Testamenti cõfessio (de qua hic sermo) probatur, longè alia innuitur: quoniam veteris Testamenti confessio longè alia à sacramentali fuit. Deinde, quod non dicit confessionem istam Sacerdoti faciendam, sed Abbati, idem significare videtur: quoniam Abbas ex nullo Regulę capite quod debeat esse Sacerdos colligitur. Demum, quia sacramentalis cõfessio non tam humilitatis spontaneæ, quàm necessitatis opus est, nec tam consilij, quàm præcepti: cùm tamen confessio (de qua hic) econtrà esse videatur.

Psal. 36. 5.

Psal. 105. 1. *Chrys. in ps.* 105. *Hom. de pœnit & remiss. sicne.*

Psal. 31. 5.

48. Nihilominus ad vtramque hic prospectum existimo: eo quod vtraque Monachis non tantùm conducens, sed pro temporis & loci ratione necessaria est, & Deo semper grata. Ingenua enim humilisque ad Deum peccatorum confessio, siue iudicialis sacramentalis, sua extraiudicialis & non sacramentalis sit, coram ministro Dei, quando illi non placuit, & nobis non profuit? Placuit enim illi, eo quod verè ad gloriam, & quidem nec leuem, nec futilem, sed constantem, refertur, dicente Iosue ad latronem Achan; *Fili mi, da gloriam Deo Israël, & confitere, & indica mihi quid feceris, nec abscondas.* Vbi Hebræa ad literam; *Fili mi, constitue, quæso, gloriam Domino Deo Israëlis, & ede confessionem ipsi, atque significa, obsecro, mihi quid feceris, nec me celes.* Ecce qualiter ingenua peccatorum confessio facta homini, dicitur facta Deo, & pro gloria Dei. Esdras item inquit ad idem filiis Iuda. *Vos iniquè fecistis collocantes vobis in matrimonium vxores alienigenas, vt adderetis ad peccata Israël, & nunc date confessionem & magnificentiam Domino Deo patrum nostrorum.* Ratio autem quare talis confessio cedat in gloriam & magnificentiam Dei, profertur ab Augustino. Is enim explicans illud psal. *Præoccupemus faciem eius in confessione*, inquit. Pertinet ad laudem Dei, & maximè pertinet, quod confitearis peccata tua, quia tanto amplius laudatur medicus, quanto plus desperatur ægrotus.

Iosue 7. 19.

3. *Esdræ* 9. 7.

Aug. in psal. 49.

Prodest etiam talis confessio, 49.

profuit-

profuitque semper nobis, quia vt contumax dissimulatio scelera exaggerat, iuxta illud Prouerb. *Prou. 28. 13.* *Qui abscondit scelera sua non dirigetur*: sic simplex humilisq; confessio releuat, eadem vbi suprà Scriptura dicente; *Qui autẽ confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Vnde Tertullianus loquẽs de confessione ista dicit. Deũ honorare, & pro temporali afflictione æterna homini expugnare supplicia. Et addit. Cùm prouoluit hominẽ, magis releuat, cùm squalidum facit; magis mundum reddit; cùm accusat, excusat; cùm condemnat, absoluit. Inquantum non pepercerit tibi, intantum tibi Deus, crede, parcet. Cùm igitur vtrumque confessionis genus quod sit Deo coram ministro, tam illud quod sacramentale non est, sed prudentiale, auxiliare, & medicinale, ad confessionẽ, & medicationem, quàm illud quod est pars Sacramenti, & absolutionis sacramẽtalis materia, his prærogatiuis & profectibus gaudeat, & maximè hoc secundum; cõsequens est, vtrumq; textu isto esse cõprehensum, & præcipuè secũdum istud: vtpote ad Dei gloriã dignius, & ad nostrũ emolumẽtum congruentius. Præsertim quod humiliationis requisitum, licet vtriquè confessioni conueniatissimũ sit, sacramẽtali tamẽ est apprimè necessarium. Adde quod pro comperto cùm sit, tũc hominẽ scelera sua cõfiteri Deo, quando pœnitentia ductus, & vero dolore cõmotus illa reuelat humiliter alteri homini, etiã laico, vt Deus misereatur illi: præsertim cùm id fit intuitu cõfusionis propriæ, & aliqualis castigationis, vel etiã opitulationis ad lapsus reparãdos, vt patet ex citatis elogiis; consequens est, multo magis confiteri Deo illũ, qui peccata sua suo detegit Cõfessario spe obtinendi veniã, & absolutionẽ ab illis virtute clauiũ: & proinde vtrumq; confessionis genus in hoc humilitatis gradu comprehensum fuisse, sed illud maximè, quod maximè humile, & maximè Deo fit coram maximo eius ministro, quale sacramentale est.

50. Neque obstant argumenta in contrarium. Primum enim nihil probat contra confessionem nõ sacramentalẽ; nam etiã hæc humilis esse debet, aliàs enim nõ tã confessio quàm narratio peccatorum esset, & fortè iactãtia, vel iactatio. Ad primum itẽ pro altera parte respõdetur, elogia veteris Testamenti vtrãq; confessionẽ prospicere, vtiq; & illam quæ tunc erat in vsũ, & istã quæ nunc est: sed illã vt minus perfectam, hanc verò vt perfectiorẽ; illam vt figuram & vmbrã, hanc verò vt veritatẽ & lucẽ; eo quod omnia tũc in figuris cõtingebant illis. Quare vt pleraq; alia sacramentalẽ cõfessionẽ inumbrarũt, de quib. Bellarm. sic & ista. Prior enim cõfessio via fuit ad secũdã, & aliquale substitutum illius, & nũc quoq; est. Quare in laude habetur cõfessio verecunda & humilis, quæ fit ab aliquo naufrago corã prudenti aliquo & cordato viro, etiãsi non Sacerdote, in absentia tamẽ & defectu Sacerdotis: est. n. talis cõfessio, licet non sacramẽtalis, magni tamen apud Deum pretij, vtpote quæ glori-

Bellar. lib. 3. de pœnit c. 3.

ficat illum, dum confitetur ei coram aliquo homine, & quidem confessione humili, doloribus & mœroribus plena. Ad secundum respondetur. Primò assumptum illud falsum esse, vt constabit infrà cap.62.de Sacerdotibus Monasterij, & cap.64. de ordinando Abbate. Secundò respondetur, adhuc illo admisso,nihil omnino contra nos; quoniam mens legislatoris est, vt Monachi coram suis Abbatibus proprias confiteantur culpas meliori sanè quo potuerint modo. Is enim scopus huius quinti humilitatis gradus est. Quare si id sacramentaliter fieri potest,cõsequẽs est,vt ita fieri legislator iubeat, sin minus,secus.

51. Ad tertium respondetur, frequentem peccatorum confessionem potiùs consilij, quàm præcepti opus esse,& maximè illam quæ Abbati fit: nõ enim ex præcepto, sed cõsilio est, licet fortè olim in præcepto Monachis fuerit.Etenim(vt à maioribus nostris accepimus,& ipse planè didici à quodã prædecessore meo, vtiq; ab egregio illo huius almæ domus Sãcti Martini Matritensis Abbate Sebastiano de Villos Lada,viro verè optimo,& miraculorũ gloria tã in vita quàm in morte conspicuo) confessio illa aliquorum leuiorum defectuũ, non verò (si qui sunt) grauiorum, quam singuli Monachorum singulis totius anni Dominicis diebus Abbatibus nostris facimus, quæ nunc sacramentalis non est, licet quodammodo iudicialis sit,vnde nomen obtinuit sententiarum ; olim tamen sacramẽtalis fuit:quia olim Monachorũ defectus admodum veniales cùm essent, integram (vt mortales) confessionem non requirebant,licet ipsi integram facerent. Quod si hoc ita est,perspicuum fiet,textum huius capitis de vtroque confessionis genere subintellectum,subintelligendumque esse, & omnes Abbates olim Sacerdotes fuisse;vtpote quibus Monachorum suorum sacramentales & non sacramentales confessiones demandatæ erant:vt tanquam potiores peritioresque medici animorum vulneribus potiùs peritiúsque mederentur. Quod tamen cùm nõ sit præceptũ Ecclesiæ, potuit esse regulæ subiicientis nos ad vnũ determinatè Confessarium.

Sextus Humilitatis gradus.

1 SEXTVS humilitatis gradus est, si omni vilitate & extremitate sit contentus Monachus: & ad omnia quæ sibi iniunguntur velut operarium malum se iudicet & indignum, 2 dicens cum Propheta ; Ad nihilum redactus sum, & nescivi , vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.

52. 1 SEXTVS *humilitatis gradus est*,&c. Iure præcellum hæc humilitas occupat gradum : quoniam si prodigo illi qui spreto desertoq; parente suo,patrimonium prorsus diuen

diuendidit, & tandem luxuriosè abſumpſit, & proinde ad vltimam inopiam redactus eſt, in ſe reuerſo tam fauſtè ac fœliciter ceſſit, quod humiliando ſe regreſſum in paternam domum elegerit, non quidem ad principandum vt filius, ſed neque ad miniſtrandum vt ſeruus, ſed tantùm vt mercenarius & conductitius ad laborandum, iuxta quæ habentur apud Lucã. Quorum gratia Auguſtinus dixit. Infœlix per humilitatem impetrauit fœlicitatem. Si igitur id iſti pro humilitate hac; quid de humilitate illius æſtimandum eſt, qui pietate, & acerbitate religionis numquam deſerta, Deique obedientia numquam repudiata, imò numquam neglecta, adhuc tamen inglorie de ſeipſo meditatur & ſentit, vt ſeruum ſe inutilem, quinimò & nequam iudicet? Hoc enim aliqualiter eſt ſeipſum exinanire, etiamſi non rapinam arbitrari potuit ſe ſimilem Deo, & filium quodammodo Dei, vtique coniecturis & ſignis, quibus ipſe Spiritus teſtimonium reddit nobis coniecturale quod ſumus filij Dei. Si igitur tanta illa humilitas filij deſertoris, quid hæc filij obſequioſi?

Luca 15.

Aug. Ser. 1. in pſal. 18.

Rom. 8. 16.

53. 2 *Dicens cum Propheta*, &c. Hoc eſt quod modò aiebam, vtique gradum iſtum humilitatis exinanitionem redolere. Verbum enim; *Ad nihilum redactus ſum*, quid aliud ſonat? Sed verbum ſubſequens, *& neſciui*, iunctum ſubſequenti, *vt iumentum factus ſum apud te*, adhuc inglorius & ignobilius exinanitione eſt. Quoniam (vt Bernardus inquit) licet ſit commendabilis homini patientia iumenti apud Deum, at non inſipientia. Quare licet optabile ſit fieri iumentum Dei eius ſufferendo onus, non tamen cognitione carendo; quia opus eſt intelligere honorem, & oneris qualitatem ſapienter conſiderare, ac pro certo ſcire, quod ſeruire Deo regnare eſt, & geſtare illum, non tam onerari, quàm ornari. Quapropter magnus ille Ignatius Mariam Virginem, in pluribus quas ad eam ſcripſit epiſtolis, conſalutauit Chriſtiferam: & iumentum illud, quo Chriſtus vectus fuit Ieroſolymis, in pretio magno & munere habitum apud omnes eſt.

Bern. Ser. 7. ſuper pſal. Qui habitat.

54. At ly *neſciui* hic non coniungitur cum ſubſequenti verſu, vtique cum illo, *vt iumentum factus ſum apud te*, ſed tantùm cum præcedenti, videlicet cum illo; *Ad nihilum redactus ſum.* Cuius ſenſus eſt: valde calamitatibus meis oppreſſus, & abiectus ſum; & tamen quorſum tanta vexatio? Ingenuè fateor quod nondũ planè ſcio, quinimò quod prorſus ignoro. Eſt enim ad inſipientiam mihi, & tamen non propterea deficio, aut tãto me oneri ſubtraho, ſed potiùs vt iumentum Dei ceruicem oneri ſuppono. Vbi (vt liquidò apparet) nulla de inſipienti iumento mentio eſt, ſed nec potuit eſſe; quoniam iumentum aliquod eatenus poteſt dici inſipiens, quatenus nec virga, nec flagris capax reddi poteſt ſeruitudinis ſuæ, quam homini per naturam debet, non autem quatenus neſcit quæ altiorem & ſubtiliorem naturam

concernunt. Non enim est insipiens qui capit & sapit quæ sui instituti sunt, etiamsi alia illum prætereant. Quare homo qui se subdit Deo, ciusque oneri colla submittit, ingenueque dorsum supponit, iumentum apud Deum poterit quidem dici, at non insipiens, sed sapientissimum potiùs, vtpote obsequētissimum, in quo omnis cuiuscumque baiuli sapientia consistit.

Septimus Humilitatis gradus.

SEPTIMVS humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorem & viliorem non solùm sua lingua pronuntiet, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians se & dicens cum Propheta; Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Exaltatus sum, & humiliatus, & confusus. Et item: Bonum mihi quod humiliasti me, vt discam mandata tua.

55. SEPTIMVS *humilitatis gradus est*, &c. Hoc est illud 1. Cor. *Nō sum dignus vocari Apostolus, ego sum minimus Apostolorū.* Itē est illud quod crebrò factitabāt Sancti, nimirum prædicare seipsos omnium peccatorum extremos, illo Augustini monitu. Semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id quod nondum es: nam vti tibi placuisti, tibi remansisti; si autem dixisti, sufficit, perdidisti. Vnde Gregorius. Sancti viri quo altiùs apud Deum proficiunt, eo subtiliùs indignos se deprehendunt, quia dum proximi luci fiunt, quidquid in illis latebāt, inueniunt. Et Isidorus. Tunc se quisque Monachum iudicet, quando se minimum omnium existimauerit. Ratio autem huius est: quoniam (vt Bernardus inquit) Ordo noster abiectio est, humilitas est.

1. Cor. 15. 9.

Aug. Ser. 15. de verb. Apost.

Greg. lib. 23. mor. c. 1.

Isidor. de sum. bon. cap. 20.

Bern. epist. 142.

56. Quia verò testatum legimus; *Eccli 19. 23. Est qui requiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo* præcepit sanctissimus Doctor humilitatem prædictam intimo cordis affectu, effectuque procurandā. Ratio huius etiam est, quam Bernardus notauit, dicens. Non est periculum quantumcunque te humilies, quantumcunque reputes minorem quàm sis. Quid scis si ille, quem vilissimū, & miserrimum reputas, mutatione dexteræ excelsi futurus sit melior te? Ideo nos Dominus recumbere in nouissimo loco præcepit. Inde Hieronymus. Humilitatem sequere, non quæ ostenditur & simulatur gestu corporis ac vocis, sed puro cordis affectu. Hoc enim dixit, eo quod (vt vidit Ambros.) multi habēt humilitatis speciem, virtutem tamen nō habēt. Legifer autem noster sanctissimus, quia vtrumque in nobis appetit, vtrumq; à nobis exigit: vtique speciem & rem, pulchritudinem humilitatis & virtutem, & hūc gradum humilitatis in septimo præfigit culmine.

Ber. Ser. 37. in Cant.

Luca 14. 10.

Hier. epist. 14.

Ambr. epist. 40. ad Constantium.

Ostauus

Octauus Humilitatis gradus.

1 OCTAVVS humilitatis gradus est, si nihil agat Monachus, nisi quod communis Monasterij regula, vel maiorum cohortantur exempla.

57. 1 OCTAVVS *humilitatis gradus est.* &c. Sublime admodum humilitatis fastigium est hominem sibi constantem, sanóque sensu prædirum, numquam se suo iudicio, sed alieno semper committere, vt committit qui nihil agit, nisi quod communis Monasterij regula, vel maiorum cohortantur exempla. At non tantùm humilitatis, sed æquabilitatis etiam hoc opus est: vtpote quod deuiatio à regula morum semper est peccatum. Regula enim (vt *d. 3. c. Regula.* habetur d. 3. cap. Regula) dicta est ab eo quod rectè ducit, nec aliquando aliorsum nos trahit quàm ad rectitudinem: siue quia regat, & normam rectè agendi præscribat, distorta prauáque corrigat. Quare declinare ab illa, idem est atque à rectitudine *Esaiæ 30. 20.* deuiare. Et ideo Esaiæ 30. dicitur: *Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis ab ea neque ad dextram, neque ad sinistram.* Quia verò plures sunt casus quàm textus, adeò vt nequeant singula legibus comprehendi, ad maiorum meliorúmque exempla, vbi regula desideratur, recurrendum est. Sunt enim horum exempla efficax regula & viua, dicente Bernardo. Sermo viuus & efficax exemplum est operis. Propter quod alibi dixit. Nullum consilium melius exemplo. Viua enim regula est, vel vices regulæ supplet, & lucet vbi lumen verbi non est. Vnde Greg. In tenebris vitæ huius more astrorum lucent exempla. Vt igitur singularitatis vitiũ superbia est, & quidem grandis, qualis Pharisæi illa dicentis Lucæ 18. *Non sum sicut cæteri homines*; sic humilitatis eximiæ argumentum est, omnibus conformari, patrióque laudabiles sequi vsque ad sanguinem ritus, more Machabæi illius qui dixit: *Paratus sum mori magis, quàm patrias Dei leges præuaricari.* Quare vt cùm sumus Romæ prudentia est; & prudentiæ datur, Romano more viuere: sic cùm in religione, religioso modo agere, moréque religiosorum monasticis ritibus semper colla submittere.

Bern. Ser. de S. P. nostro Benedicto. Idem Ser. 3. de Aduentu.

Greg. lib. 4. mor. c. 22.

Luc. 18. 14.

2. Mach. 7. 2.

Nonus Humilitatis gradus.

1 NONVS humilitatis gradus est,si linguam ad loquendum prohibeat Monachus: & taciturnitatem habens vsque ad interrogationem non loquatur:monstrante Scriptura,quia in multiloquio non effugietur peccatum,& quod vir linguosus non dirigetur super terram.

58. *Luc.18.13.* NONVS *humilitatis gradus est*, &c. Si pro humilitatis encomio à Domino celebratum est, quod publicanus orans oculos non leuarit ad cælum, quid quod Monachus linguam intra septa oris, nisi rogatus priùs & interrogatus, & quasi impulsus, non moueat?Etenim vt linguæ dicaci habenas laxare,stultum, paritérque superbissimum est, aut saltem superbissimorum paritérque stultorum, de quibus legimus; *Psal.11.5.* *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* Id est, quis nobis obsistere poterit, ne loquamur quodlibet, ne dilatemus os, & eiiciamus linguam? Ita coërcere illam & in officio continere,econtrà humillimum atque prudentissimum est, Scriptura dicente; *Eccli.13.4.* *Pauper lesus tacebit*, vtique præ humilitate. Et iterum; *Ibi.20.6.* *Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur:& si compresserit labia sua,intelligens.* Et licet virtus hæc omnes omnino tangat, Monachos verò singulariter perstringit:quoniã(vt D.Bonau.docuit) religionis initiũ, linguæ frenũ. *Bonauent.in Speculo nouit.c.3.*

59. Et sanè ideo hoc,quoniam(vt Iacobus dixit) *Iacobi 1.26.* *Si quis putat se religiosum esse,non refrenans linguam suam,sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Vana,inquit.Certè non aliter atque sine fundamento domus,& sine radice surculus. Vnde Augustinus.Monache diligenter attende.Qui non refrenat linguam suam, huius vana est religio. Vbi non inquit esse nullam,sed esse vanam: habet religionis speciem, sed non rem. Et Gilbertus.Monachorum est non colloquium, sed silentium. Et est notandum apprimè cum nostro Venerab.Beda,Glossa,& aliis,quod cùm præmisisset Iacobus loco proximè citato,de illo qui legis implet opera, *hic beatus in facto suo erit*, num. 25. mox num. 26. inducta subdidit verba, vtique vanam esse religionem illius qui linguam suam non refrenat.Denotans per hoc, religioso viro satis non esse relaxare frena operibus religionis quantumuis arduis & inclytis, nisi simul cohibeat linguam, ne effutiat verba: aliàs erit beatus in facto,sed in verbo reus: quia in multiloquio peccatum non effugietur, & vir linguosus non dirigetur in terra. De quibus pleraque suprà c. 4. instrum.53. & c.6.de Taciturnitate. *Aug.Ser.5. ad fratres in Eremo.* *Gilber.Serm. 8.in Cant.*

Decimus

Decimus Humilitatis gradus.

1 DECIMVS humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promptus in risu, quia scriptum est; Stultus in risu exaltat vocem suam.

60. 1 DECIMVS *humilitatis gradus est*, &c. Iure inter humilitatis excellétiores gradus, gradus iste præfigitur, quoniã submissionis egregiæ nota est, non facilè prorumpere in risum, sed data opera comprimere eum, hoc enim bene institutis famulis maximæ curæ est, dum suis coram dominis sunt. Inciuilitatis enim & inurbanitatis agrestis arguerentur illicò, si secus facerent. Quare pro his maximè scriptum re-
Eccli.21.23. puto illud Ecclesiastici; *Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit.* Vnde humillimus Abraham subitò ridens coram Angelis Dei, pronus cecidit in faciem suam, risum vt sic celaret, ne coram tanto Senatu impolitũ aliquid agresteve videretur feciſſe.

61. Præsertim quod vice monstri est, aut esse videtur homo facilis & promptus ad risum. Quoniam cùm risiuus homo non sit, nisi quatenus admiratiuus est, & admiranda non sint nisi de rarò contingentibus, etiam risus rarus atque de rarò contingentibus esse debet. Risus inquam, non lætitia aut gaudium, quæ comites (me hercle) sunt, erúntque bonæ conscientiæ. Vnde scriptum legimus: *Lætamini in* Gen.17.17. *Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.* & iterum: *Vox exultationis & lætitiæ in tabernaculis iustorum.* & rursum: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Neque etiam prorsus inhibetur risus, sed incontinens. Vt enim est tempus flendi, ita & ridendi: iuxta quæ habentur Eccli. 34. Sed de his nos multa cap. 4. instrum. 54. & cap. 6. ad finem.

Vndecimus Humilitatis gradus.

1 VNDECIMVS humilitatis gradus est, si cùm loquitur Monachus, leniter & sine risu, humiliter cum grauitate, vel pauca verba & rationabilia loquatur, & non sit clamosus in voce, sicut scriptum est; Sapiens verbis innotescit paucis.

62. UNDECIMVS *humiluus gradus est*, &c. Hic præceptor sanctissimus illud circūstantiæ compingit quod efflagitabat Dauid cùm petebat, *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labus meis.* Ostium enim circumstantiæ, hic idem est quod ostium circumstans & ambiens totum os, ne vel minima pateat rimula, qua verbi minus exculti circumstantia effluat, quidvę pœnitentia dignum profiliat. Huius enim ostij partes septem numero sunt, quas hic Sanctus Doctor attexit. Prima est sermonis lenitas & suauitas, quæ plausibilis cunctis, & super omnem conceptum grata est, dicente Scriptura; *Tibia & psalterium suauem faciunt melodiam, & super vtraque lingua suauis.* Vnde inter encomia sponsi ponitur; *Guttur illius suauissimum.* Et sponsæ in præconium dicitur, *eloquium tuum dulce.* Et ideo de impostoribus notatur; *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* & Prou. 20. *Custodi te à muliere extranea, quæ verba sua dulcia facit.* & Rom. 16. *Domino non seruiunt, sed ventri, qui per dulces sermones seducunt corda innocentium.* Ratio autem est experimentum quod faciunt operæpretij quod apud homines suauiloquium habet, & ideo imitantur illud, vt facilius eos circumueniant.

Psal. 140. 3.

Eccli. 40.

Cant. 5. 16.

Cant. 4. 3.

Psal. 54. 22.

Prou. 20. 5.

Rom. 16. 18.

63. Secunda pars sermonis est grauitas & seueritas; id ęnim sonat ly, *siue risu.* Licet enim ridentem dicere verum nemo vetet, serio tamen seueręque ridentem loqui implicatorium innatura est. Vnde licet Iob de auditoribus suis dixerit; *Expectabant me sicut pluuiam, & os suum aperiebant, quasi ad imbrem serotinū:* tamen immediatè subdit; *Si quādo ridebam ad eos non credebant.* Vtique, quoniam quæ per risum dicuntur, licet vera esse possint & seria, quia tamen non seriò dicuntur, ludicra putantur, & propterea non creduntur.

Iob. 29. 24.

64. Tertia, quod humiliter proferatur: sermo enim quantumuis sallus & serius, tumidè tamen & elatè emissus, stomachū magis mouet, quàm mentem allicit. Vnde nec sublimia elatè prōmenda sunt, Scriptura dicente; *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes.* Quare Pharisæus ille licet bona sua Deo narrando retulerit, quia tamen id non fecit humiliter, sed elatè, ingrata Deo eius gratia fuit: econtrà verò peccatorum publicani confessio, quia verecunda & humilis, grata nimiùm & placens. Quare loquuturus ad Deum Abrahamus Patriarcha dixit; *Loquar ad Dominum meum cùm sim puluis & cinis*, hoc est, quia puluis & cinis sum.

1 *Reg.* 2. 3.

Luc. 18. 14.

Gen. 18. 17.

65. Quarta, quod grauiter proferatur sermo, hoc est, non temerè, non inconsideratè, nō pueriliter, non iuueniliter, sed prudenter, cordatè, viriliter seniliterque loqui. Vt enim leuis vanúsque sermo conscientiæ leuis ac vanæ (prout Augustinus & Bernardus notarunt) index est; sic sensatus ac prudens, prudentis atque sensati. Mentem enim hominis (vt etiam Bernardus ait) moresque lingua pandit. Et qualis sermo ostenditur, talis animus

Aug. Ser. 3. ad fr. in Eremo.

Bern. de interiori domo. cap. 43.

animus comprobatur, quoniam ex abundantia cordis os loquitur. Sic Bernardus. Quare ſtudendum eſt non quodlibet loqui, ſed quod oportet, vtique ſeria & ſana. Maximè quoniam (vt Auguſtinus habet) omne quod non ædificat, in periculum vertitur audientium & dicentium. Et ideo lingua noſtra non voluntatem ſequutura eſt, ſed rationem.

Auguſt. vbi ſup.

66. Quinta, parcè & temperatè loqui, vtique non multiplicãdo, ſed pondere ſententiarum exornando verba, quoniam (vt Auguſtinus inquit) verba non numeranda, ſed expendenda ſunt. Et alibi. Volo inſtruere linguam tuam bene loqui; da ei moderatum: pretioſa enim lingua non confert niſi diuina verba. Non opus eſt tibi multum loqui: ſed ſi interrogatus fueris, melius eſt reſpondere breuiter, quàm diutiùs immorãdo verba curioſa & prolixa oſtendere. Verboſitas enim quid aliud eſt, quàm ſemen quod fructum non facit?

Auguſt. Ser. 45. de verb. Domini.

Idem Ser. 3. ad fr. in Eremo.

67. Sexta, rationabiliter loqui, nimirum aptè & ad rem, videlicet prout rei neceſſitas vtilitaſve poſtulat. Quas explicans Baſilius inquit. Verborum vtilitas erit, ſi aut de virtute in loco diſſeratur, aut ad rei alicuius quæ facienda inſtet, vrgeatque vſum ſermo accommodetur; aut etiam ad audientium ædificationem referatur. Qui autẽ in alio quouis genere ſermonis verſantur, hi reiiciendi tãquam ſuperuacanei atque inutiles ſunt. Inde Chryſoſtomus expendens illud Pauli verbũ ad Epheſ. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem*, notat quod Paulus nõ dixit, ſi quis eſt bonus ſermo, procedat, ſed, ſiquis eſt bonus ſermo ad ædificationem, innuẽs per hoc quod nec verbum bonum dicere ſine cauſa debemus. Ratio autem eſt, quoniam cùm ſermo ſit (prout Nazianzenus notauit) mentis fœtus: mens autem ſit (prout D. Tho. habet) altiſſimũ animæ noſtrę & præſtãtiſſimum, natura cõparatum eſt, vt omnis ſermo excellentiã prę-ſtantiãque referat, præter illum qui amãtię eſt, vtpote ſine mẽte, & ex conſequenti irrationalis.

Baſil. in conſtit. monaſt. cap. 12.

Chryſ hom. 15. Imperfect.

Epheſ. 4. 29.

Nazianz. Oratione 26.

D Thom. de verit q. 10.

68. Septima demum, ne clamoſus ſit. Vbi non omnis inhibetur clamor, cùm Dauid ad Dominum, cùm tribularetur, clamarit; & Chriſtus ipſe clamore valido orarit ad Patrem, & populum clamando docuerit, & Ioannes Baptiſta fuerit vox clamantis in deſerto. Clamor enim (vt Baſilius notauit) inarticulata vox eſt, quæ dum perſtrepit, aures tundit, concutit & vellicat, quod inſuaue multum durumque auditoribus eſt, præſertim in familiari colloquio. Cùm enim vox ventus ſit, eatenus erit placida quatenus lenis: vehemens enim ventus procelloſus eſt, & proinde horribilis. Quare licet vox clamãtis in deſerto placeat, domi tamẽ ingrata cunctis & horriſona eſt. Ecce ſeptẽ quibus circumſtãtiæ oſtiũ conſtruitur partibus. Inter humilitatis autẽ gradus reponitur, Monachũ non aliter quàm his comitib. loqui: quia tot ſubiici legibus ad apertionem oris, humillimum valde eſt.

Pſal. 119. 1.

Heb. 5. 7.

Luce 8. 8.

Marci 1. 2.

Baſil. in pſal. 32.

Duodecimus Humilitatis gradus.

1 DVODECIMVS humilitatis gradus est, si non solùm corde Monachus, sed etiam corpore humilitatem se videntibus semper indicet; id est, in opere, in Monasterio, in oratorio, in horto, in via, in agro, vel vbicunque sedens, vel stans inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus. 2 Reum se omni hora de peccatis suis existimans, iam se tremendo iudicio Dei præsentari existimet, dicens sibi semper illud quod publicanus ille Euangelicus fixis in terram oculis dixit: Domine non sum dignus ego peccator leuare oculos meos ad cælum. Et iterum cum Propheta: Incuruatus sum, & humiliatus sum vsquequaque. 3 Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis, Monachus mox ad charitatem Dei perueniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem, per quam vniuersa, quæ priùs non sine formidine obseruabat, absque vllo labore, velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodire, non iam timore gehennæ, sed amore Christi, & consuetudine ipsa bona, & delectatione virtutum: quæ Dominus iam in operarium suum mundum à vitiis suis & peccatis, Spiritu sancto dignabitur demonstrare.

69. 1 DVODECIMVS *humilitatis gradus*, &c. Extremus is humilitatis gradus extremam humilitatem complectitur, vtique humilitatem cordis & corporis, intrinsecam & extrinsecam, quoad Deũ pariter, & quoad nos. Qualis certè fuit illa Dauid dicentis; *Ludam, & vilior fiam, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis*, &c: Et illa Christi Domini, qui mitis fuit, & humilis corde, & qui vt triumphum ageret venit mansuetus, sedens super asinam; & illa Pauli dicentis ad Corinth. *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus.* Et demum illa vigintiquatuor seniorum, de quibus in Apocal. *Procidebant, ante sedentem in throno, mittentes coronas suas ante thronum Domini Dei sui.* Consistit enim is humilitatis gradus in eo, quod omnia nostra vbique & semper humilitatem effient, & aspirent, adhuc in omni loco, situ & habitu.

2. Reg. 6. 22. Matt. 11. 29. Matth. 21. 5. 1. Cor. 15. 8. Apoc. 4. 10.

Et licet Gregorius Nazianzenus dicat in laudem patris sui. Non enim in veste, sed in animi con- 70. Nazianz. Orat. 12.

constantia humilitas illi fixa erat: nec colli depressio, aut vocis demissio, aut vultus inclinatio, vel promissa barba, aut capitis ad cutem vsque rasi exornatio, aut certus incedendi modus humilitatem effingebat; quæ vt ad breue quoddam tempus exprimi possunt, ita quàm celerrimè sese produnt: quin potiùs idem, & vita maximè sublimis, & animo perquàm humilis erat. Quibus videtur humiliationis speciem, licet non rem improbare. Intelligendus tamen est de humilitate ficta, & ad ostentationem composita, vt patet verbo illo (humilitatem effingebat) non autem de illa quæ vera humilitas & ex animo est. Hæc enim sicut totum hominem negligit, & pro nihilo ducit, sic totum deiicit & ad infima quæque demittit: eo sanè fulta præsidio, quod vel nimia nusquam humilitas nocuit, nocereve potest. Vt enim Bernardus inquit. Non est periculum quantumcumque te humilies: est autem grande malum, si vel modicè te extollas. Quemadmodum enim si per ostium transeas, cuius superliminare nimiùm bassum sit, non nocet quantumcumque te inclinaueris, nocet autem si vel transuersi digiti spatio plusquàm ostij patitur mensura erexeris, ita vt impingas: sic in anima non est planè timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiúmque pauenda vel minima temerè præsumpta erectio.

Bern. Ser. 37. in Cant.

71. 2 *Reum se omni hora*, &c. Ecce causa humiliationis tam profusæ, vtique conscientia propria; & consideratio peccati contra Deum commissi; quæ maximè ad humilitatem pariter & confusionem materia sunt, dicente iterum eodem qui suprà Bernardo. Propheta clamauit ad Dominum; In veritate tua humiliasti me. Nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera cognitione sui, cùm se perceperit oneratam peccatis, intricatam curis, carnalium desideriorum fæce infectam, cæcam, curuam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, procliuem ad vitia, inualidam ad virtutem? Vnde huic iam extollentia oculorum? Vnde leuare caput? Nonne magis conuertetur in ærumna sua dum configitur spina? Conuertetur inquam ad lacrymas, conuertetur ad planctum, & gemitus, conuertetur ad Dominum, & in humilitate clamabit; Sana animam meam, quia peccaui tibi. Causa item est, & quidem vehemens incussus necessariò timor ex consideratione iudicij, quod æquus ille supremúsque Iudex in omnes pronunciabit sontes. A quo ad neminem, etiã ad ipsum Deum prouocare licebit. Vnde Dauid; *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* Item tam illud publicani, *Domine non sum dignus*, &c. quàm illud Dauidicum: *Incuruatus sum vsquequaque*, quod desumptum est ex psalmo 37. vbi dicitur. *Miser factus sum, &*

Bern. Ser. 36. in Cantica. Psal. 118. 56.

Psal. 118. 120.

Psal. 37. 7.

circuatus sum vsque in finem tota die contristatus ingrediebar : quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.

72. 3 *Ergo his omnibus*, &c. Omnis humiliationis, & omnium humilitatis graduum effectus tandem hic præfigitur, vtique charitatis obtentio; vtpote quod humilitas profundissimum paritérque solidissimum fundamentum cùm sit, ad eminentissimum omnium naturaliter sustinendum destinatur fastigium, quale charitas est, vt habetur 1. Cor. 13. 13. & ad Colost. 3. 14. Vnde Augustinus de charitate inquit. Cogitas magnam fabricam extruere celsitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis. Est enim charitas excellentissima virtutum, prout ex professo docet D. Thomas. Vtpote quod (vt notauit Hieronymus) charitas est quæ primatum obtinet inter fructus spiritus, dicente Paulo; *Fructus autem spiritus sunt charitas, gaudium*, &c. Quare Augustinus dixit, quod sola charitas discernit inter filios regni æterni, & filios gehennæ.

Aug. Ser. 10. de verb. Domini.

D. Tho. 2. 2. q. 23. art. 6.

Hieronym. super ad Galatas.

Augustinus 15. de Trin. cap. 18.

73. Ratio item est, quoniam (vt Ambrosius dixit agens de humilitate & charitate) in nullo hæ virtutes adinuicem diuiduntur, & ambarum tam indiscreta connexio est, vt qui in vna earum constituitur, simul vtraque potiatur. Sicut enim pars charitatis est humilitas, ita pars humilitatis est charitas. Et præmisit id quod etiam Aug. vbi suprà notauit: vtique quod tam humilitati quàm etiam charitati quadrat id, quod de charitate dicitur, videlicet quod *non inflatur, & non est ambitiosa*, seu (vt Syrus vertit) *non patrat quod pudendum est.* Quod explicans Oecumenius dicit significare quod charitas nihil sibi putat indecorum esse, licet vile aliàs & abiectum sit; quod tamen proprium est humilitatis. Inde traxit originem celebre brocardicum illud,

1. *Corint.* 13. 4.

Oecumenius super id ad Corint. 13. 4.

Non bene conueniunt, nec in
vna sede morantur
Majestas & amor.

Vtpote quod amor humilitate gaudet, & majestatem despicit, quoties rei amatæ expedire iudicat.

74. Item cùm per charitatem nos maneamus in Deo, & Deus in nobis, ad quod nos ascendere, Deum verò descendere oporteat, (eo quod charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis) aliqua, per quam nos ascendamus ad Deum, & per quam Deus ipse descendat ad nos, scala opus est. Quænam verò præter istam quæ humilitatis duodecim compacta est gradibus, atque constructa? Quare meritò præceptor noster sanctissimus humilitatem istam tot ascensionis atque descensionis gradibus constantem, scalam Iacob esse dixit, eamque illi assimilauit.

1. *Ioan.* 4. 6.

Roman. 5. 5.

75. Et est notandum quod his humilitatis gradibus non tantùm charitas mox obtinenda promittitur, sed perfecta charitas, vtpote quod promittitur illa, quæ expellit timorem, quod tantùm de perfecta dicitur iuxta illud Ioan. *Perfecta*

1. *Ioan.* 4. 18.

cha

charitas foras mittit timorem. Eatenus verò expellit timorem, quatenus impauidos nos, promptos & alacres reddit ad subeunda quæque pro Dei amore acerbissima, adinstar Pauli dicentis; *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames?* &c. Nihil enim quod iure præcipitur, etiamsi acerbissimum, durum amanti videtur, sed gratum valde & suauissimum. Cuius gratia Christus dixit: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*, vtpote quod sermonem habebat ad illos quos ad charitatem inuitabat. Idcirco dixit iure Paulus; *Plenitudo legis est dilectio.* Ea sanè ductus ratione, quod dilectio est prompta exequutio omnium possibilium, quæ illi iubentur; adeò vt propterea Gregorius dixerit, id quod postea in prouerbium cessit: Probatio dilectionis exhibitio est operis. Et rursum de charitate Paulus dicit, quod non irritatur, nec cogitat malum, nec gaudet super iniquitate, sed potiùs quod veritati congaudet, & quod omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet; & ideo omnia hilariter & alacriter implet, & cito citiùs complet, vt alter Dauid qui dixit; *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.*

v.3.35. *xi.11.29.* *xiii.13.10.* *1. Cor.13.4.* *Psal.118.23.*

CAPVT VIII.

De diuinis officiis in noctibus.

1 HYEMIS tempore, id est, à Kalendis Nouembris vsque ad Pascha, iuxta considerationem rationis octaua hora noctis surgendum est, vt modicè amplius de media nocte pausetur, & iam digesti surgant. Quod verò restat post vigilias, à fratribus, qui psalterij, vel lectionum aliquid indigent, meditationi inseruiatur. 2 A Pascha autem vsque ad supradictas Kalendas Nouembris sic temperetur hora vigiliarum agenda, vt paruissimo interuallo, quo fratres ad necessaria naturæ exeant custodito, 3 mox matutini qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

1. *Hier tom.2. epist.52.*

1 HYEMIS *tempore*, &c. Auctor est. D. Hieronymus epistola ad Riparium, hæreticum Vigilantium. *Idem tom. 9. epist. 56.* inter alia Ecclesiastica officia nocturnas vigilias exprobasse.

Fortè, quoniam (vt idem Hieronymus de obseruatione vigiliarum inquit) nox est caligo corporibus, quæ non solùm homines, sed etiam cunctos somno detinet animantes, vt reformatis viribus per soporem, possint diuturnos labores sustinere viuentes. Bonus Deus! qui ita prospexit, ita constituit, vt homo exiturus ad opus suum & ad operationem suam vsque ad vesperam, haberet vicarium tempus, in quo à duris laboribus, & multa fatigatione requiescere præstitit. Quę verba allusionem, & quidem euidentissimam faciunt ad illa psal. *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi. Ortus est Sol, & congregati sunt; & in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.* *Psal.* 103. 20.

2. *Hieron. vbi suprà. Isid. 1. de diuin. off. c. 22.*

Nihilominus (vt eo ipso loco Hieronymus, & ex eo Isidorus) antiqua est vigiliarum deuotio, familiare bonum omnibus Sanctis. Isaias Propheta clamabat ad Dominum dicens: De nocte vigilat spiritus meus ad te Deus, quia lux præcepta tua sunt super terram. Item Dauid: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Hoc enim tempore vastator Angelus transiens primogenita Ægyptiorum percussit. Vnde & nos vigilare oportet, ne periculo Ægyptiorum admisceamur. Iisdem etiam horis venturum sese Saluator adstruxit. Et ideo vigilare nos monuit dicens; Beati serui illi, quos, cùm venerit Dominus, inuenerit vigilantes: & si vespertina hora venerit, & si media nocte, & si galli cantu venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. Neque tantùm verbo, sed exemplo etiam docuit vigilias; siquidem sæpe erat pernoctãs in oratione Dei. Paulus quoque & Syllas in custodia publica circa medium noctis orantes, hymnum cunctis audientibus cecinerunt. Vbi repentè terræmotu facto, & concussis carceris fundamentis, ianuæ sponte apertæ sunt, & omnium vincula dissoluta, Actorũ 16. Quare improbandum est hęreticorum genus, qui superfluas iudicant vigilias sacras, & spiritali operi infructuosas: quos propterea Græci Nyctages dicunt, hoc est, somniculosos, quia totam noctem ad requiem, diem tantùm ad laborem addicunt. Hæc Isidorus ex Hieronymo, apud quem pleraque de hoc. Et apud Clementem Romanum habetur Canon, ex quo euidenter arguitur nocturnum officiũ sacrum à tempore Apostolorum principium sumpsisse.

Clem. Rom. lib. 8. const. Apost. c. 30.

Præterquàm quod notum testatumque est (apud Vegetium, Hieronymum, & alios) veteres noctem in quatuor vigilias fuisse partitos: quarum singulas triũ horarum spatio supputabãt. Vnde Augustinus. Vigilia vna tres horas habet, ac per hoc quatuor vigilias habet, ternis horis per singulas vigilias distributis. Quã partitionem noctis vsque nunc exercitus omnis militaris obseruat, seruatque in excubiis quas per suos vigiles facit. Si igitur id iure receptum, & in more necessariò positum, propter inimicorum,

3. *Veget. de re milit. lib. 3. cap. 4. Hier. epist. 119. & in psal. 89. Aug. Ser. 14. de verb. Domini.*

corum, quos terra fert, incursus: quid propter hostes animę, quos etiam infernus infert? Vnde Ecclesia cùm acies castrorum sit, quatuor obseruat vigilias noctis: de quarum prima fit mentio
Thren.2.19. Thren.2. *Cōsurge in nocte, in principio vigiliarum tuarum.* De secūda & tertia Lucæ 12.38. *Si venerit in secundâ vigilia, & si in tertia vigilia venerit.* Et de quarta
Matt.14.25. Matth. 14. *Quartâ autem vigilia noctis venit ad eos.* Quas sub alio
Marci 13. 35. nomine Christus Marci 13. significauit dicens: *Nescitis quando Dominus veniet, serò, an media nocte, an galli cātu, an mane.* Vnde Arnobius. Prima custodia à vespere, secunda à media nocte, tertia à tertia noctis hora, & quarta vigilia matutina. In quibus olim quatuor vigiliæ distinctæ recitabantur, vt author est
Durand. lib. 5. cap. 3. D. Tho. sup. 1. Cor. 14. Hier. epist. ad Eustochium. Guillielmus Durandus in rationali diuinorum, cum D. Thoma. Quod Hieronymus non obscurè indicauit, licet iam Ecclesia has quatuor vigilias, tres ex nocturnis, & vnam ex matutinis laudibus, in vnam noctis vigiliam (ob humanam fragilitatem) commutarit. Sacra ergo nocturna antiqua & honesta sunt, vtpote instituta ad animarum præsidium contra illarum hostes. De quibus cap. 9. num. 4.

Neque obstat argumentum contrarium in fonte huius capitis præfixum; quoniam (vt idem
Hieron. vbi supra in n. 1. Hieronymus dixit) etiamsi nox sit ad humanam quietem parata, adhuc tamen multis familiare est, aliquam particulam noctis operibus deputare, & pro lucro habere, aliquid de somno suo ad operandum furari. Cuius gratia à Salomone laudatur fœmina, quæpensa & lanificiū ad lucernā vigilanter exercet, & sic viro suo gloriam & laudem ascisci. Etenim in Prouerbiis de muliere forti dicitur, quod nocte surrexit, & quod digiti eius apprehenderunt fusum, & quod nobilis in portis vir eius. Et hoc posito infert: Si in carnalibus instrumentis quæ vigilat non reprehenditur, imò laudatur, mirari me fateor, esse aliquos qui sacras vigilias tam spiritali operi fructuosas superfluas existimāt, aut otiosas, aut importunas. Et subdit, hos non alios quàm pigros & somniculosos, vel saltem senes infirmosve esse posse. Quod si pigri sunt, habere contra se sciant Prouerbiorum illud; Vade piger ad formicam. Si somniculosi, illud: O piger quousque dormis? Superueniet tibi quasi viator egestas. Si autem senes, habent cōtra se quod nemo eos compellit vt vigilēt, & ideo vigilantes exprobrare non debent. Maximè quod senes, eo ipso quod senes sunt, vigilare compelluntur. Si autem infirmi, tantùm abest vt reprehendere possint vigilias, vt potius vigilantibus sese iungere debeant, vt illos precibus viribusque adiuuent, saltem vt aliquando dicant: In matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus. Et vniuersaliter loquens subdit, non debere onerosum difficileve putari, etiam delicatis corporibus, ad sacras vigilias surgere. Tum quia hoc propriè est, aliquam partem noctis Deo deputare: tum quia qui sanctus est, amat vigilias,

qui

qui verò peccator, maximè illis indiget.

5. Sed quidquid de aliorum fidelium vigiliis nocturnis esset, nostræ tamen Benedictinæ citra calumniam sunt: vtpote quod prudentissimus noster legislator,& parens,sic vigiliarum nostrarum in hoc capite temperauit horas, vt ad vigilias nocturnas Monachos non nisi secundum considerationem rationis surgere velit, vt degesti surgant ad eas. Exquo autem cibus digestus est, potiùs vigilia quàm somno gaudet. Vt enim Aristoteles inquit, somnus fit maximè post sumptum cibum,quia tunc sursum effertur copiosus & corpulentus humor, qui cùm constiterit in cerebro aggrauat, & dormire facit. Vnde cùm decocto, digestoque cibo corpulentus is humor non perseueret, consequens est, vt neque effectus illius, vtique somnus vrgeat.

Arist. lib. de somno & vigilia cap. 3.

6. Sed difficultas est, quid per octauam noctis horam noster hic subintellexerit Pater. Aliqui enim ex nostris, imò plurimi & plures intelligunt secũdam quæ post dimidiam noctem insonat horam:ea(proculdubio) ratione fulti, quod in æquinoctio hyemali à prima noctis hora vsque ad secundam post dimidiam noctem octo horæ interfluunt: & ideo apud illos vigiliæ sacræ hora secunda post mediam noctem sunt. Sed cùm ratio surgendi hora octaua ad diuinum officium tantùm sit (prout in textu habetur) *vt modicè amplius de media nocte pausetur*, non videtur finem pausationis huius vsque ad secundam post mediam noctem horam protrahi producique posse. Duæ enim horæ post dimidiam noctem elapsam non sunt in rigore sermonis modicum amplius de media nocte,sed multum amplius, maximè ad pausandum & requiescẽdum. Nec sufficit,si dicamus totum istud tempus prærequiri vt Monachi digesti surgant,qui est potissimus tantæ pausationis finis. Non inquam sufficit, quoniam hic non inducitur sermo de toto tempore anni, sed tantùm de hyemali parte,vtique dẽ illa quæ à Kalendis Nouembris vsque ad Pascha est Constat autem quod totum hoc tempus Monachi ieiunando persoluũt, siue propter regulæ,siue propter Ecclesiæ ieiunia; & proinde quod non solùm ante mediam noctem,sed etiam in prima nocte digesti erunt. Maximè cùm monasticus cibus sobrius admodum,leuisque sit,& proinde coctioni facilis.

7. Alij rursum ex nostris,vtique Cõgregatio nostra Hispana, per hanc noctis horam octauam intelligunt dimidiam prorsus noctem; quoniam à Kalend. Nouembris à prima noctis hora vsque ad mediam noctem octo penè horę effluunt:eo quod nox à quarta promeridiana tunc incipit hora, aut saltem longè ante quintam, vtique à quarta & dimidia, quinimò & ante dimidiam, & ideo vt octo horarum spatium adimpleretur,subiicitur in textu, *vt modicè amplius de media nocte pausetur*, saltem quia modicè plus à quarta pomeridiana hora incipit ad vesperas serum

ſerum & nox fieri. Vnde in articulo mediæ noctis ſurgunt ad officia nocturna, & ad vigiliarum penſum Monachi noſtri. Quibus ſi obiiciamus textum regulæ præcipientis, *vt modicè amplius de media nocte pauſetur, vt ſic digeſti ſurgant.* Reſpondere poſſunt, quod parum pro nihilo reputatur in iure, & ſic idem eſt modicè amplius de media nocte pauſare, atque vſque ad mediam noctẽ dormire. Præſertim cùm ad digeſtionem, quæ motus ſucceſſiuus eſt, & quæ ſenſum & paulatim fit, modicum interuallum quaſi nullum interuallum ſit.

3. At ego crediderim, legiſlatorem noſtrum vigiliarum ſacrarum indiuiduam horam non præfixiſſe, ſed rationis conſiderationi commendaſſe, vt non multo poſt à mediæ noctis tempore fratres ſurgerent ad officia nocturna. Dixit enim, à Kalendis Nouembris vſque ad Paſcha iuxta conſiderationem rationis octaua hora ſurgant, id eſt, ſurgant hora quam recta ratio dictauerit eſſe octauam noctis horam: vtique quoniam quę vno menſe octaua noctis hora eſt, altero fortè tantum erit ſeptima, vel nona intra hyemale tempus. Quare ſi recta ratio poſtulat plus minuſve protendere, aut contrahere interuallum, hoc iure ex præſcripto regulæ fieri licebit. Sicuti quia virtutes quæ in mediocritate conſiſtunt, vti temperantia, & ſimiles, non habent medium vel præfixum, ſed medium rationis, ideo abſque conſideratione rationis non poteſt certò ſignari, quid hic & tunc ſit illis congruum. Verbi gratia, vt certò & in particulari ſignetur, quid hic & tunc temperantiæ conguat, neceſſum eſt attendere circumſtantias loci, temporis, laboris, complexioniſque, & ſimiles: quoniam ex illarum varietate pendet, quidnam pro hîc & nunc decernendum ſit: an ſcilicet ſumenda ſit libra, verbi gratia, panis, vel dimidia, vel ſexta pars tantùm. In quo planè diſtinguuntur virtutes iſtæ à iuſtitia, cuius medium, cùm ſit medium rei, non pendet à iudicio rationis menſura eius, ſed tantum quantum perſoluendum eſt, iuxta quæ ex profeſſo nos D. Thomas docuit. *D. Th. 2. 2. q. 58. art. 11.*

9. Ex quibus planè ſequitur, quod tam protrahentes vigiliarum tempus vſque ad ſecundam poſt mediam noctis horam, quàm contrahentes ad mediæ noctis punctum, regulæ ſeſe attemperant; quia iuſtis de cauſis id faciunt. Illi enim faciunt, tum quia in æquinoctio hyberno à prima noctis hora vſque ad ſecundam poſt dimidium noctis, octo tantùm horæ interfluunt: tum quia ſomno tunc ſufficienter refecti attentiùs deinde inuigilant, & expeditiùs quidquid ſupereſt noctis legendo & meditando percurrunt. Iſti autem, tum quia à Kalendis Nouembris intereſt octo horarum ſpatium à prima vſque ad mediam noctem, vtique à quarta hora pomeridiana vſque ad horam duodecimam: tum quia rationabile eſt, vt

meliori quo possimus modo, attemperemus nos laudabili cæterorum ordinum consuetudini dimidia nocte surgentium, non secus atque ipse Dauid ad confitendum Domino: prout Dionysij Areopagitæ tempore fiebat, vt habet ipse epistola ad Demophilum, & Athanasius faciendum præcepit inquiens. Media nocte surgito, & laudato Dominum Deum tuum. Et idem Basilius & Ambrosius habent. Tum vt res ipsa verbis correspondeat illis, quibus cum Ecclesia canimus,

Dionys. Areopag. epist. ad Demophilū.

Athan. lib. de virginitate circa fin.

Basil. epist. ad Gregor. Theol.

Ambros. Ser. 19. in ps. 118. 62.

Nam lectulo consurgimus
Noctis quieto tempore,
Vt flagitemus vulnerum
A te medelam omnium.

Quietum autem noctis tempus omnino est tempus mediæ noctis, iuxta illud Sapientis: *Cùm quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet*, &c. Tum denique quoniam ad meditandum, memoriæque mandandum psalterium, atque ad alia literarum exercitia explenda, opportunissimum est illud tempus matutinum, quod à fine nocturnorum effluit vsque ad principium diei, illis saltem quibus ante vigilias nocturnas satis pausatum est, aliàs post illas expletas pausandi iterum licentia non negatur.

Sap. 18. 14.

10. 2 *A Pascha autem*, &c. Hic de hora surgendi ad nocturna officia altera parte anni, hoc est, tempore veris, sermo inducitur, & quidem ita indefinitus vt præcedens: siquidem nec secundam, nec tertiam, nec aliquam in particulari horam præsignat; sed tantùm vt sic vigiliarum temperetur hora, vt terminetur finiaturque sub lucem. Ad quod aliquando maturiùs, aliquando tardiùs, aliquando priùs, aliquando posteriùs surgendum sanè est: vtpote quod aliquando officium nocturnum prolixius, aliquando breuius inuenitur, & aliquando maturiùs, aliquando verò tardiùs illucescit. Sed quia hoc fieri præcipitur secundum considerationem rationis, ideo ob eas quas suprà retulimus causas, tam qui secunda post mediam noctem hora, quàm qui in ipso mediæ noctis articulo vigilias peragunt, secundum regulam viuunt.

11. 3 *Mox matutini*, &c. Matutinæ preces apud antiquiores Patres dicuntur illæ, quas nos laudes vocamus, vt est videre in Cassiano, & Isidoro dicente vbi suprà: De matutinorum antiquitate & auctoritate testis est Dauid dicens: In matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus. Et alibi: Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Diluculo item oratur, vt resurrectio Christi celebretur: matutina enim luce radiante Dominus & Saluator noster ab inferis resurrexit, quando cœpit oriri fidelibus lux, quæ moriente Christo occiderat peccatoribus: siquidem eodem tempore cunctis spes futuræ resurrectionis creditur, cùm iusti, & omnes ab hac temporali morte, quasi à sopore somni resurgentes, cui gilabunt. Aliam Rupertus noster adiungit causam, vtique veritatem & lucem illius sacrificij quod in veteri Testamento

Cassian. lib. 3. institut. cœnob. cap. 3. 4. & 8.

Isidorus vi supra c. 23.

Rup. lib. 1. offic. cap. 19.

fiebat

fiebat in vigilia matutina, eo quod respexerat Dominus super castra Ægyptiorum, & interfecit exercitum eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Alij subiungũt pro causa laudationũ istarum, victoriam quam de nostris hostibus nocte tota deuictis reportamus, pro qua Deo gratias referre, & laudes canere debemus, more Hebræorum, qui Ægyptiis in mare demersis diluculo laudes cecinerunt.

12. Scio graue nimis esse ad primam lucem resurgere eos, qui ad mediam priùs surrexerant noctem, vel etiam secunda post mediam noctem hora. Sed præterquàm quod iam iure dispositum est, vt nocturnos vnà cum laudibus vniuersa recitet Ecclesia, prout suprà numero 3. vidimus: his qui vestiti dormiunt, & ante nocturna officia satis sunt somno refecti, graue id multum non est. Præsertim quod si somnus vrget, pausandi iterum licentia Monachis non negatur. Quos etiam consuetudo ad hæc non parum habiles facit.

13. Nec cõsideratione indignum est quod in prima textus parte subiicitur, scilicet, vt spatium quod inter nocturnas, matutinasque laudes intercst, à fratribus, qui psalterij, vel lectionum aliquid indigent, legendo & meditando consumatur. Prudenter enim admodum hoc institutum est; quoniam matutinum tempus appositissimum semper ad quodlibet meditationis opus celebratum est, vel ipsa dicente Sapientia; *Qui de mane vigilant ad me, inuenient me.* & Dauid: *In matutinis Domine meditabor in te.* & Ecclesiastico; *Iustus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu altissimi deprecabitur.* Quare Sapiens, vbi de manna omnem saporem referente locutus est, vtpote symbolo, & quidem eximio sapientiæ, dicit; *Quod ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio Solis calefactum tabescebat, vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire Solem ad benedictionem, & ad ortum lucis te adorare.* Vtique (inquit hic D. Bonauentura) vt nos illuminari velle significemus. Et ob id cùm Iacobo inditum est nomen Israëlis, quod sonat idem quod videns Deum, mane ac multo mane fuit, ante quod strenuè cum Angelo dimicauit, & à quo multa diuinitus hausit, cuius gratia vocatum est nomen loci illius Phanuel, id est, facies Dei. Est etiam matutinum tempus conuenientissimum ad excolendam memoriam, multaque illi commendanda. Quod sanè Monachis choro deditis adeò necessarium est, vt ex Augustino & Beda dicatur apud Gratianum, nomen Sacerdotis vix constare in eo qui psalterium non didicit, homilias, lectionarium, antiphonarium. Et de Leone Archiepiscopo legimus apud Theodorum Lectorem in Collect. neminem in sacrum cooptasse ordinem, qui memoriter psalterium nesciret. Et idem de Gennadio Constantinop. habemus apud Nicephorum lib. 5. historix. Quod si hæc de Sacerdoti-

Psal. 62. 7. *Eccli. 39. 6.* *Sap. 16. 28.* *D. Bonauen. Sap. 16.* *Gen. 32. à v. 26.* *Gratianus dist. 38. cap. Qua ipsis.* *Nicepb. lib. 5. hist. c. 23.* *Prou. 8. 17.*

bus laicis; quid de Monachis? Vnde Hieronymus Rustico Monacho præcepit, vt psalterium discat ad verbum. Et hic noster præceptor iubet vt matutino, quod post vigilias matutinas restat, tempore, psalmorum vel lectionum exercitio Monachi incumbant.

Hier. epist. 4.

CAPVT IX.

Quot psalmi dicendi sunt in nocturnis horis.

HYEMIS tempore, præmisso in primis versu, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. In secundo ter dicendum est: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Cui subiungẽdus est tertius psalmus, & Gloria. Post hunc psalmus nonagesimus quartus cum Antiphona, aut certè decantandus. Inde sequatur Ambrosianum. Deinde sex psalmi cum Antiphonis. Quibus dictis, & dicto versu, benedicat Abbas. Et sedentibus omnibus in scamnis, legantur vicissim à fratribus in codice super analogium tres lectiones: inter quas & tria Responsoria cantentur. Duo Responsoria sine Gloria dicantur. Post tertiam verò lectionem, qui cantat, dicat, Gloria. Quam dum incipit cantor dicere, mox omnes de sedilibus surgant ob honorem & reuerentiam Sanctæ Trinitatis. Codices autem legantur in vigiliis diuinæ authoritatis tam veteris quàm noui Testamenti. Sed & expositiones earum quæ à nominatissimis Doctoribus orthodoxis Catholicisq; Patribus factę sunt. Post has verò tres lectiones cum Responsoriis suis, sequantur reliqui sex psalmi cum Alleluia canendi. Post hos lectio Apostoli sequatur ex corde recitanda, & versus, & supplicatio litaniæ, id est, Kyrie eleison: & sic finiantur vigiliæ nocturnæ.

1. HYEMIS *tempore*. &c. Nõ tantùm psalmi, sed & pleraque alia sacris officiis digna pro nocturnis hic attexuntur horis. Nihilominus præsentis capitis titulus tantùm de psalmorum numero est: quoniam certè inter Scripturas sacras, pro eximia pars ista recolitur, Basilio dicente, quod licet Scriptura omnis diuinitus inspirata vtilis valde sit, dum Prophetæ

Basil præfat. in psal.

phetæ ad aliqua nos erudiant, & historiæ alia prædoceant, alia item lex, atque ex Prouerbiis multa documenta eruamus, nihilominus vnus psalmorum liber est, qui omnia in se complectitur, & omnis bonæ doctrinæ vberrimum & commune promptuarium habetur. Sanat enim animarum vulnera, quamtalibet vetustate occaluerint, & diutino affectos morbo pristinæ sospitati restituit; & tandem quod incolume est, integrum tuetur ac seruat. Chrysostomo etiam *Chrysost. in ps. 41.* obseruante, quod vt externis canticis damnum & exitium, & multa grauia inuehuntur, sic ex psalmis vtilitas maxima, insigníque sanctificatio, & omnis philosophiæ ratio habetur; nam & verba animam expiant, & Spiritus sanctus celeriter in animam canentis euolat. Hæc ex prædictis Patribus.

2. Hac vna de causa plura ex psalmorum libro pro diuinis depromuntur officiis, quàm ex totius legis, Prophetarũ, & Agiographorum monumentis grauissimis. Hac item de causa initium cantici omnis & voriui in sacris officiis à psalmorum libro mutuamur. Initium enim officiorum istorum est ly, *Deus in adiutorium meum intende*, &c. quod hic præmitti decernitur pro nocturnis horis; & tamen hoc desumptum & depromptũ est ex psalmo 69. & ex psalmo 39. Et meritò quidem, quoniam precationis huius tanta vis & efficacitas est, vt propter illam Cassianus dixerit, quod quidquid Monachi assumpserint, voluerint, vel tantauerint, fecerint, perfecerint, & vbicumque fuerint, siue in horto, siue in opere, siue in itinere, siue dormientes, siue reficientes, siue in vltimis ac postremis naturæ, atque similibus, trina versiculi huius repetitione se muniant: eo quod non tantùm implorent auxilium, & quidem diuinum & optimum, sed etiam promptum & absque cunctatione præstandum. Quod certè egregium adeò apud omnium oculos est, vt iure inter omnia auxilia speciosissimum hoc propterea nominandum veniat: vt euangelizantium pedes ideo nominantur speciosi, quia celeres & conciti fuerunt in peragrando orbe: & illa misericordia diuina singulariter nominatur speciosa, quæ in tempore tribulationis succurrit. Ab hoc igitur prædicti psalmi versu præcipit inchoandam nocturni officij horam præceptor sanctissimus, vbi nihil de *Gloria Patri* dicit. Sed nos bona illius venia post, *Deus in adiutorium meum intende,* tanquam indiuiduum iam comitem adiicimus.

Rom. 10. 15.

Eccli. 35. 26.

Psal. 50. 17.

3. *In secundo ter dicendum est,* &c. Optimè versiculus iste ex psalmo 50. post præmissum illum ex psalmo 69. subiicitur. Tum ad exprimendum pondus conceptæ spei ex tanta precatione deductum. Hoc enim pondus adeò ingens est, vt exquo conuenienter clamamus, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina,* illicò nobis spondeamus diuinum auxilium præstò affuturum, aperiturúmque labia nostra ad laudandum Dominum. Idque

Psal. 69. 1.
Psal. 39. 14.
Cass. coll. 10. c. 10.

propterea semel & iterum, quinimò & tertiò repetimus, vt affirmantiùs loquamur, prout hic nobis faciendum præcipitur. Psal. 126. 1. Tum quia sicut dicitur psal. 126. *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam*; sic nisi Dominus ipse labia nostra mouerit, vt laudemus cum, ægrè id nos præstabimus. Quare cùm dixisset proximè Dauid; *Exultabit lingua mea iustitiam tuam*, mox subdidit inquiens. *Domine labia mea aperies, & os meũ annunciabit laudem tuã*, innuens illud citra istud haberi non posse; hoc tamen semel obtento illud abundè sequuturum. Os enim quod Dominus aperit, miranda vbique profert: ipsa attestante Scriptura, quæ dum de Deo ipso, déque timente cum loquitur, inquit. Eccli. 15. 1. *In medio Ecclesiæ aperuit os eius, & implenit eum Dominus spiritu sapientiæ, & intellectus.* & iterum: Sap. 10. 25. *Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.* & Christus de discipulis dixit: Luc. 21. 15. *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Vbi primùm promittitur os, hoc est, apertio oris ad Dei facienda munera, postea verò sapientia.

4. Tum quia, cùm Domini sit (vt in libro Prouerb. habetur) gubernare linguam, maximè id opus erit, quando ad ipsum Deũ sumus verba facturi. Etenim si orauit Esther vt Dominus ori eius compositum sermonẽ tribueret ad placendum principi, nimirum Assuero, quid ad placendum nos Deo summo? Tum demum quoniam (vt Genebrardus refert) veteres Hebræorum Patres in Tractatu Berachoth decreuerunt in cuiuscumq; precationis principio hunc versum commemorari, eo quod commodus est ad mentis impetrandam præparationẽ: vtpote quod incipit ab Adonai per א, ד, נ, י, quo scilicet diuino nomine duce in conspicuum nominis tetragrammaton intrat oratio. Indéque transmittitur, & impletur, quidquid creaturarum necessitas exigat, exemplo Abrahæ qui primus altissimum vocauit Adonai, Gen. 15. 21. Sic ex Genebrardo. Quocirca quia Adonai idem sonat quod in numero multitudinis, Domini mei, ter hunc versum hic repetere præcipimur: vt sic Trinitatis mysterium ab exordio precum fateamur.

Genebr. ad ps. 50.

Cui subiungẽdus est tertius psalmus. 5. Etenim cùm nocturnas excubias agere eorum proprium sit, qui contra insidiantes, atque insurgentes hostes se tutari conantur, & ad idem nos aduersus inimicos animæ sacra nocturna iteramus, vtpote quod per noctem (sicut Hilarius dixit) *Hilar. in ps. 118. n. 55.* subrepunt animo impuræ cupiditates, & nocte vitiorum stimuli per recèns assumptum cibum corpus exagitant, ac maximè corporeis vitiis opportunitas datur. Et Ambrosius ibid. Multa in illo tempore tentamenta proserpunt, tunc feruet carnis illecebra, tunc tentator illudit: ideo congruenter is psalmus initio huius horæ ponitur; quoniam res ac titulus psalmi, contra multos inimicos qui insurgunt, & qui sine causa nos tribu-

tribulant atque persequuntur, sunt. Appositè item psalmus iste pro exordio nocturnorum est: quoniam sermonem inchoat fugæ illius, quam Dauid cum omni domo suâ arripuit, relicto commodo & oblectamẽto, quibus in ciuitate sua fruebatur, vt sic redderetur immunis à pressuris aduersariorũ suorum, iuxta quæ habetur 2. lib. Reg. Constat autem quod qui sacris intersunt nocturnis, id non aliter facere possunt, quàm cubiculi proprij commodis atque oblectamentis relictis: id tamen facere gestiunt, vt spontaneis istis & ad votum assumptis molestiis, violentas alias, quas ab inimicis animæ fortiter pertimescunt, tutò declinent.

Reg. 15.

6. *Et Gloria.* Gloria vtique Patri & Filio & Spiritui sancto. Is autem versiculus quod subiiciatur, præcipimur: vt ad finem cuiuslibet psalmi subiiciendum toti quondam Ecclesiæ præceperat Damasus, rogatus ab Hieronymo, postquam Constantino Imperatore Catholici ad finẽ hymnorum carmen hoc cantare cœperunt, contra Arrianam hæresim, quæ Filium & Spiritum sanctum Patre minores oblatrabat. Primi autem qui laudem istam Deo personasse leguntur, Athanasius fuit in Tractatu de Virginibus. Et Flauianus Antiochenus, qui Monachorum cœtu coacto, concentu modulatus est; *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, prout Sozomenus, Theodoretus, & Tripartita prodiderunt. Postea autem ab aliis veræ pietatis cultoribus adeò recepta est, vt Cassiani æuo cantante vno psalmos omnes adstantes ad finem occinerent; *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, prout Cassianus ipse refert. Item quod de Damaso diximus ad preces Hieronymi, Hieronymus ipse testatum reliquit epistola ad Damasum, quæ habetur tomo 1. Cõciliorum. Inquit enim. Istud carmen laudis omni psalmo cõniungi præcipias, & fides trecẽtorum decem & octo Episcoporum Niceni Concilij, in vestro ore pari consortio declaretur. Vocat autem hunc versum fidem Concilij Niceni, quia ibi Trinitatis mysterium apertiùs contra Arrianos definitum est. Et propterea carmen hoc ab vniuersali approbatum, receptúmque est Ecclesia, prout Strabo memorat libro de rebus Ecclesiæ. cap. 25.

Sozom. lib. 3. c. 19.
Theod. lib. 2. cap. 24.
Trip. lib. 4. cap. 35.

Cassia. lib. 2. instit. cœnob. cap. 3.
Hieronymus epistola ad Damasum.
Strabo lib. de rebus Ecclesiæ cap. 25.

7. In isto etiam carmine post *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, sequitur, *Sicut erat in principiò, & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.* Vt post æqualitatem in essentia, etiam sempiternitatem trium personarum profiteamur contra hæreticos contrarium blaterantes. Vnde Concilium Basense habet. Quia verò non solùm in Sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Africam propter hæreticorum astutiam, qua Dei filium non semper cum patre fuisse, sed à tempore cœpisse blasphemant, in omnibus clausulis post *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto*, dicatur etiam, *Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in secula seculorum, Amen*, & nos in vniuersis Ecclesiis nostris hoc ita dicen-

Conc. Basen. can. 7.

dicendum esse decreuimus. Id est in causa, vt tempore lætitiæ tantùm atque in rebus lætis Ecclesia ista clausula vtatur, non verò in tristibus atque ærumnosis: quoniam si musica in luctu est importuna narratio, quanto magis vox gloriæ perennis? in lætis verò grata admodum & opportuna est.

8. *Post hunc psalmus nonagesimus quartus.* Cùm excubiæ illæ nocturnæ pro tuenda contra aduersarios salute animarũ sint, iuxta superiùs dicta, conuenienter nonagesimus quartus psalmus initio illarum inducitur, in laudem vtique & honorem eius qui salus nostra est; vtpote Deus noster, & Rex magnus, magnus super omnes Deos, & in cuius manu sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipsius sunt: & cuius mare est, nam ipse fecit illud, & siccam manus eius formauerunt, & ante quem propterea procidere & plorare expedit, & illum toto corde adorare; est enim Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ eius, & oues manus eius: de quibus latè is psalmus. Item cùm non solùm manè & prorsus ante lucem, sed media in nocte surgãt, qui militares istas sacras excubias agunt, vt tanquam cultores soliciti sedulíque summi Dei, eius præstolentur auxilium, & gratiam promereantur, longè ab illis facti qui diuinam vocationem spernentes sua decreuerunt obturare corda: vti in irritatione secundum diem tentationis in deserto contigit; cui propterea generationi offensus Deus ipse quadraginta annis fuit, prout psalmus iste explicitè profert: conuenienter sacrorum nocturnorum initio introductus est. Qui enim tam intempesta noctis hora surgunt, vt famulentur Domino, & eius opem implorantes obtineant, adeò longè sunt à suis contra vocem Domini cordibus obturandis (sicut infidi aliquando obturarunt) vt ipsi Deum potiùs quodammodo præoccupare atque præuenire clamoribus videantur, vt eum, ac si dormiret, à somno soluerent, vt illos opportunè adiuuaret.

9. *Cum Antiphona.* Antiphona (ait Isidorus) ex Græco interpretatur vox reciproca, duobus scilicet choris alternatim psallentibus ordine commutato, siue de vno ad vnum. Quod genus psallendi Græci inuenisse traduntur. Et alibi. Antiphonas Græci primi composuerunt, alternatim concinentibus quasi duo Seraphim, duóque Testamenta inuicem sibi conclamantia. Apud Latinos autem primus beatissimus Ambrosius Antiphonas constituit, Græcorum exemplum imitatus. Exhinc in cunctis regionibus earum vsus increbuit. Primus autem Antiphonarũ apud Græcos author asseritur Diuus Ignatius Sancti Ioannis Euangelistæ discipulus, & qui cum Apostolis sæpe conuersatus est. Is enim ad formam Seraphinorum clamãtium & dicentium inuicẽ, Sanctus, Sanctus, Sanctus, instituit alterna intra Ecclesiam cantica, quæ tandem in vniuersalem Ecclesiam propagata sunt, prout nobis referunt Georgius Patriarcha Alexandrinus in vita Sãcti

Isid. lib. 6. etym. c. 19.

Idem 1. de Eccles. off. cap. 7.

Socrates lib. 6. c. 8. Trip. lib. 20. c. 9. Niceph. lib. 13. c. 8.

Chrysostomi, Socrates, Tripartita, & Nicephorus.

Sed certè cùm nihil minus quàm Antiphonæ alternatim à duobus choris cantentur, quia hoc proprium tantùm est psalmorum, hymnorum, & similiũ, non verò Antiphonarum, quæ simul, & non alternatim ab vniuerso choro cantantur, nescio quale hoc etymon Antiphonarum sit, nisi dicamus elogia & sententias illas quæ psalmos antecedunt, & cantica, vsu vocari Antiphonas, non quia alternatim à diuersis choris cantentur, sed quia sunt claues & indices, ad quorum modulationem ac sonum sequens canticum psalmusve alternatim cantatur. Tonus enim totius psalmi ex tono Antiphonæ sumitur; & ideo ante omnem psalmum aliquid de Antiphona prælibatur atq; præcinitur: vti paupertas spiritus, sitis & esuries iustitiæ, ac tandem persequutio & labor, pro beatitudinibus computantur Matth. 5. non quia in seipsis beatitudo sint, sed quia aditum præbent ad eam; & ad illarum modum modus etiam beatitudinis erit.

10.

Cantandus. Modus modulandi psalmos, hymnos, & similia Deo antiquissimus inter fideles est; siquidem Moyses & filij Israël exultantes de fœlicissimo transitu maris rubri (in quod inimici eorum quasi plumbum descenderant, & submersi iacuerant) carmen Domino cecinerunt. Exodi 15. Et certè non sine miraculo, quandoquidem (vt obseruauit author de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 21. apud Augustinum) miraculo tribuendum est, quod tot viri & pueri vnam eamdémque vocem, sententiásque simul personauerint: quia nisi diuino numine afflati, extemplo id facere minimè potuissent. Sed tamen illud præstitit Deus in argumentum lætitiæ & complacentiæ, quas de concentu suarum laudationum capit. Quare vt extractus Dauid à miseria, & fœlicitati donatus, debitas magno Deo gratias referret, modulationem diuinitus impressit, misitque in os illius, prout ipse testatur dicens. *Exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fœcis. Et statuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro.* Et ob id tota sacra Scriptura noua & vetus, canticis, carminibus, psalmis, hymnis, & similibus, quæ modulationem requirunt, plena est: adeò vt sicut Zacharias nato filio, & Simeon Christo agnito; sic etiam beatissima Virgo Christo concepto in carmen cantici proruperit. Et ideo non mirum est si modulationes psalmorum, hymnorum, & similium, dicamus cum Concilio Toletano, & cum Augustin. imò & cum Gratiano nostro, à tempore Apostolorum in Ecclesia introductas. Maximè cùm Dionysius dixerit Pontificem psalmos cum omnibus Ecclesiastici ordinis canere. Et Plinius iunior. Nihil aliud de sacris Christianorum comperi, quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo & Deo. Sed quid moror? Musici cantus in-

Aug. de mirab. S. Scrip. c. 21.

Psal. 39. 3.

Conc. Tolet. 4. can. 12. Aug. ep. 119. c. 18. Grat. d. 1. c. de hymnis. Dion. lib. 5. Eccl. hier. Plin. lib. 10. ep. 63.

Exod. 15. 2.

Can. 43. & 69. Ignat epist. ad Philip. uenitur mentio in Canonibus Apostolorum,& apud Ignatium Martyrem,simul & Episcopum, Apostolis ipsis coæuũ, & Euangelistæ Ioannis discipulum.

12. Fructus autem & vtilitas cantus in celebratione diuinorum officiorum apud pios patebit legenti August. de seipso inquit ad Deum. Fletus in hymnis & canticis tuis, suauesonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus. Acriter enim voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat: inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis. Et capite 7. Flebam inter cantica hymnorum tuorum, suspirans tibi,& tandem respirans, quantum patet aura in domo fœnea. Et alibi. Cùm reminiscor lacrymarum mearum, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ, in primordiis recuperatæ fidei meæ, magnam instituti huius vtilitatem recognosco. His consonat Chrysostomi illud de vita Monachorũ.Dauidica cantica multos mouentia fontes lacrymarum. Vtique siue ex deuotione, siue ex compunctione. Idcirco cùm psalmus iste nonagesimus quartus ad lacrymarum excitet profluuium, iuxta illud versiculi 3. *Ploremus coram Domino qui fecit nos:* conuenienter non tantùm vt recitetur, sed vt cantetur edicitur, quandoquidem modulatio psalmorum, etiam illa quæ ad lætitiam est, lacrymas non ratò extorquet.

August. lib. 9. confess. c. 6.

Idem ibi. c. 7.

Idem lib. 10. c. 33.

Chrys. tom. 5. hom. 58. ad popul.

13. Sed præcipua sunt quæ tomo 1.in expositione versiculi 1. psal. 41. Chrysostomus habet, explicans modulationis diuinorum officiorum, & maximè psalmorũ causam; inquit enim. Cùm Deus vidisset multos homines esse socordiores, nec ad legenda spiritualia lubenter accedere, volens gratiorem laborem efficere, admiscuit prophetiam melodiæ, vt omnes versus cantici numero delectati, cum magna animi alacritate hymnos emittant. Nihil enim animam æquè erigit, & altam quodammodo efficit, & à terra liberat, & exsoluit à vinculis corporis,& amore sapientiæ afficit,vt versus modulatus, & diuinum canticum numero compositum. Nostra certè natura vsque adeò delectatur canticis & carminibus, & tantam cum eis habet necessitudinem & conuenientiam, vt vel infantes ab vberibus pendentes, si fleant & afflictentur, ea ratione sopiantur.Quocirca sæpe quoque viatores & meridie agentes iugalia animalia,hoc faciunt, molestiam suam canticis consolantes. Agricolæ etiam vuas in torculari calcantes, vindemiantes, & vites colentes, & quodcumque aliud opus facientes, sæpe cantant. Nautæ quoque remos impellentes hoc faciunt. Mulieres quoque texentes & discernentes confusa staminaradio. Hoc autem faciunt omnes, eo quod anima si carmẽ & canticum audierit,molesta & difficilia sit facilius toleratura. Hæc Chrysostomus. Vnde vt ad nocturnorum exordia socordiam pellamus,erigamus mentem, & alacres diuinis officiis inuigilemus,

Chrys. tom. 1. in psal. 41.

imus, iure psalmum istum quod modulemur, præcipimur.

14. *Inde sequatur Ambrosianum.* Hoc est hymnus. Quē propterea Ambrosianum vocat, quoniā ab Ambrosio compositus est, dicēte Isidoro. Hilarius Gallus Episcopus Pictauensis eloquentia conspicuus, hymnorum carmine floruit primus. Post quem Ambrosius Episcopus vir magnæ gloriæ in Christo, & in Ecclesia clarissimus Doctor, copiosus in huiusmodi carmine claruisse cognoscitur: atque iidem hymni ex eius nomine Ambrosiani vocantur, quia eius tēpore primùm in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt. Cuius celebritatis deuotio dehinc per totius Occidentis Ecclesias obseruatur. Meminit etiam suorum hymnorum crebrò Ambrosius ipse ad Virginē lapsam, & post illum Augustinus, Concilium Toletanum IV. Strabo, & alij.

Isid. lib. 1. de Eccles. off. cap. 6.

August. 1. retract. cap. 21. Cōc. Tolet. 4. can. 12. Strabo de rebus Ecclesiæ cap. 25.

15. Nihilominus longè ante Ambrosium & Hilarium hymnos agnouit Ecclesia: siquidē Chrysostomus explicans verba illa Matth. *Et hymno dicto exierunt in montem oliuarum*, ita inquit. Gratias egit, posteaquam dedit, & hymnū cecinit, vt nos quoq; similiter faciamus. Et alibi. Considera cum sacras illas cœnas Apostoli accipiebant, quid tunc faciebant, nonne in preces conuertebantur & hymnos? Philo etiam Iudæus primos illos Christianos cecinisse prodidit. Imò S. Paulus ad Ephes. 5. & ad Coloss. 3. inuitat ad laudādum Deū in hymnis & psalmis, & hoc in testamento nouo & in lege gratiæ: nam hymni etiam in lege veteri frequentes erant, Isidoro vbi suprà dicente. Hymnos primum ipsum Dauid Prophetam condidisse, ac cecinisse manifestū est; deinde & alios Prophetas: postea quidem & tres pueri in fornacem positi, conuocata omni creatura creatori omnium hymnos canentes dixerunt.

Chrys. hom. 38. in Matth.

Idē hom. 27. sup. 1. Cor.

Philo lib. de Sept. virtutibus.

Ibid. vbi sup. prà.

16. Quid verò sit hymnus explicat nobis Augustinus dicens. Hymni cantus sunt continentes laudes Dei. Si sit laus, & non sit Dei, non est hymnus. Si sit laus, & Dei laus, & non cantetur, nō est hymnus. Oportet ergo vt si sit hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei laudem, & cāticum. Idem habet Nazianz. dicēs. Modulata laus est hymnus, cum cātione psalmus est psalmodia. Inde est quod licet præceptor noster hic non præcipiat Ambrosianum cantari, tamē vt psal. 94. cum Antiphona, in nocturnis cantamus, ea ratione ducti quod exquo hymnus est, venit cantandus.

Aug. in psal. 72.

Nazianz. Iamb. 15.

17. *Deinde sex psalmi cum Antiphonis.* A tēpore Damasc. Papæ, legimus in Pontificiali psalmos diu noctuque ex decreto eiusdem Pōtificis per vniuersas Ecclesias decantari. Per quod certè multis assimilamur Dauidi dicenti de se, & pollicenti Deo; *Psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi.* Per omnes autem dixi Ecclesias; quoniam in aliquibus à tempore Apostolorum psalmi decantari cœperunt, dicēte Paulo; *Vnusquisque vestrùm psalmum habet.* & iterum: *loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis.* & alibi: *Verbū Christi habitet abundanter in vobis,*

Psal. 60. 9.

1. Cor. 14. 16. Ephes. 5. 19. Coloss. 3. 16.

commonentes vosmetipsos psalmis & hymnis. Iure autem per vniuersas Ecclesias decretum hoc peruagatum est; quoniam recitãdi psalmos vtilitas magna est, dicente Chrysost. Omnis Scriptura inspirata à Deo vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, & ad disciplinam quæ est in iustitia, vt sit integer homo Dei ad omne opus bonũ perfectũ. Nec errauerit qui vniuersam hanc diuinæ Scripturæ laudem in hoc psalmorum libro simul esse dixerit.

Chrys. prox. 2. in ps.

18. Et quid mirum si etiam prophetandi spiritum psalmorum pollicetur concentus, vel ipso Gregorio magno authore? Etenim cùm explicaret id quod Iosaphat 4. Reg. 3. petierat ab Helisæo, vtique vt aliqua de futuris prænunciaret illi, tempore sanè quo spiritus Helisæi defuerat, inquit cum Scriptura ipsa, psaltem fecit applicari, vt prophetiæ spiritus ad eum per psalmodiæ laudem descenderet, atque eius animam de venturis repleret. Et subdit. Vox etenim psalmodiæ, cùm per intẽtionem cordis agitur, iter parat, vt prophetiæ Deus, vel compunctionis etiam gratiam infundat. Vnde scriptum est; Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei. His consonat Dionysius dicens. Omnis ferè Scriptura sacra in psalmis cõtinetur, omniáq; mysteria eius breuiter & suauiter.

Greg. hom. 1. sup. Ezech. post medium.

Psal. 49.

Dionys. de diuin. nom. c. 1. parte 3.

19. Inde Augustinus sub mortem recitabat psalmos pœnitẽtiales iuxta Possidonium in eius vita: decumbénsque Basilius vrgebat Gregorium Nazianzenũ, vt illi Dauidicos tunc psalmos exponeret, vt patet ex epistola 120. inter Basilij epistolas. Et quid mirum si Christus ipse pendens in Cruce recitauit psalmum 21. si non integrum, saltem ex parte? Siquidem priora illa verba; *Deus Deus meus, quare dereliquisti me?* certa fides est, quod recitauit. Et cùm ad literam totus de passione Christi sit intelligẽdus, iuxta Tertullianũ, Epiphanium, Iustinum Martyrem, & Cassiodorum, credibile multum est, & Augustini authoritate fultum, tam in expositione huius psalmi, quàm etiam in Commẽtario psalmi 37. quod Christus in Cruce hunc psalmum decantauit. Quod etiam Rabbi Salomon prędixit inquiens, Messiam in flagellis constitutum alta voce cantaturum hunc psalmum. Et certè tanta psalmorum dignitas & commendatio est, vt dicat Innocẽtius Tertius, post orationem Dominicam perfectam in psalmis orandi formam reperiri. Et Climacus dixit fuisse Patrum proloquium, arma iuuenũ psalmos esse: quinimò & seniorum; siquidem vera sunt quæ nuper ex Augustino & Basilio retulimus. Meritò ergo legifer noster sanctissimus psalmos pręcipit in nocturnis vigiliis recitari.

Matt. 27. 42. Marc. 15. 34.

Tertul. lib. aduersus Iudæos c. 1. Iustin. Mart. in Tryph. Nazianz. orat. 2. de filio. Cassiod in hunc psal.

Innoc. proœ. in psal pœnit.

Climacus gradu 4.

Aug. & Basil. vbi suprà.

20. Sed cur sex pro nocturno primo, & totidem pro secundo? Certè quia (iuxta Augustinum, Clementem Alexandrinum, Macrobium, Philonem, & alios) senarius est primus numerus perfectus, qui infra decem de suis partibus constat: habet enim mediam partẽ tres, tertiam duo, & sextam vnum.

August. 4. de Trinit. c. 4. & 1. de Genesi ad lit. c. 2. Clem. Alex. lib. 1. strom. Macrob. lib. 1. de Somno Scip. Philo lib. de opificio mundi.

Vnde

Vnde sex diebus mundus fabricatus legitur, Gen. 1. Sex alæ Seraphim laudantium Dominum, Esaiæ 6. Sexto die colligebatur manna ad diem septimum, Exodi 26. Mense sexto à conceptione Baptistæ concepit Virgo, Lucæ 1. Sex diebus circumdati muri Iericho corruere, Iosue 6. Sed quidquid sit de hoc, mea sententia fert, quod cùm teste Hieronymo nox apud ecclesiasticos milites, non secus atque apud politicos & seculares, in quatuor diuidatur vigilias, quarum singulæ trium horarum spatio supputantur, idcirco pro singulis horis quæ duodecim sunt, totidem distribuuntur psalmi: vtique duodecim pro vtroque nocturno; sex quidem pro primo, qui duas vigilias, & proinde sex horas complectitur; & sex pro secundo, qui totidem horas refert. De Antiphonis quibuscum recitandi sunt psalmi isti, nuper diximus numero 9.

Hier. ep. 139. ad Cypr.

21. *Dicto versu.* Versus ex sententia Alcuini & Amalarij dicuntur à vertendo, quoniam dum recitãtur aut cantantur, vertit se chorus ad altare: & quia per illos commonemur ad specialem in Deum conuersionẽ, specialémq; animi attentionẽ ad ea quę mox dicenda sunt, vtiq; ad lectiones, vt in horis nocturnis; siue ad orationem, vt in matutinis horis & diurnis. Alij (inter quos est pius pariter & doctus Ioannes Azor) putant versus sic nominatos, quia instar canori versus cõcinuntur, vt obliniant corda, & illa sursum eleuẽt; quod propriè versus modulatos tangit. Etenim si (vt ille alius dixit) *surgit pagina versu*: cur non anima, pia maximè & deuota, Deóque per omnia dicata? Ego dixerim vocari versus, quoniam alicuius psalmi, aut cantici, aut paginæ quota quædam & breuis particula sunt; qualis est illud elogiũ quod ex psalmo 109. 4. pro natali Domini assumitur, & vt versus cantatur; *Tecum principium in die virtutis tuæ*, & sic penè de reliquis. Quotæ enim istæ partes cuiuscumque narrationis lõginquæ versus nominantur. Vnde vel ipse Cicero pro Rabb. Posthum. Glaucia solebat, homo impurus, sed tamen acutus, populum monere, vt cùm lex aliqua recitaretur, primùm versum attenderet. Id est, primam sententiam. Et Plinius. Non paginas tantùm epistolæ, sed etiam versus syllabásque numerabo.

Alcuin. de divin. off. c. de celebrat. Missarum. Amalarius de ordine Antiphon & lib. 4 de officio Eccle. c. 12. & c. 46.

Azor. lib. 10. c. 15. §. de versu.

Ouid lib 1. Amor. Eleg. 1.

22. *Benedicat Abbas.* Finito versu, mox Dominica oratio secretò recitatur, vt sic procedatur ad lectiones: quoniam (vt noster Rupertus inquit) lectiones oratione præuenimus, quia rogare debemus Dominũ messis, vt mittat operarios in messem suam. Matth. 9. & vt aperiat cor nostrum in lege sua, & in præceptis suis. 2. Machab. 1. ne semen verbi Dei quod audituri sumus, aut volucres comedant, aut spinæ suffocent, aut duritia petræ frustrata radice supplantet. Matth. 13. Lucæ 1. Post à lectore dicitur; *Iube Domne benedicere*, de quo etiam Rupertus vbi suprà. Lecturus benedictionem petens,

Rup. lib. 1. de diuin. off. cap. 11.

Rup. vbi suprà c. 12.

significat quod nemo nisi missus, aut permissus officiũ prædicãdi vsurpare debet. Quomodo enim prædicabunt(inquit Apostolus Rom.10.) nisi mittantur? Benedictionem istam quam lector sibi precatur Abbas impertiri debet; quoniam (vt inquit Isidorus) benedictionem dari à Sacerdote populo, antiqua per Moysem benedictio pandit, & comprobat: qua benedicere populo sub sacramento trinæ inuocationis iubetur. Ait enim ad Moysen Dominus: Sic benedices populum meum, & ego benedicam illos. Benedicat te Dominus & custodiat te; illuminet Dominus faciem suam super te, & misereatur tui : attollat Dominus faciem suam super te, & det tibi pacem. In eo autẽ quod dicit benedictionem dandam à Sacerdote, significat, à maiori dãdam, cuius typum gessit Moyses. Et cùm hic præcipiatur ab Abbate impertiendam, sequitur quod iuxta præscriptum regulæ Abbas debet esse Sacerdos. Quod si hoc de qualicumque Abbate, quid de illorum capite & principe Benedicto Patre ? Petrus item Damianus in libro qui inscribitur, Dominus vobiscum cap. 2. inquit. Lecturus magnæ humilitatis gratia non à Sacerdote, sed ab eo cui Sacerdos iusserit, se postulat benedici dicens; Iube Domne benedicere. Sacerdos autem vt tantæ humilitati vicem reddat, non subiecto cuiquam delegat benedicendi officium, nec per semetipsum præsumit benedictionem dare, sed potiùs quod à Deo prærogetur exposcit. Etenim benedicendi formula est deprecatio vt Deus benedicat, verbi gratia; Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus.

Isid. lib. 1. de Eccles. off. c. 17.

P. Damian. lib. Dominus vobiscũ c. 2.

Et sedentibus omnibus in scamnis,&c. Sedentibus cunctis iubet recitari lectiones; tum quia vel in Missæ officio dum lectio Epistolæ habetur, sedet Episcopus, omnesque adstãtes ministri, clerus item atque cunctus populus. Tum quia Magdalena sedens ad pedes Domini cùm audiret verbum illius, non solùm exprobrata non fuit, imò à Deo commendata, vt dictum sit sorori de illa, quod meliorem partem elegerit. Omnis enim, maximè grauis & vtilis lectio quiescentem exoptat animam, & proinde sedentem hominem, ne corporis lassitudo illius animum interturbet, & præ grauedine distrahat. Vnde Sapientis proloquium; *Animus quiescendo fit sapiens*. Iubet etiam quod super analogium recitentur lectiones, vtique vt solemniter grauiterque recitentur ac velut ex cathedra. Iubet etiam quod recitentur ex codice, quoniam cùm lectiones nocturnæ longiusculæ sint, facilè in vno lectore, vel in altero memoriæ lapsus obreperet, si memoriter (vt breues aliæ lectiones) recitarentur. In choro autem omnis euitabilis lapsus, & defectus cauendus omnino est. Iubet autem lectiones recitari pro sacris nocturnorum officiis; quoniam (vt Isidorus habet) lectiones pronunciare antiquæ institutionis esse Iudæorum traditio docet. Nam & ipsi legitimis præfinitisque diebus ex lege & Prophetis lectione in Synagogis

23.

Isid. vbi sup. cap. 10.

Synagogis vtuntur. Et hoc de veteri Patrum institutione seruantes. Est autem lectio non parua audientiũ ædificatio. Vnde oportet, vt quando psallitur, psallatur ab omnibus, cùm lectio legitur, facto silentio æquè audiatur à cunctis. Quod etiam *Amb. præfat. in psal.* Ambrosius obseruauit dicens. Quantum laboratur in Ecclesia, vt fiat silentium cùm lectiones leguntur? Sunt enim magni ponderis & momenti, & proinde pars diuini officij; & ideo reuerenter audiendæ & obseruandæ. Earumdem lectionum longissimam antiquitatem probat noster Rabbanus Maurus. Augustinus etiam meminit lectionum quæ in Ecclesia cunctis diebus recitabantur. Iubet autem præceptor sanctissimus ferialibus istis nocturnis tres recitari lectiones, & quidem non ab vno, sed à fratribus vicissim sibi succedentibus, vtique à tribus: & proculdubio vtrumque in honorem Trinitatis; impari enim numero isto Deus maximè gaudet. *Rabban. lib. de instiut. Cleric. c. 52. August. in 1. Can. Ioan. cap. 1.*

24. *Inter quas & tria Responsoria cantantur.* De Responsoriis meminerunt antiquissimi Patres, videlicet Hilarius ad psal. 65. vbi in expositione primi versus inquit. Terẽdus est confessionis nostræ sermone omnis profanus auditor, & aduersus diabolum oratione certandum, & belli nostri victoria exultatione monstranda. Audiat orantis populi vocem, spectet celebres hymnorum sonos, respõsionem deuotæ confessionis accipiat. Gregorius etiam Turonensis dicit, quod Rex inter prandẽdum *Hilar. ad ps. 65. n. 1.* *Greg. Turonen. lib. 8. hist. Francorum cap. 3.* iusserat illi, vt vitandum pronũciaret diaconum, qui ante diem Responsorium dixerat. Isidorus etiam inquit, Responsoria ab Italis longo antè tempore esse reperta. *Isid. vbi supra cap. 9.*

25. Sunt autem Responsoria, ea quæ post lectiones recitantur tam in diurnis quàm in nocturnis officiis, atque etiam in mysterio Missæ post lectionẽ Epistolæ. In diurnis enim post Capitulas (quas infrà legifer noster breues lectiones appellat) in nocturnis post lectiones. Et hoc (ait Amalarius) propter disciplinam Ecclesiasticam, quæ non tantùm auditores legis exoptat, sed factores etiam; per lectionẽ enim doctrina, per Responsoria verò bona opera significantur. Et quoniam hæc illi respondere debent, inde Responsoria vocantur. Isidorus etiam aliam huius vocis comminiscitur etymologiam dicens, Responsoria vocari, quia vno cantante chorus consonando respondet. Antea enim id solus quisque agebat, nunc interdum vnus, interdum duo, vel tres communiter canunt choro in plurimis respõdente. Idem prodit noster Rabbanus Maurus. Aliam etymologiam prodit Hugo de Sancto Victore dicens, eo Responsorium vocari id quod lectionem sequitur, quia significat assensum præstitum à circũstantibus, his quæ inter legendum audierunt. Vltra hæc ego dixerim, eo Responsoria vocari, quia illis respondet chorus, his quæ à lectoribus accepit: & ideo semper consona lectionibus sunt; siue læta, siue tristia, vt responsũm *Amal. lib. de ordine Antiphon. cap. 4.* *Isid. vbi supra.* *Rabb. l. 1. de instiu. Cleric. cap 15. Hugo in Speculo Eccles. cap. 7.*

conso

consonare debet & cohærere his, respectu quorum responsum est; aliàs responsum non erit.

26. *Duo Responsoria sine Gloria,* &c. Cùm clauis orationis sit, *Gloria Patri*, &c. vt suprà vidimus num. 4. nõ intermediis, sed vltimis præcipimur Respõsoriis talem hymnum adiungere, & extra sedilia audire & recitare, stantes vtique ob reuerentiam Trinitatis, cuius in hymno isto mysterium continetur, prout suprà ex professo vidimus à num. 4. Vnde & ipsa Seraphim, cùm de gloria Domini coram Esaia ageretur, stare perhibentur, dum Esaiæ 6. dicitur: *Seraphim stabant*, &c. Chorus etiam stando orat: quare Christus Marci 11. *Cùm stabitis ad orandum.* Vtique propter reuerentiam, atque etiã propter significationẽ. Etenim, vt scribit Amalarius, Monachi stantes in choro orant, & cantant, vt ex statu corporis demonstrent affectus mentis, nimirum promptos & paratos se esse ad omnia quæ illis diuinitus iniungantur.

Esaiæ 6.2.

Marci 11.15.

Amal. lib.4. de Eccles.officiis.cap.3.

27. *Codices autem legantur in vigiliis*, &c. Diuinum planè verbum hoc, siquidem Scripturarum assidua lectio diuinæ beatitudinis (ait Augustinus) non parua prægnitio est; propterea quod in Scripturis, quasi in quodam speculo homo seipsum considerat qualis sit, & quò tendat. Et quoniam non interrupta earum lectio purificat animam, timorem incutit & amorem Dei; ac tandem duo munera impendit, instruendo videlicet intellectum, & alliciendo ad Dei amorem voluntatem. Quinimò non solùm est aliqua beatitudinis prægnitio, verùm & prælibatio ac prægustatio, propterea quod Deus ipse per Scripturas, atque in Scripturis cognoscitur: cognitio autem Dei (vt etiam Augustinus vbi suprà prædixit) vera beatitudo est. Vnde Christus dixit: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere; sed illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.*

Augustin. Ser. 112. de tempore.

Aug. vbi suprà.

Ioan. 5.39.

28. Item ipsemet August. Ser. 38. ad fratres in Eremo (si tamen ipse author illius, & non potiùs Bernardus) ita inquit. Legite, fratres, Scripturam, quia omni melle dulcior, omni pane suauior est. In illa inuenitur quomodo Deus Deorum sit, longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, sublimitas propter majestatem, profundum propter sapientiæ immensitatem. In illa etiam inuenitur quomodo natus de Maria & homo factus, quomodo nos amat vt charitas, nouit vt veritas, sedet vt æquitas, dominatur vt maiestas, tuetur vt salus, operatur vt virtus, reuelatur vt lux, assistit vt pietas. Quæ verba suà postea fecit Bernardus. Subiicitur protinus. Quid homo sine literis reputatur? quid est? Numquid non pecus, vel hœdus? numquid non bos, vel asinus? numquid non equus, vel mulus, quibus non est intellectus? Et additur. Hæc est doctrina super omnia diligenda, quam Prophetæ prædixerũt, Patriarchæ hauserunt, & quam Dei filius, postquam in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, aperuit, & declarauit: & quæ sapientia illa, quæ ex

Aug. Ser 38. ad fratres in Eremo.

ore

ore altissimi producit, omnium sapientiarum magistra, & domina, quæ nos docet exteriùs blãdos, & interiùs fraudulentos agnoscere. Hæc scientia Angelorum ferculum, Archangelorũ pulmentum, Apostolorum gloria, Patriarcharum fiducia, Prophetarum spes, Martyrum corona, Virginum fortitudo, Monachorum solatium. Hæc est, quam qui inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino. Videatur ad hæc Cyprianus lib. de spectaculis ad finem, vtique ab illis; Scripturis sactis Christianus incumbat, & inueniet ibi Scripturæ condigna spectacula. Cùm igitur Scripturarum sacrarum iugis & assidua lectio tot taliáque commoda pariat, & incommoda pellat, iure quod inter vigilias vel Deo ipsi sacras non omittatur, præcipitur.

Prou. 8.

Cypr. lib. de spectaculis.

29. *Sed & expositiones*, &c. Licet Sanctorum Patrũ doctrina Scriptura sacra non sit, illi tamen est non tantùm consentiens & consona, verùm pro intelligentia nostra necessaria, vt sic ab omnibus percipiatur, vti percepta ab illis intellectáque est; vt sic omnes dicamus idem, & non sint in grauioribus rebus schismata. Item cùm Scripturæ elogia non satis perspicua sint, sed multa caligine obstrusa, vt ex professo ostendi in Pentateucho fidei; opus omnino est dentibus, v.g. qui nucleum hunc, & corticem frangant nobis. Dentes autem isti sacri Doctores sunt, prout Nyssenus, Cassiodorus, Anselmus, & alij super id Cant. 4. 2. *Dentes tui sicut greges tonsarum*, obseruant. Quare cùm Threno-

Pentat. tract. de Script. dub. 11. Nyssen. Cassiod. Anselm. sup. Cant. 4. Hier epist. ad Oceanũ c. 3. August. 2. de doctr. Christ. cap. 6. Greg. 33. moral. c. 29.

rum 4. v. 4. dicitur: *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*; de diuino verbo sermo mysticus est, eo quod verbum Dei panis vitæ & intellectus est: & de sacris Ecclesiæ Patribus & Doctoribus, quorum est verbum illud integrum (quod semel Deus loquutus est) Logicè & Theologicè partiri, vt sic distinctiùs faciliúsque deglutiatur. Quod tamen quia non faciunt omnes qui Doctorum nomine gloriantur, ideo non omnes ad tantum, támque celsum munus admittuntur, sed nominatiores: vtique illi, de quibus Gelasius Papa relatus à Gratiano nostro, & eorum similes.

Thren. 4. 4.

Eccli. 15.

Gratianus dist. 15. cap. Sãcta Romana.

30. *Post hæc verò tres lectiones*, &c. Hæc est secunda pars vigiliarum noctis sex horis gaudens, pro tertia scilicet quartáque vigilia, & proinde sex gauisura psalmis, totidem correspondentibus horis, iuxta superiùs dicta. Quare hic tantùm superest explicandum ly *Alleluiah*. De quo Rupertus noster. Alleluiah Latinæ linguæ peregrinum nomen est, cuius mysterium, velut quoddam gaudij stillicidium de diuitiis supernæ Ierusalem, primùm in mentem Patriarcharum, & Prophetarum, post in Apostolorum ora pleniùs per Spiritum sanctum delapsum est. Significat enim æternum Angelorum & beatarum animarum conuiuium, quod est semper laudare Dominum, & præsentis, sempérque videntis vultus Dei sine fine cantare miraculum. Alij huius vocis alias significationes comminiscuntur: simplex tamen & aperta significatio est, Laudate

Rupert. lib. 1. diuin. offic. c.

31.

Theod. præf. in psal. 146.

Dominum. Vnde Theodoretus. Hinc manifestè discimus interpretationem Halleluiah, Laudate enim Dominum Halleluiah Hebræus dicit. Vnde Symmachus hoc sine interpretatione missum fecit: dixit enim; *Halleluiah, quoniam bonus est psalmus*, vbi nos; *Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus*. Idipsum docent Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, & Isidorus, dicentes Halleluiah laudem Dei referre & importare.

Aug. tract. 8. in epist. Ioan. Hier. epist. ad Marcellam. Ambros. in psal. 118. Isid. lib. 1. de Eccles. officijs cap. 13.

31. Sed dubium quemquã subierit, cur nocturnum officium ferale, & lugubre, quod à lacrymis inchoatum est, iuxta illud exordij; *Ploremus coram Domino qui fecit nos*, voce tantæ lætitiæ terminetur, vtique per Halleluiah? At ratio in promptu illa est, quã ex psal. 29. habemus; *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Vesperum autem intempesta, & ipsa media nox est: vtpote à tenebris horrida, quæ prima & secunda vigilia continetur: matutinum autem tempus illud quod vergit ad lucem, & quod tertiam & quartam vigilias obtinet, in quibus venit Dominus, Luc. 12. & Matt. 14. Aduentus autem Domini, sicut beatos nos reddit, ita & lætos: fletus autem vigilia gaudij est, dicente Dauid; *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione*: & Christo Domino apud Lucam; *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Vnde quoniam lætitiæ tempus est illud quod ad matutinum vergit, præcipimur cantare psalmos secundi nocturni cum Alleluia, quod tamen iniunctum non est pro psalmis nocturni prioris.

Psal. 94. 6.

Psal. 29. 6.

Luc. 12 38. Matt. 14. 25.

Psal. 125. 6.

Luc. 6. 21.

Post hos lectio Apostoli. Nomine lectionis istius subintellexit Doctor eam quam nos Capitulam appellamus: prout notauit Radulphus Tungrensis dicens. Sicut ad vigilias noctis leguntur lectiones magnæ, ita ad laudes & vesperas, & ad quinque paruas horas dicuntur paruæ lectiones; quas Benedictus appellat in sua regula lectiones, communi tamen vsu seculari appellantur Capitula. Et propositione octaua dixerat. In lectionibus tam magnis, quàm paruis, quæ vocantur Capitula, laudem Dei agimus & pronunciamus. Appellantur verò Capitula, quasi caput minimum seu paruulum, vtpote breuissimum. De Capitulis autem mentionem fecit Concilium Agathense Canone 30. ibi. Post hymnos Capitula dicantur. Et refertur à Gratiano nostro de consecratione distinct. 5. cap. Conuenit. De versibus autem iam suprà diximus.

32.

Radulph. de Canonũ observat. propositione 13.

Cõc. Agath. can. 30.

De consecratione dist. 5. cap. Cõuenit.

Et supplicatio litaniæ, &c. De hoc Rupertus vbi suprà inquit significare omnes vniuersalis Ecclesiæ preces, quæ sunt vera incensa, de quibus in Apocalypsi dicitur: *Data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.* Et iure sic interpretatum est, quoniam germanus huius vocis sensus (vt tradit Augustinus) est, Domine miserere. In qua precatione haud dubium quin vniuersæ precationes Ecclesiæ comprehendantur, siquidem

33.

Rupert. vbi suprà c. 29.

Apoc. 8. Coloss. 2.

dem misericordiam illius omni nostra supplicatione deposcimus. Et ideo verbum hoc supplicatio litaniæ dicitur; litania autem idem omnino quod vniuersalis supplicatio est. Huius autem orationis formulæ mentio est in liturgiis Sancti Iacobi & Marci, antea verò non ita, quasi quæ cum nouo inceperit Testamento: vtpote quod (vt Athanasius Synaita ex magno Dionysio notauit) sicut Deus ante susceptam carnem vocabatur Theos, hoc est, inspector seu speculator; sic post susceptam cœpit appellari Kyrios, id est, Dominus: quia Kyrios idem est quod potentia ac dominatio: vt econtrà Akyron dicitur id quod est potestate negatum & caret robore. Assignat autem pro ratione, quod non ante, sed post susceptam carnem nos à potestate inimici subtraxit, suæque per omnia dominationi subdidit. Vnde Ioannis 12. *Nunc Princeps mundi huius ejicietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Ioan. 12. 37.

Athanas. lib. comment. Examer.

Et sic finiantur vigiliæ nocturnæ. Feriales videlicet & hyemales, de aliis enim mox. Sed ecce qualiter supplicatione litaniæ tantùm nocturnum terminetur officium, nulla de oratione mentione facta. Quod etiam in sequentibus est obseruare capitulis. Ex quo sequitur non de iure, sed de more, (laudabili tamen) esse diuina officia orationibus claudere. Sed de hoc iterum sermo redibit, vtique c. 13. vbi de oratione Dominica agendum est.

Qualiter æstatis tempore nocturna laus agatur.

CAP. X.

A Pascha autem vsque ad Kalendas Nouembris omnis (vt suprà dictum est) psalmodiæ quantitas teneatur: excepto quod lectiones in codice propter breuitatem noctium minimè legantur: sed pro ipsis tribus lectionibus vna de veteri Testamento memoriter dicatur, quam breue Responsorium subsequatur, & reliqua omnia (vt suprà dictum est) impleantur, id est, vt numquam minus duodecim psalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicatur, exceptis tertio & nonagesimoquarto psalmo.

1. PERSPICVA hæc omnia sunt ex abundè dictis & inductis præcedenti capite, vbi fusè ista discussimus, & specialiter rationes assignauimus cur ad vigilias nocturnas duodecim omnino psalmi recitandi sint, ita vt neque plures, neque pauciores.

res. Quibus & nunc rationem illam subiicere placet, quam ex Cassiano accepimus. Is enim narrat quod cùm ex Patribus antiquioribus aliqui quinquaginta, alij vero sexaginta psalmos ad vigilias nocturnas canerent, apparuit Angelus de cælo illis, qui duodecim tantùm psalmos cecinit; quo spectro ipsi moniti intellexerunt totidem, & non plures nocturnis esse vigiliis decantandos. Aliam etiam capite sequenti rationẽ subiiciemus, vbi duodecim psalmorum, responsorum & lectionum significationem trademus.

Cassian. lib. 2. instit. cœnob. c. 5.

2. Quæ autẽ in hoc capite specialia sunt, & speciali obseruatione egent, mehercle sunt, lectionum responsorúmque breuitas, digna sanè breuitate noctium æstatis. Et ideo præceptor sanctissimus hanc rationem, & non aliam adfert, inquiens: *Lectiones in codice propter breuitatem noctium minimè legantur; sed una memoriter dicatur, quam breue Responsorium subsequatur.* Etenim (sicut Bernardus inquit) vt dies breuis cogit breuiare sermonẽ, sic breuis nox noctis sacra. Hoc enim est redimere tempus, vt illud quod opportunum est matutinis laudibus non prætereat, nimirum primus lucis diurnæ ortus, iuxta prædicta cap. 8. in fine.

Bern. Serm. 1. nat. Dom.

3. Præterquàm quod veris æstatísque tempus glorię symbolum apud sacras literas est: tum quia verè est tempus messis, in quo verè fructus suppetunt, & abundant. Vnde Ieremiæ 8. *Transiit messis, finita est æstas.* Prouerb. 20. *Propter frigus piger arare noluit,*

Ierem. 8.16.
Prou. 20.4.

mendicabit ergo in æstate, & non dabitur ei. Psal. 37. *Tu fecisti omnes terminos terræ, æstatem & ver tu plasmasti ea*, hoc est, tu fecisti terram & cælum, bonáque cuncta huius vitæ, & optima alterius. Matth. 24. *Scitis quia propè est æstas.* Tum quia glorificati omnes igne Dei flagrant, vtpote Deo immersi, qui ignis comburens est. Vnde Esaiæ 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Hoc enim licet Eusebius Cæsariensis & Tertullianus intelligant de damnatis æterno intolerabilíque cruciandis igne; at de beatis potiùs cum Basilio intelligendum est, vt vel ipsa subsequentia verba demõstrant: habent enim. *Qui ambulat in iustitia, & loquitur veritatem,* &c. *iste in excelsis habitabit.* Vndé quamuis Tertull. intelligat de damnatis priorem partem inducti versus; *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante?* secundam tamen, vtique illam, *aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* intelligit de beatis. Beati enim velut Seraphim ipsa amore Dei ardent, igneis diuini amoris sagittis transfixi: quoniã, vt scriptum est psal. 7. *Deus sagittas suas ardentibus effecit.* Cùm igitur æstiuum tempus ex vna parte igneum, & valde igneum sit, adeò vt propter hoc vineæ operarij clamauerint; *Portauimus pondus diei & æstus.* & iterũ in Apocalypsi legamus; *Æstuauerunt homines æstu magno*: & ex alia parte gloria molesta non sit, sed grata atque placida cunctis, vtpote quod Deus, qui beatis

Psal. 37. 17.
Mat. 24. 12.
Esaiæ 33. 14.
Euseb. ibi. Tertul. 4. cõtra Marcionem cap. 51.
Basil. in psal. 14.
Matth. 20.
Apoc. 16. 6.

suis æstus est, eisdem est vmbraculum, Ecclesiastico dicente de illo; *Protector potentiæ, firmamentum virtutis, regimen ardoris, & vmbraculum meridiani est.* Cùm igitur hæc ita sint, congruè gloriæ tempus æstui comparatur, æstui inquam placido & plausibili; & proinde congruum vt vi- eccli. 34. 19. giliæ sacræ æstatis absque grauedine, & molestia sint, atque adeò breues: quoniam vt prolixitas grauis omnibus, sic breuitas cunctis grata est, seruatis tamen seruandis, vt hic seruatur duodenus numerus psalmorum, & omnino seruandus iniungitur.

Qualiter diebus Dominicis vigiliæ agantur.

CAPVT XI.

DOMINICO die temperiùs surgatur ad vigilias. In quibus vigiliis teneatur hæc mensura, id est, modulatis (vt suprà dispositum) sex psalmis, & dicto versu, residentibus cunctis dispositè & per ordinem in subsellijs, legantur in codice (vt suprà diximus) quatuor lectiones cum Responsoriis suis. Vbi tantùm in Responsorio quarto dicatur à cantante, Gloria. Quam cùm incipit, mox omnes cum reuerentia surgant. Post quas lectiones sequantur ex ordine alij sex psalmi cum Antiphonis sicut anteriores, & versu. Post quos iterum legantur aliæ quatuor lectiones cum Responsoriis suis, ordine quo suprà. Post quas iterũ legantur tria cantica de Prophetis, quæ instituerit Abbas: quæ cantica cum Alleluia psallantur. Dicto etiã versu, & benedicente Abbate legantur aliæ quatuor lectiones de nouo Testamento, ordine quo suprà. Post quartum verò Responsorium incipiat Abbas hymnũ, Te Deum laudamus. Quo dicto, legat Abbas lectionem de Euangelio, cũ honore & tremore stãtibus omnibus. Qua perlecta, respõdeant omnes, Amen. Et subsequatur mox Abbas hymnũ, Te decet laus. Et data benedictione, incipiat matutinas. Qui ordo vigiliarũ omni tẽpore, tàm æstatis, quàm hyemis æqualiter in die Dominico teneatur, nisi fortè (quod absit) tardiùs surgatur, quia tunc aliquid de lectionibus breuiandum est, aut Responsoriis, quod tamen omnino caueatur ne proueniat. Quod si contigerit, dignè inde satisfaciat in Oratorio, per cuius euenerit neglectum.

1. DOMINICO *die*,&c.Meritò tanta ſolemnitas vel pro ipſis nocturnis vigiliis Dominici diei præſcribitur:quoniam, vt ipſum nomen præ ſe fert,Dominica dies Domini dies eſt. Et quidem non quaſi alij dies Dei non ſint,vtpote qui fecit Solem in poteſtatem diei,Lunã & ſtellas in poteſtatẽ noctis:ſed quia vt charitatis præceptũ inter omnia diuina præcepta antonomaſticè dicitur pręceptum Domini,iuxta illud Ioannis 15.*Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem*; meum inquit, quoniam gratius illi, & magis è cotde eſt: ſic de Dominico die. Vnde cùm de aliis dicatur Geneſis 1. *Factum eſt veſpere & mane dies primus, ſecundus,tertius*,&c. de hoc pſal. 107.dicitur:*Hæc eſt dies quam fecit Dominus*. Hoc eſt, Dominica dies,iuxta vniuerſalem Eccleſię ſenſum,cum Hieronymo, Quocirca Euſebius Cæſarienſis monuit quod intuitu Dominici diei, dictum legimus; *Melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia*. Et iure quidem, quoniam Dominica dies repetitio eſt, & quædam ſolemnis commemoratio Reſurrectionis Dominicæ,prout Clemens Romanus, Ignatius,Iuſtinus Martyr, Origenes, Ambroſius,Auguſtinus,& alij obſeruãt.

Pſal.107. Hieron. ſup. Marc. 16. Euſeb. lib.4. Dem.Euang. cap.18. Clem. Rom. lib.7.conſt.c. 31. Ignatius ep. ad Magneſiam. Iuſtinus apolog. 2. pro Chriſtianis. Orig.hom.7. in Exodum. Ambroſ ſup. Luc. 17. Aug.Ser.161. de tempore.

2. Iſtius autem ſolemnitatis amplitudo partim ſita eſt in eo, quod non tantùm duodecim pſalmos cum totidem Antiphonis, verùm tot lectiones & Reſponſoria vigiliis iſtis nocturnis recitare iubemur. Ratio autem huius duodenarij numeri in eo conſiſtit, quod (vt Auguſtinus obſeruat) duodenarius numerus ſacramẽtum vniuerſitatis eſt; cuius gratia duodecim Apoſtoli creati ſunt, duodecim portæ ciuitatis conſtructæ; & duodecim ſedes erectæ, in quibus iudicabuntur duodecim tribus Iſraël. Ex hoc enim ſequitur duodenarium numerũ pſalmorum, Antiphonarum, lectionum, & reſponſorum vniuerſarum laudationum ſymbolum eſſe, quibus Deus ſuo gaudet coli die.

Aug. tom.8. Serm.68.

His ſunt tria cantica ſubiũcienda. 3. Cantica autẽ ſunt illa(ait Iſidor.) quæ voce tenus cãtantur,in quo diſtinguuntur à pſalmis,qui muſico inſtrumento canũtur.Quare Hilarius & Euthymius. Pſalmus cantici eſt,quando incipit inſtrumentum muſicũ,& ſequitur vox humana: canticum verò pſalmi, quando incipit vox humana, & accedit inſtrumẽtum muſicum; canticũ autẽ,quod voce tantùm humana profertur. Sunt autem cantica pſalmis antiquiora; nam illa cœperũt à tempore Moyſis, Exod.15.& Deut.31.pſalmi verò à tempore Dauid.Adeò autẽ ſolemne eſt in Eccleſia canticũ,vt ferè omnia per ſingulas hebdomadas recitẽtur;Dominica enim die recitatur canticũ trium puerorũ; *Benedicite omnia opera Domini Domino*.Daniel.3.n.4. Feria 2.canticum Iſaiæ 12.*Cõfitebor tibi Domine*. Feria 3.canticum Ezechiæ,Iſaiæ 38.10.*Ego dixi,in dimidio dierum meorũ*. Feria 4.canticum Annæ,1.Reg.2.*Exultauit cor meum in Dõmino*.Feria 5.canticum Moyſis, *Cãtemus Domino*. Exod.15.Feria 6.canticum Habacuch 3. *Domine audiui*. Sabbato canticum Moſis,Deut.32.*Audite cæli quæ loquor*. Quotidie etiã ad

3. Iſid.6.Etym. cap.19.

Hilar.& Euthym.præfat. in Pſal.

Laudes

Laudes recitatur canticũ Zachariæ, Luc. 1. *Benedictus Dominus Deus Israël:* ad Vesperas cãticum Mariæ; *Magnificat anima mea Dominum.* Et tandem ad Completorium canticum Simeonis, Luc. 2. *Nunc dimittis.*

4. *Post incipiat Abbas hymnum, Te Deum laudamus.* A plerisque inter cantica, non verò inter hymnos computatur ly, *Te Deũ laudamus.* Immeritò tamen, quoniã de sententia illorum cantica solùm appellamus illa quæ Prophetarum sunt, & in sacris cõtinentur Scripturis: hymnos autẽ (authore Hier.) qui fortitudinẽ & majestatem prædicant Dei, & eiusdẽ semper, vel beneficia, vel facta mirantur. Quare cùm hæc abundent in rubrica ista; *Te Deũ laudamus*, illa verò desiderentur; consequẽs est, non inter cantica, sed inter hymnos numerandam esse, prout hic annumeratur. Sed siue hymnus, siue canticum sit, sciendũ est, illius auctores & cõpositores fuisse Ambrosium & Augustinũ, dicente Dacio Episc. Mediolan. in suo Chron. A Beato Ambrosio cũctis fidelibus vrbis adstantibus, & videntibus, in nomine sanctę & indiuiduę Trinitatis Augustinus baptizatus & confirmatus est: in quibus fontibus, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, Te Deum laudamus canentes, cunctis qui aderãt, audientibus & vidẽtibus, ediderũt. Quod ab vniuersa Ecclesia Catholica vsq; hodie tenetur & decantatur. Ex quo sequitur, quod etsi in sacris nõ extet libris hymnus iste, diuinitus tamẽ compositus fuerit. Quare non mirum si inter cãtica numeretur, licet meliùs ad hymnos referatur. Dacij Episc. Mediol. qui prędictã retulit historiã meminit Greg. mag.

Hier. sup ad Ephes. 5.

Dacius Episcopus lib. 1. cap. 10.

Gregor. lib. 4. dialog. c. 4.

Quo prædicto legat Abbas lectionem de Euangelio, &c. Hoc in vsu clericalis Bręuiarij non est, cùm tamen olim fuerit, Apud nos tamen in viridi est, ob præscriptũ regulæ rationi, mehercle, cõsentaneum. Tum propter Euãgelij glossam, aliàs homiliã, quę in extremis nocturni extremi lectionibus in vniuersali Ecclesia recitatur, & cõstat quod expositioni textus congruẽter adiungitur, & ꝙ conuenięter vnum post aliud recitatur. Tũ quia post tot psalmos & cantica ex veteri Testamento horis recitata nocturnis, opportunè admodum Euangeliũ cantatur, quod illorum omnium finis, veritas, ac lux tãdem est, & in quod omnia illa, vt in propriũ finem destinantur. Quare cõuenięter vigiliæ veteris Testamẽti monumentis cœptæ, & in longũ productæ, Euãgelio clauduntur, & consummantur, vt ipsum Testamentum vetus perficitur, cõsummatúrque nouo. Inde vel ex modo recitãdi, & audiendi Euãgelium, emicat excellentia illius supra omnem aliam Scripturã. Siquidem lectiones aliæ sedẽtibus cunctis recitãtur, lectio verò Euangelij nõ nisi (prout hic habetur) cum honore & tremore, surgentibus & stantibus omnib. Quod certè nõ solùm ex decreto Rom. Pont. vtique Anastasij I. statutũ est, & à nostro Gratiano relatum, verùm ab ipsismet Apostolis Domini stabilitum. Refert enim Clemens Rom. Apostolos pręcepisse, vt omnes tum clerici, tum laici assurgerent, & magno

Anastasius epist. 1. Grat. de consecrat. dist. 1. c. Apostolica. Clem. Rom. lib. 2. constit. Apost. c. 57. aliàs 61.

cum

cum silentio audirent lectionem sancti Euangelij.

6. *Qua perlecta, respõdeant omnes, Amen.* Ab initio nascẽtis Ecclesię, ait August populus post recitatas preces respondebat, Amen. Vnde Paulus 1. ad Cor. 14. *Cæterùm si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen super tuam benedictionem?* Iustinus Martyr. Post preces & Eucharistiã totus cœtus accinit, Amen. Tertullian. Manus, quas ad Dominum extuleris, postmodum laudãdo histrionẽ, fatigare; & ex ore quo Amen in Sanctũ protuleris, gladiatori testimoniũ reddere audes? Hieron. Plebis laudatur fides, vbi ad Ecclesias concurrendo, sic ad similitudinẽ cęlestis tonitrui reboat Amen, & vacua idolorum templa quatiũtur. Tãdem in veteri Testamẽto id positũ in more legimus: Moyse etenim mandata Dei enarrante, conclamabat populus, Amen, Deuter. 7.

Aug. ep. 178. & lib. 2. de doctr. Christ. c. 10. & 11. & tract. 41. in Ioan.

1. Cor. 14. 16.

Iustin. Apolog. 2. pro Christianis.

Tertul. de spectac. c. 25.

Hier. præfat. ad lib. 2. ep. ad Galat.

7. Vox autẽ *Amẽn* Hebręa apud omnes est, interdum affirmantis, interdúmq; confirmantis aduerbium: affirmãtis quidem, vt cùm Matth. 5. & alibi sępe dicitur; *Amẽ dico vobis*, idem enim sonat ac dicere, certè & verè. Vnde Hieron. epist. ad Marcellam notat, Aquilam pro ly *Amen*, vertisse *fideliter*, hoc est, proculdubio & certè. Vnde cùm ly *Amen* geminatur, vti apud Ioannẽ sæpe, significatur, rem assertam certissimam esse & omnino infallibilẽ. Confirmãtis verò & assentientis, vti cùm Deut. 25. dicitur: *Respondebit omnis populus, Amen*, quod sonat, ita fiat: & cùm Num. 5. cogebatur adultera imprecationibus cõtrà illã factis respondere, Amẽ, hoc est, ità sit, ità fiat. Vnde Septuaginta pro ly *Amen*, vertunt in psalmis *fiat, fiat*. Quouis autẽ modo sumatur ly *Amẽ*, aptè post Euangelium auditum à choro recitatur, & clara voce profertur. Etẽnim cùm fidelis sit Deus in omnib. verbis suis, maximè tamen in Euãgelicis, conuenienter post Euangeliũ auditur ly *Amen*, quod significat, ita est. Item cùm Euãgelium sit idẽ quod bonũ nunciũ, vtpote quod (vt Chrysost. inquit) Euãgelium ideo dicitur, quia pœnarũ abrogationem, peccatorũ solutionẽ, iustificationẽ, sanctificationẽ, redemptionem, filiorũ adoptionẽ, ac cælorũ hæreditatẽ æquè omnibus annunciat: ideo conuenienter Euangelio audito respondet chorus, *Amẽ*, quatenus ly *Amen* significat idem quod ita sit, ita eueniat, ita fiat.

Matth. 5. 18.

Matth. 5.

Ioan. 3. 3.

Deut. 25. 26.

Chrys. tom. 2. cap. 2. Enarrat. breuis in Matth.

8. *Et subsequatur mox Abbas hymnum, Te decet laus.* Hũc hymnum incipit Abbas, & prosequitur chorus. Abbas enim tãtùm dicit; *Te decet laus*. Chorus autẽ, *Te decet hymnus, tibi gloria Deo Patri & Filio & Spiritui sancto*. Et quidem optimo iure, quoniam si (vt Chrys. habet) hymni pro gratiarũ actione sunt, ingentes hic debẽtur Deo gratiæ pro Euangelij nuncio nuper explicato & recitato. Quod si (vt Isidor. inquit) hymnus est canticum laudantiũ Deum, seu laus diuina cantata; quid opportunius dicemus Deo post Euangeliũ auditum, in quo se Deus authorem, sponsorẽ, datorémque nobis sui boni tradit, & coram omnibus manifestat? Adde quod si exquo petimus ab illo vt in adiutorium nostriũ intendat, & ad nos adiuuandos festinet,

Chrys. tom. 5. hom. 57. de vita Monac.

Isid. 7. Etym. c. 19.

estinet, statim, (quasi naturæ nostræ gratitudinis tarditas adiutorium retardet) in laudem Trinitatis prorumpimus, gloriam Trinitati cantantes ac dicentes, *Gloria Patri & filio & Spiritui sancto*, quî post pronunciatum in choro tam egregium fœlicitatis nuncium, non illicò in Dei laudem Trinitatisque confessionem & gloriam chorus ipse prosiliet?

9. Et est notanda gradatio laudis, hymni, & gloriæ, quibus dignus prædicatur Deus. Primo enim loco ponitur laus, *Psal.47.1.* vtique eximia, eo quod *Magnus Dominus, & laudabilis nimis.* *Psal. 105.1.* Vnde psal. 105. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* *Psal.109.30.* & psal. 109. *Confitebor Domino nimis in ore meo, in medio multorum laudabo eum.* *Aristot. 1. Ethic. c.12.* Quia tamen (vt Aristoteles inquit) optimorum non est laus, sed aliquid maius atque melius laude: ideo additur hymnus, qui non tantùm est laus, sed laus diuina cum cantico: & tandem additur gloria, quæ quid maius laude atque hymno est, vtpote definita consentiens laus bonorum. Potest enim esse laus, & vera laus, & tamen nec diuina, nec cantata, & proinde neque propriè hymnus. Et rursum potest esse hymnus, quia laus diuina cantata, & tamen neque à bonis, neque perspicua, & in vniuersum professa, & proinde neque gloria. Vnde cùm deceat Deum pulchra decoraque laudatio, necessum est vt eius laus sit gloria, & proinde à bonis: siquidem *non est speciosa laus in ore peccatoris.* *Eccli.15.9.* Eccli. 15. Vnde psal. 149. *Laus eius in Ecclesia sanctorum*; eo quod laus eius laus gloriæ est.

10. *Data benedictione*, &c. Quid nomine benedictionis huius intelligatur incertum mihi est; quoniam in primis non videtur esse illa, qua vniuersas horas canonicas terminamus, vtique, *Benedicamus Domino*, eo quod sub vno tantùm, tamquam vnicam horam benedicamus, concludimus vigilias matutinas atque nocturnas Dominicales: feriales autem sub duplici: quia ad finem secundi nocturni dicimus; *Benedicamus Domino*, & similiter ad finem laudum: hic autem sermo est de Dominicali vigilia, non autem de feriali. Deinde neque videtur esse posse signũ aliquod, aut beneplacitum, aut permissum ab ipso Abbate factum ad immediatè inchoandas vigilias matutinas. Obstat enim quod nulla petita, neque expectata à superiore licentia, sed sine mora aliqua, vel etiam interpolatione facta, immediatè post nocturna officia, proceditur ad matutina in diebus istis. Nec tandem esse potest ipsa supplicationis litania, de qua cap. 9. ad finem: quoniam licet in ferialibus vigiliis prope finem vtamur ea; at non in Dominicalibus, neque in solemnioribus diebus, vtique pro clausula nocturni officij. Quid igitur dicendum? Fortassis quod benedictionis nomine hic subintellecta est aliqua bene precandi, seu benedicendi formula, siue antiqua, siue noua, siue longior, siue breuior, prout Abbati placuerit, qua noctur-

num congruè absoluatur officium; vt certè de facto absoluitur oratione quæ post hymnum, *Te decet laus*, cantatur. Vel fortè quod per ly *Benedicamus*, terminetur, vt reliquæ canonicæ horæ, quandiu contigerit interpolare vigilias nocturnas à matutinis, vt aliquando interpolandas esse insinuat præceptor sanctissimus, dicens cap. 13. quod psalmus 50. recitetur morosè in diebus priuatis, vt in Dominica, vt omnes occurrant antequam finiatur. Quod videtur supponere interpolationem prædictam: quoniam aliàs non esset ratio morosiùs hunc psalmum recitandi. Nisi velimus dicere aliquos ad vigilias matutinas debere confluere, qui tamen non ad nocturnas.

Qui ordo vigiliarum, &c. Nocturna Dominicalia eadem solemnitate vult omni tempore coli, quia Dominicalium dierum æqua in hac parte ratio est, vtique Resurrectio Dominica, prior mundi editio vel constructio, Spiritus sancti super Apostolos aduentus, & similia. Sed quia contingere potest, vt excitatoris, verbi gratia, desidia, vel horologij moderatoris negligentia, & inconsideratione aliquando ad vigilias tardiùs quàm surgendum erat, surgatur, edicit Sanctus Doctor, vt tunc breuiter percurratur officium, detrahendo aliquid de prolixitate lectionum & responsorum; & tunc quod tantæ negligentiæ reus dignè in choro satisfaciat. Sed bone Deus! quò tam properè tamque opportunè à vigiliis istis nocturnalibus procedendū est, & à choro eundum, vt si fortè tardiùs ad illas peruentum fuerit, oporteat illas breuiare, atque perstringere? Certè non aliò quàm ad matutinas laudes prima luce incipiendas: vt vel sic dignoscamus quantum referat diluculo surgere ad laudandum Dominum, & præuenire Solem ad benedicendum Deum, prout Sapientiæ 16. 24. habetur. Maximè quod vel ipsi pro matutinis laudibus recitandi psalmi, vel mentionem expressam, vel saltem allusionem ad horam matutinam faciunt, vt patebit cap. 13. Vnde talis solemnitas matutina dicitur.

Quomodo matutinorum solemnitas agatur.

CAPVT XII.

IN matutinis Dominico die in primis dicatur psalmus sexagesimus sextus sine Antiphona in directum. Post quem dicatur psalmus quinquagesimus cum Alleluia. Post quem dicantur centesimus decimus septimus, & sexagesimus secundus. Deinde benedictiones & laudes: lectio

ctio de Apocalypsi vna ex corde, & Responsorium, & Ambrosianum, & versus, & Canticum de Euangelio, & litaniæ; & completum est.

1. IN *matutinis Dominico die*, &c. Matutina solemnitas voce vniuersalis Ecclesiæ dicitur non tantùm laus, sed laudes; quia licet omnes horæ canonicæ diuinis laudibus plenæ sint, diuinasque semper laudes referant, adeò vt propter hoc scriptum sit; *Septies in die laudem dixi tibi*: matutina tamen solemnitas maxima in hac parte est, saltem propter illos tres vltimos psalmos 148. 149. & 150. qui semper recitantur in eis, vel cantantur, quos noster præceptor hic & sequenti capite laudes appellat. Ratio autem cantandi recitandive psalmos istos potiùs in matutina, quàm in nocturna diurnave aliqua hora, non solùm esse potest, quia matutinas laudes Deus maximi facit, vtpote argumẽtum sedulitatis nostræ in laudando illo. Vnde Iob. *Vbi eras cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* Sed quia matutina solemnitate laudatur de eo quo ipse à nobis maximè laudabilis est, vtique de misericordia sua, vt patet ex cõtextu psalmorum qui pro hac vigilia inducuntur. In primis enim (vt de vigilia matutina Dominici diei agam, quæ est huius capitis propria) primus qui pro exordio illius psalmus proponitur, sexagesimus sextus est, cuius initium habet, *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis*, &c. Secundus autem ille qui summam refert misericordiam Dei, vtique quinquagesimus, incipiens, *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*. Tertius item psalmus centesimus decimus septimus, cuius perpetua vox est Dei misericordiam celebrare; *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius*. Quartus etiam sexagesimus secundus, qui misericordiam Dei meliorem super vitas prædicat. Post quos subiicitur hymnus trium puerorum ex Danielis 4. qui omnes ad benedicendum Deum creaturas hortatur. Et tandem tres illi extremi atque vltimi psalmi, qui laudes vocantur.

118.164.

38.7.

2. *Lectio vna de Apocalypsi*, &c. Etiam isthæc omnia laudationes sunt: lectio enim vna de Apocalypsi, illa est, quam ex cap. 7. recitamus; *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio*, &c. Responsorium illud ex psalmo 118. *Inclina cor meum Deus in testimonia tua*: quod certè est maximæ misericordiæ donum. Hymnus etiam pro æstate ille qui secundo versu orat, *vt Deus nostri miseratus omnem pellat languorem*. Pro hyeme verò in quo sexta ode canitur, quod *gallo canente spes redit, ægris salus refunditur, lapsis fides reuertitur*. Versus etiam, *Dominus regnauit, decorem induit*; quod maximæ commendationis est in illo. Canticum præterea Euangelij; *Benedictus Dominus Deus Israël*, in quo magnificantur viscera mi-

sericordiæ Dei nostri, & tandem *Kyrie eleyson*, quod sonat & significat, Domine miserere.

3. Ideo autem tam ingentes Deo laudes ob misericordiam referuntur, quia sicut miserationes eius super omnia opera eius, psal. 144. ita laudes miserationum illius, super omnes laudes eius. Vnde in psal. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius.* Et quidem adeò confirmata, aliàs eminens & excelsa, vt scriptum sit; *Secundum altitudinem cæli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se.* Ob idque *Confitebor tibi in populis Domine, & psallam tibi in nationibus, quoniam magna est super cælos misericordia tua.*

Psal. 144. 9.

Psal. 116. 1.

Psal. 102. 11.

Psal. 107. 3.

Qualiter priuatis diebus matutina laius agatur.

CAPVT XIII.

DIEBVS autem priuatis matutinorum solemnitas ita agatur, vt sexagesimus sextus psalmus dicatur sine Antiphona, in directum subtrahendo modicè sicut in Dominica, vt omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum Antiphona dicatur. Post quem alij duo psalmi dicantur secundum consuetudinẽ: id est, secunda feria quintus, & trigesimus quintus. Tertia quadragesimus secundus, & quinquagesimus sextus. Quarta feria sexagesimus tertius, & sexagesimus quartus. Quinta feria octogesimus septimus, & octogesimus nonus. Sexta feria septuagesimus quintus, & nonagesimus primus. Sabbato autem centesimus quadragesimus secũdus, & canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duas glorias. Nam cæteris diebus canticum vnumquodque die suo ex Proplietis, sicut psallit Ecclesia Romana, dicatur. Post hæc sequantur laudes, deinde lectio vna Apostoli memoriter recitanda, Responsorium, Ambrosianum, versus, canticum de Euangelio, litaniæ, & completum est. Planè agenda matutina, vel vespertina non transeat aliquando, nisi in vltimo ordine oratio Dominica: omnibus audientibus dicatur à Priore, propter scandalorum spinas, quæ oriri solent, vt conuenti

per

per ipsius orationis sponsionem, qua dicunt, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, purgent se ab huiusmodi vitio. Cæteris verò agendis vltima pars eius orationis dicatur, vt ab omnibus respondeatur; Sed libera nos à malo.

1. DIEBVS *priuatis*, &c. Prosequitur matutinum officium assertor noster, & inquit, quod etiã in diebus priuatis inchoandum est à psalmo sexagesimo sexto sine Antiphona, & statim subiiciendus psalmus 50. cum Antiphona, sensim tamen moroséque recitandus, vt sic detur locus minus sedulò occurrentibus, vt antequã psalmus iste finiatur possint conuenire: nam qui peracto illo chorum ingrediuntur, publicè satisfacere cap. 43. iubentur; de quo ibi. Quod autem 50. psalmus miserationum Domini abyssum referat, vel ipsi priores versus illius produnt, & nos capite præcedenti mõstrauimus. Post duos istos communes, & quasi proœmiales ad laudes omnes matutinas priuatas, præcipit Sanctus Doctor subiici alios duos psalmos speciales & proprios ad singulos hebdomadæ dies, item & canticum vnum vnicuique diei proprium, eiusdem prorsus cum prioribus psalmis argumenti.

2. Etenim in feria secunda tertio loco recitandus est psalmus 5. in cuius tertio versu dicitur: *Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam.* Quarto autem loco psalmus 59. in quo sic misericordia magnificatur diuina, vt dicatur; *Domine in cælo misericordia tua. Homines & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiã tuam Deus.* Quinto loco canticum Esaiæ 12. quod incipit; *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi.* Quod miras Dei misericordias refert.

3. Tertia item feria secundo loco recitandus proponitur psalmus 43. vtique; *Iudica me Deus*, singularem à Deo misericordiã deprecans, vtique; *Discerne causam meam. A gente non sancta, ab homine iniquo & doloso erue me:* aliáque multa multi operæpretij. Deinde psalmus 56. *Miserere mei Deus, miserere mei*, qui magnas Deo laudationes promittit. Et quarto loco canticũ Ezechiæ Regis Esaiæ 38. *Ego dixi, in dimidio dierum meorum.* Vbi versu 8. *Tu autem eruisti animam meam, vt non periret proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea:* quæ maximam Dei miserationem clamitant.

4. Feria quarta psalmus 63. vbi ingens illa misericordia narratur. *Protexisti me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem.* & psalmus 64. *Te decet hymnus*; vbi præter laudationem istam subiicitur illa: *Iniquitatibus nostris tu propitiaberis.* & illa; *Replebimur in bonis domus tuæ.* Canticum item illud Annæ 1. Regum 2. *Exultauit cor meum in Domino.* Vbi mira illa Domini commẽdatio,

Non est sanctus vt est Dominus, neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster.

5. Feria quinta psalmus 87. *Domine Deus salutis meæ.* Vbi numero 12. *Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam?* & num. 14. *Mane oratio mea præueniet te.* & psalmus 89. *Domine refugium factus es nobis.* Vbi nu. 14. *Repleti sumus mane misericordia tua.* Canticum præterea Exodi 15. *Cantemus Domino.* Vbi gloriosa Dei in suum populum patrocinia promuntur.

6. Feria sexta psalmus 75. *Notus in Iudæa Deus.* Vbi num. 11. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* & psal. 91. *Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime.* Canticum item Abacuc 3. *Domine audiui.* Vbi numero 3. *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* & numero 5. *Laudis eius plena est terra.*

7. Sabbato tandem secundo loco psalmus 142. *Domine exaudi orationem meam.* Vbi num. 3. *Auditam fac mihi mane misericordiã tuam, quia in te speraui.* Mox cãticum Deut. 32. *Audite cæli quæ loquor*, duabus partitum sectionibus; in quarum priore referuntur tenerrimæ illæ miserationes Dei erga populum suum: nam numero 10. dicitur. *Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. Circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans.* In posteriori verò minæ vindictæque sumendæ à Deo ipso de ingrato illo insipientique populo: numero enim 35. dicitur. *Mea est vltio, & ego retribuam eis*, quod etiam misericordiæ opus prædicatur, dum inibi numero 33. dicitur. *Iudicabit Dominus populum suum, & in seruis suis miserebitur.* Quare numero 43. *Laudate gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.*

8. *Post hæc sequantur laudes*, &c. Post cantica immediatè trisagiũ, siue tripsalmus ille, 148. 149. & 150. sequitur, qui ad omnes matutinas laudes recitandus est, de quo iam nos plura capite præcedenti. Mox lectio breuis, quã nos vocamus Capitulam, quæ semper eadem diebus priuatis est, & consona instituto laudum & lucis, in cuius ortu habentur. Dicitur enim; *Nox præcessit, dies autem appropinquauit*, ex Paulo Romanorum 13. 12. Et idem est de Respõsoriis breuibus. Hymni autem varij sunt, semper tamẽ argumenti eiusdem; & idem est de versibus. Canticum Euangelij, vtique Zachariæ, Lucæ 1. ad omnes matutinas solẽnitates commune est, vt etiam supplicatio litaniæ, vtique, *Kyrie eleison*, quo tandem officium laudum absoluitur & completur. Vbi obiter est notandum, quod solus psalmus 50. præcipitur recitandus cum Antiphona.

9. *Planè agenda matutina*, &c. Non lego hic, sed neque in tota huius regulæ serie aliquod de oratione verbum, nec rumorem vel minimum audio: de oratione inquam illa, qua ritu solemni

Eccle

Ecclesiæ canonicũ omne, quinimò & votiuum officium terminatur, videlicet sub forma ista; *Præsta quæsumus omnipotens Deus*, &c. Sed tantùm video deceri, quod post matutinum & vespertinum officium alta & sublimi voce dicatur oratio Dominica à Priori. Quod etiam Concilium Gerundense in Hispania sub Hormisda Papa & Theodorico Rege coactum decreuit. Hoc igitur Concilium canone 10. constituit inquiens. Id semper nobis placuit obseruare, vt omnibus diebus post matutinas & Vesperas oratio Dominica à Sacerdote proferatur. Post Vesperas inquit, non autem pro complemento aut integritate illarum.

Cõc. Gerund. can. 10. relatum de cõsecr. d. 5. c. Id semper.

10. Et quod mirum valde est, nemo illorum qui de officiis Ecclesiasticis scripserunt, ostendit quando orationum illarum vsus cœperit in Ecclesia. Nam licet Card. Bellarminus (vir semper mihi colendus) dicat quod semper in Ecclesia fuit vsus, vt nunquam Christiani congregarentur, quin finis esset oratio, vt patet ex Iustino Martyre & Tertulliano, atque etiam in Apostolo Paulo. Igitur licet id dicat, & verum, me hercle, dicat de aliqua orandi formula, at non constat quod de ista, quam nunc in controuersiam vocamus: quoniã non liquet quod citati Patres loquantur de illa. Iustinus enim de eodem orationis genere quo Tertullianus loquitur; Tertullianus autem tantùm dicit. Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes: hæc vis Deo grata est. Oramus pro Imperatoribus, pro ministris eorum, & potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Quæ quidem verba ad omne orationis genus indifferentia sunt. Paulus item nihil ad rem istam dicit, nisi id versus primi. *Obsecro igitur primùm fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Quæ licet quodãmodo innuant orationum (de quibus hic loquimur) formulam, vtpote quibus, vt D. Thomas ait, dicendo verbi gratia, *Omnipotens sempiterne Deus*, oramus; eo quod oratio est ascensio & directio mentis in Deum: & dicendo, *qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei*, &c. gratias referimus: nam gratiam qui agnoscit, refert: & dicendo, *Quæsumus vt eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis*, postulamus: concludendo autem, *per Dominum nostrum*, &c. obsecramus: quia obsecrare idem est quod per res sacras orare. Quibus etiam fauet, quod (vt Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, & alij obseruant) Paulus hic loquitur de orationibus publicis & communibus, quales sunt Missæ, litaniæ, & similes, & proinde officium canonicum Ecclesiasticum.

Bellar. lib. 2. de Missa cap. 16. tit. de collecta.

Iustin. Apolog. 2. extrema.

Tertul. in Apolog c. 39.

1. ad Tim. 2.

D. Tho. in 1. ad Tim. 2 & & 2. 2. q. 83. a. 17.

Aug. ep. 59. ad Paulinã quæst. 5. Ambr. Chrysost. & alij sup. 1. ad Timoth. 2. 1.

11. Igitur licet quodãmodo verba Pauli innuant orationum (de quibus hic sermo) formam, tamen nihil prorsus concludunt: tum quoniam antiquiores Patres quid diuersum omnino senserunt, longè aliter explicantes, quid per obsecrationes, quid per orationes, atque reliqua Paulus subin

subintellexerit. Tum quia licet omnes idem quod D. Thomas præsenserint, adhuc intento non sufficeret, quia non proinde habetur officium diuinum orationibus istis terminandum, sed inchoandum potiùs, propter illud verbum; *Obsecro igitur primùm fieri obsecrationes.* Nos autem hic de specialibus orationibus agimus, quibus diuinum officium claudendum est. Quas orationes propterea tam antiqui quàm moderni omnes collectas, collectionesve vocitarũt, eo quod presbyter pauciſſimis illarum verbis colligit, & perstringit quidquid pro toto populo aut choro postulatum postuládumve est in canonicis horis: vt habent Strabo & Mychrologus. Dixi autem in canonicis horis; quoniam quod orationes Missæ collectæ dicantur longè alia ratio est; vtique quod Missa olim dicebatur collectio coitiove Christianorum, vt patet in in Tertulliano, & Augustino dicente. Confitebantur se collectam & Dominicum egisse. Ratio etymologiæ est, quoniam populus colligebatur, vt sacrum audiret. Sed de hoc alibi.

Strabo c. 22. Mychrol. c. 3.

Tertull. Apolog. c. 39. Aug. in breuiculo collat. collatione 3. dici.

12. Quid ergo dicendum? Sanè quod ipse certius antiquiúsve pro hac parte adinuenire potui, inprimis est decretum illud Cõcilij Agathensis, relatum à Gratiano nostro, in quo palàm præcipiuntur collectæ in conclusione matutinarum & vespertinarum laudum. Collectæ autem sunt in omni rigore orationes de quibus hic loquimur. Concilium autem hoc collectum fuit anno Domini 506. Cui præfuit Cæsarius Episcopus Arelatensis. Deinde Gregorius magnus sacræ nostræ religionis alumnus, varias non tantùm pro Missarũ solemniis, sed etiam pro feriis, diebúsque festiuis anni, non solùm composuit, verùm ab aliis confectas in vnũ (quod Sacramentarium vocatur) volumen congessit. Ex quo planè conuincitur, collectas pro diuinis officiis Gregorio magno antiquiores esse. Quinimò & Gelasio Papa: nam etiam is summus Pontifex collectas à diuersis authoribus editas compilauit, ordinéque disposuit. Qui tamen Gelasius antiquior magno extitit Gregorio: siquidem biennio antequam præceptor noster sanctissimus in Eremum secederet Pontifex fuit creatus, vtique annõ 492. cùm tamen præceptor noster Eremum petierit anno 494. prout videre liquet in Baronio. Ex quo certiùs colligitur ante regulam istam collectas pro diuinis officiis in vsu Ecclesiæ fuisse.

Conc. Agathen. c. 11 relatum de cõsecratione distinct. 5. cap. Conuenit.

Baron. tom. 6 annal. ad annũ Christi 494.

13. Sed dubium est, cur de illis nullam prorsus mẽtionem præceptor sanctissimus fecerit, sed tantùm de oratione Dominica. Certè in causa multa esse possunt. Primum, quod (vt D. Thomas inquit) nõ solùm in oratione Dominica petuntur omnia, quæ rectè desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desideranda sunt: vt sic hæc oratio non solùm doceat postulare, sed etiã sit informatiua totius nostri affectus. Quod sanè Augustinus lõgiori adhuc calamo prosequutus fuit inquiens, orationem Dominicam talem apud Deum esse,

D. Th. 2. 2. q. 83. art. 9.

esse, vt si rectè & congruenter oramus, nihil aliud dicere possimus, quàm quod in illa est. Quod probat sic. Qui dicit, verbi gratia, clarificare in omnibus gentibus, sicut clarificatus es in nobis, & Prophetæ tui fideles inueniantur, Eccli. 36. quid aliud dicit quàm sanctificetur nomen tuum? Qui dicit, Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus, psal. 79. quid aliud dicit, quàm adueniat regnum tuum? Qui dicit, Itinera mea dirige secundum verbum tuum, & ne dominetur mei omnis iniustitia, psal. 118. quid aliud dicit, quàm fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra? Qui dicit, Paupertatem & diuitias ne dederis mihi, sed tantùm victui meo tribue necessaria, Prou. 30. quid aliud dicit, quàm panem nostrum quotidianum da nobis hodie? Qui dicit, Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius, psal. 131. aut, Domine si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala; quid aliud dicit, quàm dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Qui dicit, Aufer à me cõcupiscentias ventris, & desiderium concubitus ne apprehendat me, Ecclesiastici 23. quid aliud dicit, quàm ne nos inducas in tentationem? Qui dicit, Erue me de inimicis meis Deus, & ab insurgentibus in me libera me, psal. 58. quid aliud dicit, quàm libera nos à malo? Hæc Augustin. & concludit. Et si per omnia precationũ sanctarum verba discurras, quãtum existimo, nihil inuenies quod nõ ista Dominica cõtineat, & concludat oratio. Vnde liberum est aliis atque aliis verbis, eadem tamen orando dicere, sed non debet esse liberũ alia dicere. Similia habet Tertull. dicens. Hæc omnino omnẽ hominis petitionem, omnem sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ comprehendit: nam re ipsa totius Euangelij breuiarium est. *Tertul. lib. de oratione cap. 9.*

14. Deinde, quoniã (vt idem Tertullianus eodem loco obseruat) Dominica oratio legitima & ordinaria Christianorũ est. Inquit enim. Præmissa legitima & ordinaria oratione quasi fundamẽto accidentium, ius est desideriorũ. Et iure quidem, quoniã cæteras omnes petitiones vt authoritate, sic breuitate & perfectione superat. Authoritate quidem, nam constat Christum Dominum illius authorem extitisse. Vnde Tertul. Quid mirum? Deus solus docere potuit, vt se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis est, atque de Spiritu ipsius. Cyprianus etiam Martyr. Qui nos fecit viuere, docuit orare, vt dum prece & oratione, quam filius docuit apud Patrem loquimur, faciliùs exaudiamur. Et iterum. Agnoscat Pater Filij verba cùm precem facimus. Vnde etiam Chrysostomus. Cognoscit Pater Filij sui sensus & verba. Breuitate item & perfectione, quoniam (vt Cyprianus vbi suprà obseruat) est oratio qua Christus omnẽ breuiauit precem sermone salutari illo, de quo Esaiæ 10. Sermonem breuiatũ faciet Dominus in toto orbe terræ. Et Aug. Vides quàm

Idem ibid.

Matth. 6 8.

Idem vbi sup. prà.

Cypr. in expos. orat. Dominica.

Chrys. hom. 14. in Matt.

Aug. Ser. 28. de verb. Domini.

breuis oratio, & omnium plena virtutũ? & alibi. Hæc oratio cõpendiosis verbis omnes species orationis continet. Et Petrus Chrysol. de oratione ista. Christus breuiter orare docuit, qui citò, vult postulata prestare. Quia igitur licet omnia probãda sint, meliora tamen tenẽda, quid mirum si præceptor sanctissimus omnibus aliis peculiaribus posthabitis orationibus (de quibus generalis nondum per Ecclesiã increbuerat vsus) Dominicæ tãtùm adhæsit, vt vel ipsi adhæserunt Apostoli, quos sic orare Christus ipse Matth. 6. docuit?

Idem Ser. 28. de tempore.

Chrysol. Ser. 67.

Matth. 6. 8. 15.

His accedit, quod (vt habent Conc. Toletanum IV. Augustinus. Magister & Scholastici) oratio Dominica venialia piacula delet; quia oratio quotidiana cùm sit pro quotidianis leuibus satisfacit peccatis. Quare Concilium citatum vbi suprà iubet tam presbyteros quàm clerum quotidie orationem istam recitare ob quotidianos defectus. Quibus per omnia cõsonat præceptor noster, iubens bis per singulos dies palàm ac publicè recitari, vtique ad laudes & Vesperas, propter scandalorum spinas quæ oriri solent. Nomine spinarum & scandalorum intellectas esse voluit contentiunculas, & disceptatiunculas, quæ etiam apud perfectissimos non admodum infrequentes sunt, dũ quisque in suo sensu abundare contendit. Hæc enim, & similia quantumuis leuia sint, naturaliter corda pungunt, & liuorem qualemqualem incutiunt. Quare oportet quod Monachus oratione Præpositi sui audiat semel & iterum per singulos dies in persona totius chori recitatum: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, vt velit nolit fratri remittat debitum, ni velit orationem illam futilem & illusoriam esse. Quare non solùm præcipitur, vt sic oratio dicatur, sed quod voce intelligibili recitetur, & quidem in vltimo ordine, hoc est, peracto Vesperarum & laudum officio, & hoc infallibiliter & in omni euentu, vt tandem ad pacem sic moniti omnes, in pace abeant, & in pace viuant.

Conc. Tolet. 4. cap. 9.

Aug. in Enchir. c. 7. & 1. de ciuit. c. 27.

Mag. in 4. d. 6. & Scho. ibi.

16.

Cæteris verò horis, &c. Sensus est, vt in reliquis horis siue nocturnis, siue diurnis (præterquàm ad laudes & Vesperas) omnes Dominicam recitẽt orationem, secretò tamen, præter penultimum versum, qui voce sublimi promendus est, videlicet; *Et ne nos inducas in tentationem*, vt respondeat chorus; *Sed libera nos à malo.* Cuius sanè verbi multi sensus circumferuntur, sed quales quales sint, illud videtur minus aptum in illo, quod cùm prius sit declinare à malo, quàm facere bonum; ad priorem potiùs huius orationis partẽ quàm ad vltimam pertinere debuerat. At obiectioni huic, quę D. Thomæ est, respondet ipse D. Thomas dicendo, quod cùm oratio sit desiderij interpres, ordo petitionum non respicit ordinem exequutionis, sed respondet ordini intentionis, in quo ordine prior est finis quàm ea quæ sunt ad finem, & consequutio boni quàm remotio mali.

In natalitiis Sanctorum qualiter vigiliæ agantur.

CAPVT XIV.

IN Sanctorum verò festiuitatibus, vel omnibus solemnitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ita agatur: excepto quod psalmi, aut Antiphonæ, vel lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur, modus autem supradictus teneatur.

1. *IN festiuitatibus*, &c. Sensus huius capitis est, quod in festiuitatibus duodecim lectionum omnia fieri debēt prout in Dominica die, de qua cap. 11. & hoc quantum ad quantitatem & ordinem dicendorum, sed non quoad qualitatem: eo quod diuersæ festiuitates diuersa officia requirunt; non enim quæ congruunt Martyri, verbi gratia, congruunt per omnia Confessori, nec quæ Christi natiuitati, congruunt ascensioni eius. Sed mirum valde est, quod Dominicali cultu Sanctorū festa celebrentur, cùm constet cultum Deo exhibitum non posse aliis exhiberi; præsertim cultum diuini officij, qui (vt nomen præ se fert) diuinus cùm sit, non nisi Deum decet. Maximè quod officium diuinum est verè sacrificium laudis, de quo ipse Dominus dixit; *Sacrificium laudis honorificabit me.* Psal. 49. 23. Constat autem, quod sacrificium non alteri quàm Deo fieri potest, prout ostendunt nobis Augustinus & Diuus Thomas. Cuius ratio est, quod sacrificium est protestatio Dei in ratione primæ causæ, & vltimi finis; propter quod Exodi 12. scriptum est; *Qui sacrificat Dijs, eradicabitur, praterquàm Domino soli.* Exodi 12.

2. Sed salua res est, distinguendo inter cultum & cultum, vtique internum & externum; item inter cultum internum latriæ, duliæ & hyperduliæ. Qui licet omnino importent obsequium seruitutis, seu seruitudinis: at cultus latriæ importat summum obsequium, & propterea soli Deo dandum, iuxta illud Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* & illud 1. ad Timoth. 1. *Soli Deo honor & gloria.* Cultus autē hyperdulię importat quidem eximium, at nō summum obsequium, & ideo Deiparæ tantùm impartiēdum, quia Virgo singularis. Cultus autem duliæ neque summum, neque eximium seruitudinis importat obsequium, bene tamen magnū & inclytum, quale est quo Sancti coluntur, & coli debent. Primò, quia sunt templum Dei, iuxta illud 1. Corinth. 6. *Nescitis quia templum estis Spiritus sancti, qui habitat in vobis?* Templum autem Dei sacro aliquo 1. Cor. 6. 19.

adorationis cultu dignum esse agnouimus ex illo psal. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Secundò, quia sunt Christi ornamentum, iuxta illud Esa. *His omnibus velut amictu vestieris.* Vnde sicut ad contactum fimbriæ vestimentorum Christi miracula patrabantur, vt illud hæmorrhoissæ, Lucæ 8. sic ad Sanctorum etiam tumulatorum & incineratorum approximationem. Quare hymnus de vno Confessore,

Ad sacrum cuius tumulum frequenter
Membra languentium modò sanitati,
Quolibet morbo fuerint grauata,
Restituuntur.

Esaiæ 49. 18.

Tertiò, quia sunt membra Christi, iuxta id 1. ad Corinth. *Nescitis quia corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* Quod si adorandum scabellum pedum Dei, quid pedes ipsi, imò manus, imò oculi, atque etiam os, quorum munus apud Christum Dominum Sancti eius induunt? Nec mirum, cùm Paulus dixerit; *Qui adhæret Domino, vnus spiritus sit cum eo.* Præterquàm quod si lignum Crucis adoratur & colitur, quoniam Christi scapulæ adhæserunt illi, & quoniam in eo Christus mortuus est, cur non suo modo Sancti adorandi colendíque erunt, in quibus cor Christi adhæsit, adhærebítque semper, & in quibus Christus ipse viuit, illorúmque vita est? Iure ergo diuinis coluntur officiis, & cultu Dominicali honorantur.

1. Cor. 6. 15.

Inde *Hymnus omnibus Sanctis eius filiis Israël, populo appropinquanti sibi. Gloria hæc est omnibus Sanctis eius.* Vtique, quoniam Christus ipse dixit: *Vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Et, *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Neque hoc est sacrificare Sanctis, aut illis sacrificium offerre; sed potiùs cultum & adorationem illorum Deo in sacrificium victimare: laudamus enim Dominum in Sanctis eius, & semper de ipso adoramus dum Sanctos adoramus & colimus: quoniam gloria virtutis Sanctorum Deus est, & in beneplacito eius cornu Sanctorum exaltatur, iuxta quæ habentur in psalmo. Præsertim quod licet cultu externo sæpe obsequium Deo præstitum idem sit cum obsequio Sanctis eius exhibito, vtpote quod Deum & Sanctos genuflexione, capitis demissione, & similibus colimus; cultu tamen interno longè diuersum est obsequium illud ab isto. Vt enim Diuus Thomas docuit, tot sunt species cultus interni, quot excellentiæ. Quare sicut tria excellentiæ genera in Deo, in Deipara, & in Sanctis agnouimus, quorum prius immensum excedit duo alia, & secundum maximè præeminet tertio; sic cultus interni exhibiti ob excellentias istas impares & inæquales toto cælo sunt. Ex quo sequitur, quod citra iniuriam vel irreuerentiam Dei adorantur atque coluntur omnes amici eius, quos ipse nimis honoratos voluit; vt etiam absque præiudicio Patris colitur

3.

Psal 148. 14.

Ioan. 17. 26.

Psal. 88. 25.

D. Tho. 2. 2. q. 103. a. 3.

Princeps,

Princeps, & absque præiudicio Principis colitur præceptor, & quiuis alius veneratione dignus; licet vnius cultus præpollentior sit cultu alterius, vt etiam excellentiæ ob quas talis cultus impenditur: prout etiam Aristoteles vidit & monuit lib. 9. Ethicorum cap. 2. *Aristot. 9. Ethic. cap. 2.*

Alleluia quibus temporibus dicatur.

CAPVT XV.

A Sancto Pascha vsque ad Pentecostem sine intermissione dicatur Alleluia tam in psalmis quàm in Responsoriis. A Pentecoste autem vsque ad caput Quadragesimæ, omnibus noctibus cum sex posterioribus psalmis tantùm ad nocturnos dicatur. Omni verò Dominica extra Quadragesimam cantica, matutini, prima, tertia, sexta, nonaque cum Alleluia dicantur: Vespera verò cum Antiphonis. Responsoria verò numquam dicantur cum Alleluia, nisi à Pascha vsque ad Pentecostem.

1. *Sancto Pascha*, &c. Cùm Alleluia sit idem quod vox lætitiæ, iucunditatis & laudis, prout suprà ostensum est, merito à Pascha vsque ad Pentecostem sine intermissione dicenda præcipitur. Tempus enim hoc summæ alacritatis est, vtpote victoriæ, triumphique adepti, necnon & deificatæ vitæ recuperatæ, & nostræ fœlicitatis obtentæ fœliciſſimum tempus. Vnde (notante hoc Ruperto nosto) temporibus istis Romana Ecclesia pro supplicatione litaniæ iucundum in diuinis officiis Alleluia personat; quia in beatitudine illa, quam significat Paschalis solemnitas, nulla erit deprecatio miserorum, sed sola laudatio beatorum. Ob idque genua non flectit, sed stando orat, vt libertatem, quam resurgendo Christus fidelibus acquisiuit, hac significatione protestetur. Et ob id filij sponsi, quia cum sponso ipso sunt, similiter non ieiunant. Hæc de Ecclesia Romana.

Suprà cap 9. num. 30.

Rup. lib. 8. de diuin. officiis. cap. 13.

2. De nobis autem, vtique de Monachis instituti sui Benedictinis ait, quod quidquid temporibus istis Romana Ecclesia circa horas immutet, nobis de præscripto ordine orãdi aliquid variare nullatenus conceditur, & ideo nec Paschali tempore à supplicatione litaniæ cessandũ: quia nihil præstantius Monacho quàm institutum suum inuiolatum seruare. Et addit, credibile non esse quod Gregorius magnus, qui clericis orandi aliter formam præscripsit, nos in edicto illo comprehensos fore voluerit, cùm monachico etiam habitu præfulserit. Vnde concludit quod tantùm in hoc cum

clericis tempore Paschatis concordamus, quod vsque ad Pentecostem genua non flectimus, sed stando oramus; & quod non ieiunamus, & tandem quod Alleluia sine intermissione repetimus, per quæ non tollitur quin regularibus horis *Kyrie eleison* recitetur.

3. Subiicit autem vnum quod valde notabile est, nimirū quod Monachi qui ob solemnitatem tanti temporis amputāt pro ipsa hebdomada Paschæ à regularibus horis litaniæ preces, hoc est, *Kyrie eleison*, consequens est, vt vsque ad Pentecostem illas non repetant. Vbi significans esse Monachos instituti nostri, qui tempore illo solemni abstinent à litaniis, & audent in hac parte deuiare à regula, ausum illorum nihilominus non improbat, sed quodammodo ad protelandum excitat, dum inquit. Consequens est, vt vsque ad Pentecostem nō repetant: quoniam non solùm hæc hebdomada, sed vniuersi quinquaginta dies isti æternum futuræ resurrectionis significant iubileum: quo nihil iam supplicandum, sed solùm in salute perfecta exultandum & lætandum erit. Quod tamen probare non est, sed potiùs argumento refellere rationem qua ad id impelluntur: quia si aliquid probaret, perinde probaret, vsque ad Pentecostem abstinendum à litaniæ precibus, vt eo argumento ducti Romani clerici abstinent.

4. *Suprà cap. 9. num. 32. Rup. lib. 1. cap. 35.*

A Pentecoste autem, &c. Rationem huius dedimus suprà, cui adiungenda est Ruperti nostri doctrina. Is enim author libro 1. de diuinis officiis, postquam dixerat Alleluia significare æternum beatorum conuiuium, subdidit. Ad hoc vitæ præsentis inopia nullatenus adspirare meretur; scire autem vbi sit, & prægustare illud gaudio spei, sitire & esurire in hac vita Sanctorum perfectio est. Quapropter interpretatur hoc Hebraicum nomē, remansit, vt peregrinum ab hac vita gaudium, peregrino vocabulo exprimeretur. Quoniam igitur futuræ beatitudinis quasi proprium est vocabulum, iure eo tempore magis frequentatur, quo resurgens Dominus, eiusdē beatitudinis spem nobis propinauit. Itaque cùm omni tempore Domino seruidum sit cum lętitia, etiam omni tempore (prętereàm in illo quod mœroris est, vtique Quadragesimali, aut simili) *Alleluia* vox in Ecclesia audienda est, si non frequenter, vt à Pascha in Pentecostem, interdum tamen, vtique pro secundo nocturno.

5. *Greg. lib. 11. epist. 3.* *Aug. Ser. 2. 51. de tēpore.*

Omni verò Dominica, &c. Dominicum diem vocat Gregorius magnus diē resurrectionis Dominicæ, vtpote tanto mysterio auctoritate Apostolica dicatum, Augustino dicente. Dominicum diem Apostoli, & Apostolici viri, ideo religiosa solemnitate habendum sanxerunt, quia in eodē Redemptor noster à mortuis surrexit. Quique ideo Dominicus appellatur, vt in eo à terrenis operibus, vel mundi illecebris abstinentes, tantùm diuinis cultibus seruiamus, dantes dici huic honorem & reuerentiam propter spem resurrectionis nostræ: nam sicut ipse Christus surrexit à mortuis, ita & nos resurrecturos

recturos in nouissimo die speramus. Cùm igitur Alleluia germanum canticum resurrectionis sit, vt patet ex dictis, congruè frequentari Dominicis diebus iniungitur. Plura item Dominica recoluntur die, quæ illam multiplici faciunt Alleluia dignam. Nam (vt vbi suprà subiicit August.) ipse est primus dies seculi, in ipso formata sunt elementa mundi, in ipso creati Angeli, in ipso à mortuis resurrexit Christus, in ipso de cęlis Spiritus sanctus super Apostolos descendit, manna in eodem in Eremo primò datum est. Iis enim indiciis Dominicus dies extat insignis: ac ideo sancti Doctores decreuerunt, omnem gloriam Iudaici Sabbatismi in illũ transferre, vt quod ipsi in figura, nos celebremus in veritate: quia tunc requies vera nostra erit, quando resurrectio fuerit.

6. Sermone item 154. de tẽpore hanc tẽ altiùs prosequutus idem Augustinus ait. Venerabilis est hic dies, qui Dominicus est, vt dies primus atque perfectus, & clarus, in quo visa est prima lux, transgressi filij Israël mare rubrum, & in quo pluit manna illis in deserto, Dominus baptizatus, aqua in vinum conuersa, benedicti quinque panes in deserto; in quo resurrexit Dominus, intrauit domus clausas, Spiritus sanctus descendit, & in quo speramus Christum Dominum ad iudicium venturum, & in quo omnis creatura reformabitur in melius, & Sol & Luna septuplũ lumen accipient, & vitam æternam Sancti omnes. Leo item magnus epistola ad Dioscorum.

August. Ser. 154. de tempore.

Leo epist. 81.

Dies resurrectionis Dominicæ tantis diuinarum dispositionum mysteriis est consecrata, vt quid quid est à Domino insigniùs cõstitutum, in huius diei dignitate sit gestũ. In hac mundus sumpsit exordium. In hac per resurrectionem Christi & mors interitum, & vita accepit initium. In hac Apostoli à Domino prædicandi Euangeliũ tubam sumunt, & inferendum sacramentum regenerationis mundo vniuerso accipiunt. In hac Apostolis à Christo dictum: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retẽta sunt. In hac denique repromissus à Domino Spiritus sanctus aduenit. Ecce quanto iure Dominica solemnitas sibi vendicat vocis *Alleluia* lætitiam.

7. Quia verò Quadragesimales Dominicæ, quæ à Septuagesima vsque ad Pascha decurrunt, non tam Christi glorioſam resurrectionem quàm eius mortem recolunt, ideo Alleluia in eis prorsus interdicitur. Sed cùm Alleluia sit laudis vox, & Deus vbiq; & semper laudandus occurrat, difficultatem ingerit, cur penitus Alleluia temporibus istis abscindatur. Numquid in Quadragesima Deus illaudabilis est? Sed audiamus rationem, & nodi solutionem à Ruperto nostro, argutè (vt solet) rem istam meditante. Etenim lib. 4. de diuinis officiis cap. 5. cuius rubrica seu titulus est, Cur Alleluia à Septuagesima in Pascha dimittatur; ita inquit. Si rectè consideremus qualem Dei laudem Alleluia significet, verè perpulchrum est, quod.

Ruper. lib. 4. de diuin. offi. cap. 5.

quod de Sanctæ Ecclesiæ ore vox ista nunc auferatur. Significat enim non quamlibet Dei laudem, non laudem Dei maiorem aut minorem creaturarum cæli & terræ, & maris, & omnium quæ in eis sunt; alioquin frustra diebus istis de ore tolleretur nostro, cùm à laudibus Dei non cessamus: laudamus enim quod in principio fecit cælum & terram, quod diuisit lucem à tenebris, & similia, de quibus Genesis 1. Sed significat laudem illam, quam Deus Pater Deo Filio dicit; Exurge gloria mea: & illam, quam Christus supernæ iucunditatis auditoribus exhibet, quorum beati oculi qui viderunt, & aures quæ audierunt. Cùm igitur mœroris tempore lætabunda ista non recolantur, meritò Alleluia cauetur; non quia prohibetur laus, laus inquam Dei, quæ semper in ore nostro esse debet, & quæ à Solis ortu vsque ad occasum laudabile prædicat nomen Domini: sed talis & specialis laus, vtique ea quæ commodæ iucunditatis, & æternæ fœlicitatis est.

Qualiter diuina opera per diem agantur.

CAPVT XVI.

SEPTIES in die (ait Propheta) laudē dixi tibi. Quinarius sacratus numerus à nobis sic impletur, si Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriique tempore nostræ seruitutis officia persoluamus: quia de his horis dixit Propheta; Septies in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait; Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ergo his temporibus referamus laudes Saluatori nostro super iudicia iustitiæ suæ, id est, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorio, & nocte surgamus ad confitendum ei.

1. SEPTIES *in die*, &c. Perspicuè octo Canonicas horas bis hic noster præceptor recenset, nocturnam vnā, diurnas septem: & tam illam quàm istas ex præscripto psalmi 118. dicentis, pro nocturna quidem; *Media nocte surgebam ad confitendum tibi:* pro diurnis verò; *Septies in die laudem dixi tibi.* Et occinit Rupertus noster dicens. Exceptis nocturnis vigiliis septem sunt horæ diei, Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, & Completorium. Consentiunt Venerabilis Beda, D. Anto

Rup. 1. de offic. diuin. c. 9.

Beda lib. 3. in Esdram cap. 18.

Antoninus p. 2. tit. 9. c. 12. Nauarrus de orat. cap. 3. Archid. 91. cap. Presbyt.

D. Antoninus, Nauarrus, Archidiaconus, & plures alij, ea ratione suffulti, quod Iudæi, à captiuitate reuersi Babylonica octies per naturalem viginti quatuor horarum diem laudabãt & adorabãt Dominum, vt pat ex 2. Esdræ 9. vtique quater in nocte, & quater in die. Quare quatuor horæ diurnæ, vtique Prima, Tertia, Sexta & Nona respondent omninò laudationi, & adorationi dici: illæ verò, vtique Vespera, Completorium, Nocturni & laudes, nocturnæ. Et licet tres istæ nocturnæ horæ, videlicet Vespera, Completorium, & laudes potiùs in die recitentur, imò non nisi per diem, hoc tamen non tollit proportionem, & coaptationem cum quatuor illis nocturnis laudationibus; sed proportionatè ad tempus gratiæ (in quo nox præcessit, dies autẽ appropinquauit) recitantur per diem; quia multa quæ tunc sub nube & vmbra contingebant illis, perspicua nobis & pomeridiana sunt. Alia item ratio apud illos vrgentissima est, quod vel per digitos computatis huiusmodi horis inueniuntur octo, nec plus, nec minus.

2. *Isid. lib. de Eccles. offic. vbi suprà. Rabba. libr. institut. cler. Hostiensis, Ioan. And. & Abb. sup cap. de celebratione Missarum. Basil. lib. 1. institu. Mon. Cassian. lib. 3. instit. cœnob. cap. 8.*

Ex aduerso nihilominus stãt Isidotus, Rabbanus Maurus, Hostiensis, Ioannes Andreas & Abbas; & quod maius est, Concilium Cabillonense II. sub Carolo magno, hoc enim cap. 59. septem dumtaxat canonicas horas numerat. Fundamentum est, quod id insinuarunt Basilius, & Cassianus, & quod mysticus is numerus est, & valde diuinis laudibus, nostrisque precationibus consonus: siquidem Spiritus sancti dona, de quibus Esaiæ 11. septem sunt. Septiformis item Spiritus sancti gratia, septem similiter Sacramenta Ecclesiæ, septem petitiones & postulationes orationis Dominicæ: septem tubæ, ad quarum clangorem Hiericuntini muri corruerunt; septies in die cadit iustus, & septiès resurgit; septem sunt peccata mortalia, & septẽ nequiores spiritus, quos immundus spiritus assumit fortiores se ad profligandos homines. Septem igitur esse debent horæ canonicæ diuinis laudibus contra tot insultus destinatæ.

3. At controuersia ista verè tãtùm de nomine est. In re siquidem omnes conuenimus, & cõuenire tenemur, nocturnas vigilias & matutinas, Primam, Tertiam, Sextã, Nonam, Vesperas & Completorium per singulos dies recitãdo. Quare cùm ista omnia numero octo sint, vt per se notum est, consequẽns fit, non posse pro septem haberi, aut numerari, nisi duo aliqua illorum pro vno eodemque computentur; vt verè Breuiarium Romanum computat, dum pro vna indiuisibiliq; hora nocturnas matutinasque vigilias, quas communiter laudes appellamus, sumit. Etenim tam illas quàm istas oratione vna & vnico claudit *Benedicamus*. Vt etiam nos omnes duodecim lectionum vigilias nocturnas, laudesque illarum, sub vno tantùm *Benedicamus* absoluimus, licet feriales sub duplici. Quia tamen quasi pro eadem computamus horã vigilias nocturnas & matutinas, ideo ipsum nocturnum officium

matutina vocamus: nomen indi-
tum à matutinis vigiliis, aliàs
laudibus. Nec propterea incon-
gruè dicere possumus cum Da-
uid; *Septies in die laudem dixi tibi:*
quoniam (vt hic in textu habe-
tur) *septenarius sacratius numerus*
à nobis sic implebitur. si Matutini,
Prime, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vespe-
ræ, Completoriique tempore nostræ
seruitutis officia persoluamus: quia
de his horis dixit Propheta; Septies
in die laudem dixi tibi. Quod ver-
bum tanquam de mente Concili-
lij Agathensis, vel Nanetensis
refertur 93. cap. Presbyter; sed
tamen apud illa non extat, sed
tantùm à capite isto desumptum
est. Nec mirum octonarium pro
septenario hic computari: nam
etiam octo illas beatitudines, de
quibus Christus Matthæi 5. pro
septem computari videmus. Vn-
de Augustinus confert & adæ-
quat illas cum septem Spiritus
sancti donis, de quibus Esaiæ 11.

Aug. lib. 1. de serm. Domini in mõte cap. 9.

Quot psalmi per easdem horas dicendi sunt.

CAPVT XVII.

IAM de nocturnis vel matutinis digessimus ordinem psalmodiæ, nunc de sequentibus horis videamus. Prima hora dicantur tres psalmi sigillatim, & non sub vna Glo-
ria. Hymnus eiusdem horæ post versum, Deus in adiuto-
rium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina,
antequam psalmi incipiãtur. Post expletionem verò trium
psalmorum, recitetur lectio vna, versus & Kyrie eleison, &
missæ sint. Tertia verò, Sexta, Nona eodem ordine cele-
brentur, id est, versus, hymni earumdem horarum, terni
psalmi, lectio & versus, Kyrie eleison, & missæ sint. Si ma-
ior congregatio fuerit, cum Antiphonis, si verò minor, in
directum psallantur. Vespertina autem synaxis quatuor
psalmis cum Antiphonis terminetur: post quos psalmos
lectio recitanda est. Inde Responsorium, Ambrosianum,
versus, canticum de Euangelio, litania, & oratio Domini-
ca, & fiant missæ. Completorium autem trium psalmorum
dictione terminetur. Qui psalmi directaneè sine Antipho-
na dicendi sunt, post quos hymnus eiusdem horæ, lectio
vna, versus, Kyrie eleison, & benedictio: & post missæ fiant.

1. AM *de nocturnis*, &c. Cùm pleraq; huius capitis suprà explanata sint, videlicet cap. 9. aliqua dumtaxat hic explicanda supersunt. Primùm, cur ad singulas horas dici,

Primæ,

Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ & Completorij tres dumtaxat psalmi recitandi veniant, ad Vesperas autem quatuor. Secundum, quid sibi velint voce illæ, *missę sint*, & *missę fiant*, de quibus ad finem cuiuslibet horæ hic noster assertor. Tertiuñ, quid significet diurnas horas tum Antiphonis recitari, si maior congregatio fuerit. Demum, quanta sit antiquitas horarum Canonicarum, quæ dicuntur diurnæ, de quibus in capite hoc.

2. De primo dixerim primò, in honorem sanctissimæ Trinitatis tres ad singulas ex istis diurnis horis recitari psalmos: quia cùm in veteri Testamento tot symbola Trinitatis præcesserint, vtique tres viri qui Abrahamo apparuerunt, & tria sata similæ, Genesis 18. tres putei quos fodit Isaac, Gen. 26. tres propagines, Gen. 40. ter in anno apparere coram Domino, Deuter. 16. triplex funiculus, Eccli. 4. & pleraque alia: sic in Testamento nouo oportuit, vt alia non minus perspicua, sed longè magis illustria Sanctissimæ Trinitatis symbola subsequerentur; inter quæ primum tenet locum trina hæc psalmorum repetitio. Dixérim etiam, id nobis stabilitum fuisse, quoniam ad laudandum Deum ternarius numerus appositissimus est; quandoquidem Seraphim illa, de quibus Esaiæ 6. trisagio laudauerunt illum, ter dicétes, Sanctus, Sanctus, Sanctus: & Elias sacrificium suum ter aqua perfudit, vt Deus igne cælitus misso benediceret ipsum, 3. Regum 18. tertio item die sacrificium absumebatur, Lucæ 3. Tandem, quia ternarius numerus symbolum potestatis eximiæ, diuinæque fortitudinis est, dicente Esaia, quod Deus tribus digitis appendit molem terræ. Per hoc enim indicare studuit ferream, vel plumbeam terræ molem aëream potiùs & leuissimam Dei viribus esse. Cùm igitur efficacitas, dignitas, & fides maximè orationi congruant, conuenienter trina psalmodia singulæ istæ orationes complentur; quia trinitas fidei, dignitatis, ac potentiæ sacramentũ est. *Esaiæ* 40.11.

3. Vespertinum autem officium quatuor psalmis recolitur: fortè quia quaternarius (vt ait Philo) potentia esse videtur, quod actu est denarius. Denariũm autem beatitudinis symbolum esse, vel ipsa parabola de denario diurno apertè cómonstrat Matthæi 20. omnesq; eius mystici expositores affirmant. Vnde petimus largiri clarũ vespere, quo vita nusquam decidat. Et Gen. 49. legimus; *Benjamin lupus rapax, mane rapiet prædam, & ad vesperam diuidet escas.* Itaque quaternarius numerus potestate denarius est. Quia etiam id habet quinarius, ideo non minus beatitudinis symbolum quàm quaternarius est. Vnde Matth. 25. quinque talenta accepta & remunerata legimus; & ideo tam Romanũ officium recitans quinque psalmos ad Vesperas, quàm monasticum recitans quatuor, æternæ fœlicitatis symbola sunt. *Matth.* 20. *Gen.* 49. 27. *Matth.* 25.

4. De secundo puncto maior difficultas est: quoniam hactenus sub iudice habemus quidnam significet hoc verbum: *missę sint*, & *missę fiant*. Illustrissimus enim

enim pariterque doctissimus Cardinalis Turrecremata in huius capitis commentario dixit, hæc verba significare idem ac si diceretur, dicantur orationes illæ, quæ in praxi habentur. Dicto enim *Kyrie eleison*, & *Pater noster*, inquit presbyter, *Dominus vobiscum, Oremus.* Et ait author iste, ideo prędictas orationes appellari missas, quia per illas preces ad Deum mittimus, dicentes, oremus. Omnipotens sempiterne Deus, &c. vel huiusmodi alia: Quæ sententia licet valde consona sit Alcuini, Isidori, & aliorum existimationi dicentium, *misse* nomen Latinum esse, & significare idem quod missionem, & non qualemcumque, sed sacram, & proinde orationem ad Deum: nihilominus cùm noster assertor nihil de oratione dixerit, etiamsi cuncta & singula ad diuinum officium pertinẽtia suis nominibus nuncuparit, & sub orationis nomine tantùm intellexerit versiculum illum, quo regulares exordimur horas, videlicet, *Deus in adiutorium meum intende*, vt patet ex his quę hic profert; vel etiam orationem Dominicam, cuius tantùm hactenus meminit, & quam vnicè recitandam præcepit ad Vesperas & ad laudes, vt latè vidimus cap. 13. ante finem; non apparet quomodo per hæc verba, *misse sint*, & *misse fiant*, subintelligantur istæ orationes quæ sunt in praxi. Quare tantùm arbitror quod sicut dum in Missa dicitur; *Ite, missa est*, idem est ac si diceretur; Ite, nam cõpleta est oblatio & sacrificiũ finitum: sic cùm ad calcem cuiuslibet horæ diuinæ inquit præceptor sanctissimus, & *misse sint*, aut *misse fiant*, idẽ est ac si clarius dixisset, & sic est hora cõpleta, & diuinum consummatum officiũ. Argumento est non solùm quod si per hæc verba aliquid recitari iussisset, debuisset exprimere illud, vt expressit reliqua, etiam minima, vsque ad *Kyrie eleison:* sed etiam quod hac phrasi loquẽdi communiter denotatur finis ac cessatio ab opere. Mittere etenim inter alia propriè significat idem quod finem imponere, Virgilio dicente,

Reuocate animos, mœstumque timorem
Mittite.

hoc est, deponite, abiicite, ab illo cessate. Terent. item; *Eia lacrymas mitte*, hoc est, abstine à lacrymis, finem illis impone. Plautus etiam missum facere, vsurpauit pro eo quod est, relinquere: dixit enim; *Missa hæc faciamus.* Aptè ergo *misse sint*, interpretamur idem quod misse fiant, seu quod sic finiãtur & consummẽtur. Maximè quod cũ ly *misse* nũquam cũ diphtongo scribatur, signum euidentissimũ est, quod non fit allusio ad nomẽ quod est Missa, Missæ, & proinde neque ad Missæ orationem, sed ad verbum *mittere*, quod cessare sonat, ac finem imponere.

5. Tertium etiam punctum difficile est, quoniam officium diuinum non minus in congregatione minori, quàm in maiori cum Antiphonis, aut sine Antiphonis recitatur. Quod si cum Isidoro dicamus (quod etiam suprà cap. 9. expendimus) ly *Antiphona* esse nomen Græcum, & interpretari vocem reciprocam, duobus

Isid. lib. 6. Ety. cap. 19.

duobus scilicet alternatim psallentibus, aut recitantibus. Igitur si id dicamus, non propterea nodum soluimus: quoniam nulla adeò esse potest minima congretio, quæ duobus saltem nõ constet Monachis, vbi autem duo Monachi sunt, chorus est, & proinde qui sibi alternatim respondeant. Quare dicendum censeo, quod cùm præceptor sanctissimus huic quod est celebrare in congregatione maiori diuinum officium cum Antiphona, ex diametro opponit hoc quod est celebrare in congregatione minori in directum, inquiens: *Si maior congregatio fuerit, cum Antiphonis; si verò minor in directum psallantur*: conuincitur quod per ly *Antiphonas* significare voluit idem quod per artem, per numeros, ac per puncta canere: hoc autem omnino opponitur huic quod est canere in directum, aliàs (vt vulgò Hispanè dicimus) *cantar en tono*; vt etiam ferialibus cunctis cantamus Completoriis, in quibus præceptor noster hic iubet psalmos directaneè cantandos: quod vt mox explicet inquit, *sine Antiphona sunt dicendi.* Nomine ergo *Antiphonæ* canticum hic subintellexit, vtiq; numerosum, artificiosum & secundum regulam, nam huic tantùm opponitur canticum quod intonamus directè. Constat autẽ articulatum & arte constans canticum minori congregationi nõ tanquam maiori congruere, & ideo illud pro maiori tantùm congregatione præscribit.

6. De vltimo tandem dicendum est, Tertiam, Sextam, & Nonam horas adhuc ipsis Apostolis viuentibus celeberrimas fuisse: siquidem Actorum 1. refertur quod post ascensionem Domini remanserunt Apostoli apud Ierosolymam vnanimiter in oratione perseuerantes; vtique oratione solemniarq; communi, qualis nunc habetur in choro: ly enim *vnanimiter*, tam vocum quàm cordium vnitatem & communitatem significat. Capite enim secundo subiicitur quod hora Tertia Spiritus sanctus apparuit illis; qua de causa Ecclesia modò vtitur hymno:

Nunc sancte nobis Spiritus,
Vnum Patri cum Filio,
Dignare promptus ingeri,
Nostro refusus pectori.

De hora item Sexta fit mentio Actorum 10. vbi dicitur, Apostolum Petrum circa horã Sextam in superiora domus ascendisse vt oraret. Et de hora Nona legitur Actorum 3. quod Petrus & Ioannes ascenderunt in templum ad horam orationis Nonam. Ecce ab Apostolorũ tempore antiquitas huiusmodi horarum. Quinimò D. Cypriano authore Hebræis fuit in vsu orare Tertia, Sexta, & Nona. Et id probat ex Danielis 6. vbi habetur, quod ipse contra Ierusalem ter in die flectebat genua, adorabátque, & confitebatur coram Domino Deo suo, sicut antea facere consueuerat. Erat enim tunc solemne Prophetis statis fixísque horis Dominum orare, & deprecari. Quare 1. Regum dixit Samuel ad Saülem: Cùm ingressus fueris vrbem, obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium,

Cypr. lib. de oratione Dominica.

1. Reg. 10.

tympanum; & tibiam, & citharam, ipsósque prophetantes (hoc est spiritu prophetico psallentes) & insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis. Vnde & prouerbiũ exiit; Numquid Saül inter Prophetas? Erant autem isti Prophetæ homines quidam deuoti & religiosi, quos congregauerat Samuel, vt statis horis laudarent Deum. Et subdit vbi suprà Cyprianus. in illis tribus horis quibus publicè orabant Hebræi, præsignatum fuisse mysterium Trinitatis.

Cypr. vbi suprà.

7. De horâ autem quæ dicitur Prima, non est tam aperta mentio in literis sacris, bene tamen aliqua, vtique illa de matutinis precibus, quæ non infrequens sacris in literis est. Vnde ex psalmo 54. n. 18. mox elogium pro Prima, Nona, Vesperísque citabimus. Cyprianus etiam vbi suprà mentionem facit eius, inquiens. Nobis, fratres charissimi, præter horas antiquitus obseruatas, orandi spatia & sacramenta creuerunt; nam & mane orandum est. Oratio autem communis & solemnis quæ manè fit, apud nos Prima appellatur. Vnde hic in textu; *Prima hora dicantur psalmi tres.* Et subiungit Cyprianus. Mane orandum est; vt resurrectio Domini matutina oratione celebretur. Quod olim Spiritus sanctus designauit dicens; Rex meus, & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam. (psal. 5. Mane assistam tibi, & contemplabor te. Et iterum per Oseam; Diluculo vigilabunt ad me. Ratio autem cur huius horæ mentio antiquior non sit, ea fortassis est, quod cùm in primitiua Ecclesia laudes ad primam diei lucem recitarentur, opus nõ erat iterum diluculo chorum repetere. At quia postea matutinum officium simul cum nocturno prope medium noctis recitatur, opus fuit matutinam aliam constituere horam, quæ Prima dicta est. Sed cùm apud nos matutinum officium prima luce recitandum ex præscripto regulæ sit, & similiter Prima recolenda, non vsquequaque congrua ratio ista est.

Osea 6. 3.

Psal. 5. 5.

8. De Vesperis etiam meminit idem Cyprianus vbi suprà, atque etiam meminerũt Concilia Laodicense & Tarraconense; & illarum conuenientia colligitur ex illo psalmi 54. *Vespere, & mane, & meridie narrabo & annunciabo.* De Completorio demum 19. meminit Concilium 11. Turonense, præter Laodicense & Tarraconense citata. Et præter Ambrosium, qui super psalmum 118. dicit, dum de Completorio agitur; venire sibi in mentem auium recordationem, quæ dum eunt cubitum, quasi peracto lætæ munere, æthera cantu mulcere consueuerunt, & nocturno diurnóque tempore iustas laudes referre creatori. Meminit etiam Cyprianus vbi suprà dicens, Recedente Sole necessariò rursum orandum est, vt Sole seculi recedente, verus Sol & dies Christus accedat.

Concil. Laod. can. 18. Tarrac. can. 10. Psal. 54. 18. Turon. 2 can.

Quo ordine psalmi ipsi dicendi sunt.

CAPVT XVIII.

IN primis semper diurnis horis dicatur versus, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, & Gloria. Inde hymnus vniuscuiusque horæ. Deinde Prima hora Dominicæ dicenda quatuor capitula psalmi centesimi decimi octaui. Reliquis verò horis, id est, Tertia, Sexta & Nona, terna capitula supradicti psalmi centesimi octaui decimi dicantur. Ad primam autem secundæ feriæ dicantur tres psalmi, id est, primus, secundus, & sextus. Et ita per singulos dies ad Primam, vsque ad Dominicam dicantur per ordinem terni psalmi vsque ad nonum decimum psalmum; ita sanè, vt nonus psalmus & septimus decimus partiãtur in binas Glorias, & sic fiat, vt ad vigilias Dominica semper à vigesimo incipiatur. Ad Tertiam verò, Sextam & Nonam secundæ feriæ nouem capitula quæ reliqua sunt de centesimo octauo decimo psalmo, ipsa terna per easdem horas dicantur. Expenso ergo psalmo centesimo octauo decimo duobus diebus, id est, Dominica & secunda feria, tertia feria iam ad Tertiam, Sextam, & Nonam psallantur terni psalmi, à centesimo nono decimo, vsque ad cẽtesimum vigesimum septimum, id est, psalmi nouem. Quique psalmi semper vsque ad Dominicam per easdem horas itidem repetantur: hymnorum nihilominus, lectionum, vel versuum dispositione vniformi cunctis diebus seruata. Et ita scilicet, vt semper Dominica à centesimo octauodecimo incipiatur. Vespera autem quotidie quatuor psalmorum modulatione canatur. Qui psalmi incipiantur à centesimo nono vsque ad centesimum quadragesimum septimum, exceptis his, qui diuersis horis ex eis sequestrantur, id est, à centesimo decimo septimo vsque ad cẽtesimum vigesimum septimum, & centesimo trigesimo tertio, & centesimo quadragesimo secundo. Reliqui omnes in Vespera dicendi sunt. Et quia

minus

minus veniunt tres psalmi, ideo diuidendi sunt qui in numero supradicto fortiores inueniuntur, id est, centesimus trigesimus octauus, & centesimus quadragesimus tertius, & centesimus quadragesimus quartus. Centesimus verò sextus decimus quia paruus est, cum centesimo quinto decimo coniungatur. Digesto ergo ordine psalmorum vespertinorum, reliqua,id est, lectiones, responsoria, hymni, versus,vel cantica, sicut suprà taxauimus impleantur. Ad Completorium verò quotidie iidem psalmi repetantur, id est,quartus,nonagesimus,& centesimus trigesimus tertius. Dispositio ordine psalmodiæ diurnæ, reliqui omnes psalmi qui supersunt, æqualiter diuidantur in septem noctium vigilias, partiendo scilicet qui inter eos prolixiores sunt psalmi:& duodecim per vnamquamque constituantur noctem. Hoc præcipuè commonentes:vt si cui fortè hæc dispositio psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter iudicauerit:dummodo omnimodis id attendatur, vt omni hebdomada psalterium ex integro numero centum quinquaginta psalmorum psallatur, & Dominico die semper à capite repetatur ad vigilias. Quia nimis iners deuotionis suæ seruitium ostendunt Monachi, qui minus psalterio cum canticis consuetudinariis per septimanæ circulum psallunt, cùm legamus sanctos Patres nostros vno die hoc strenuè impleuisse, quod nos tepidi vtinam septimana ipsa integra absoluamus.

1. IN *primis*,&c. Tria hic tãtùm expẽdenda sunt: nam cætera expositione non indigent, vtpote enucleata satis à capite 9. & deinceps. Primum autem obseruatione dignum est prælatio psalmi 118. supra cæteros omnes, dum ante omnia prioribus dicit horis recitandus indicitur. Et iure quidem:tum quoniam(vt Hilarius Ambrosiúsque monuerunt) psalmus iste viginti duo continet capita,iuxtà numerum literarum Alphabeti Hebraici, vt per ipsa literarum & elementorum initia eruditionem capiamus: ita vt quemadmodum paruulorum ingenia primis literarum elementis legendi vsum addiscunt,ita & nos huiusmodi elementis vsum viuendi discamus.Tum quia(vt prẽmisit Ambrosius)cùm reliqui omnes psalmi stellarum luce præfulgeant, psalmus hic Sole meridiano feruet. Tum quia (vt Basilius, vel potiùs Theodoretus in hunc psalmum habet)preces quas singulis temporibus Deo obtulit Dauid,

Dauid, hic inter se concinnatas ad nostram vtilitatem congessit, simul cum dogmatum & documentorum integritate, vt sufficiat is psalmus etiam tyrones reddere perfectos, & ignauiter viuentes ad diligentiam excitare, recreare abiectos, & omne medelæ genus mortalium passionibus applicare. Nec mirum sanè, quoniam rarus in eo versiculus, vel penè nullus est, in quo vel præcepti, vel mandati, vel legis, vel iudicij, vel testimonij, vel eloquij, vel verbi, vel viæ, vel veritatis, vel iustificationis vox non insonet. Constat autem apothecam animarum nostrarum vlteriora istis instrumenta aut non capere, (si fas ita loqui) aut non habere.

2. Capita item huius psalmi 118. octonaria dicuntur, quia octonis singula constant versibus. Et quidem non citra mysterium, siquidem (vt ait vbi suprà Ambrosius) octaua die solemnis secundum legem purgatio est, & octaua die circumcisionis solemnitas. Item, vt Matthæi 5. habemus, octonarius numerus beatitudinum est, octo enim ibi beatitudines referuntur; & psalmus iste à beatitudiue sumit exordium, infit enim: *Beati immaculati in via.* Ob id enim Athanasius notauit psalmum istum studiosam vitam paritérque beatam prædicare. Vnde titulus eius & inscriptio est, *Alleluia*, quæ vox lætitiæ, & æternæ fœlicitatis est. Inde Græcus author (putatus ab Agellio Chrysostomus) argumento in hunc psalmum inquit. In hoc psalmo Dauid Sanctorum conuersationem describit, certamina, angustias, circumscriptum certaminis locum, dæmonum impetum, innumeras cogitationum suggestiones, laqueos, plagas, nec non & illa per quæ victores euadunt, legem, eloquia, patientiam, supernum auxilium, deinde post labores præmia, coronas, retributiones.

Matth. 5.

Athanas. ep. ad Marcellinum.

Agel. in psal. 118.

3. Obseruatione iterum digna est dispositio psalmorum pro regulari officio, quia longè diuersa est ab illa quam in psalterio habent. Diuersitatis autem ratio est, tum quod aliqui, verbi gratia, ex posterioribus psalmis congruentiores pro initio quàm pro fine hebdomadæ sunt, aliqui autem ex prioribus econtrà. Tum quoniam nec in libro psalmorum temporis, dignitatis, euentúsque ordinem psalmi ipsi habent. Compertum siquidem est, quod Dauid priùs commisit adulterium, quàm fugeret à facie Absalon, cùm tamen historia ista tertio psalmo narretur, illa verò quinquagesimo. Est etiam compertum, quod psalmus 77. non est vltimus omnium, quos Dauid composuit, siquidem post eum sunt multi cum titulo & inscriptione Dauidis, cùm tamen psalmo illo legatur; *Defecerunt laudes Dauid.* Præposterum igitur psalmi retinent in psalterio ordinem, quare non mirum est, si inuerso ordine posteriores aliqui priùs, posterius verò aliqui priores in officio diuino recitentur.

4. Causam præposteræ ordinationis huius quæ in psalterio est, refundunt probati authores, vtique Eusebius & Anastasius, in præposteram adinuentionem & recuperationem psalmorum, qui simul cum multis aliis sacrarum Scripturarum libris Babylonica illa interciderunt captiuitate. Quo enim ordine tunc recuperabantur, eodem assuebantur, & agglutinabantur in libro. Bene quidem, licet non ad sapientiam mihi: cùm etiam alij canonici libri temporis dispositionem non seruent, vt patet in historia Iob, quæ longè anterior Moysi temporibus extitit, cùm tamen nouiorem in Bibliis quàm illa locum habeat. Et idem de Epistolis Pauli, quæ sedem pro ratione temporis & antiquitatis non habent. Si igitur hoc de aliis, licet non de omnibus Scripturæ libris, quid mirum si etiam de psalmis? Maximè cùm ordo temporis ad finem & scopum psalmorum nullius momenti sit. Est enim psalmorum liber Spiritus sancti apotheca omni genere bonorum cumulata: estque paradisus omni pomorum animæ specie refertus: in his autem non antiquitas, sed rerum vtilitas pensatur. Sunt enim promptuarium promiscuum ad omnia necessaria.

Euseb. in proœm. psal. Anast. in ps. 136.

5. Demum obseruandum est, quod demum edicitur, videlicet omnibus modis attendendum, vt omni hebdomada integrum psalterium repetatur, & quod à Dominica die inchoëtur. Item quod ne graue Monachis id censeatur, eo quod Patres nostri non tantùm in omni hebdomada, verùm singulis quibusque diebus integrum psalterium recitabant. Hoc inquam obseruatione dignum est, ad nostram segnitiem propulsandam. Et quidem adeò verum, vt in libro de Romanis Pontificibus legamus, psalterium Dauidicum ante Missæ celebrationem olim quotidie recitari, prout videre licet in Dionysio, Cassiano & Hieronymo. Ad vitandum nihilominus prolixitatis fastidiũ, recitationem psalterij in recitationem alicuius versus psalmi à Gregorio magno commutatam esse ait Clictoueus, & ante illum Dionysius.

Dionys. lib. 3. Eccl. hierar. parte 3. Cassian. lib. 3. institut. cœnob. c. 11. Hier. ad cap. vlt. Esaiæ. Clicton. lib. 1. propugnat. Ecclesiæ. cap. 5. n. 6.

De disciplina psallendi.

CAPVT XIX.

VBique credimus diuinam esse præsentiam, & oculos Domini in omni loco speculari bonos & malos. Maximè tamen hoc sine aliqua dubitatione credimus, cùm ad opus

ad opus diuinum assistimus. Ideo semper memores simus quod ait Prophetа ; Seruite Domino in timore. Et iterum: psallite sapienter. Et, in conspectu Angelorum psallam tibi. Ergo considerемus, qualiter oporteat nos in conspectu diuinitatis & Angelorum esse. Et sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ.

1. PRo intelligentia tituli obseruandum est, quod ly *disciplina* varia significat. Aliquando enim significat castigationem, vt Prouerb. 22. 23. *Nolite subtrahere à puero disciplinam.* & Sapientiæ 3. *Qui abijcit disciplinam, infelix est.* & Sophoniæ 3. *Timebis me suscipiens disciplinam.* Aliquãdo item eruditionem & scientiam, vt Prouerb. 4. *Audite filij disciplinã patris vestri.* & Ecclesiastici 39. *Ipse palàm faciet disciplinam doctrinæ suæ.* Ac demum significat sapientiam, iuxta id psalmi 2. *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus.* & psal. 17. *Disciplina tua correxit me in finem.* & psal. 118. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Et quidem de hoc tertio disciplinę genere loquitur hic legifer noster, vt ex dicendis patebit, saltem ex illo, *psallite sapienter.*

Prou. 22. 23. *sap.* 3. *Sophon.* 3. 2. *Prou.* 4. 1. *Eccle.* 39. 11. *Psal* 2. 12. *Psal.* 17. 37. *Psal.* 118. 66.

2. *Vbique credimus*, &c. Ratio & fama (ait Athanasius) apud omnes obtinuit, Deum vbique esse. De quo multa Scholastici Doctores cum D. Tho. 1. p. vbi tãquam euidens doctrina ista asseritur. Nihilominus cùm ad inuocandum atque orandum Deũ fide in primis opus sit, iuxta id Pauli ad Rom. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* & illud Augustí. Si fides deficit, oratio periit. Quid enim orat qui non credit? Iure à *credendi* verbo rem istam præceptor noster auspicatus est: & quidem à credenda immensitate & vbiquitate Dei, quas Scripturæ sacræ tertio quoque verbo affirmant, dicentes; *Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* & apud Ieremiam: *Putasne Deus è vicino ego sum, & non Deus de longè? Si occultabitur vir in abscondito, ego videbo eum. Numquid non cælum & terram ego impleo?* Et quidem multis modis; quoniam (vt Gregorius magnus inquit) Deus est in omnibus rebus per præsentiam, potẽtiam, & essentiã. Quod dum exponit D. Thomas, dicit, Deum esse in omnibus rebus per essentiam, esse, præsentem illis esse secundum suam substantiam: & hoc aduersari errori quorumdam hæreticorum dicentium, Deum nou omnia immediatè per seipsum creasse, sed mediatè tantùm per primas aliquas creaturas. Esse item per potentiam in omni loco, importare idem atque omnia cuiuslibet loci eius esse potestati subiecta, vt Rex dicitur esse in suo regno, & proinde longissimas habere manus: hoc item militare contra Manichæos dicentes spiritalia &

Athan. oratione contra Idola post medium. *D. Tho.* 1. *p.* *q.* 8 *art.* 1. *Rom.* 10. 14. *Aug. Ser.* 33. *de verb. Domini.* *Psal.* 138. 7. *Greg hom.* 8. *in Ezech.* *D. Tho.* 1. *p.* *q.* 8. *a.* 3.

immaterialia ſubdi poteſtati diuinæ, materialia verò non ita. Demum eſſe præſentem in omnibus rebus per præſentiam, importare idem atque vniuerſas res eſſe peruias perſpicuáſque illi, iuxta illud Hebræorum 4. *Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius*; & hoc militare contra hæreticos prouidentiæ diuinæ, negantes Deum attendere ſaltem minimis rebus, cùm tamen omnia prouideat, præuideat, & prænoſcat. Hoc autem adeò verum eſt, vt Nazianzenus, Damaſcenúſque dicant, Deum lingua Græca vocari *Theos* ab operatione videndi. Quintil. etiam dicit. Qua non videtur Deus humanis intereſt. Vnde hic in textu; *Credimus oculos Domini in omni loco ſpeculari bonos & malos.*

Heb. 4. 13.

Nazianz. orat. 26. Damaſ. lib. 1. de fide. c. 12. Quintil. declam. 388.

3. *Maximè tamen cùm ad opus diuinũ aſſiſtimus.* Etenim ſi Deus omnibus, etiam minimis intereſt rebus, quomodo non maximè maximis, vtique diuinis officiis? quid enim illis maius? Etenim ſi (vt inquit Baſilius de oratione priuata) oratio glorificatio Dei eſt, noſtríque ſubmiſſio: quid officium diuinum, quod non tantùm orationem, ſed ſolemnem, publicam, vocalem, & nomine totius Eccleſiæ factam & effuſam importat? Quocirca huiuſmodi preces odoramenta appellantur Apocalypſis 5. quia ſicut incenſum in conſpectum Domini diriguntur, pſal. 104. vtpote quibus ſuauitatem fragrantiæ Deus odoratur. Et non tantùm ſuauitatem odoris, ſed honoris etiam, dicente Domino; *Sacrificiũ laudis honorificabit me.* Vbi autem honor cuiuſpiam eſt, maximè ipſe eſt. Prętерquá quod cùm oratio idem ſit ac cum Deo loquutio, vel etiam colloquutio, prout à Chryſoſt. accepimus homil. 30. in Geneſim, vbi dicit. Oratio colloquiũ eſt cum Deo; quòd vt ſcias audi Prophetã dicentem; Iucundum ſit ei eloquiũ meum: niſi diuinis Deus præſens officiis eſſet, & nos maximè id crederemus, quomodo ad orandum mẽtaliter aut vocaliter adduceremur? Vbi enim nõ eſt auditor (inquit Scriptura) ſermo effundendus non eſt. Item cùm orare Deum idem ſit quod accedere ad illũ: vt econtrà non orare, eſt remoueri ab eo, iuxtà illud Greg. Nyſſeni. Recedit à Deo qui per orationẽ ſe ei non cõiungit: per orationẽ enim ſe Deo iũgit: neceſſũ eſt quod diuinis officiis illum præſentem credamus, prę-ſentem inquam non tantùm eſſentia aut potẽtia, quibus omnibus adeſt, ſed præſentia, qua propriè rationabilibus ratione agẽtibus intereſt, præſertim dũ ſermocinantur cum eo. In ſumma adeò verum eſt, Deum maximè diuinis officiis intereſſe, vt dicat Cypr. ideo Chriſtũ orationi priuatæ ſilentiũ ſeceſſúmq; indixiſſe, dicendo Matth. 6. *Tu autẽ cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrẽ tuum, & Pater tuus qui videt in abſconſo, reddet tibi*, vt ſciremus ibi & vbiq; præſentem eſſe, audire omnia, & videre, & majeſtatis ſuæ plenitudine abdita & occulta quæque penetrare. Quod ſi hæc pro priuata oratione, quid pro ſolemni & publica? Iure ergo legifer noſter dicit, Deũ vbiq; præſentẽ eſſe, maximè tamen diuinis officiis.

Chryſ. hom. 30. in Geneſim.

Pſal. 103.

Nyſſ. lib. de oratione c. 1.

Cypr. Ser. de orat. Dominica.

Matth. 6.

Ideo

4. *Ideo semper memores simus*, &c. Certè si à facie Domini mota est terra, à facie inquam Dei Iacob, prout psal. 113.4. dicitur: si etiam in visione Domini dissoluuntur compages corporis, nihilque virium remanet, prout Danieli accidit, cap. 10.16. quis in conspectu illius absq; terrore erit? aut quis sine timore seruiet illi? Ipsa enim cõsideratio assistẽtiæ, & apprehẽsio præsentiæ diuinæ, nõ secus ac ipsa cõcutit cõmouetq; præsentia. Si enim etiã de incertis ac dubiis facit casum, vtiq; cõmotionis ac stuporis ad intrà; quid vehemẽs apprehẽsio, sedulaq; meditatio tãti Dei adstãtis, verèq; præsentis numinis? Qui autẽ ad præsentiam Dei sic cõsternatur, absq; consternatione illi nõ seruiet, ac proinde sine timore, qui eminentioris sapientiæ initium est, & vera disciplina psallendi, de qua totum hoc caput. Vnde subiicitur; *Psallite sapienter, &, in conspectu Angelorum psallam tibi*: penes quos summum est magisterium Deo psallendi, laudandique. Vnde Canticorum 4. dictum Ecclesiæ nouimus; *Que habitas in hortis*, (vtique Scripturarum sacrarum, vnde flores carpit ad offerendum Deo suauitatem odoris) *amici auscultãt te*, (hoc est Angeli beatique omnes (aiunt Cassiodorus, Beda, Alcuinus, Rupertus, Haymoque nostri) *fac me audire vocem tuam*: vtique orationum, precum, & similium.

Psal. 113.4. *Daniel.* 10. 16. *Cant.* 4.13. *Cassiod. & alij ad id Cantic.* 4.13.

5. *Ergo consideremus*, &c. Præmissa & stabilita doctrina de assistentia præsentiaque Dei, necnon & Angelorum ad Ecclesiastica officia; vrget nos præceptor sanctissimus meditari obsequiũ & cultũ, tanto Senatui debitum, vt persoluamus illum. Vnde Bernardus noster. Omnino oportet nos orationis tẽpore Curiam intrare cælestẽ, in qua Rex regum stellato sedet solio, circumdante innumerabiliũ beatorũ spirituũ exercitu. Vnde ipse qui viderat, dixit, millia milliũ ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Quanta ergo cum reuerentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens, & repẽs ranũcula vilis? Quàm tremebundus, quàm supplex, quàm deniq; humilis & solicitus, & toto intentus animo majestati gloriæ in præsentia Angelorum, & cõcilio iustorum & congregatione assistere possit miser homuncio? In cunctis igitur actionibus nostris multa opus est animi vigilantia, sed præcipuè in oratione: nam licet omni hora & omni loco oculi Domini super nos speculantur, maximè tamen in oratione. Hæc Bernardus.

Bern. Ser. 4. de modis orandi.

6. *Et sic stemus ad psallendum*, &c. Hanc sibi & nobis Isidorus sententiam exscripsit, dum dixit. Non in multiloquio exaudiũtur homines à Deo, quasi plurimis eum verbis conentur inflectere. Neque conciliat Deũ multiplex orãtis sermo, sed pura synceraq; orationis intẽtio. Bonũ est corde semper orare; bonum etiã & sono vocis glorificare Deũ. Nihil est sola voce canere sine intẽtione cordis: sed sicut ait Apostolus, cantãtes in cordibus vestris, hoc est, nõ solùm voce, sed & corde psallẽtes. Vnde & alibi, psallam spiritu, psallam & mẽte.

Ephes. 5. 1. *Cor.* 14.

Aug in reg. cap. 8.

Vnde Augustinus. Hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Ratio horum est, tum quia (vt

Basil: orat. in S. Iulitam.

Basilius dixit) oratio non in sola verborum præcisione constituitur, neque oportet eam in syllabis constituere. Tum quoniam

Bern. Ser. 16. sup psal. Qui habitat.

(vt Bernardus inquit) Spiritus est Deus, & in spiritu clamet necesse est, quisquis clamorem suum ad Deum desiderat peruenire. Sicut enim non faciem hominis respicit tanquam homo, sed magis intuetur cor: sic ad cordis potiùs vocem quàm corporis aures eius, cui meritò dicitur, Deus cordis mei. Tum

1. *Cor.* 14. 14.

quoniam (vt inquit Paulus) *Si orem lingua, mens mea sine fructu est.* Vtique quando taliter orat lingua, vt vox nostra non consonet cordi nostro. Quare iterum Bernardus. Immolantes hostiam laudis iungamus verbis

Ber. Ser. 13. in Cant.

sensum; sensui affectum; affectui exultationem; exultationi grauitatem; grauitati humilitatem, & humilitati libertatem. Hæc omnia huius capitis sensa beatus Martyr Doctorque Cyprianus velut vno verbo comprehendit, dicens in concione illa post petitiones Dominicas; sit orantibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos sub conspectu Dei stare; placendum est diuinis oculis, & habitu corporis & modo vocis. Ob id Pachomij regula cap. 1. Si acciderit, vt psallendi tempore, vel orandi, aliquis loquatur; aut rideat: soluet cingulum, & inclinata ceruice stabit ante altare, & à principe Monasterij increpabitur. Cassianus etiam lib. 2. inst. c. 10. præcipit quod in huiusmodi solemnitatibus penitus nullus, præter illum qui publicè cantat, ibi esse credatur: ita vt neque strepitus, neque tussis intersonet, sed neque oscitatio, neque gemitus, neque suspiria: Deus est pater. infra cap. 52. regulæ. Et Innoc. III. cap. Cùm ad Monasterium, similia habet.

Hæc de solemni officio Ecclesiastico vocali & regulari, quantum ad ea quæ nobis Sanctus Pater noster proposuit per nouem ista capita: sed quantum ad ea quæ supponit, multa supersunt dicenda, nimirum de iure & obligatione diuinum officium recitandi: quæ tamen nos per dubia sequentia aperiemus. 7.

DVBIVM I.

Vtrùm Monachi quatenus Monachi ad officium canonicum teneantur?

DIXI in titulo, Monachi quatenus Monachi, quoniam considerati quatenus presbyteri, eodem quo presbyteri ad recitandas horas canonicas præcepto tenentur: de quo 91. cap. Presbyter. Vbi ex Concilio Agathensi refertur, presbyterum septem horas canonicas perorare debere. Quod iterum statuitur in c. 1. de celebr. Missarum; & in c. Si quis presbyter. 92. Cõsiderati etiã quatenus Diaconi & Subdiaconi, eodẽ quo Diaconi atq; Subdiaconi præcepto obligantur. Quale autem sit hoc decretum adhuc sub iudice est; quoniã Caietanus, Nauarrus, & alij dicunt 8.

Caiet. in Sũma. verb. hora canonica. Nauarr. c. 7. de horis canonicis. n. 2.

dicunt non esse expressum in Iure canonico. Et certè sententia illorum videtur perspicua: quia licet in c. Si quis presbyter. 92. decernatur. Si quis presbyter aut Diaconus, vel quilibet alius clericus Ecclesiæ deputatus in quolibet loco fuerit, & non conuenerit ad quotidianum psallendi officium matutinis, vel vespertinis ad Ecclesiã, deponatur. Hoc tamen caput, præterquàm quod non loquitur de recitando officio vt sic, sed intra Ecclesiam, adhuc non potest intelligi de obligatione stricta quæ sub mortali est: quoniam præter presbyteros, & vtrosque Diaconos, alij qui supersunt clerici, omnes sunt in minoribus constituti: quos tamen ad officium maius soluẽdum ratione sui clericatus non teneri exploratissimum est. Item licet cap. Dolentes, in eodem titulo de celebratione Missarum, decernat cum generali Concilio Innocentius III. Prælatis & minoribus clericis in virtute sanctæ obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum, pariterque diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent, pariter & deuotè: adhuc decretum istud non perstringit: tum quia non exprimit, quos per clericos minores intelligat: tum quia per minores clericos illos intelligunt multi, qui immediatè post ipsos Prælatos sunt, vtique presbyteros. Quare dicendum est, clericos in maioribus ordinibus constitutos teneri ad officium diuinum ex decreto Concilij Basileensis, quod expressè sanxit quoslibet constitutos in aliquo ordine sacro, teneri ad horas canonicas. Quod si aliquis inficietur huius Concilij authoritatẽ: saltem naturalis iuris non inficiabitur vim. Iure autem naturæ adstrictus quiuis ad ea est, ad quæ ipse initiatur, solemniterque constituitur: constat autem clericos in maioribus ordinibus cõstitutos diuino esse cultui destinatos, & ad orandum pro Ecclesia addictos. Quare cùm orationes quæ fieri pro Ecclesia decernuntur, vocales, publicæ, atque solemnes sint, vtique officium canonicum; consequens est, vt ad illud sint obligati. Præterquàm quod stabilis ratáque consuetudo vniuersalis Ecclesiæ in re tam graui grandique pro lege expressima est. Et ita de obligatione hac ambigit nemo. Monachi ergo presbyteri, vel Diaconi vtrique ad diuinum officium tenẽtur, quatenus presbyteri Diaconiue sunt; an verò vt Monachi discutiendum est.

Cõc. Basilen. sess. 21.

Pars negatiua quæstionis videtur non infirmis posse argumentis probari. Primò, quoniam (vt argumentatur Medina) Monachus inquantum Monachus ad nihil amplius tenetur, quàm ad ea ad quæ monachali sua professione se adstrinxit. At hæc tantùm sunt tria vota essentialia, obedientiæ, castitatis, & paupertatis, inter quæ nulla de officio diuino mentio profertur. Ergo Monachus inquãtum Monachus ad officium istud non tenetur. 9.

Medina Codice de orat. fol. 169.

Secundò, quoniam (vt argumentatur Caietanus) Monachus inquantum Monachus in hoc differt à clerico regulari, qualis est 10.

Caiet. 2.2. q. vlt. art. 8.

est canonicus religiosus, quod iste deputatus est Ecclesiæ altarisque ministeriis, non verò ille, (iuxta quæ D. Thom. ex D. Hieronymo & ex Decretis 16. q. 1. tradit.) Cùm igitur ministeria hæc diuinum inter alia important officium, consequens fit Monachum monachatus iure ad id non teneri.

D Th 2 2 q. 71 art. 8.

10. Tertiò quoniam (vt argumẽtantur alij) vbi nulla est lex, nec prævaricatio esse potest, iuxta verbum Pauli, & proinde neque obligatio. At in toto corpore Iuris nulla talis reperitur lex, mandatumve, aut decretum, obligans Monachos ad soluendas horas canonicas nocturnas, vel diurnas. Ergo non est cur illos ex vi monachatus dicamus diuinis officiis adstrictos. Si autem aliqua specialis religio id de iure habet iuxta sanctiones suas, ex dispositione propria, id non monachatui prout sic, sed tali adscribendum est.

11. Demum, quoniam nõ solùm præceptum aut lex in hac parte desiderantur, verùm & aliqua vrgens ac perstringens ratio. Si enim aliqua premeret, maximè quod Monachi militant stipendiis alienis; aluntur enim & viuunt ex bonis Ecclesiæ, nam etiam eleemosynæ ipsæ, quæ Monasteriis impenduntur, inter bona Ecclesiæ computantur, nõ secus ac ipsi annuales redditus & prouentus. Vnde sicut diuini pariter naturalisque iuris est, vt qui altari seruit, de altari edat: ita videri posset, vt qui de Ecclesia edit, altari seruiat. At rationem istam non premere ex eo colligitur, quod aliàs conuersi fratres ad id tenerentur, vtpote aliti Ecclesiæ stipendiis. Vt igitur isti non tenentur, sed neque nouitij, sequitur quod neque illi ob rationem istam: & proinde Monachos nondum initiatos sacro aliquo ordine ad officium diuinum non teneri.

12. Pars etiam affirmatiua non inualidioribus argumentis fulcita est. Nam in primis à die quo Monachus professionem emittit, deputatur & mancipatur choro; non secus ac conuersi fratres ad ministeria extra chorũ. Vt igitur isti ex hoc prorsus immunes creduntur ab obligatione chori; sic illi chori officiis adstricti sunt iudicãdi: quia sicut negatio est causa negationis, ita affirmatio affirmationis: officia autem chori, sunt officia diuina, vtique horæ canonicæ.

13. Deinde, licet vnius tantùm vel alterius sententia sit, beneficium ad congruam sustentationem insufficiens non obligare ad integrum persoluendum officium, vt habent Soto & Aragon, contra communem Theologorum sententiam secundum Ioannem Azor. at quod Ecclesiasticum beneficium ad congruam sustentationem sufficiens obliget ad canonicas horas, citra dubium & opinionem est. Cùm igitur professus Monachus Ecclesiasticum, quo sustentetur, beneficium habeat: vtpote qui bonis alitur Monasterij Deo oblatis, videtur consequens, ad diuinum officium teneri. Nec valet si dixeris conuersos & nouitios eisdem Monasterij bonis sustentari, qui tamẽ ad recitãdas huiusmodi horas non tenetur.

Soto lib. 10. de iust. & iure q. 5. art. 3. Aragon 2. 2. q 83. art. 12. Azor lib. 10. instit. mor. cap. 3. q. 3.

Non

Non inquam valet, nam cõuerſi re ipſa ſunt velut Monachorum famuli. Quare ſicut beneficiatorum famuli ad diuinum officiũ non tenentur, etiamſi de bonis Eccleſiæ nutriantur, vt re ipſa nutriuntur; quia propter ſua miniſteria debetur illis congrua ſuſtentatio: ita de conuerſis. Nouitij autem quamdiu nouitij, tãdiu hoſpites ſunt. Hoſpites autẽ aliti beneficio Eccleſiæ ad diuinum officium non obligantur.

14. Tertiò, generali vniuerſaliq; Monachorũ cõſuetudine introductus eſt chorus ſolemnis ac publicus in omnibus omnino Monaſteriis, quæ verè Monachorum monaſteria ſunt. Quod dixerim, vt excipiam religioſos Societatis Ieſu, quorũ ſanè veriſſimam propriiſſimẽque dictam religionem, non Monachorum, ſed clericorum vocat Concilium Tridentinum, & quã ſcimus quotidiano choro addictam non eſſe. Et vt prætereà excipiam alias, ſi quæ fuerint, talis in hac parte inſtituti. Non enim impræſentiarum ago niſi de regularibus Monachis, ac de Monaſteriis illorũ, ſiue mendicãtiũ, ſiue nõ mendicantiũ. Apud eos ſiquidẽ iamdiu talis mos increbuit, imò cũ ipſis Monachis ortus, enutritus, cultus, & numquã interceptus eſt: neque ſine graui Prælatorũ poſſet negligẽtia corrũpi, prout inter alios habent D. Antonin. & Magiſter ſapiẽtiſſimus Sotò. Cùm igitur conſuetudo iſta laudabilis, grauis, publica, ſolemniſque recitandi officium diuinum in Monachorum choris, à ſeculo (vt ita loquar) introducta ſit; conſequens eſt, illã laudabilis, grauis, publicæ, ſolemniſque conſuetudinis robur obtinuiſſe, & proinde grauiter obligandi vim, qua in vniuerſum omnes talis conditionis conſuetudines vigent. De his enim ſaltẽ verificabile brocardicum illud eſt; *Cõſuetudo habet vim legis.* Propter quod feſta quæ non ob præceptum, aut legem, ſed more & conſuetudine tantùm diu obſeruata ſunt, non minus omnes & ſingulos ad ſui obligationem obligant, quàm ſi præcepto aliquo ſtabilita fuiſſent. Ergo ſic in præſenti.

Trid. ſeſſ. 25. de regularib. c. 16.

D. Anton. 3. p. tit. 13. c. 4. Soto vbi ſuprà.

15. Demum, dum Eccleſia approbat monaſticas religiones, id nõ tantùm facit, vt Monachi pro ſe ipſis orent, ſed etiam pro tota Eccleſia: iuxta quæ D. Ant. & ex eo Nauarrus argumẽtantur. Igitur cùm Eccleſia ipſa præſcribat orationes illis, quibus ſe apud Deũ cõmendari indiget, vtique canonicas horas: cõſequens eſt, quod ex vi inſtitutionis monaſticæ Monachi teneãtur ad illas.

D. Ant. 3. p. tit. 14. c. 4. §. 1. Nauarrus c. 7. de oratione num. 4.

16. In re iſta graniſſima torrentẽ Theologorum & Iuriſperitorum lego apud. Nauarrum & Azor. vbi ſuprà, Leſſium lib. 2. de oratione cap. 37. parti affirmatiuæ adhærentem: Ioannem tamen de Medina q. 7. de oratione, Angelum verb. Hora. §. 10. & ibi Richardum, non ita, ob defectum iuris, quod id Monachis ſanciat. Ipſe autem meo muneri ſatisfacturus præmitto, monachatũ non ſecus ac omnia alia importare tã ea quæ ſunt eſſentialia illi, quàm ea quæ accidentalia, propria, & communia. Eſſentialia enim in quibuſque rebus accidẽtalibus præficiũtur.

I. Conclvsio.

17. Loqvendo de monachatu quantum ad sibi essentialia, aut etiam genuina sibi, non infert obligationem recitandi horas canonicas. Hæc Conclusio vt iacet citra controuersiam est. Tùm quoniam monachatus natura omnino saluatur in tribus quæ emittuntur votis obedientiæ, castitatis, & paupertatis; quæ neque formaliter, neque virtualiter important obligationem ad officium diuinũ, magis quàm ad votuum, vel ad rosarium. Tùm quia, per se loquendo, Monachorum non est choro assidere, cantare, aut recitare horas canonicas, imò neque legere scire. Quare olim Monachi vt plurimum laici erant, & absque monachatus præiudicio poterant in literarum studiis rustici esse. Non igitur id de essentia monachatus est, sed relicta seculi cura soli Deo vacare. Quare Hilarionis, Macharij, & Antonij magni temporibus vera Monachorum examina in desertis erant, de quorum tamen regularibus horis mentio non legitur. Tum quia Monachus prout sic differt à clerico, & à regulari canonico, quia eis officium diuinum solemne est, non autem Monachis, prout D. Thomas ostendit. Tum demum, quia saltem id probant partis negatiuæ argumenta.

D.Th.2.2 q. vlt. art. 8. ad 2.

canonicas. Hæc Conclusio non solùm frequens, sed penè communis inter vniuersos Theologos & Canonistas est, vt patet ex suprà dictis. Et facilè probatur; tum ex præscripto regulæ, quod in re graui obligatorium est. Tum ex eo, quod ex hoc potissimùm initio quæstionis intulimus cum vniuersis Doctoribus, vtrosque Diaconos teneri ad officium canonicum. Quod igitur ita premit laicos, cur non maximè Monachos? Certè si sacer ordo tam Monachos premit quàm laicos ad officium diuinũ, quia talis ordo est deputatio ad cultum diuinum: cõsequens est, professos Monachos (etiamsi nõ sacris initiatos) teneri ad illud: quia ratione sui status, habitus, & tonsuræ, in quibus tantùm à conuersis laicis distinguuntur (iam in præcipuis votis omnes sunt pares) choro directè destinantur, & per ordinem ad chorum atque ad ea quæ chori sunt, à conuersis laicis distinguuntur. Igitur vt tenentur ad statum istum, tonsuram, & habitum, ita ad munus talis status, habitus, & tonsuræ, vtiq; ad officium chori. His fauent aliqua partis affirmatiuæ argumenta: nam licet omnia ad scopum istum tendant, at non rectà, quia neruos obligationis non stringunt, sed aliò vagantur, & ideo nec solutione, nec probatione indigent.

II. Conlvsio.

18. Monachi addicti choro, ex vi destinationis huius spontaneæ tenentur ad horas

Corollarium primum de Monachis fugitiuis, & expulsis.

19. Hinc sequitur primò, fugitiuos Monachos non minus quàm domi clausos ad officium

cium diuinum teneri: quia licet fugitiui, Monachi tamē sunt, & choristæ Monachi choro addicti. Fuga enim nō magis immunes ab obligationibus reddit, quàm quodlibet aliud crimen, præsertim quod reditus illis pro arbitrio est. Ita Nauarrus, Lessius & Azor.

ar. cap. cratione 9. & 20. r lib. 10. 6. q. 5. ius lib. 2. xit c. 7. arrus & r vbi

Sed quid de Monacho ob delictum à Monasterio iuridicè exterminato? Nauarrus & Azor vbi suprà dicūt teneri; tum quia adhuc religiosus est, & professione Monachus, & nō laicus, ac proinde choro addictus. Tū quia aliàs commodum ex delicto suo reportaret; quod tamen admittendum non est. Contrarium nihilominus tenēt Soto & Lessius vbi suprà, quibus ego libenter subscribo. Tum quia iure à choro abiectus, vt ipse pro tunc ad chorum non habet ius, sicut nec chorus ad illum. Mutua enim in hac parte cōmutatio fuerat, ex vi professionis. Tum quia vt insigniis choristæ, vtique tonsura, habitu, & loco priuatur, sic subordinatio ad chorum in eo rescinditur. Tū quia si Monachus choro addictus ad conuersorum ordinem de sententia, aut de licentia, & authoritate Prælati trāslatus eximitur ab onere recitandi, vt Corollario sequenti ad finē patebit; cur non iure à Monasterio, à tonsura, atque ab habitu eiectus, atque ab obediētiæ iugo exoneratus, non etiam ab obligatione recitandi immunis fiet, vt ipsi laici conuersi? Quare licet verè habeat essentiam Monachi propter essentialia vota indispensabilia, choristæ tamen statum non magis quàm cōuersi laici; imò multo minus habet. Neque hoc est reportare cōmodum, sed supplicium, quia est cum infamia & nota: vt neque reportat cōmodum excommunicatus, qui prout sic eximitur ab obligatione interessendi sacris. Quare vel ipse Azor vbi suprà in hanc nostram deflectit sententiam. Qui etiā ait quod Romani Pōtificis authoritate potest Monachus in perpetuū extra Monasterium viuere, & tunc ab onere recitandi ipso facto liberari.

10. de. gia & q. 5. 3.

Corollarium secundum pro conuersis laicis.

20.

HINC secundò sequitur, cōuersos laicos, quantūuis solemni professione deuinctos, ad canonicas horas nō teneri. Quia nec ratione status, habitus, aut tonsuræ, priscæve consuetudinis, vel etiā in religionē ingressus ad id sunt obligati. Imò cōsuetudo, quam ab initio habent non recitandi, deobligaret illos, etiamsi prædicta obligarent eos. Quare audiendi non sunt, qui apud Siluestrum, & apud Azor. contra cōmunem sententiam in particularem aduersariā acclinant: co ducti argumento quod quia cōuersi laici de altari edunt, debent seruire altari. Etenim satis ac super altari seruiunt, qui altari seruientibus famulantur, etsi recitent nihil, vt patet in Acolythis, & Prælatorum famulis. Cōuersi autem seruiunt Monachis qui choro altarique deseruiunt, & citra famulatum illum Monachi ægrè possent altari aut choro impendere famulatum istum. Maiorem autem difficultatem

Silues. verb. hora canonica. n. 3. §. 7. Azor vbi sup. c. 6. q. 4.

video in hoc, quod sancta regula omnibus orandi formã ex æquo præscribit, nullo Monachorum aut conuersorum discrimine facto. Ex hoc enim videtur colligi, omnes huius regulæ professores choro ex vi regulæ esse addictos. Verumtamen quoniam regula ad Monachos tantùm dirigitur, vt ex prologo patet: conuersorum autem inuentum licet optimum sit, nouum nihilominus atque extra regulam est, ideo regula non perstringit eos, præterquàm in illis ad quæ ipsi se sponte dicarunt, vtique ad vota solemnia, & ad ministeria temporalia.

21. Et idem dicendum esset de omnibus illis qui sese religioni deuouerent ad alia prorsus quã ad Ecclesiastica officia, etiamsi officia ista non seruilia, sed honorifica essent, verbi gratia, docendi Monachos sacras literas, liberalia studia, Theologiam sacram, musicam, & similia. Dum enim se Ecclesiasticis non manciparent officiis, laici omnino essent vsque ad sacros ordines, vt de facto sunt Equites militares nostri, vtique Calatrauæ & Alcantaræ, & similes. Quare vt isti etiamsi in Monasterio degãt, ad officium diuinum non tenentur, sed tantùm ad orationes illas, quas ex particulari decreto recitare habent, ad normam conuersorum nostrorum, sic & illi. Imò licet inter verè Monachos computarentur propter essentialia monachatus vota, vti computabantur illi qui sub magno Antonio viuebant, quia tamen computari non possunt inter eos qui sunt choro addicti, ideo ad officium diuinũ non tenerentur. Quare oblatrandum non est cõtra religiones illas, apud quas solemne est, atque in more positũ, non habere vt choro addictos professos fratres, quãdiu vel sacris initiati non sunt, vel studiorum suorum curriculo non sunt perfuncti. Cùm enim de natura religionis non sit obligatio ad officiũ diuinum: vbi nec more, nec iure talis obligatio introducta est, non debet introducta cẽseri. Debent ergo conuersi orationes illas, sibi à Prælatis iniũctas recitare, quia specialiter iniunctas, non verò canonicum officium absoluere. Et idem dicendum est de choristis Monachis in sententia eorum qui asserunt, quod de licentia & auctoritate Prælatorum suorum possunt, antequam sacris initientur, transire ad statum, habitum, & ordinẽ conuersorum. Ij enim absoluerentur ab obligatione chori ac diuini officij, prout Magister Soto, Azor, & alij docuerunt. Idemque de illis qui authoritate Papæ extra Monasterium viuere in perpetuum permitterentur, vt habet Azor vbi suprà c. 6. quæst. vltima.

Soto vbi sup.
Azor vbi sup. q. 7.

Corollarium tertium de Monialibus.

22. IDEM quod de Monachis choro addictis, de professis etiam Monialibus intelligendum est. Habent enim choristarum statum, habitum & nomen, & per hæc à suis famulabus conuersis omnino distinguuntur: & sicut apud Monachos, ita apud Moniales est prisca, publica, solem

solemníſque recitandi in choro nocturnas diurnáſq; horas consuetudo. Si igitur hæc premunt Monachos ad officium diuinũ, cur non etiam Moniales? Neque obstat quod Monachi alienis sustententur redditibus, Moniales verò propriis, hoc est, paternis; quoniam vt illa ratio non est quæ Monachos ad officium diuinum deuincit, sic nec Moniales ab ista obligatione soluet. Sustentatio enim prout sic, neque infert omnino, neque aufert recitandi onus; sed penes mancipationem, vel non mancipationem ad chorum recitandi obligatio pensanda est, præsertim laudabili consuetudine adiuncta. Quare quoniam conuersæ Monialium famulæ à tali mancipatione immunes sunt, ideo etiam inueniuntur immunes ab obligatione recitandi, quantumuis eleemosynis sustententur. Moniales verò quia choro addictæ, tali obligationi subsunt, quantumuis paternis prouentibus sustententur. Pensum tamen illud recitãdi nescio quas oratiunculas, impositum à Prælatis famulabus conuersis, recitare tenentur, non secus ac famuli nostri.

Corollarium quartũ de nouitiis.

25 NOn eadem trutina qua Monachi & Moniales, sed qua conuersi, nouitij librandi sunt, imò leuiori benigniorique. Nam quidquid Paludanus dicat, verè nouitij ab onere recitandi tam maius quàm minus officium, atque quoduis aliud orationis pensum, immunes sunt. Vtpote quod cùm hactenus religiosi non sint, non possunt religiosorum oneribus subiacere, & laqueis conscientiæ irretiri. Neque obstat quod eleemosynis viuant; & quod miles quamdiu militiæ redditibus sustentatur militare debet, etiamsi nomen Imperatori non dederit, neque militare iuramẽtum præstiterit. Non inquam obstat: nam hospites & aduenæ nouitij sunt, nondum autem ciues & domestici Dei, quia licet sint in via, adhuc tamen religiosi non sunt, & pro aliis quæ communiter impendunt obsequiis, & propter humilitatem, qua sui deditionem offerunt, & suo tempore vouere creduntur, iure victus vestitúsque illis debetur. Neque est simile de milite inductum exemplum, quia licet conductitius tantùm, & ad tempus sit, verè tamen miles tunc temporis est, non proprietarius quidem, mercenarius tamen: ad mercenarium autem attinet in conscientia opus, vnde mercenarius dicitur, & operarius cognominatur. Nouitius autem neutro modo est Monachus, sed embrio ad monachismum, & ita monachismi passiones non illum sequuntur, magis quàm embrionem passiones animæ quam nondum sortitur, licet sit in via & in motu ad illam.

Neque iterum obstat, quod vt est consuetudo apud Monachos verè professos recitandi horas canonicas, ita apud nouitios. Non inquam obstat: quoniam consuetudo ista mera exercitatio est, ad instructionem tantùm & probationẽ inducta, vt sic 24

experimentum fiat, an choro apti vel inepti sint, non autem vt recitandi aliquam obligationem agnoscant; quinimò nulla eos ad id obligatione constringi crebrò à præceptoribus suis commonentur. Et quamuis non admonerentur, vt rarò apud nos admonentur, idem ipsi de hoc iudicium facerent, quod de omnibus aliis in quibus versantur exercitiis. Quare dum ab illis & ab istis cessant, nullo conscientiæ scrupulo deuruntur: quia nō propter conscientiam, sed propter disciplinam exercentur in eis.

DVBIVM II.

Vtrùm professi Monachi, nondum tamen sacris initiati, teneantur sub mortali ad officium diuinum?

25. PRo parte negatiua illud mihi vrgens argumentum est, quod (vt D. Thomas docuit) nihil eorum quæ in Monachorum regulis continentur, præter solemnia vota & particularia præcepta, obligat sub mortali, modò ex despicientia & contemptu illorum non fiat transgressio. Cùm igitur omissio canonici officij, quæ ex contemptu non fit, nullius voti solemnis præceptiue sit transgressio, vt per se notum est; consequens sit, quod mortalis non est. Certè cùm nullus omninò Monachus voueat diuinum officium, videtur consequens, quod non recitare illud, contra votum solemne non sit. Item cùm nullum ne-

D. Tho. 2.2. q. 186. art. 9.

que in iure communi, vtique in sacris canonibus, neque in iure particulari, vtique in regula de recitandis horis canonicis, præceptum extet, non videtur quid Monachos sub mortali obliget ad recitandas illas: siquidem *vbi non est lex, neque præuaricatio.* Rom. 4. 15. *Rom. 4. 15.*

Nec videtur sufficienter occurri, dicendo (vt diximus suprà dubio præcedenti) legem Monachorum choro addictorum esse, chori officium persoluere: illa enim destinatio ad chorum, licet ex præscripto regulæ sit, non tamen ex præscripto votorum, sed institutionum tantùm & ordinationum regulæ, vt pleraque alia sunt; verbi gratia, regularia ieiunia, opus manuum quotidianum, silentium diutinum, & similia. Vt igitur ista nō obligant sub mortali, eo quod licet ex præscripto regulæ sint, non tamen ex præscripto regulæ quod est votum solemne, aut præceptum: sic nec illa. 26.

Nec rursum sit satis, dicendo consuetudinem recitandi canonicas horas, vniuersaliter receptam habere vim iam obligandi sub mortali, quia consuetudo ista obtinet robur legis sub mortali obligantis, vt consuetudo vniuersaliter recepta in populo obseruandi aliquod festum, talem in posteros obligationem infert. Non inquam sufficit, quoniam aliàs idem dicendum esset de omnibus institutis regulæ, quorum obseruatio in vsu atque in consuetudine est, vt regularia ieiunia, officium paruum Virginis, &c. & ita omnia bene ac sedulò regulæ instituta seruata sub mortali 27.

mortali obligarent; vt etiam populum sub mortali obligat vigilia & ieiunium votiuum in honorem alicuius Sancti sola consuetudinis priscæ vi introductum. Et tunc melior obseruantia regulæ maiora discrimina pareret melioribus obseruatoribus suis. Quod tamen noñ est somniandum. Pro decisione tamen sit prima Conclusio.

I. Conclvsio.

28. VT recitandi obligatio sit in aliqua religione mortalis, oportet quod vel formaliter, vel virtualiter saltem, reluceat præceptum in illa ad recitandum obligans. Hæc Conclusio est intelligenda iuxta subiectam materiam, vtique de Monachis professis, nondum tamen in sacris ordinibus constitutis. Eius autem probatio perspicua est; tum ex præcedenti argumento pro parte negatiua inducto: tum ex eo quod nequit præsumi peccatum, vbi nullum præsumitur præceptum. Quare nec consuetudines ipsæ, quantumuis sacræ, publicæ, solemnésque sint, si tamen præceptum non redolent, obligationem in conscientia nõ inferunt: vt patet in omni consuetudinum genere, quæ libere & sponte sumuntur tam à priuata & peculiari persona, quàm à tota communitate & Republica, circa visitanda hospitalia, hospitandos peregrinos, curãdos ægros, recitandi rosaria, Virginis, & similia. Hæc enim quantumuis in consuetudinem ducta, vim obligandi in conscientia non retinent, nisi præcepto aliquo formali, vel virtuali, explicito implicitoue muniantur, prout D. Thomæ expositores obseruant, & Magister Soto habet, & ex communi vtriusque iuris consensu refert Azor.

Expost. 1.2 q 93 art. 3. Soto lib. 1. de iust. & iure q. 7 art. 1. Azor lib. 1. institut. moral. c. 18. q. 5.

Ex hoc infero quod si religio aliqua monachalis, vel aliquod Monasterium exemptum tam virorum quàm fœminarum, haberet certam & indubitatam fidem, vel scientiam quod chori consuetudo numquã fuit apud Monasteria illa, vel religionem in præcepto, aut ex præcepto, non tenerentur ex vi professionis suæ sub mortali ad chorum magis quàm ad alia regulæ monita. Sed casus iste logicalis mihi potiùs quàm moralis est.

29.

II. Conclvsio.

30. PROFESSI religionis in qua redolet recitandi præceptũ, tenentur ad illud sub mortali adimplendum, etiamsi nondum sacris sint initiati. Hæc Conclusio nõ est minus perspicua quàm præcedens, quoniam vt negatio præcepti infert negationẽ obligationis, ita affirmatio affirmationem. Et confirmatur, quoniam in nulla religione monastica talis præcepti scientia, aut fides habetur, in qua recitandi consuetudo non inueniatur. Sed laudabilis solemnísque consuetudo rei admodum grauis sub scientia, aut fide præcepti obligat ad mortale: vt patet in omni consuetudinis genere erga res graues sub præcepto exercitas. Ergo. Sed vt explicemus quando intelligatur reluccre, vel non relucere præceptum, sit alia Conclusio.

III. Con

III. Conclvsio.

31. VBI præceptum de re aliqua solemniter introducta non est formale & explicitum, & ad sensum patens; intantum habendum & credendum est implicitum & virtuale, inquantum vel transgressores illius grauiter plectuntur, & reprehenduntur, vel inquantum communiter & regulariter viri docti & probi reputant opus illud sub præcepto obligare. Etenim cùm duo hæc argumenta & indicia sint grauissimæ obligationis, etiam sunt indicia præcepti. Ad obligationem autem, & quidē mortalem, sufficit præcepti bona, prudens; & cordata fides: vt patet in plurimis laudabiliū operum consuetudinibus, verbi gratia, ieiunandi vigilias, vel colendi festum alicuius Sancti apud diuersos populos: quarum consuetudinum transgressiones vel grauiter feruntur, & cum scandalo, vel de sententia doctiorum vt mortalia habentur, tunc enim in illis deficere lethale est.

IV. Conclvsio.

32. IN nostra hac Benedictina religione omnes professi Monachi, etiam ad sacros nondum promoti ordines sub mortali tenentur ad officium diuinū. Hæc Conclusio cōmunis animi conceptio est. Et patet ex eo, quòd licet in regula, neque extra regulam habeamus expressum aliquod præceptum de hoc, implicitum & virtuale nihilominus extat, prout datur intelligi tam ex acerbissimis quibus transgressores afficerentur pœnis, quàm ex sententia maiorum, à quibus hæc semper audiuimus. Et quidem cùm professio nostra, nostrúmque institutū potissimùm sit interesse choro, & proinde infallibiliter obseruatum, etiam ab his qui extra chorum, vtique in agro aut in via sunt, prout ipsa regula sanxit cap. 50. dubium esse non potest, quin aliquod interluceat in re tam graui præceptum, & proinde sub mortali obligans.

V. Conclvsio.

33. OMnes monasticæ religiones choro addictæ, apud quas non claret de huiusmodi præcepti negatione, tenentur sub mortali ad horas canonicas recitandas; etiamsi in eis nullus ad sacros ordines sit promotus. Hæc Conclusio est communis Theologorum, Canonistarum & Summistarum cōsensus apud Nauarrum, Azor. & alios dubio præcedenti citatos pro parte affirmatiua. Et abundè patet ex supradictis, quoniam vbi non constat de talis præcepti negatione (vt constat apud Iesuitas) de affirmatione dubitandum non est: saltēm quoniam (vt dubio præcedenti vidimus) omnes choro addicti tenentur ad officiū chori. At non sub veniali, quoniam materia chori grauis admodum Monachis choristis est. Ergo sub mortali. Et confirmatur primò: quoniam intra Ecclesiam Dei nullum monasticum potest Monasterium signari, quod, nisi habens scientiā negationis talis præcepti,

Nauar. lib. de oratione c. 7. Azor lib. 10. instit. mor. cap. 6.

præcepti, non grauiter puniat professos Monachos nondum ordinatos, si tamen recitationem officij diuini negligerent. At hoc est vnum argumentum pręcepti. Ergo. Cõfirmatur secundò: quia de communi peritiorum sententia, omnes illi tenentur ad officium diuinum. Sed hoc est alterum, & quidem vrgentissimum pro tali præcepto argumentum. Ergo. Quod si dixeris idem posse obiici de omnibus in consuetudinem ductis secundum regulæ monita. Respondetur, id esse falsum, vt patet in assidua solemníque cõsuetudine recitandi officium parum Beatæ Virginis, quæ nihilominus sub mortali reatu, vel etiam sub præcepto hactenus subintellecta non est. Et idem de similibus etiam in regula sacra contentis.

DVBIVM III.

Virùm teneantur sub mortali Monachi recitare integrè officium diuinum?

34. VIDETVR quod non, quia ad integram recitationem opus est integra verborum prolatione, à qua tamen crebrò deficiunt, tam qui cantant, quàm qui recitant; nam crebro vtrique deglutiunt, corrumpunt, vel syncopant verba, literas, syllabas & dictiones. Oppositum tamen omnino in Monachis atque in clericis tenendum est, nõ solũm quia (vt habet Concilium Toletanum) nullus Ecclesiæ minister officia Ecclesiæ præsumat omnino imperfecta relinquere: sed etiam quia sicut præceptum audiendi sacrum obligat ad integrè audiendum integrum sacrum, sic & præceptum recitandi officium diuinum ad integrè recitandum. Item quia nullus debitor à debito liberatur, quãdiu illud planè non soluit. *l. Tutor. §. Lucius. ff. de vsuris.*

Conc. Tolet. c Cùm ad celebrandum.

35. Est tamen notandum, quod sicut paruitas materiæ extrahit furtum à ratione peccati mortalis, & facit illud veniale, sic & omissionem officij diuini, vt etiam contingit in auditione sacri: non enim qui Missæ introitui non interest, ideo lethalem incurrit sacri omissionem, bene tamen qui non interest notabili parti Missæ. Et idem omnino de prætermissione diuini officij dicendum est.

36. Sed restat explicandum quænam sit notabilis pars diuini officij, vt inde haurire valeamus qualis quantave omissio illius lethalis, aut venialis habenda sit. Ad quod doctissimus Nauarrus, & alij cum eo dicunt tertiam partem Primę, Tertię, Sextæ, Nonæ, &c. quæ complectitur Pater noster, Aue Maria, hymnum, & primum psalmum, verè esse notabilem partem, & proinde sufficientem ad peccatum mortale. Ratio esse potest, quod in omni toto tertia pars eius notabilis est.

Nauarrus vbi suprà c. 10.

37. Alij autem, de quorum numero sunt Angelus, Paludanus, Azor, & Lessius, significant regulam istam de tertia parte totius non esse vndequaque certam. Quoniam aliquando tertia pars alicuius totius est materia

Angel. verb. hora. n. 18. Palud. in 4. d. 15. q 5. Azor lib. 10. c. 7. q. 3. Lessius lib. 2. de orat. c. 37. dub. 9. n. 52.

insufficiens ad peccatum mortale, etiamsi ipsum totum sufficiens sit: vt patet in furto vnius drachmæ argenti, quod non est ob paruitatē materiæ peccatum mortale, cùm tamen furtū trium drachmarum argenti possit esse lethale. Quare licet quælibet ex canonicis horis sufficiens materia sit ad peccatum mortale, non proinde sequitur quod tertia pars illius sit materia ad tam graue peccatum. Quare authorés isti duram admodum reputant sententiam Nauarri. Aliquando item pars minor tertia est materia sufficiens peccato mortali, vt patet in spatio quatuor horarum, quod qui diebus festis insumeret officiis seruilibus, proculdubio grauiter peccaret, etiamsi huiusmodi spatium sit minus tertia parte viginti quatuor horarum, quibus constat omnis solemnis dies. Vnde etiam grauiter delinqueret, qui plusquàm duas partes alicuius nocturni prætermitteret, etiamsi integrum nocturnum sit tertia pars vigiliarum nocturnarum. Ad aliam igitur regulam confugiēdum est, præterquàm ad regulam tertiæ partis.

38. Mihi autem quod in re ista firmum & indubitatum appareret, illud tantùm est, vidēlicet, omnem omissionem culpabilem cuiuslibet partis notabilis officij diuini verè lethalem esse. Quia pars notabilis officij diuini materia grauis est, violatio autem præcepti in materia graui mortalis semper, vt patet in furto, & similibus. Quota autem sit, aut esse debeat pars ista notabilis, vtique tertia, aut quarta, aut circumcirca, non minus in materia ista incertum & ambiguum est, quàm in materia furti, & in materia proprietatis circa paupertatis votum. Vt enim in materia furti non est certò definire quantitatem prorsus requisitam vt furtum mortale fiat, sed viri prudentis arbitrio id relinquendum est, inspectis loci, temporis, personæ, materiæque circumstantiis; quoniam in aliquibus miserrimæ terræ prouinciis lethale erit vnam furto subripere drachmam; in opulentissimis verò pecuniarum feracibus non nisi veniale: sic in diuinis officiis circumstantiarum ratio habenda est, præsertim quātitatis cuiuslibet horæ. Nam certo certius est, quod in breuioribus horis requiritur minor quantitas, quàm in longioribus ad peccatum mortale. Vnde valde attendendum est, an officium diuinum recitandum per diem verè sit vnum officium, vnica tantùm oratio, vnicum tantùm debitum & obsequium vnico præcepto imperatum, vt cultus dici festi vnicus tantùm est vnico præcepto iniunctus, spatio viginti quatuor horarum dilatatus; vt placuit Nauarro & Azori, & ab illis velut communis sentētia refertur. Tunc enim cùm totum officij diuini longè magnum sit, consequens est, vt pars notabilis eius magna esse debeat: non enim potest dici pars notabilis alicuius totius valdè magni pars illa quæ magna non est. Si verò diuinum officium verè pro septem officiis, septémque obsequiis, totidē

Nauar. vbi suprà cap. 7. n 6.

Azor vbi supra c. 7. q. 4.

præce

præceptis iniũctum computandum est,& proinde totidem culpabilibus omissionibus violandum, vt violantur festiuitatès diuersæ, ieiunia Ecclesiæ diuersorum dierum; prout placuit Tabienæ & Lessio: nunc è contrario dicendum est, videlicet notabilem partem officij diuini non requirere tantam quantitatis rationem, quia totius minoris minor pars debet esse notabilis. Vnde etiam quando integrum officium diuinum breuissimum est, vt est officium Breuiarij Romani per totam Paschæ hebdomadam,tunc longè minor pars proculdubio erit pars notabilis ad mortale sufficiens:quę tamen non sufficiet, neque erit pars notabilis respectu integri officij cuiuslibet diei hebdomadæ sanctæ. Vt igitur variatur quantitas totius officij diuini,sic debet variari iudicium de quantitate & mensura partis notabilis;& in eo tantùm immobiliter standum atque adhęrendũ,quod omissio culpabilis cuiuscumque partis notabilis officij diuini, est peccatum mortale. Quare quoniã quælibet hora canonica est pars notabilis officij diuini, maximè propter qualitatem significationis & præcepti expressè iubentis recitari septem horas canonicas, ideo culpabilis prætermissio eius mortalis erit.

Tabiena in Sũma. verb. hora canonica. Lessius vbi suprà n. 53.

39. Notanter dixi omissionem culpabilem, qualis est illa quæ sine causa fit: cui enim rationabilis subest causa,peccatum non est.Causæ autẽ multiplices sunt, verbi gratia,notabilis dolor cápitis, vel oculorum: grauis admodum in recitando ob virium debilitatem molestia:periculum incurrendi graue aliquod malum siue ægritudinis,siue mortis inter hæreticos: angustiæ temporis ad concionem necessariò faciendam, vel ad similes functiones publicas,quæ vel omnino prætermitterentur, vel commodè fieri non possent, si breuissimum quod interest temporis in recitando regulari officio insumeretur, & similia, de quibus latè Nauarrus.

Nauarrus c. 11. de orat. n. 1. & seqq. 40.

Ad argumentum autem initio dubij factum respondetur, ad integritatẽ diuini officij pertinere,vt recitetur sine diminutione & detruncatione verborum, prout decernitur in Clementina prima de celebratione Missarum, vbi reprehenduntur clerici recitantes horas per trãscursum & syncopam. Vnde in Cõcilio Basileensi statuitur,horas canonicas recitãdas esse non in gutture, vel intra dentes, neque deglutiendo aut syncopando dictiones, & lacerando verba. Quare dubitandum non est quin aliquod peccatum admittat omnis qui diuinum officium persoluit mutilando, aut negligenter decurtando verba. Dico autem scienter,aut negligenter, quoniam si id fecerit vitio coæuo linguæ, culpæ imputandum non est. Quando autem culpa est, potest esse venialis tantùm, si huiusmodi verborum corruptio non est in quantitate notabili, secus verò in magna parte illius. Tunc enim idem iudiciũ de illo ferendum est, atque de eo qui omittit aliam quamlibet partem regularis officij. Quod tamen intelligendum est, quan-

Conc. Bas. sess. 21. §. Qualiter.

do verba taliter mutilantur & minuuntur, vt sit quasi litera pro parte, & pars pro toto : aliàs enim mortale peccatum nõ admittitur, vt patet ex eo quod horas per syncopam truncatímque recitatas iterũ recitare non præcipimur : prout videre licet in cap. Retulerunt, de consecratione. dist. 4. & alibi. De quibus ac de aliis diuino officio annexis Azor vbi suprà cap. 7. quæst. 11. & deinceps multa; à quibus ipse supersedeo, quia non magis ad Monachos quàm ad clericos spectant.

De reuerentia orationis.

CAPVT XX.

SI cùm hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate & reuerentia, quanto magis Domino Deo vniuersorum cum omni humilitate & puritatis deuotione supplicandum est? Et non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideo breuis debet esse & pura oratio, nisi fortè ex affectu inspirationis diuinę gratiæ protendatur. In Conuentu autem omnino breuietur oratio, & facto signo à Priore omnes pariter surgant.

1. *SI cum hominibus*, &c. Postquam Doctor sanctissimus egit de oratione canonica, quæ vocalis, publica & conuentualis est; pergit nunc agere de priuata & particulari, vtiq; de illa qua priuatim quisque apud seipsum, siue corde tantùm, si corde simul & ore enixè precatur Deum, & aliquid ab illo efflagitat. Oratio enim (vt à D. Thoma definitur ex mente Damasceni & Augustini) est petitio decentium à Deo. Quam definitionem Basilius priùs expresserat, inquiens. Oratio est boni cuiusdam petitio, quæ à piis ad Deum effunditur. Item & Greg. Nyssenus dicens. Oratio est petitio bonorum quæ ad Deũ cum supplicatione offertur. Etenim cùm apud Matthæum

D. Tho. 2. 2. q. 83. art. 1. Damas. 3. de fide. cap. 24. Aug. Ser. 5. de verb. Domini. Basil. orat. in S Iulitam. Nyssen. orat. 2. in oratione Dominicam.

moneamur: *Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis*; tunc huiusmodi monitis obtẽperamus cùm orationi incumbimus, eo quod oratio ipsa petitio ad Deũ est. Vnde cùm Dominica oratio petitionibus ad Deum abundet, dixit Augustinus de illa; O verè & cælestis oratio! quia tota est oratio. Et licet oratio mentalis verè & propriè oratio sit, vtpote quod etiam oratio definitur à Damasceno, ascensio mentis in Deum; & à Greg. Nysseno, conuersatio siue sermociniatio cum Deo; & à Chrysostomo, colloquium cum Deo, quæ omnia meditationi maximè congruũt. Imò non tantùm fit oratio, verùm orationũ potissima, & præstantissima, vtpote quæ tota à corde est, atque

Matth. 7. 7.

August. Ser. 126. de tempore.

Damasc. vbi suprà.

Nyss. vbi suprà orat. 1.

Chrys. hom. 30. in Genes.

in

in intentione cordis, sic vt tacẽte corde, ipsave eius intentione actuali, etiã oratio hæc sileat & sopiatur prorsus. Vnde Conc. Mediolanense ait. Tanto mentis oratio præstantior vocali est, quanto animus excellentior est corpore. Et psal. 1. legimus; *Beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte.* Nihilominus hic noster assertor non de isto meditatorio, sed de illo deprecatorio orationis genere loquitur: vt patet ex verbis quæ subiicit, vtique illis; *Quanto magis Domino Deo supplicandum est:* & illis, *non in multiloquio exaudiri sciamus.*

Conc. Mediolan. parte 3. cap. de diuinis officiis.

Psal. 1. 2.

2. Primum autem quod in isto orationis genere suggeritur nobis reuerentia est, orationis certè cuiuslibet indiuiduus comes: siquidem de precatoria oratio, de qua totus hic sermo, duo indispensabilia importat. Primũ est, esse actũ rationis, prout D. Tho. habet, ex doctrina Cassiodori dicentis, oratio quasi oris ratio. Vnde bruta, quoniam ratione carent, orare non possunt. Et quamuis dicatur de illis; *pullis coruorum inuocantibus eum*, hoc tamen non est orare, sed crocitando suam indigentiam aperire: vt etiam terra hiat, & in ora ac voragines rumpitur, quando penuria aquæ diu multumque laborat. Secundum est, esse actũ rationis ad superiorẽ: cuius gratia (vt idẽ D. Thomas vbi suprà art. 10. adnotat) personis diuinis non cõuenit orare; conuenit tamen Christo homini quatenus homini, eo quod vt sic minor Patre est. Propter quod ipse ad discipulos; *Ego rõgabo Patrẽ, & alium paraclitum dabit vobis:* & de illo scripsit Lucas, *erat pernoctans in oratione Dei*; & Paulus, quod *est semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Quisautem ratione agens superiorem deprecaturus non illum reuerenter aggreditur, intuetur, alloquitur, vt postulata impetret? & quidem eo reuerentiùs, quo superior ipse rogandus præstantior est, vt est omnium præstantissimus Deus. Cuius gratia mater filiorum Zebedæi deprecatura aliquid pro filiis suis Christum, priusquàm petitionẽ, adorationem præmisit, iuxta illud Matth. *Accessit adorans & petens aliquid ab eo.* Et Iacobus ille sanctissimus frater Domini flexis genibus semper Dominũ precabatur, adeò vt Camelorum duritiem eius genua traxisse viderẽtur, prout Hieronymus retulit. Qui etiam de Paulo primo Eremita scripsit, quod genibus complicatis orabat. Qui orandi habitus frequens in Ecclesiis est, vtpote ex pressiuus maximè submissionis animi, inopię, imbecillitatisq; nostræ, quibus dũ oramus premimur, prout Hieronymus ipse & August. adnotarunt. Et quidẽ cùm omnis nostra, tam canonica & publica, quàm priuata & particularis oratio ab oratione Dominica exordium habeat, in qua tamen oratione primũ quod profitemur est, nos sermonẽ habere cum illo qui in cælis residet, dominatur, & præsidet; consequens est, vt supplíciter, hoc est, de geniculis cum (nisi aliud ratio temporis postulet) deprecemur. Propter quod Tertullianus lib. de orat, inquit.

Luc. 6. 9.

Heb. 7. 25.

Hier. in catalogo Scrip. Ecclesiast.

Hier. lib. 2. sup. ad Ephes. Aug. lib. de cura pro mortuis cap. 5.

Tertull. lib. de orat.

D. Tho. 2. 2. q. 83. art. 1. & 10. Cassiod. in psal. 38.

Psal. 146.

Ioan. 14. 16.

Contra Scripturam fecerit, si quis sederit orationis tempore, siquidem si irreuerẽs est assidere sub conspectu eius quem maximè reuereris, quanto magis sub conspectu Dei viui? Per hoc tamen non tollitur, quin aliquando sedentes orare possimus: cùm etiam Spiritus sanctus domum Apostolorum replcuerit, vbi & quando Apostoli ipsi erant orãtes, & sedentes. Et Monachi quando Defunctorum fidelium officium in choro agunt, sedentes recitant illud. Imò & in regularibus officiis alternatim sedent qui choro assistunt in multis religionum ordinibus, quamuis non in nostra. Reuerentia igitur maxima Deus orandus est tam cordis, quàm corporis, sed potissimùm illa.

3. Præter reuerentiã præmissam, duo in oratione sanctissimus Pater requisita efflagitat; humilitatem vtique & puritatẽ orantis. Horum autem primum adeò in orationis efficaciam influit, vt scriptum de Deo legamus, *respexit in orationẽ humilium.* psal. 9. & Eccli. 35. *Oratio humiliantis se nubes penetrat.* & Iudith 6. *Humilium & mansuetorum semper Deo placuit deprecatio.* & Iacobi 4: *Deus humilibus dat gratiam.* Secundum etiam ad orationis efficaciam necessarium est, dicente psalmographo; *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus:* vtique, *quoniam peccatores* (vt sic) *Deus non exaudit.* Cuius gratia scripsit Ioan. *Si cor nostrum non reprehendat nos, quidquid petierimus accipiemus à Deo.* Et Gregorius magnus. Inanis sit oratio, vbi praua est actio.

Psal. 9. Eccli. 35.21. Iudith 6.15. Iacobi 4.6. Psal. 65.18. Ioan.9.31. 1.Ioan.3.21. Greg. lib. 9. reg. epist.45.

Puritas autem hæc multa implicat. Nam in primis importat fidem, & quidem diuinam, dicente Paulo: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* Et idcirco August. Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat qui non credit? Pertinet autem fides diuina ad puritatem orantis: quoniam, vt habetur Actorum 15. *Fide purificantur corda nostra.* Deinde importat charitatem, pro qua scriptum est Ioan. 15. *Si manseritis in me, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* & psal. 33. *Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorũ.* Charitas etiam ad nostram puritatem conducit, vel potiùs est ipsa puritas & munditia animæ. Siquidẽ emundat nos ab omnibus operibus mortuis, vt simus vasa in honorẽ sanctificata Domino, atque vtilia ipsi ad omne opus bonum parati, 2. ad Timot. 2. Vnde 1. Petri 1. dicitur; *Charitas operit multitudinem peccatorum.* & Prou. 10. *Vniuersa delicta operit charitas:* operit, inquam, quia neque cicatrices de vulneribus peccatorum relinquit. Importat demum reliqua ad bene precandum requisita, & maximè subiectionem, & subordinationem ad voluntatem Dei in omnibus & per omnia, vt sic vel orantes potiùs eius voluntatem fieri, quàm nostram deprecemur. Quę omnia mirum in modum complexus est legifer noster, dũ impræsentiarum dixit; *Domino Deo vniuersorum cum omni puritatis deuotione supplicandum est.* Est enim deuotio (vt ait D. Thomas) voluntas quædam tradendi se ad omnia, quæ pertinent ad Dei famula

4. Aug. Ser. 36. de verbis Domini. Act. 15.9. Ioan. 15.2. Psal. 33.16. 2. ad Timot. 2.21. 1. Petr. 1.8. Prou. 10.12. D. Th. 2.2.q. 82. art. 1.

famulatum, quia deuotio dicitur à deuouendo, vnde deuoti dicuntur, qui seipsos Deo totaliter tradunt. Hoc enim apprimè ad orationem necessarium esse, nō solùm expressit psalmographus, dum dixit; *Subditus esto Domino, & ora eum*: sed maximè Christus, dum trina repetita oratione, vt passionis ab eo calix transiret, tandem in hoc verbum prorupit; *Non mea voluntas Pater, sed tua fiat*: &, *non quod ego volo, sed quod tu.* In hoc enim illius deuotio maximè enituit, & in eodem nostra nitescere debet.

Psal 36.7.

Matt. 26.42.

5. *Et non in multiloquio*, &c. Hoc verbum Domini est dicentis: *Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt: putant enim quod in multiloquio suo exaudientur.* Vbi est notandum quod pro ly *multum loqui*, Græcè habetur βαττολογήσητε, id est, *ne battologetis*, quod significat, ne sitis multum loquaces, inaniter garruli, verbosi, & multis verborum flosculis Rhetorumve pigmentis in oratione vtentes: quia licet Gentiles id conducibile ducant, vt à suis exaudiantur Principibus, apud Deum tamen ipsum necessarium non est; vtpote qui nō tantùm verborum, sed cordiū etiam sensa prænoscit. Vnde subiicitur; *Scit Pater vester cœlestis quid opus sit vobis, antequam petatis eum.* Vbi palàm exprimitur, quod licet loquutio expediat pro conditione nostra, loquacitas tamen, qualis est loquutio supereffluens, variisque repetitionibus gaudens, Deo grata non est: quippe qui ad rem & ad mentem, potiùs quàm ad verborum concinnitatem, & affluentiam attendit. Hoc enim quod continet omnia scientiam habet vocis, cordisque, & desiderium pauperum audit, & præparationem cordis nostri percipit auris eius. Quare licèt ad hominum illicienda corda verborum lenocinio & strepitu sæpissime opus sit, non tamen ad informandum intellectum diuinum, eiusque demulcendam voluntatem, quippe qui ad rem potiùs quàm ad verba attendit, & ideo naturaliter sunt, & esse voluit plures numero res quàm verba. Vnde Seneca. Non tam verborum quàm rerum cura habenda est. Igitur non in multiloquio, sed in puritate cordis & lacrymis nos exaudiri sciamus. Propter quod Bernardus. Nullo alio modo Deus citiùs ad misericordiam flectitur, quàm si animus deprecantis ad eum toto deuotionis affectu feratur. Nihil ita Deum complectitur, quemadmodum purus mentis affectus. Et alibi inquit. Pias Domini aures lacrymis & suspiriis flecte: vtpote scriptum; *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Lacrymis autem conteritur & laceratur cor, imò & lacrymis fluidum efficitur, & quælibet gutta lacrymæ est quædam cordis particula in sanguinem versa.

Matth. 6.7.

Matth. 6.3.

Seneca epist. 45.

Bern. lib. 1. *de interiori domo. c.* 4.8.

Idem de meditat. c. 6.

Psal 50.

6. *Et ideo breuis*, &c. Bene quidem, & ad rem, sed quodam modo ad insipientiam mihi. Nam in primis quomodo cohærent ista cum tanta psalmorum, lectionum, responsorumque, & similium, (quæ in Conuentu pro regularibus horis recitantur) prolixitate? Imò & cum illis Christi

Luce 18.1. Christi Domini verbis; *Oportet semper orare, & numquam deficere.* & alibi: *Vigilate vtique omni tempore orantes.* & cum illo Ecclesiastici; *Ne impediaris semper orare.* ac demum cum illo Pauli, *sine intermissione orate.* Scio aliquos Sanctorum Patrum animo perpendentes impossibile esse, vt semper homo orationi incumbat, dicente Cassiano: Inhærere quidem Deo iugiter, & cõtemplationi eius inseparabiliter copulari impossibile est homini ista carnis fragilitate circũdato; & alibi quod potissimus præstantissimusque Sanctorum huius corporis vinculis colligatus non potest iugiter Deo per orationem adhærere: adeò vt neque Paulus ipse qui omnium labores passionesque transcendit: hæc inquam animo perpendentes varias huic nodo solutiones excogitasse, dicentes eos semper orare, qui semper bene operantur. Augustinus enim inquit. Quicumque manibus operatur opera bona, psallit Deo. Et Maximus Tyrus. Tota viri boni vita perennis est precatio. Et Gregorius Nyssenus. Quidquid cum sapientia atque solertia fit, Dei oratio est. Et hoc pacto interpretantur verba Scripturę Glossa, Caietanus, & Nauarrus.

Luce 11. *Eccli.8.* *1.ad Thess. 5.vlt.* *Cassian. collat 1.c 3.* *Idem collat. 23.c.25.* *Aug.in psal. 91.* *Maximus Tyrus Dialexi 30.* *Nyss.tract.de orat.one cap. 3.n.9.*

7. Verumtamen quamuis non incongruè omnia laudis opera orationes dicantur, vtpote quod illis non minus quàm orationibus à Deo misericordiam impetramus: in rigore tamen sermonis hoc propriè loquendo non est orare, nec instanter petere, vel aliquod cordis aut oris verbum inflectere. Quare idem Augustinus epistola ad Probam, & in illa verba psal. *Domine ante te omne desiderium meum,* aliud cõmentum huic verbo inserit dicens. Ipsum desiderium tuum oratio tua est; & fit continuum desiderium continua oratio: non enim dixit frustra Apostolus, sine intermissione orãtes. Numquid sine intermissione genu flectimus, aut manus leuamus? Orare hoc pacto sine intermissione, non possumus facere. Est alia interior oratio sine intermissione, oratio, quæ est desiderium. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare. Continuum desiderium tuum, continua vox est. Tacebis, si amare desistas. Fragrantia charitatis clamor cordis est. Si semper manet charitas, semper clamas. Si semper clamas, semper desideras. Hactenus Augustinus. Quem Basilius præuenit oratione in Sanctam Iulitam, ostendendo impossibile non esse semper oraret quia non est impossibile rem vehementer dilectam semper desiderare; nam amatores huius seculi siue comedant, siue bibant, rem amatam cum desiderio cogitant, & etiam inter dormiendum cum ea somniando versantur. Et hanc expositionem amplectitur D.Tho.

Aug.ep.9. 1.1.cap.9. *Psal.37.* *Basil. orat in S Iulitam.* *D.Th.2.2.q. 83.art.14. 8.*

Verumenimverò licet expositio ista subtilissima sit, & vtilissima, Euangelij tamen proposito nescio an congruat satis. Verba enim Euangelij cõtendunt, vt sic iugiter & sine intermissione oremus, vt saltem propter importunitatem à Deo postulata consequamur. Ad hoc enim Christus induxit parabolã illius

Luce 11.8. *Luce 18.3.*

illius qui ob improbitatem assiduè petendi impetrauit, quod voluit, ab amico: & illam de vidua, quæ vel à Iudice iniquitatis iustitiam ob assiduitatem precum obtinuit.

9. Quare cum aliis, vtique cum Hieronymo, Chrysostomo & Gregorio magno dicendum est, illis Scripturæ verbis, quibus ad perpete orandum admonemur, nihil aliud quàm perseuerantiã in oratione commendari. Hieronymus enim inquit. Qui ad concupita peruenire voluerit, perseuerare oportet in intẽtione orandi, & in orationis studio. Hinc est quod in libro Regum de Anna legimus, quod postquã orauerat, vultus eius non sunt amplius in diuersa mutati. Hinc & in Euangelio cæcus ille qui in Iericho Iesum transeuntem audierat, miserẽri sibi à Deo petebat: sed cùm à prætereuntibus sibi iuberetur vt taceret, ipse multo magis clamabat, vnde lumẽ quod petebat, accepit. Chrysostomus item. Pudeat nos quod octo & triginta annos paralyticus ad piscinam expectauerit, vt sanaretur, nos autem si vel decem dies orationibus inuigilantes non exaudimur, iam tepescimus. Gregorius deniq; explicans illud, *Domine clamaui ad te.* Domine (inquit) non ait, clamo, sed clamaui. Habes in hoc perseuerantiæ documentum, vt si primò non exaudieris, ab oratione non deficias, imò precibus & clamori insistas; vult Deus rogari, vult cogi, vult quodãmodo importunitate vinci. Idem tibi dicit; Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, caue ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire quẽ rogas, esto raptor vt regnum cælorum accipias: esto violentus, vt vim ipsis etiã inferas cælis. Quid hac rapina locupletius? quid hac glorioſius violentia? Bona violentia, qua Deus nõ offenditur, sed placatur; proximus non læditur, sed iuuatur: peccatum minuitur, non multiplicatur. Similia Cassianus meditatur collat. 9. & 23. & forsan Basilius Augustinusque vbi suprà hoc solùm intendunt.

9. Hier. in cap. 3 Lament. Ieremiæ.

1. Reg 1. 18.

Luc. 18. 39.

Chrys. hom. 35. in Ioan. Ioan 5. 5.

Greg in psal. 6 pœnitent.

Cassianus collat. 9. & 23.

10. Itaq; sensus verborũ sacrę paginæ est, semel cœptã inceptãve orationẽ ad Deũ deferendã non esse, neque intermittendam, sed vsque ad impetrationẽ prorogãdam atque producendã, vt suas producit vigilias studiaq; omnis qui seriò apud Principẽ aliquem Iudicemve causas gerit, momentique quidpiã negotiatur. Quare sicut perpetuus negotiator dicitur à cursu negotij sui nũquam distractus, etiãsi aliquãdo cubet, aliquando dormiat, & aliquãdo cum amicis inimicisve de aliis rebus tractet: sic dicitur sine intermissione orare qui negotium oratione petitũ præstolatur orãdo, quotiens orandi sese occasio obtulerit, etiãsi aliàs cubet, otietur, dormiat orator. Qui sensus planè placuit Augustino, Bedæ, Anselmo, & aliis dicẽtibus eum semper orare, qui opportunis & statutis ad orandum temporibus orat. Is. n. verè perseuerãter orat.

Aug. lib. de hæres. c. 57. Beda sup. Luc. 18. Ansel. & alij super 1. ad Thess. 5.

11. Quomodo autẽ ista cum tãta breuitate orationis, quãta hic indicitur, cohæreãt, operosius fuisset explanare, nisi initio capitis

monuiſſemus hic non de canonicis horis, neque de conuentualibus publiciſque precibus agi; ſed tantùm de priuatis, quas breues eſſe oportet: vt ſunt omnes iaculatoriæ preces, quibus ſolicitiores negotiatores aures Principum, apud quos negotiantur, feriunt, vt meminerint ſuam expedire cauſam; præterquàm dum oportet rem illorum altiùs repetere & à capite aperire. Maximè dum ex ipſorum Principum placito & ſuggeſtione id accidit, vt ſæpe ex ſpecialiſſimo impulſu Dei oratio (prout hic notatur) protenditur. Tunc enim breuiare illam, quodammodo eſſet Spiritum Dei extinguere; quod nefas.

De decanis Monaſterij.

CAPVT XXI.

SI maior fuerit congregatio, eligantur de ipſis fratres boni teſtimonij, & ſanctæ conuerſationis, & conſtituantur decani, qui ſolicitudinem gerant ſuper decanias ſuas in omnibus ſecundum mandata Dei, & præcepta Abbatis ſui. Qui decani tales eligantur, in quibus ſecurus Abbas partiatur onera ſua. Et non eligantur per ordinem, ſed ſecundum vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam. Quod ſi quis ex eis aliqua fortè inflatus ſuperbia repertus fuerit reprehenſibilis, correptus ſemel, & iterum, & tertiò, ſi emendare noluerit, deiiciatur: & alter in loco eius, qui dignus ſit, ſubrogetur. Et de Præpoſito eadem conſtituimus.

1. PRo intelligentia tituli notandum eſt cum Iſidoro, quod ſicut centuriones dicuntur illi, qui centum militibus præſunt, & quinquagenarij qui ſunt in capite quinquaginta militum, ſic decani dicuntur illi, qui decem militibus præficiuntur. Ex quo ſequitur illos eſſe decanos Monaſteriorũ, qui decem Monachis præſunt. Et iterum idem Iſidorus agens de Monaſteriorum decanis ait, ideo decanos dici quia denis Monachis præponuntur. Et alibi etiam ait, quod Metropolitani à menſura ciuitatum vocantur. Quod verbum dum à Gratiano noſtro refertur, eius rationem reddit Gloſſa inquiẽs, quia decem, vel vndecim ciuitates debet ſub ſe Metropolitanus habere. Quod ſanè commẽtariũ ex Pelagio II. potuit elici. Is enim epiſtola ad omnes Epiſcopos ait. Scitote prouinciam eſſe quæ habet

Iſid. 9. Etym. cap. 2.

Idem lib. 2. de Eccleſ. officiis. cap. 8.

Idem 7. Ety. cap. 12.

Gratian diſt. 1. c. Cleros.

Pelag. epiſt. ad om. Epiſ. relata 6. q. 3. cap. Sci ote.

habet decem aut vndecim ciuitates, & vnum Regem, & totidē minores poteſtates ſub ſe, & vnum Metropolitanum, alioſque Suffraganeos decē, aut vndecim Epiſcopos. Vt igitur iſti à denario numero nomen trahunt, ſic & decani.

2. *Si maior fuerit congregatio*, &c. Materiam huius capitis diu antea perſtrinxit Hieronymus inquiens in Cœnobitarum encomium. Prima apud eos conſideratio eſt obedire maioribus, & quidquid iuſſerint facere. Diuiſi ſunt per decurias, atque centurias, ita vt nouem hominibus decimus præſit, & rurſum decem Præpoſitus ſub ſe centeſimus habeat. Manent ſeparati: nemo pergit ad alium, exceptis his decanis, quos diximus: vt ſi cogitationibus fortè quis fluctuat, illius cōſoletur alloquiis. Hæc Hierony. Quem æmulatus Iſidorus de eiſdem Monachis Cœnobitis ait. Opus ſuum tradunt eis, quos decanos vocant, eo quod ſunt denis præpoſiti, vt neminem illorum cura ſui corporis tangat, neque in cibo, neque in veſtimento, nec ſiquid aliud opus eſt, vel quotidianæ neceſſitati, vel mutuæ (vt aſſolet) valetudini. Ipſi autem decani tradunt ea Præpoſito: Præpoſitus autem cum magna ſolicitudine omnia diſponens, præſto facit quidquid illorum vita propter imbecillitatē corporis poſtulat. Rationem tamen reddit ipſe ei quem Patrem vocant.

Hier. epiſt. 12. cap. 15.

Iſid. lib. de Eccleſ. offic. cap. 8.

3. Expreſſiùs tamen & diſtinctiùs rem iſtam præceptor noſter proſequitur, ſtatuens quod ſi maior congregatio fuerit, eligantur decani. Etenim vt Concilia Lateranenſe, Carthaginenſe IV. Rhemenſe, & Tridentinum decernunt, vt Epiſcopi habeant coadiutores ſuos, non tātùm ad prædicandum, ſed etiam ad confeſſiones audiendas, & ad alia miniſteria patrandā, quæ per ſeipſos minimè obire poſſunt: & inter hos miniſtros & coadiutores honorificentiſſimum locum tenent decani, quorum intereſt (prout Concilium Colonienſe III. habet) clericos ad obſeruationē piorum rituum prouocare, & reducere, & ad vitam clericis dignam agendam perpetuò cohortari & impellere, illoſque à negotiis & tumultibus ſeculi reuocare, ne magis ſeculi quàm Chriſti milites videantur: ſic præceptor noſter ſanctiſſimus vbi numeroſa congregatio fuerit, præcipit Abbatibus, vt decanos eligant, qui ſint boni teſtimonij fratres, & ſanctæ conuerſationis viri, vt ſic ſolicitudinem gerant ſuper decanias ſuas in omnibus & per omnia, ſecundum mandata Dei, & præcepta Abbatum ſuorum.

Concilium. Lateran. c. 7. Carthagin. cap. 20. Rhemen. c. 4. Triden. ſeſſ. 5. cap. 2. & decreto de reform. c. 4.

Colonienſ. t. 3. cap. 2.

4. *Qui decani tales eligantur*, &c. Sanè vt multus populus onus incomportabile erat humeris Moyſi: cuius gratia à Iethro ſocero ſuo dictum eſt ei; *Non bonā rem facis: ſtulto labore conſumeris, & tu, & populus iſte qui tecum eſt: vltra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere; ſed audi verba mea atque conſilia, & erit Deus tecum. Prouide de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos & cēturiones, & quin-*

Exod. 18. 17.

quagenarios & decanos, leuiusque sit tibi partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris sustinere. Nec solùm diuina scientia, verùm & humana id noscit, nouitque. Omnis enim ratio (ait Cicero) & institutio vitæ hominum adiumenta desiderat. Præsertim illa quæ Præpositorum est. Nam, vt Tacitus habet, grauissimi labores illorum adminiculis egẽt. Vnde Velleius. Vel ipsi eminentes viri magnis ad gubernãdam Reimpublicam adiutoribus vsi sunt. Quos sanè (vt Tacitus vidit) in partem curarum assumpsere. Quare hic legifer noster præcipit numerosæ congregationis Abbati, vt aliquos decanos eligat, in quibus partiatur onera sua.

Cicero 1. de Officiis.

Tacitus 12. annalium.

Velleius lib. 2.

Tacitus 1. annalium.

5. Quia vbicumque de Præpositorum administris agitur, excellẽtissimis eos virtutibus præditos esse exigitur: tum quoniam (vt Claudianus dixit) *emitur sola virtute potestas.* Tum quoniam (vt Capitolinus in Alexand.) melior est ac tutior Respublica in qua Princeps malus sit, ea in qua mali ministri. Vnde Agrippa in Cassio lib. 52. Si ignauis & parui pretij hominibus committas Reimpublicam, maximis in rebus patieris clades. Item quia vbicunque decani decernuntur, exemplaris vitæ ab omnibus efflagitantur, Concilio Augustodunensi dictante. Decani præcedant alios exemplo vitæ, honestate morum, & habitus disciplina. Ideo monet præceptor sanctissimus, decanos, non quidem per ordinem, sed secundum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam eligendos: vtique vt pascant Monachos sapientia, sanctitate, & doctrina, de quibus Ieremiæ 3.15.

Claudianus.

Agrippa in Cassio.lib.52.

Concilium Augustodun. cap.9.

6. *Quod si quis ex eis*, &c. Elationis vitium etiam eos qui cæteris vel plusculum præpollẽt, impetere solet: elatio autem superbia est. Subditos etiam arroganter instruere, superbiæ datur dist. 45. cap. Recedite, ex Hieronymo. Eosdem item asperitate corrigere, superbia nominatur dist. 30. cap. Hæc autem, ex Concilio Gangrensi. Vnde ex capitibus multis suboriri potest, quod decani superbiæ notentur, & in superbiæ noxam prolabantur. Quia tamen Euangelica instructio de corripiendis vsque tertiò fratribus nos admonet Matth. 18. iubet præceptor sanctissimus, ter decanos in superbiam prolapsos corripiendos esse, vt sic à tanto morbo curentur, vel tãquam immedicabiles à suo munere repellantur, & alius eis dignior suo in munere subrogetur. Nam etiam præcepto Domini cautum vbi suprà legimus, quod qui Ecclesiam non audierit, pro Ethnico & publicano habeatur. Et vt ille alius dixit, *Sequitur superbos vltor à tergo Deus.* Et quia idem Præposito Monasterij quod decanis potest accidere, idem de illo ac de istis fieri mandatur.

Seneca in Hercule furente. A.3.s.

Quomodo

Quomodo dormiant Monachi.

CAPVT XXII.

SINGVLI per singulos lectos dormiant. Lectisternia pro modulo conuersationis secundum dispensationem Abbatis sui accipiant. Si potest fieri, omnes in vno loco dormiant. Si autem multitudo non sinit, deni aut viceni cum seniorib us suis, qui super eos soliciti sint, pausent Cádela iugiter in eadem cella ardeat vsque mane. Vestiti dormiant & cincti cingulis aut funibus. Et cultellos ad latus non habeant, dum dormiunt, ne fortè per somnium vulnerentur dormientes. Et parati sint Monachi semper, vt facto signo absque mora surgentes festinent inuicem se præuenire ad opus Dei, cum omni tamen grauitate & modestia. Adolescentiores fratres iuxta se non habeant lectos, sed permixti sint cum senioribus. Surgentes verò ad opus Dei inuicem se moderatè cohortentur propter somnolentorum excusationes.

1. SINGVLI, &c. Hoc munditiam pariter & decẽtiam respicit, opportunitatémq; ad illud, quod psalmo 4. præcipitur; *In cubilibus vestris compungimini.* Commodiùs enim liberiúsq; id quisque solus peragit, quàm cum alio cubans.

2. *Lectisternia*, &c. De his specialiter agit Doctor sanctissimus infrà cap. 53. vbi stramenta lectorum in particulari decernit monasticè quidem & monastica, vtpote nec multa, nec mollia. At lapideos lectos scit placidus visitare Dominus, & quiescentes in illis diuinis recreare somniis, aliàs visionibus mirabilibus: vt recreauit Iacob ostẽtu supernæ scalæ. Vnde Clemens Alex. talia cubilia dixit Gymnasia somniorũ, vtpote quod in illis somnia laudabiliter exercẽtur, & ad honesta quęque velut vigilię excitantur: more illius dicẽtis; *Ego dormio, & cor meũ vigilat.* Quod quidem de Iacob verificatũ est: & ideo Ambros. de illo in eius vita, bonus in somno operarius.

Si potest fieri, &c. Vtique propter timores nocturnos. Propter quod sexaginta fortes ex fortissimis Israël, tenentes gladios in manibus & ad bella doctissimi, Salomonis lectulum ambiebãt. Vnde cùm vno ex capite fortes isti viri spirituales sint, spiritualibus exerciti colluctationibus, doctíque pugnare nõ solùm aduersus carnem & sanguinem, sed etiam aduersus principes mundi huius, potestatésque tenebrarũ, cõtra spiritalia nequitię, rectè

Cant. 5. 2.

Ambr. in vita Iacob.

3.

Cant. 3. 7.

Ephes 6. 12.

Gen. 28. 11. Clem. Alex. lib. 2. pædag. c 9.

per illos Monachi assignantur, quorum maximè est huiusmodi pugnis interesse, & assumpta armatura Dei contra aduersarios illius dimicare. Cùm item ex alio capite dæmonis odium graue admodum in omnes homines sit (prout Athanasius ex mente Antonij magni retulit in eius vita) grauiùs in Christianos, & atrociſſimè in religiosos, & virgines dicatas Deo debacchatur. Et tandem cùm dæmonum robur nocte validius sit, vtpote à spiritibus potestatibúsque tenebrarum: propter quod Ecclesia sub lucem diei precatur, vt Deus ipse sit nobis ad custodiam præsul, procul repellat somnia, & noctium phantasmata abigat, hostémque nostrum comprimat, ne polluantur corpora. Cùm igitur hæc ita sint, conuenienter Monachus Monachis stipatus dormire præcipitur, & Monachus iuuenis senioribus circumuallatus, & omnes (si fieri potest) in eodem loco requiescere: quia bonorum, etiam dormientium, etiam morientium, atque etiam vita functorum sodalitium terror dæmonibus est, hominibus autem subsidium.

4. Item cùm in psal. dicatur, bonum & iucundum esse habitare fratres in vnum; consequens est, vt etiam dormire in vnum bonum & iucundum sit: nam dormitionis locus habitationis nomine insignitur, dum sub noctem precamur, vt Deus visitet habitationem nostram, & omnes insidias inimici ab ea longè repellat, & Angeli eius sancti habitantes in ea, nos in pace custodiant. Vbi exploratum est, sermonem fieri de loco in quo pausamus: & orationem istam respondere petitioni Antiphonæ, qua iuxta Breuiarium Romanum petitur: *Salua nos Domine vigilantes, custodi nos dormientes, vt dormiamus cum Christo, & requiescamus in pace.* *Psal. 131. 1.*

5. Nihilominus communio hęc dormiendi iam diu cum seculo insenuit: in vsu enim non est, sed singuli singulis pausant cellulis, vtpote aptioribus ad legendi, orandi, plangendi, flagellúque sumendi exercitia, noctu diúq; frequentissima Monachis. Ad quos cùm pertineant maximè illa Christi Domini verba: *Tu autem cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi*; aptè Monachis cubilia etiã ad somnum deputantur, secretioráque loca conceduntur: vtique cellæ in quibus recondi, valeant, & vt Monachi viuere ac latere, quia vel Monachi nomen singularitatem & solitudinem refert. Monachus enim idẽ est quod vnus, vel vnicus. Vnde quia frequens est, vt quando vnus dormire, alius legere, & alius orare aueat: ideo consultius visum est, vt quisque tam ad dormiendum, quàm ad vigilandum sua se cella contineat. Nec propterea morali subsidio societatis sanctæ defraudantur; nam licet interiectis parietibus, & media maceria diuisi, omnes tamen in vno loco dormiunt, qui dormitorium dicitur. Et interiectio parietum vsui etiam est & commodo: vt si fortè, verbi gratia, vnus tussi laborat, alij non *Matth. 6. 6.*

propterea

propterea inquietentur, & cæterorum interturbetur quies.

6. *Candela ingiter*, &c. Hoc bene moratæ gentis domúsque prudenter ac fœliciter gubernatæ monimentum est. Vnde pro encomio vxoris prouidæ ac sapiẽtis dictum legimus; *Non extinguetur in nocte lucerna eius*: & in laudem honestæ castæque fœminæ à Marone decantatum audimus, *sopitos suscitat ignes*. Cùm enim intempesta nocte multa possint infausta, quæ non expectantur, ingruere, sopita luce & extincta lucerna omnia in peius cederent, & cuncti de remedio opportuno salubríque desperarent. Cùm igitur nesciat homo quid superuentura pariat dies, nedum cæca nox, inextinctæ & accensæ lucernæ subsidio carere non debet. Est enim conditionis miserrimæ egere lumine, & illud nihilominus non offendere. Vnde Iob. 3. imprecatum est; *Expectet lucem, & non videat.*

Prou. 31. 18.

Virg. Æneid. 8.

Iob. 3. 9.

7. Præterquàm quod vice ominis infaustique augurij est tenebricósus lectus, vel ipso dicente Iobo: *In tenebris straui lectulum meum*. Vnde protinus; *Putredini dixi: Pater meus es, & mater mea, & soror mea vermibus*. Et pro fatuis, atque ad malorum finem vndequaque proiectis virgines illæ habentur, quæ extinctis lampadibus, aut extinguendis saltem dormierunt. Illæ verò prudentum laudem & gloriam receperunt, quæ ardentibus inter dormiendum, & occurrendum sponso sunt inuentæ lampadibus. Et Dominus ipse præcepit nos accensis lucernis debere expectare illum etiam vsque ad tertiam vigiliam, quinimò vsque ad quartam. Iste autem lucernarum ardor, claritas atque fulgor, literalis ex parte atque etiam mysticus est, vt etiã lucernarum atque lampadarum intra Ecclesiam fulgentium.

Iob. 17. 13.

Matth. 25. 7.

Luc. 12. 38. Matt. 14. 25.

8. *Vestiti dormiant*, &c. Propter decretum hoc, & propter illud ex cap. Sanctimonialis. d. 23. vbi decernitur, Sãctimonialem virginem ab Episcopo consecratam debere vti semper vestibus suis; vbi Glossa ait quod etiam in lecto, & in infirmitate Sanctimonialis debet vti vestibus suis: & propter illud 20. q. 1. cap. Vidua, vbi dicitur quod vidua religionem professa accepta veste à Sacerdote vel ministro, seu in lectulo quiescens, siue in quocumque loco consistens constanter vtatur: & propter quamdam glossulam circa caput 55. huius regulæ, in qua de vestimẽtis fratrũ agitur: ait enim quod in casu grauissimo infirmitatis, tenentur Monachi sub excommunicationis periculo scapulare saltem retinere. Igitur propter hæc quidam Iacobus à Capua relatus ab eruditissimo Patre Iacobo de Grafis nostri ordinis, capite de habitu monachali, existimauit esse mortale peccatum dormire nos absque scapulari habitus nostri. Sed certè fallitur, quia id nullo præcepto naturali aut positiuo cauetur, vt notauit Siluester inducens Archidiaconum & Ioannem Andream.

Iacobus de Grafis 2. p. Summæ lib. 13. c. 17.

Siluest. verb. excommuni. catio. c. 9. §. 22. ad finem.

Quod si aliqua (ait ibi Siluester) decreta de hoc sunt, potiùs honestatis quã necessitatis erũt. Imò (addo ipse) etiamsi necessitatis essent, adhuc non sub mortali,

9.

tali, sed tantùm sub veniali obligarent, vtique propter leuitatem materiæ. Etenim (vt hic licet videre) propterea Monachi vestiti & cincti dormire iubentur, vt sint parati absque mora surgere ad opus Dei. Constat autem huiusmodi finem, aliàs religiosum & pium, adeò grauem non esse, vt trãsgressio illius capitalis fiat. Maximè quod Monachi non obligamur sub mortali, nisi quoad tria substantialia vota, quantum est ex iure & virtute regulæ.

10. Nihilominus retinendus vbique habitus monachalis est: tum quia neque in sepulchro respuitur, cùm tamen somnus sit mortis imago, lectus verò sepulchri. Tum quia si Monachi facti Episcopi tenentur ad hoc, cur non potiùs cæteri Monachi? Etenim octaua Synodus generalis, vtique Concilium Constantinopolitanum IV. sub Basilio Imperatore, in hunc modum decreuit. Monachi qui vita & doctrina vt Episcopi crearentur, inuenerint, non mutent habitum, non enim hoc minus arrogans esset, quàm pallio ineptè vti. Quisquis ergo Episcopus præter diffinita sibi tempora se pallio induerit, aut monasticam deposuerit vestem, aut corripiatur, aut deponatur.

Concil. Constantinopolitanum can. 27.

11. Cinctio autem ista habitus in quo cubandum est, promptitudinem quam Monachi habere debent ad citò promptéque surgendum ad Deum laudandum, denotat phrasi Euangelica illa: *Sint lumbi vestri præcincti.* Hoc enim, vt Tertullianus habet, idem est ac nos expeditos, & ab omni impediméto exemptos ad vitæ honestatem præmunire, paratósque & promptos ad quoduis bonum esse. Vnde Angelus exquo Petrũ excitauit ad fugam, primum quod ei suasit, præcinctio fuit, vt per illam expeditior ad reliqua habiliórque fieret.

Act. 12.

Luc. 12. 37.

Cultellos ad latus non habeant, 12.
&c. Incautus equidem somnus cùm sit, vtpote ligamen sensus communis. & impotentia illius, (vt Aristoteles habet) cuius gratia Euripides de illo apud eumdem Aristotelem dixit, quod facit cessare curas. Incautus igitur improuidúsque somnus cùm sit, nisi pericula præcaueantur & præpediantur, facilè quæ occurrunt, incurret. Est autem periculum, nec remotum dormienti inter cultellos sauciari. Estque rursum infortunium infaustum, in loco ad quiescendum assumpto, & ad quietẽ omnino deputato plagiaria interturbari molestia. Vnde prouerbialiter dictum; *In portu naufragium*, pro eo quod est in tuto periclitari, & ab amicis diuendi. Quod maximè deplorauit Dauid cùm dixit; *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Tu autem homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.* Ad quod etiam respicit illud Amos, *plaga lectuli,* quæ nimiùm acerba est, vtpote inflicta in loco ad quiescendum constrato.

Aristot. de somno & vigilia. c. 2. & 3. Idem 8. Polit. c. 5.

Psal. 54.

Amos 3. 12.

Et parati sint, &c. Is scopus 13.
& finis dormiendi in vestitu & cingulo, vtique vt facto signo absque mora Monachi ad vigilias nocturnas procedant, cum

omni

omni tamen modestia & grauitate. O mira prudentia legiferi, prouidentiáque ad omnia! Grauitas enim cùm leuitati aduersetur, prudentum & magni ponderis pignus virorum est. Vnde
ad Titũ 1.7. Paulus ad Titum: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate & grauitate, vt omnis qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Grauitas enim ingentes maximè decet viros.
Psal 34.18. Vnde Dauid; *In populo graui laudabo te.* Modestia item hic pro pro grauitate etiam est; siquidem
D. Tho. 2.2. q. 170. art. 2. ad 3. (iuxta D. Diuum Thomam) modestia moderatur exteriorẽ hominem in incessu, in habitu, & huiusmodi. Quare absque mora occurrere ad vigilias nocturnas cum grauitate & modestia, idem est ac prudenter, cordatè & decenter, & absque aliqua leuitatis concitatione occurrere. Et quidem licet vniuersos id tangat, deceátque Monachos, atque etiam Ecclesiasticos viros, sed Benedictinos maximè, quorum vel forma habitus omnes incessus leues non solùm arguit, sed impedit, & ad illos qui graues sunt impellit. Vnde sicut Deum precamur, vt ad nos iuuandos festinet, per quod tamen non petimus festinationem diuinæ grauitati absonam: sic nobis indicitur festinus ad nocturnas vigilias accessus, absque prę-iudicio tamẽ monasticæ grauitatis. Vt enim sancta sanctè faciẽda sunt, sic etiam grauiter grauia.

Adolescentiores fratres, &c. Etenim cùm senectus adolescentiæ pædagogus sit, meritò iuuenis lecto senioris cubile agglutinatur, vt fatuitatem iuuenilem senilis prudentia moderetur. Ob id enim maximè decani creati sunt, & ob id Concilium Oxonienſe sanxit. Statuimus vt cum ratione debilitatis, vel alia iusta ratione Monachi seorsum in misericordia morentur, semper habeant secum ad minus alios seniores, qui aliorum leuitatem debita correctione compescant; & qui postmodum in Capitulo testificentur, qualiter in misericordia fuerint conuersati. Vbi per misericordiã intelligit concilium, vel infirmorum xenodochium, vel hospitum, vel quid simile ex dispensatione iuniori-bus concessum Monachis. 14. *Conc. Oxonienſe c. 4.*

Surgentes verò, &c. Etenim aliquando sic ferreus inuadit somnus Monachos, præsertim iuniores adolescentulos, adeóque sopitos tenet, vt nec concitatorio (quod strepit valde) tormento somno soluãtur. Vnde si chorum ingressi sese fratres ad Deo exultandum inuitant, dicentes; *Venite, exultemus Domino*, longè magis necessarium est, vt vigiles somniculosos excitent, vt chorum adeant. Præcipitur autem vt id moderatè fiat, ne clamoribus impleatur clangoribúsque dormitorium. Quod valde absonum monasticæ modestiæ est, præsertim in silentio noctis. 15. *Psal. 94.*

De excommunicatione culparum.

CAPVT XXIII.

SI quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius sanctæ regulæ, & præceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit, hic secundum Domini præceptum admoneatur semel & secundò secretè à senioribus suis: si non emendauerit, obiurgetur publicè coram omnibus. Si verò neque sic correxerit, si intelligit qualis pœna sit, excommunicationi subiaceat. Si autem improbus est, vindictæ corporali subdatur.

1. *SI quis frater contumax.* Hoc in capite multa supponit sanctus Doctor. Primum est illud Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.* Circa quod ait Basil. Non dixit, offenditis, cùm illos argueret, sed offendimus, cùm simius Christiani. Et præmisit, in multis, ac subiunxit, omnes, vt cautiùs agerent etiam qui Spiritus sancti gratia duce incedunt; iuxta quod alibi scriptum est, Cæli non sunt mundi in conspectu eius: & Salomon, non est iustus in terra qui non peccet, & quidem septies in die. Vnde præceptor noster sanctissimus in hoc capite refert varia peccatorum genera, in quæ Monachi possunt incurrere, de quibus mox.

Iacobi 3.2.

Iob. 15.15. *Prou.* 14.26.

2. Secundum est illud Iob: *Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem. quanto magis qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum?* & illud Esaiæ; *Misereamur impio, & non discet facere iniquitatem: in terra Sanctorum iniquè egit, & non videbit gloriam Domini.* Per hæc enim datur intelligi, nullum tam Deo sacrum, sanctitatique locum addictum esse, in quo infanda quæque non possit humana temeritas & audacia patrare. Vnde hic legifer noster plures peccatorum species, vt intra Monasteria possibiles refert, incipiens à contumacia: ait enim; *Si quis frater contumax.* Contumax autem dicitur (iuxta Isidori mentẽ) ab eo quod contemnat. Contemnere autẽ adeò graue est, vt Prouerb. 18. dicatur: *Impius cùm in profundum malorũ venerit, contemnet*; vtpote quod contemptus malorum omnium extremum & barathrum reputatur.

Iob. 4.18. *Esaiæ* 26.10.

Isidor. 10. *Etym.*

Prou. 18.3.

3. *Aut inobediens.* Magnum sanè hoc Monacho scelus est: vtpote aduersum illius potissimo voto, quale est obedientiæ. Vnde 2. ad Corinth. *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.* Vbi non solùm indicitur, vt omnem inobedientiam vlciscamur,

2. *Cor.* 10.6.

Hebr.2.2. ſcamur,quod ad Hebræos 2.habetur, cùm dicitur; *Omnis præuaricatio & inobedientia accipiet iuſtam mercedis retributionẽ.* Sed quod illicò & properè, vt illicò & properè occurrendum eſt lethiferis ægritudinibus. Et ideo Pſal.149. pſal.149.(quod D.Hieronymus D.Hier. ſup. notauit) ſcriptum legimus. *Gla-* 2.Cor.10. *dij ancipites in manibus eorum; ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis*, ad faciendam vtique illicò & properè.

4. *Aut ſuperbus.* Vitium ſuperbiæ Deo maximè exoſum eſt; Prou.8.13. dicente ipſo; *Arrogantiam atque ſuperbiam ego deteſtor.* Et non tantùm illi,ſed etiam illi & no- Eccli.8.15. bis deteſtabile eſt, Eccleſiaſtico dicente; *Odibilis coram Deo & hominibus eſt ſuperbia.* Et iure qui- Baſil. admonit.ad filium ſpiritualem. dem, quoniam (vt Baſilius habet) vt humilis fit Deo ſimilis, ſic ſuperbus diabolo. Diabolus autem cunctis execrabilis eſt. Quod ſi id de omni ſuperbo; quid de tali, vtique Monacho? Eccli.25.2. Vnde apud Eccleſiaſticum dicitur,quod odio maximè habetur pauper ſuperbus.Monachus autem paupertatis voto adſtrictus pauper ſolemnis eſt. Monachi autem ſuperbia non tam eſt non obtemperare, quàm reſupinando obedire.

5. *Aut murmurans.* Improbum me hercle,ac vile,atque prorſus inutile malum hoc, Scriptura Sap.1.11. dicente; *Cuſtodite vos à murmuratione quæ nihil prodeſt:* imò quæ multum obeſt, vtpote ſcriptum; 1.Cor.10.10. *Neque murmurauerit is, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Huius autem peccati virus eſt detrahere,vel honeſtati,vel vtilitati,vel neceſſitati, aut rationi eorũ quæ præcipiuntur, & vel omnia, vel aliquid illorum vituperare, & retrouertere.

6. *Vel in aliquo contrarius exiſtẽs ſanctæ regulæ.* Hoc fit monita & decreta illius arguendo, vel improbando,& aliò inflectere ſtudendo. Quod adeò exitiale eſt, vt Ioſue 1.dicatur. *Qui contradixerit ori tuo, & ſermonibus tuis, quos præceperis ei morte moriatur.* Ioſue 1.18. & Oſeæ 4. *Populus hic, ſicut qui* Oſea 4.9. *contradicit Sacerdoti, & viſitabo ſuper eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei.* Hoc eſt vitã moréſque illorum iuſto, ſeuéroque iudicio condemnabo, & qualia ipſi meditantur in alios, talia in eos ipſe complebo.

7. *Et præceptis ſeniorum.* Quantum malum ſit conteinnere,dixi in fronte huius capitis. Et Scriptura ipſa dicit, dum clamat; *Abominatio Domini eſt omnis illu-* Prou.32.24. *ſor, & ipſe deludet illuſorem.* Et cùm Eccli.8. inquit; *Ne deſpicias* Eccli.8.7. *narrationem presbyterorum*, ſpecialiter prohibet deſpicientiam præceptorum, quæ à ſenioribus ſunt. Preſbyteri enim & ſeniores in ſacro eloquio pro eodem reputantur.Vnde Chriſtus ad ſeniores ſui populi; *Qui vos audit,* Luc.10.16. *me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui me miſit.*

8. Tertium quod hic ſupponitur, illud eſt quod ex communi Theologorum doctrina cum D. Thoma habemus, ſcilicet li- D. Tho. 1.p. berum arbitrium Angeli eſſe q.64.art.2. quidem flexibile ad vtrumlibet, ante electionem,non verò poſt: liberum autem arbitrium ho-

minis ante & post. Quapropter de Angelis Damascenus citatus à D.Tho. ait, quod in hominibus est mors, in Angelis cit casus. Vnde fit quod Angelus post casum nequeat resurgere, magis quàm homo mortuus: homo tamen lapsus possit erigi.

Damasc. lib. 2. de fide c. 4. D.Tho. vbi suprà.

9. *Hic secundum Domini præceptum*, &c. His ita præmissis, præcipit Sanctus Doctor vt secundum præceptum Domini reus Monachus admoneatur. Hic in primis valde notandum est ly, *secundum præceptum Domini*. Sic enim Concilia & Patres appellant monitum illud de correctione fraterna quod Mat. 18. habetur. Etenim Concilium Rhotomagense relatum 17. q. 7. cap. Omnes decimæ. Nicolaus Pontifex relatus 16. quæst. 4. cap. 23. de presbyterorum flagellatoribus. Innocẽtius relatus in Decret. 2. tit. de iudiciis. cap. Nouit. Et Concil. Aquisgr. celebratum anno Dom. 616. sub Stephano V. Põtifice, & sub Ludouico Pio c. 134. cum aliis expressè dicunt monitum hoc Christi Domini diuinum esse præceptũ. Quod sanè dixerim contra quẽdam Bernardinum de Arcualo Minoritam, pium aliàs egregiéque doctum virum, contendentem toto quodã volumine correctionis normam à Domino Christo prescriptam Matth. 18. non esse præceptum, sed charitatis consilium.

10. Notandum etiam ly *à senioribus*, vtpote maiori prudentia sapientiáque cultis. *Verba enim sapientum* (vt dicitur Eccli. 12.) *quasi stimuli & quasi claui in altum defixi.* Circa quæ Ambrosius. Cùm in populo, vel in aliquo culpa & cõtumacia est, sint sermones tui eiusmodi, vt audiẽtem stimulent, compungántque malè conscium. Sermones enim sapientum tanquam stimuli. Stimulauit & Dominus Iesus Saulum, cùm esset persequutor. Quàm salutaris fuerit stimulus considera, qui ex persequutore Apostolum fecit, dicendo; Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Itaque à senioribus, vtpote à peritioribus & prudentioribus admonendus est Monachus his notatus culpis. Quod si non emendauerit, publicè coram omnibus obiurgandus præcipitur: quod etiam consonat diuino correctionis præcepto, statuẽti quod post primã & secundã admonitionem dicatur Ecclesiæ.

Eccli. 12. 11.

Ambr. ep. 44.

11. *Si verò neque sic correxerit*, &c. Vnum hic Diuus Pater supponit, scilicet correctionem non semper effectum sortiri, neque efficacem esse. Quod non tantùm vsu, sed etiam quotidiano experimur. Vnde Tertullianus ait. Collegium ex Apostatis disciplina non terretur. Hoc igitur Doctor supponens sanctissimus, aliud statuit, nimirum incorrigibiles istos excommunicatione feriẽdos. Quã sanè doctrinam vt sanam sacrámque omnes cum Doctore Angelico amplectuntur dicentes; mali iure excommunicantur vt resipiscant.

Tertul. lib. contra Valentin c. 1.

D.Th. 2. 2. q. 31. a. 2. ad 3. & in 4. d. 18.

12. Et est notãda sanctissimi præceptoris in singulis peritia & scientia. Cùm enim excommunicatio non possit pro leuioribus, vtique pro venialibus imponi culpis, vt ex vtroque iure manife

manifestum est, & videre licet in Concilio Tridentino, & in Magistro Soto, Couarruuia, & apud omnes Doctores in textu illo canonico; Nemo Episcoporum, & in canone; Nullus Sacerdotum. 11. q. 3. & in verb. excommunicatio: ideo laturus D. Pater excōmunicationis sententiā cōtra incorrigibiles, præmisit ab initio capitis grauissimas culpas, vtique contumaciā, inobedientiam, superbiam, & similia, ob quæ sæpe Deus grauissima supplicia intulit. Etenim Deut. 21. ita in contumaces, & contra inobedientes statuitur. *Si genuerit homo filium contumacem, & coërcitus obedire contempserit, lapidibus eum obruet populus.* Et constat contumaciam secum reuchere inobedientiam, vel præsupponere illam. Propter quod, vt habetur in 4. vbi non præcedit inobedientia & contumacia, nequit excommunicatio ferri. Superbi etiam sic feriūtur; *Anima quæ per superbiam aliquid deliquerit, peribit de populo suo.* Murmurantes similiter: *Omnes qui murmurastis contra me, non intrabitis terram, supra quam leuaui manum meam.* Præterquàm quod omnibus execrabiles sunt, dicente Chrysostomo. Sæpe malumus ministerio priuari, quàm murmurantem sustinere. Item aduersus contradicentes iussis de præceptis ministrorum Dei, refertur quod periere in cōtradictione Chore, quod etiam in epistola Iudæ habetur. Aduersus contemptores similiter Scriptura clamat; *Eiice derisorem, & exibit iurgium cum eo: cessabuntque causæ & contumeliæ.* Et est notandum, omnes exclusiones istas tunc factas fuisse per necem, in quarum locum maior successit excommunicatio, Augustino dicente. Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. Propter quod noster hic legifer de incorrigibili præmittit, quod excommunicetur, si sciat qualis pœna sit excommunicatio. Per quod planè significat, se impræsentiarum agere de excōmunicatione maiori propriè & rigorosè sumpta, vtpote nō ferenda nisi pro grauissimis culpis, & contra illum qui assequitur quantum damnum & malum excommunicatio sit. Aliud enim excommunicationis genus, de quo sequenti capite, mitius & humanius est, & maximè monachale, de quo ibi. De hoc autem quod Ecclesiasticum est, hic & cap. 25. & 26. agitur.

Trid sess. 25. cap. 3. de reformat.
Soto in 4. dist. 22 q. 1. ar. 2.
Couarruias in cap. Alma mater. p. 1. §. 9. n. 1.
Deut. 21. 17.
Num. 15. 30.
Num. 14. 2.
Chrys. hom. 8. super ad Philippen.
Iudæ 11.
Prou 22. 10.
Aug. q. 33. sup. Deuter.

Sin autem improbus est, &c. Ita Concilium Aquisgranense I. sub Ludouico Imperatore, ait enim. Delinquentes primò verbis & exhortationibus, post verberibus coërceantur. Vnde Bernardus agens de Monacho inquit. Non si cautè profitetur se vltrà non peccaturum, alioquin aut periurat, aut sanctior est eo qui dixit, in multis offendimus. Quid ergo? Præceptis instituitur vita contra peccatum, remediis restituitur innocentia post peccatū. Sic ergo vtraque ista complectitur nostra professio. Pars siquidem regulæ est regularis correctio, in qua inuenitur non solùm bonæ vitæ institutio, sed prauæ emendatio. Ideo etiam D. Thomas. Vbi non est correctio,

13. *Aquisgran. cap. 134.*
Bern. de præcepto & dispens. cap. 16.
Iacobi 3. 2.
D. Th. 2. 2 q. 11. art. 3.

ctio, accedat castigatio. Et ideo licet de zizania immixta tritico
Matt.13.29. scriptum sit; *Sinite utraque crescere usque ad messem, ne fortè colligentes Zizania, eradicetis simul & triticum.* Propter quod Chrysostom. dixit, Christum hic prohi-
Chrys. hom. 47. in Matt. buisse hæreticos interfici & trucidari, non verò dissipari consilia eorum. At hoc intelligendum est ante primam & secundam admonitionem; quoniam
Exod.22.18. aliàs scriptum est: *Maleficos non patiaris viuere super terram.*

14. Itaque ante excommunicationem istam exhortationes & admonitiones suadentur, prout de iure & necessitate est. In Decretalibus enim in cap. Sacro, de sententia excõmunicationis statuit Innocentius III. cum Concilio Lateranensi. Ne quis in aliquem excõmunicationis sententiam promulgare præsumat, nisi competenti admonitione præmissa (vtique trina) & personis præsentibus idoneis, quibus possit admonitio probari. Quod si contrà fecerit, ab ingressu Ecclesiæ per mensem arceatur, alia etiam pœna mulctandus, si visum fuerit, etiamsi iusta sit sententia. Præmissa tamen huiusmodi competenti admonitione, prout hic disponitur, poterit Abbas, vel Prior, excommunicare rebellem & incorrigibilem Monachum excommunicatione maiori, cap. Cùm Ecclesiis, de maioritate & obedientia. Cæterùm si iustis de causis, hoc est, propter corripiendi ineptitudinem, à tanta abstineatur censura, loco eius sequatur corporalis castigatio. Scriptum quippe est;
Prou. 22.15. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* & cap. præcedenti: *Mulctato pestilente sapientior est parvulus.*

Qualis debet esse modus excommunicationis.

CAPVT XXIV.

SECVNDVM modum culpæ, excommunicationis vel disciplinæ debet extendi mensura. Quī culparum modus de Abbatis pendeat iudicio. Si quis tamen frater in leuioribus culpis inuenitur, tantùm à mensæ participatione priuetur. Priuati autem à mensæ consortio ista erit ratio, vt in Oratorio psalmum aut Antiphonam non imponat, neque lectionem recitet vsque ad satisfactionem. Refectionem autem cibi post fratrum refectionem solus accipiat mensura, vel hora, qua prouiderit Abbas ei competere. Vt si, verbi gratia, fratres reficiunt sexta hora, ille frater nona, si fratres nona, ille vespertina, vsque dum satisfactione congrua veniam consequatur.

SECVNDVM

1. SECVNDVM *modum culpæ*, &c. Duo hic ex præcedenti capite notatu digna præsupponuntur. Primum est, incorrigibiles iure puniendos esse. Etenim si in psal. iniusti punientur, quanto magis inuiti admoniti, nec propterea tamen ad meliorem frugem recepti? Vt igitur corrigantur, iure sunt corripiendi; Scriptura monstrante quæ ait; *Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ.* Vnde psal: *Disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit.* & psal. 96. de Samuele & Aarone dicitur ad Deum; *Domine Deus noster tu exaudiebas eos, Deus tu propitius fuisti eis vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Hoc est, studia & affectiones illorum (aiunt Augustinus & Cassiodorus ibi.) Vnde Chrysostomus. Est igitur species beneficentiæ delinquentem punire: saltem quoniam, vt prouerbialis forma habet apud Gruterum; *Impunitas vitiorum nutricula est.* Secundum est, huiusmodi incorrigibiles, vel corporali, vel spirituali puniendos esse supplicio: tum propter inducta capite præcedenti; tum quia non est aliud tertium punitionis genus.

psal. 136.28.

Prou. 6.23.

Psal. 17.37.

Psal. 96.8.

Chrys. tom. 1. in cap. 1. Esaiæ.

Grutt. 2. p. fol. 1178.

2. His ita præmissis infit præsens caput; *Secundum modum culpæ; excommunicationis vel disciplinæ debet exteri mensura.* Ratio in promptu est, nam castigatio, siue infligatur vt pœna, siue applicetur vt medicina, culpæ proportionari debet. Vnde Ieremias; *Castigabo te in iudicio, ne videaris tibi innoxius.* Vtique quoniam tam omnino impunitus, quàm vel nimis, vel minus punitus quàm par est, rarò se reum agnoscit. Quare Iob ausus fuit dicere; *Non peccaui*: non quidem quia non peccauerit, cùm scriptum sit; *In multis offendimus omnes*; sed quia non peccauit ad normam mensuramve tãtæ pœnæ. Et ideo alibi dixit; *Vtinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera; quasi arena maris hæc grauior appareret.* Qui etiam omnino impunitus, vel etiam minus punitus quàm par est emersit, mox vel nullam, vel leuem saltem suam noxam diiudicat: vtpote qui ex quantitate pœnæ, culpæ quantitatem metitur, vt ex medicinæ qualitate, morbi conditionem. Quapropter iterum Ieremias dixit: *Noli timere, serue meus Iacob, castigabote in iudicio.* Hoc est, ad mensuram delicti, erit plagarum modus.

Ierem. 30.11.

Iob. 17.2.

Iacobi 3.2.

Iob. 6.2.

3. *Siquis tamen frater*, &c. Cùm excommunicatio idem sit quod expulsio, seu priuatio communicationis, consequens est, tot in rigore sermonis esse excommunicationis genera, quot priuationes communionum, siue cõmunicationum. Et ideo diuersæ excõmunicationes notantur pro diuersitate communionum. Hic autem sermo inducitur de leuiori excommunicatione, vtpote infligenda pro leuioribus culpis. Mensæ enim priuatio est negatio conuictus amicabilis, vt econtrà mensæ communio est amicitiæ symbolum & argumẽtum. Quare vt significaret Dauid quod qui postea proditor, eius primò amicus fuit, dixit: *Qui simul*

Psal. 54.15.

simul mecum dulces capiebas cibos. & in Apocalypsi in persona Christi habetur; *Siquis aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cænabo cum illo.* Horum igitur beneuolentiæ signorum & argumentorum priuatio, excommunicatio dicitur. Vnde etiam maiori excommunicatione perculsis communio & mensa negantur, vt amicitiæ symbola, & etiam voluptatis causa; conuiuia enim inter amicos voluptatem ingenerant, & quidem se ipsa laudabilem: propter quod dicitur, gaudere cum gaudentibus pium est.

4. *Priuati a mensa*, &c. Non priuantur istiusmodi excommunicati ab eo quod est cantare seu recitare in choro, & diuinum officium cum fratribus persoluere: sed ab eo quod est aliquam ex diuinis officiis partem imponere, hoc est, cantando, vel recitando exordiri, siue vt cantor, siue vt archichorus: vel etiam vt lector aut quilibet alius ex chori ministris promere, aut deferre aliquid, quod alij attendere, & ab illo auscultare habeant, & dicentem illum necessariò audire. Hoc autem illis meritò denegatur. Primò, ne diuinis officiis infaustum exordium detur. Secundò, ne Conuentus loquatur ore illius cum quo cibum sumere dedignatur. Tertiò, quia sic oportet talem Monachum choro interesse, ac si ibi non fuisset, vtpote nihil ab eo, vel per eum supplendum. Vnde D.Thomas super id quod de filiis Dei dicitur Iob.1. venisse vt assisterent coram Domino, & quod adfuit inter eos Sathan; a[illegible]rtit, quod de filiis Dei dicit[illegible], venisse vt assisterent coram Domino, de Sathan non nisi quod inter eos adfuit, ad significandum filios Dei per se quidem, Sathan verò non nisi per accidens, & quasi per quamdam concomitantiam ibi interfuisse. *D.Tho. sup. Iob. 1.*

5. *Refectionem autem*, &c. Cùm cibus ad vitam degendam simpliciter necessarius sit, cibi priuationem, imò (quod notatu dignum est) neque diminutionem D.Pater indixit, sed tantùm refectionis horam procrastinandam iubet, vt cùm tardiùs solito excommunicatus reficitur, inediæ sensatione crucietur, simulque pudore dedecoreque afficiatur, videns se excluſum à cóuictu fratrum, tempore quo nec domestica bruta à refectione excluduntur. Sed quia procrastinatio hæc vice ieiunij est, quod non aufert refectionem, sed differt; ideo conducibilis multum ad correctionem noxij ista refectio est: quoniam (vt Ambrosius notauit) ieiunio eluduntur peccata. & alibi. Nullum tam graue delictum est, quod abstinentia non purgetur. *Ambr. epist. 82.* *Idem Serm 5.*

Degra

De grauioribus culpis.

CAPVT XXV.

IS autem frater qui grauioris culpæ noxa tenetur, ſuſpendatur à mẽſa ſimul & ab oratorio: nullus ei fratrum in vllo iungatur conſortio, neque in colloquio. Solus ſit ad opus ſibi iniunctum perſiſtens in pœnitentiæ luctu, ſciens illam terribilem Apoſtoli ſententiam dicentis, traditum huiuſmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini. Cibi autem refectionem ſolus percipiat menſura, vel hora qua prouiderit ei Abbas competere, neque à quoquam benedicatur tranſeunte, nec cibus qui ei datur.

1. IS *autem frater qui grauioris culpæ*, &c. Sermo hic de excommunicatione maiori Eccleſiaſtica inducitur, vt ipſa textus verba proclamant, præſertim illa, *ſuſpendatur à menſa ſimul & oratorio*; & illa, *nullus ei fratrum in vllo iungatur conſortio, neque in colloquio*; & illa, *ſolus ſit ad opus ſibi iniunctum perſiſtens in pœnitentiæ luctu*; & illa, *traditum huiuſmodi hominem Sathanæ*; & demum illa, *neque à quoquã benedicatur tranſeunte, neque cibus qui ei datur*. Hæc enim ſunt maioris excommunicationis ſigna, inſigniaque cõſortij, quibus priuat, prout is verſiculus habet,

Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

In eo enim omnes excommunicationis maioris effectus comprehenduntur, quandoquidem per priuationem oris ſignificatur priuatio conuerſationis & colloquij, ſiue per verba, ſiue per literas, ſiue per nuntios facti, imò etiam per tranſmiſſionem alicuius muneris in amicitiæ oſtentum. Quamuis qui ſecus fecerit, non propterea mortaliter, ſed tantùm venialiter delinquat ob leuitatem materiæ. Vnde hic; *nullus ei fratrum in vllo iungatur conſortio, neque in colloquio.*

2. Deinde per negationem huius quod eſt orare, priuatur excommunicatus ab eo quod eſt intereſſe horis canonicis, quas alij recitant, & Eccleſiaſticis officiis; ac demum omni participatione in diuinis. Adeò vt ob impedimentum iſtud excuſetur excommunicatus ab audienda Miſſa in die feſto, & à communione paſchali, licet non à recitandis priuatim canonicis horis, ſi aliàs ad id tenetur. Priuatur etiam ab actibus eundi cum aliis in Eccleſiaſticis proceſſionibus:

adeò vt si illis contenderet interesse, cessare deberent. Vnde hic, *suspendatur ab oratorio.* Negatio item huius quod est dicere vale, significat priuationem honorificæ salutationis siue verbo, siue scripto factæ, vel etiam reuerentiæ exhibitione; vt exhibetur dum vnus alteri assurgit, & caput ei aperit, præterquàm Prætori,& similibus. Resalutare autem excommunicatos, vel etiam in necessitate rescribere non prohibetur, quia hoc est debitum soluere, quod etiam Ethnicis & inimicis debetur. Salutationes igitur excõmunicato negãtur. Vnde hic, *neque à quoquã benedicatur transeunte.* Rursum per negationem cõmunionis principaliter significatur summæ excommunicationis effectus, qui est priuatio communicationis in sacris, vtique in mediis ad vitam animæ opportunis, qualia sunt Sacramenta & suffragia. Maior enim excõmunicatio est priuatio fructuum spiritualium bonorum. Est etiam priuatio cooperationis circa contractus & circa officia sodalitatis, atque etiam circa turpia negotia. Est enim priuatio cohabitationis in eadem domo & cubiculo respectu eiusdem lecti, vel mensæ, non autem respectu diuersorũ. Vnde hic, *solus sit ad opus sibi iniunctum.* Demum per mensæ negationem significatur priuatio comedendi in eadem mensa, atque in eodem conuiuio, quoties id habuerit speciem communionis cum excommunicato. Quæ omnia latè habentur apud quoscumq; Sũmistas verb. excommunicatio; apud quos proloquium est, excommunicationem maiorem esse Ecclesiasticarum pœnarum grauissimam & durissimam, quia priuat mediis ad vitam animæ opportunis. Vnde hic terribilis sententia nominatur.

Ex his tamen graue emergit dubium apud Doctores Scholasticos & D.Thomam, an liceat spiritualibus Patribus fideles suos excommunicare filios? Pro parte negatiua argumentatur 1. D.Tho. ex eo quod ad Rom. 12. prohibemur maledicere. Ergo multo magis excommunicare, siquidem excõmunicatio peior omni maledictione est. Denique in Canonica Iudæ dicitur quod Michaël non fuit ausus maledicere diabolo: dicitur enim ibi quod nõ fuit ausus inferre iudiciũ blasphemiæ. Ergo multo minus debet homo hominẽ excõmunicare, nedum pater spiritualis Monachum. Demum, quia hoc est odio habere hominem: siquidem est velle malum illi,& quidem maximum, quandoquidem excommunicatio maxima est inter Ecclesiasticas pœnas. Quare si propheticè inclamatum est; *Væ soli, quia cùm ceciderit non habet subleuantem*: consequens est, vt maximè inclamandum sit pro omni excommunicato, vtpote humanitus diuinitusque solo. 3. *Schol. in 4. dist. 18. D.Tho. ibi q. 2. art. 1.*

Nihilominus licet verum sit diram & acerbam esse maioris excommunicationis censuram: siquidem (vt D.Thom. adnotat) sicut quia Ecclesia per baptismũ omni baptizato dat duo, scilicet cœtum fidelium, & participationem 4. *D. Tho. vbi supra q. 1.*

tionem Sacramentorum, ſic per excommunicationem maiorem duo hæc ab excommunicato remouet, & vtroque priuat. Vnde Tertull. Summum futuri iudicij præiudicium eſt, ſiquis ita deliquerit, vt à communione orationis & conuentus, & omnis ſancti commercij relegetur. Priuat enim excommunicatio maior omni ſpirituali ſuffragio, confluxuque quo membra Eccleſiæ poſſunt ſe inuicem iuuare, vt Gregorius magnus, & ex illo Theologi citati perpẽdunt. Vnde Auguſt. Nihil ita formidandum Chriſtiano, vt à corpore Chriſti ſeparari. Igitur licet verum ſit acerbiſſimam cenſuram iſtam eſſe, negari tamen nõ poteſt quin ſit vtiliſſima, vt ex Ambroſio, Gregorio, & aliis Theologi & Canoniſtæ oſtendunt. Et oſtendi poteſt ex eo quod (vt habetur cap. 1. de ſentẽtia excommunicationis) pœna hæc medicinalis eſt, quæ ad maius ordinatur bonum: non ſecus atque illa 1. Corint. 5. *Tradidi huiuſmodi hominem Satanæ in interitũ carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini.* Exemploque nobis eſſe poteſt Theodoſius Imperator, de quo (in cap. Cùm ad Theſſalonicã 11. q. 5.) cùm dicatur excõmunicatũ fuiſſe à Beato Ambroſio, illico refertur ad meliorem frugem ſe recepiſſe. Vnde Origenes circa excommunicatum. De Eccleſia per Sacerdotem pellitur, vt notatus ab omnibus, erubeſcat, & ſpiritus eius ſaluus fiat in die Domini.

Tertull. in Apolog c. 39.

Greg. mag 2. dial. c 23. Aug. tract. 2. in Ioan.

Amb 3. offic. cap. 27. Greg 4. dial cap. 55. Theologi vbi ſuprà. Canoniſtæ 11. q. 3. cap. Auli denique & 24. q. 3. c. Reſecandæ.

Orig. hom. ſup. lib. Iudicum.

5.

Ipſe etiam D. Th. huiuſmodi cenſuræ conuenientiam explicat per hoc, quod etiam Deus cum maximis peccatoribus procedit acriter caſtigando illos, & auxilia interdum ſubtrahendo: illud quidẽ vt confundãtur, hoc verò vt humilientur. Et per hoc ſatisfacit argumento primo: quia ſic excommunicare nõ tam eſt maledicere quàm benedicere, vtpote ad bonum excommunicati relatum. Mali enim pœnæ precatio ordinata ad bonum patientis bona ſimpliciter eſt. Ad ſecundum autem reſpondet in 4. ad Anibaldum art. 1. non eſſe ſimile de Michaële, quia diabolus incorrigibilis eſt, non verò homo. Quaſi diceret; ratio propter quã Michaël non fuit auſus inferre iudiciũ blaſphemiæ, id eſt, maledictionis contra diabolũ, ea eſt, quia maledictio illa nõ poterat deſtinari in bonũ ipſius diaboli, quia incorrigibilis eſt: quod tamẽ nõ contingit in homine. Ad tertium reſpondet cum Auguſtino, quod ſeparatio nõ præſcindit dilectionem, vt patet ex illo 2. ad Theſſ. 3. *Siquis non obedit verbo veſtro, nolite commiſceri cum eo. ſed corripite vt fratrem.* Cõſtat etiam ex illo quod habetur 24. q. 8. cap. Legi, ex Hierony. Punire crimina non eſt crudelitas, ſed pietas. Ratio huius eſt, quoniam (vt Bernardus inquit) puniuntur hic, vt acriùs alibi non puniantur. Dato item quod odium eſſet fideles excõmunicare, certè tale odium illud omnino eſſe de quo pſal. 118. *Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* Quo etiam proſequitur, qui vt opus eſt corrigit & flagellat, & in cõfuſionem delinquentes adducit: ſcriptum quippe eſt; *Eſt confuſio adducẽs gloriam.* & in pſal. *Imple*

Aug. tom. 8. in pſal. 54. & 100.

Bern. Ser. 23. in Cant.

D. Tho. vbi ſup.

Eccli 4.

facies eorũ ignominia, & quærẽt nomẽ tuum Domine. & iterũ: *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.*

6. Respõdere fortè ad hæc omnia aliquis posset, quod cùm D. Pater in tota hac excõmunicationis materia non liquidò expresserit potiores excõmunicationis effectus, vtique priuationem Sacramentorum atque suffragiorũ Ecclesiæ, nec vlus omnino fuerit verbo excommunicationis maioris, non tam de Ecclesiastica, quàm de monastica excõmunicatione egit. Sed hoc solidum satis non est.

7. Vt autem rem omnem expendamus, explicandum est, quid D. Pater intellexerit per illam quam dixit terribilem Apostoli sententiam, vtique traditum huiusmodi hominem Sathanæ in interitũ carnis, de qua 1. Corint. 5. Eatenus enim dicitur excommunicatum tradi Sathanæ, quatenus licet dæmon potestatem habeat in hominem mortaliter lapsum, specialiter tamen triumphat de eo, quamdiu suffragiis Ecclesiæ destitutus est. Tũc enim nõ est qui eripiat. Vnde August. ait. Omnis Christianus qui à Sacerdote excõmunicatur, Sathanæ traditur, quia extra Ecclesiã diabolus est, sicut in Ecclesia Christus. Ista autẽ Sathanæ traditio tempore Apostolorum visibiliter fieri cœpit, hoc est, corporaliter; sicut eodem tempore per Sacramentum Confirmationis Spiritus sanctus conferebatur, prout habet & probat ex Scripturà Hẽrriquez in Summa. Inde autem (vt placuit Polydoro Virgilio) excõmunicandi forma & phrasis desumpta est. Eo vel maximè quod iuxta Antherum, eiectus ab Ecclesia rabido dæmonũ ore discerpitur. Quod vtique intelligendũ venit nõ corporaliter, quasi dæmon corporaliter vexet dilaceretque nunc, sicut Apostolorum tempore excommunicatos, sed spiritualiter & inuisibiliter, per hoc quod maximè principatur eis dum non est qui eripiat.

August. Ser. 68. de verb. Apost. relatus 11. *q.* 3. *cap. Omnis Christianus.*

Henrriq. lib. 13. de excom. cap. 3 n. 3. Polyd. lib. 4. de invent. rerum cap. 12. Anther. ep. ad omnes fideles.

De his qui sine iussione Abbatis iunguntur excommunicatis.

CAPVT XXVI.

SI quis frater præsumpserit sine iussione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.

1. SI *quis frater*, &c. Conclusio est, quod qui sine iussione Abbatis excõmunicatos fratres non vitauerit, similem sortiatur excommunicationis vindictam. Quod sanè decretũ dirum rigidúmque apparet, cùm iuxta Ecclesiastica iura, qui iunguntur excommunicatis anathemate palam percussis, colloquia cum illis miscendo, minori tantùm excommunicatione

catione feriantur. Quę licet grauior sit illa, quam pro leuioribus culpis D. Pater imponit cap. 24: longè tamen leuior est illa quæ maior dicitur, de qua præcedenti capite; minor enim excommunicatio Ecclesiastica quę ob participationem cum excommunicatis incurritur, tãtùm priuat participatione passiua Sacramentorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, quantum ad electionem passiuam, non verò administratione, & electione actiua; neque communibus Ecclesiæ suffragiis: imò neque vlla iurisdictione Ecclesiastica communioneve in sacris, aut etiam profanis cum fidelibus. Quapropter tali excommunicatione innodatus diuinis potest interesse officiis, imò & Sacramenta ministrare absque irregularitatis discrimine; prout ex Greg. IX. c. Apostolicæ, de clerico excõmunicato. tit. 27. in Decretal. habẽt Iurisperiti, & Theologi in 4. & Summistæ in verb. excommunicatio minor. Et adhuc non propter cõmunicationem cum quolibet excommunicato excõmunicatione maiori, incurritur excommunicatio minor, sed tantùm propter communicationem cum illo qui vel est nominaliter excommunicatus, vel manifestus percussor clerici, ita vt nulla possit tergiuersatione celari, iuxta decreta Conc. Basileensis sess. 20. in Extrauag. quę incipit; *Ad euitãda scãdala.* & Cõcilij Constãtiensis, de quo D. Anton. Caiet. Victoria, & alij apud pium paritérque doctissimum P. Franciscum Suarez. Si igitur tam piè mater Ecclesia, cur nõ mater religio? Numquíd ista seuerior illa, crudeliorve in filios?

Iurisp. tit. 27. c. Apostolicæ in Decretal. Theologi in 4. d. 18.

Antonin. 3. p. tit. 25. c. 3. in tract. de cens. c. 83. & in tract. de excõmunic. c. 79. Caietanus in Summa. Suarez tomo 5. in 3. p. disp. de excom. mi. vari sect. 2.

Nec valet dicere cũ illustrissimo & eruditissimo Cardinale Turrecremata hic, esse peccatũ mortale contra manifestã Superioris prohibitionẽ, communicare cum excommunicato: quia qui sic communicat, peccat, tum in se, dum non cauet ab eo qui morbi contagio laborat; tum in ipsum excõmunicatum cui communicat, quia sic eius confusionẽ diminuit, vel omnino aufert, quę tamen poterat illum corrigere: tum in Ecclesiã, seu Monasterij congregationem, quã malus suo exemplo scandalizat: ac demum in Patrem spiritualẽ Monasterij, cuius sententiam cõtemnit. Non inquam valet hoc: tum quia licet excõmunicato cõmunicare interdum mortale sit, vtiq; quando communicatio est in sacris; cæterùm quando in humanis, non ita, aut saltem non semper ita, imò sæpe incurritur ob venialia, adeò vt statuerint Nauarrus & Toletus, simplicem Sacerdotem, hoc est, illum qui non sit parochus, neque expositus ab Ordinario ad confessiones audiendas; posse absoluere ab excommunicatione minori. Potissimum fundamentum illorũ est, quod talis Sacerdos potest à peccato veniali absoluere. Vnde quando propter veniale incurritur excommunicatio minor, poterit etiam à simplici Sacerdote absolui. De quo etiam videre licet Henrriquez. Tũ quia licet omnis communicatio prohibita cum excõmunicato mortalis esset, nõ propterea sequeretur, dignã fieri excõmunicatione ma-

Nauarr. in c. Placuit. de pœnitentia. dist. 6. n. 16. & in Sũma. c. 27. n. 35 & 39. Toletus in Summa. Henrriquez lib. 13. cap. 3. n. 4.

maiori, quoniam ad incursionem huius præter peccatum veniale opus est contumacia & inobedientia. Quæ autem contumacia (rogo) intercedit in eo quod est quolibet modo Monachum se iungere excommunicato, aut cum eo loqui, vel mandatum ei dirigere? Quæ sanè sunt formalissima huius capitis nostri verba.

3. *Leo ep. 89. ad Episcopos prouinciæ Vienn. refert 11. q. 9. cap. Nullus. & c. Nemo. Canonistæ ibid Theologi in 4. d. 18.*

Pro intelligentia difficultatis notandum cum Leone Papa, cui subscribunt omnes Canonici iuris peritissimi, Theologi, & Summistæ verb. excommunicatio maior, quod maior excommunicatio non incurritur, sed neque verè & realiter potest incurri, nisi ob peccatum mortale. Vnde vel ipsæ sacræ literæ cùm allusionem ad excommunicationis anathema faciunt, vt Matth. 18. & 1. Cor. 5. lethalem animæ mortem supponunt. Ibi enim dicitur de fratre excommunicato; *Si te audierit lucratus es fratrem tuum.* Per hoc enim indicitur quod peccato mortali perierat. Hic autem dicitur; *Tradidi huiusmodi hominem Sathanæ, vt discat non blasphemare.* Blasphemia autem adeò rigidè seueréque punita non potuit non esse mortalis. Præterquàm quod cùm excommunicatio maior sit grauissima censura Ecclesiæ, non potest nisi pro grauioribus incurri causis. Sed de his plara Couarruuias, Nauarrus, & Henrriquez In qua etiam doctrina ipse noster legifer est statuens cap. 24. à principio secundum modum culpæ, excommunicationis debere extendi mensuram, adeò vt pro leuioribus leue quoddam excommunicationis genus infligatur. De quo plura nos ibi. Ex hoc enim sequitur, quod quia quomodolibet excommunicato fratri se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, graue peccatum non sit; quod adhuc ex sententia ipsius sanctissimi Patris non sit excommunicationis maioris causa sufficiens. Et proinde quod nullus in eam incidat, sed neque possit incidere ob tam leues noxas. Neque Cardinalis Turrecremata argumenta oppositum conuincunt; quoniam omnia illa procedunt præcisè contra communicantem in sacris. Communicationes enim in aliis mortales non sunt, nisi aliquid aliud superaddatur eis.

Couarr. 1. p. c. 9. & 10. Nauar c. 27. n. 9. Henrriq. lib. 13. c. 17.

4. His positis, dico primò, doctrinam huius capitis intelligendam esse, non quidem præcisè de his qui fratri excommunicato quolibet modo se iũgunt, aut cùm eo loquuntur. vel mandatum ei dirigunt, sed de illis qui ex præsumptione id faciunt: ait enim textus; *Si quis frater præsumpserit sine iussione Abbatis fratri excommunicato quomodolibet se iungere.* Præsumere autem rigidè & prout in iure sumptum, idem est quod superbè, violenter, aut cum despectu sumere & audere. Vnde Tertullianus. Præsumptio inuerecundiæ portio est, inflat petitorem, despicit datorem. & alibi. Qui præsumit, minus veretur, minus præcauet, plus periclitatur. Quare præsumptiones indebitæ adeò perperam in iure audiunt, vt aliquæ dicantur diabolicæ. 22. q. 1. cap. De viro; aliæ sacrilegæ. 12. quæst. 2. cap. Prædia; aliæ cõspirato

Tertul. lib. de pœnitentia.

Idem de cultu fœminarum.

ratoriæ. 11. q. 1. cap. Si qui. aliæ perniciosæ. 54. cap. Generalis. aliæ ambitiosæ. 7. q. 1. cap. Pontifices. Illæ autem quæ huius generis sunt, appellantur blasphemæ, iuxta illud Damasi Papæ relatum 25. quæst. 1. cap. Violatores. vbi sic habetur. Violatores voluntarij canonum grauiter à Sanctis Patribus iudicantur, & à sancto Spiritu damnantur, cuius instinctu ac dono dictatæ sunt, quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongruè videntur, qui contra eosdem libēter aliquid aut proteruè agūt, aut loqui præsumunt. Talis enim præsumptio vnū genus blasphemantium Spiritum sanctum est. Constat autem violatores sacrorum canonum esse, qui communionem cum excommunicato sacris canonibus interdictam non quomodolibet aggrediūtur, sed præsumptuosè. Quare qui inobediens & contumax in hoc repertus fuisset, non dubium quin posset maiori excommunicatione mulctari. Graue siquidem & scandalis expositum est huiusmodi canonibus reluctari, & renuente Præsule communionem cum excommunicato exercere, aliàs minimè.

5. Dicò secundò, quod si ly *præsumpserit* (de quo hic) non ita rigidè malignéque intelligendum est, sed potiùs in eo sensu accipiendum, quo omnis qui peccat, dicitur quod præsumit legē diuinam transgredi; tunc sensus conclusionis huius capitis est, quod cum excommunicato participans vel communicans sortitur quidem similem, at non eamdem excōmunicationis sententiam. Similitudō enim non æqualitatem inter similia, sed (vt ita dixerim) aliqualitatem importat. Vnde proloquium est; Similitudo non tenet in omnibus: quoniam aliàs similitudo non esset, sed identitas. Incurrit autem similem excommunicationem, qui scienter excommunicato communicat; quia incurrit excommunicationem minorem, quæ maiori assimilatur, tam in nomine (quia vtraque est censura Ecclesiastica, & verè Ecclesiæ excommunicatio, qualis non est illa de qua cap. 24.) quàm in re, quia vtraque priuat receptione passiua Sacramentorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum.

6. Tertiò, possemus dicere quod D. Pater nomine huius excommunicationis non intellexit illam quæ grauior Ecclesiæ censura est, sed aliam, quæ mitior & monastica. Sed (vt ad calcem præcedentis capitis dixi) solidum hoc non est, saltem quia verbum illud ex cap. 25. *Solus sit ad opus sibi iniunctum persistens in pœnitentiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam, tradituum huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis*, non potest aliam quàm maiorem censuram Ecclesiæ, & excommunicationē respicere. Cætera enim assiduum pœnitentiæ luctum, terribilémque sententiam Apostoli non merentur; vtpote quæ nec mortalem culpam, nec priuationem spiritualium bonorum ex fratrum suffragiis important. Maximè cùm nihil regulæ obliget sub mortali præter essentialia vota. Quæ igitur

vio

violatio ſanctionis non loquendi cum excommunicato excommunicatione, non quidem Eccleſiaſtica, ſed (vt ſic dixerim) monaſtica, ad aſſiduum pœnitentiæ luctum poterit obligare, terribilémque Pauli ſententiam pertimeſcere? Hęc enim ob mortalia duntaxat crimina timenda eſt, & terribilitas eius in terribilitate maioris excommunicationis conſiſtit.

Qualiter debeat Abbas ſolicitus eſſe circa excommunicatos.

CAPVT XXVII.

OMNI ſolicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres, quia non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Et ideo vti debet omni modo vt ſapiens medicus, immittere quaſi occultos conſolatores ſenipetas, id eſt, ſeniores ſapientes fratres, qui quaſi ſecretè conſolentur fratrem fluctuantem, & prouocent eum ad humilitatis ſatisfactionem; & conſolentur eum, ne abundantiori triſtitia abſorbeatur, ſed, ſicut ait Apoſtolus, confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet ſolicitudinem gerere Abbas, & omni ſagacitate & induſtria curare, ne aliquam de ouibus ſibi creditis perdat. Nouerit enim ſe infirmarum curam ſuſcepiſſe animarum, non ſuper ſanas tyrannidem. Et metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: Quod craſſum videbatis, aſſumebatis, & quod debile erat, proiiciebatis. Et paſtoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abiit vnam ouem quæ errauerat, quærere. Cuius infirmitati intantum compaſſus eſt, vt eam in ſacris humeris ſuis dignaretur imponere, & ſic reportare ad gregem.

1. Matt. 12. 19. OMNI *ſolicitudine*, &c. Cùm Abbas in Monaſterio Chriſti gerat vices, opus illi eſt Spiritum Chriſti æmulari, de quo (vt ipſe dixit) ſcripſit Eſaias Propheta: *Non contendet, neque clamabit, arundinem quaſſatam non confringet, & lignum fumigans non extinguet.* Hoc eſt, non erit contentioſus, nec Eſaiæ 42. 2.

nec clamosus, quod est propriũ furentium, sed mitis adeò ac lenis, vt comminutum calamum, (quẽ quilibet homo præ rei cõtemptu abiiceret,) non solùm nõ confringat, sed potiùs roboret, linúmque fumigans, hoc est, ellychnium, vulgò *mecha*, non iam lucẽs, sed leuiter ardẽs, ac proinde fumigans, ipse nõ solùm non prorsus extinguat, verùm foueat excitétque adeò, vt illud ad primæuam flammam reducat, ita vt clarè ardeat. Sensus est, Christũ Dominum adeò placidũ mitémque futurum fuisse & frugiferũ, vt infirmos in fide aut charitate, aliove virtutis genere ægros, nõ solùm nõ abiiceret, clamoribusve terreret, sed foueret potiùs, gratiáq; plenè sanaret, virtutúmque in eis lumen & splendorem accenderet. Ita Cyrillus, Hieron. & Procop. quibus fauet Hilarius.

Cyrill. Hier. Procop. super Esaiæ 4. Hilar. sup. Matth. 12.

Et licet doctrina hæc vniuersos etiam respiciat Prælatos, vtpote vicarios Christi eius loco suffectos, monachales tamẽ concernit potissimùm; vtpote quod, vt D. Hier. habet, per calamum quassatũ subintelligere oportet instrumẽntũ musicum, quale est fistula, organum & similia: quia instrumentum musicum quãdiu integrum & illæsum canorũ est, post verò hiulcum sonũ reddit. Vnde Monachi instrumẽta Spiritus sancti cùm sint, prout Nazianzenus dixit, adducẽs ad hoc illud psal. *Os meum aperui, & attraxi spiritum*, vtiq; ad personandum Deo modulandúmque illi diuinis numeris atque canticis. Per quod qui sic Deo psallunt, dicũtur cithara Dei, quam Deus ipse pulsat. Vnde in psal. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et: *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo.* Monachi igitur organũ Spiritus sancti cùm sint, iure illorum Prælatis iniungitur ne calamum quassatum confringant, hoc est, excommunicatum, grauitérve perculsum Monachum non abiiciãt, sed excitare potiùs reficeréque conentur, medio consolationis inuamine.

Nazianz. orat. 8. Psal. 118.

Apoc. 15. 2.

Hieron. ep. ad Algasiam.

3. Linum item fumigans, cùm sit linum, non quidem lucens, sed ob leues quasdam scintillas leuiter aut pressè fixas in eo, fumum strangulatoriũ quod fauces premit, emittẽs, verè improbi excommunicatíque Monachi symbolum est. Is enim cùm lucere deberet, ad vniuersorũ exẽplum, obscurè tamen ardet in perniciem & scandalum multorum, grauem de se odorem pestilentémque malę famę fœtorẽ emittens. Igitur quia Monachi improbi sunt linum fumigans, ideo Prælatis illorũ incũbit munus excitandi & fouẽdi eos, vt simul ardeant & luceãt, ad melioremq; se frugẽ conuertant. Vnde isti ægris, illi verò medicis cõparantur, cùm in textu dicitur; *Non est opus valẽtibus medicus, sed malè habentibus*: quia medicorũ est, nõ quidem planè mortuis, sed moribundis tantùm salutẽ procurare.

4. *Et ideo vti debet*, &c. Cùm Prælatus sit (vt habet Clem. Rom.) verè pietatis Magister, & noster post Deum Pater, quinimò (ait idẽ) & terrenus Deus post Deũ, oportet vt quomodo Deus totius consolationis est Deus, sic Prælatus totius nostræ consolationis sit princeps: & proinde

Clem. Rom. lib. 2. constit. Apostolic. 60.

quod ad illum pertineat subditos excommunicationis maioris mœrore iacentes, consolationibus erigere, fouere ac reparare. Verbi enim cõsolatio (ait Chrysost.) confert grandem salutem compungendo, corrigẽdo, & ad sanitatem perfectam perducẽdo. Vnde hic Pater mitissimus consolationem illorum qui excommunicationi succũbunt, maximè cõmendat Abbati. Maximè cùm scriptum sit; *Cùm sederẽ quasi Rex circumstante exercitu, eram mœrẽtium consolator.* Circa quod Gregor. Bonis rectoribus mixta esse debet regendi authoritas, & cõsolãdi benignitas. Hinc est quod semiuiuo vulnerato illi Luc. 10. Samaritanus vinum adhibuit, & oleum, vt per vinum mederẽtur vulnera, per oleum autem fouerentur. Miscẽda ergo est lenitas cum seueritate. Vnde in arca Tabernaculi virga simul & manna erant; & Dauid psal. 22. Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.

Chrys. to. 2. homil. 18. ex variis.

Iob. 29.

Greg. 20. moral. c. 8.

5. Quia verò consolationis verbum oportet esse eximium: non enim ad consolationem afflicti quodlibet prodest verbum, Ambrosio dicente. Cauere nos conuenit, vt cùm venerimus ad consolandum, non facilè, nõ perfunctoriè loquamur. Septem diebus tacuit Iob, tacuerunt amici, nec loquuti essent, nisi Iob dolore prorupisset in vocem. Quærendum est enim vnde incipias, ne in ipso sermone offendat cõsolatio tua. Etiã taciturnitas ipsa medicina est, & velox in sermonibus vox magis vulnerat. Idcirco Esaias in persona Christi dixit: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lapsus est, verbo.* Vtique ne præmœrore concidat & deficiat, sed corroboretur potiùs & consistat in gradu, quod propriũ consolationis est opus, & verbi consolatorij opportunè prolati. Quare Hebræa inibi habent, *vt sciam quando oporteat loqui verbũ.* Magnum enim in hoc ad consolationem momentũ est. Item Act. 15. legimus de Iuda & Sylla; *Et ipsi cùm essent prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres & cõfirmauerunt.* Vbi apprimè notandũ est ly *verbo plurimo*, quod significat verbi præstantiã non in quãtitate & multitudine, sed in qualitate dignitatéque sententiarũ. Cõsolatoria enim verba eatenus efficacia sunt, quatenus cordata & prudentia. Ideo sanctissimus Pater non tãtùm prouidere studuit de cõsolatoribus, verùm senioribus & sapientibus, quorum est prudenter opportunéq; omnia gerere, & proinde aptè mœrentes consolari, atque adeò cautè & tectè (quod hic palàm iniungitur) ne videantur id facere de præcepto Abbatis, sed proprio dumtaxat motu, proprióq; marte & officio, tãquam dolore cõmoti super fratris mala. Si enim præsumerentur immissi de præcepto Abbatis, tunc admonitio illorũm, item & consolatio minoris fieret, vtpote non de charitate, sed de potestate profectæ. Cùm tamen vt in charitate confirmentur (quod hic ex Apost. 2. Cor. 2. 8. D. Pater intẽdit) opus sit concipere, consolationẽ procedere ex metæ charitatis affectu. Vnde D. Tho. explicãs Pauli verbum quod habet; *Consolamini eum*

Act. 15. 32.

Amb. in ps. 37. n. 11.

Esaiæ 50 4.

D Tho ad id Pauli.

eum qui huiusmodi est, vt confirmetis in illum charitatem, ita nomine Pauli inquit. Hoc fit si ostenditis charitatẽ vestram ad eum, & nõ abominamini eum propter peccata, nec cõtemnitis: sed propter consolationẽ vestram facitis cũ odio habere peccatum suum, & diligere iustitiam. Luc. 22. Et tu conuersus cõfirma fratres tuos.

6. *Oretur pro eo ab omnibus*, &c. Hîc labor, hîc opus est, nã si prohibitum est dicere excõmunicatis valete, bonave illis transmittere, quomodo orare pro illis licitum erit? Itẽ si dicere illis auete, bonave eis transmittere, est communicare cum illis minorísque proinde excõmunicationis sententiam subire, vt patet ex supradictis præcedẽti capite: quid pro eis orare, maximè si oratur ab omnibus? At non est cur nos ista moueant, cùm de sententia omniũ possimus oratione priuata pro excommunicatis orare, & de sententia aliquorũ quodammodo etiã oratione publica. Pro quo in primis sciendum, quod sicut persona publica dicitur, nõ quidem illa quæ multis aut omnibus patet, & nõ in angulo domus, sed in prospectu platearum est, sed quæ publicum ministeriũ Reipublicæ in persona Reipublicæ exercet, sub certis & statutis legibus eiusdem Reipublicæ, siue compareat, siue non compareat; priuata autem persona dicitur, quæ vel tale ministerium nõ habet, vel si habet, nõ ideo semper agit secundum potestatẽ illius, & in persona Reipublicæ, sed secundum quod homo talis, vel talis est. Quare vna & eadem potest respectu diuersorum esse publica & priuata persona, primum ratione officij, secundũ ratione subiecti. Sic oratio publica dicitur, non quidẽ illa quæ fit coram omni populo, qualis est illa quæ fit à fidelibus patibulãdis, & iam iam iugulandis, sed quæ fit à ministris Ecclesiæ in persona Ecclesiæ, eisdem orationibus, quas vel ipsa Ecclesia decreuit, vel approbauit, vt eius nomine promerentur, quales in Breuiario, in Missali, in Põtificali, in Manuali, in Ceremoniali, & similib. libris continẽtur. Priuata autẽ dicitur, non quidẽ illa quæ sine teste fit, & in angulo aut laterib. domus, sed quæ fit à priuatis personis, hoc est, non à ministris Ecclesiæ & fidelis populi destinatis ad orandum Deum, quales sunt laici merè laici, vel quæ fit à ministris Ecclesiæ, non tamen in persona Ecclesiæ, sed suo priuato nomine, intentione & virtute, siue tũc fiat speciali oratione, quã Ecclesia neq; instituit, neque approbauit, siue quã probauit, aut instituit, & qua frequenter vti solet ad orandum Deum.

7. His positis, cõmunis sententia fert, licitum esse omnibus orare oratione priuata pro qualicũque excommunicato, etiã non tolerato, vt videre licet apud D. Thomam, Durandum, Paludanũ, Gabrielem, Richardũ, Couarruuiã, & Magistrum Soto. Ratio huius est, quod licet Ecclesia possit priuare excommunicatum priuatis orationibus fidelium, non tamẽ reperitur textus, in quo hactenus id prohibuerit. Maximè quod oratio ista potest fieri per actus merè internos & prorsus mẽtales; circa quos Ecclesia iurisdi-

D. Tho. in 4. d. 18. Durand. in 4. d. 18. q. 3. Palud. ibid. q. 1. art 1. Gabr. ibid. q. 2 dub. 1. Richar. art. 7. q. 2. Couarr. in c. Alma mat. p. 1 §. 6. n. 4. concl. 6. Soto d. 22. q. 1. art. 1.

ctionem aliquam non exercet. Item quia id consentaneum est Ecclesiasticæ pietati. Ac demum, quia hoc modo etiã pro Ethnicis & Paganis, atq; adeò pro omnibus infidelibus licet orare. Aliquorum item sentẽtia est, quod etiam oratione communi potest vel ipse Sacerdos in persona Ecclesiæ orare pro excõmunicatis etiã non toleratis, dummodo id faciat generaliter, & non in particulari excõmunicatum aliquẽ exprimendo. Ita Siluester, Angelus, Armilla, Couarruuias, & Nauarrus, quinimò & D. Tho. Ratio autem est, quia licet Sacerdos ministerium publicum exerceat, quale est ministeriũ Missæ; non propterea desinit esse persona priuata, nec tenetur toto illo tẽpore ita gerere munus publicũ, vt non possit tanquã priuata persona operari aliquid in beneficiũ proximi excõmunicati. Vt igitur persona publica nõ exuit omnimodam rationem personæ priuatæ, sed aliquando simul & semel vnam & alterã sustinet, v.g. dum aliquod lethale iudicium contra sontes exercet, intẽtio & exercitium sunt ab eo vt à persona publica, cõpassio autem quam erga illos habet, est ab eo vt à persona priuata: sic Sacerdos in officio Missæ vtramq; potest simul & semel personã sustinere, & secundum quod priuatã sustinet orare pro excõmunicãtis, vt pro Ethnicis, infidelib. omnibus atque paganis. Tũc enim in persona propria, & non in persona Ecclesiæ, & vt fidelis priuatus, nõ autem vt minister publicus, imò neq; vt minister orat. Et per hoc patet responsio ad argumẽtum.

Siluest verb excommunicatio. 1. §. 2. & verb. Missa 1 q. 8. Angel. verb. Missa. n. 51. Armil. verb. excommunicatio. n. 4. Couarr. vbi suprà. D. Tho. vbi suprà q. 2. a. 1. ad 1.

Præsertim quod orare pro aliquo, non est orare cum illo, atq; adeò neque ei cõmunicare. Per quod tantùm participatur excommunicatio minor.

8. *Magnopere enim*, &c. Hic cura Prælato iniungitur erga omnes subditos, sed maximè erga morbidos: quia non solùm verum est id quod dixit Nazianz. Spiritalis omnis præfecturæ finis est, priuata vtilitate neglecta cõmodis aliorũ inseruire. Quod est illud Bern. Puritatẽ cordis in eo Prælatus habet, vt prodesse desideret, non præesse: vt scilicet proprium commodum, vel honorẽ seculi, seu aliud quidpiam suum in prælatione nõ quærat, præter solum beneplacitum Dei, & animarum salutẽ. Sed maximè quod Nicol. Pont. dicit, Si perniciosũ est proretam, (id est, rectorẽ nauis, à prora quæ anterior pars nauis est, ait Glossa) nauem in tranquillitate deserere, quãto magis in fluctibus? Vnde Greg. magnus ad Prælatos. Estote in custodia commissi gregis vigilantes atq; soliciti, & disciplinæ zelo districti, ne lupus insidians, nec ouile turbare Dominicum, nec nocere ouibus aliqua fraudis occasione pręualeat. Animarum lucrũ Deo nostro tota mentis intentione ferre festinate: nomẽ nos pastoris non ad quietẽ, sed ad laborẽ suscepisse cognoscite. Exhibeamus ergo in opere quod signamus in nomine. Elias item Cretensis Naziãzeni Scholiastes ad idem sic. Dominus peccatorum resipiscentiã vsque adeò expetit, vt etiamsi quispiam omnes alioqui virtutes collegerit, commissas autem sibi animas negligat, nihil

Nazianz. Apolog 1.

Bern. Ser. de tribus ord.

Nicolaus epistola Morinensi Episcop. relata 7. q. 1. c. 49. Scisciatis.

Greg. 4. Reg. epist. 8.

Elias Cretẽsis in orat. 1. Apolog. Nazianz.

nihil ex rectè gestis sit vtilitatis capturus, sed daturus pœnas ob neglectũ eorum quibus præerat. Et Bern. Si cui fortè Prælatus es, huic sine dubio teneris debitor solicitudinis amplioris. Exigit à te & ipse custodiã & disciplinam. Custodiam quidẽ, vt possit cauere peccatum; disciplinam verò, vt quod minus cauet, minimè maneat impunitũ. Et infrà. Meã & proximi conscientiã seruare necesse est, & clamatur; Custos quid de nocte? Custos quid de nocte? apud Esaiam. Nec est mihi dicere cũ Cain; Nũquid custos fratris mei sum ego? Excusabor tamen si debitã exhibuero custodiam & disciplinam. Et demum Paul: ipse: *Debemus nos firmiores infirmitates infirmorũ sustinere, & non nobis placere.* Hoc est, non nostris commodis inseruire subditorũ necessitate neglecta: hoc enim tyrannicũ, non verò pastoritium est; nam tyrannus est qui sibi, non suis prospicit.

Bern. Ser. de triplici Adventu.

Esaiæ 20.

Hac de causa Hieronymus explicans id Ezechielis; *Væ pastoribus Israël qui pascunt semetipsos*, ait hos verè esse qui deuorant plebem Dei vt escam panis, & qui quod est crassum, assumũt, & qui quod est fractum, non alligant, nec quod abiectũ, reducunt, nec quod periit, requirunt. Cuius tamen contrarium Christus fecit, & faciendum docuit parabola de oue perdita, quam suis reuexit in humeris, & ad caulam Domini reportauit pius Dominus (ait Augustinus) & verè multum pius pastor. Vnde Lucæ 25. subiicitur, quod ouem illam suscepit gaudens, nimirum ob illam nimiam charitatem suam qua dilexit nos. Propter quod mox vbi suprà Augustin. O charitas! ô pietas! Quis audiuit talia? Quis super tantæ misericordiæ viscera non obstupescat? Quis non miretur? Quis non collætetur propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos? Et prius cap. 8. ad idem. Hic est fidelissimus pastor, ille qui dudum errabundam per abrupta montium, per præcipitia vallium, multis vatiisque quæsierat laboribus, quique iam morienti, iam per longa exilia deficienti, tamen inuentæ gaudens se suppositit, & mero sibi annixu charitatis à profunda confessionis abysso leuauit, piisque adstrictam complexibus ad nonaginta nouem, vnam quæ perierat, reportauit. Exinde Bernardus ait quod ideo sponsa de Christo dixit; *Dilectus meus mihi.* Vtpote quod ille cui (iuxta verbum Pauli) non est cura de bobus, & proinde nec de equis, nec de camelis & similibus, cura vtique potissima, ille vtique curã habet Ecclesiæ suæ, & omnis animæ suæ, vtpote qui dilexit eam, & tradidit semetipsum pro ea, & quam vt errantem ouem ipse velut pastor quesiuit, & inuentam propriis dignatus est humeris reportare, vt tandem illam cælum vsque inferret. Cùm igitur Prælati omnes (prout in initio huius capitis dixi) Christi vicarij sint, oportet vt errabundos subditos, errantesve per aliqua prærupta vitiorum sedulò inquirant, & inuentos suo protinus in gradu reponant: referens vero Domino ouem, quam illi commisit (verba

Idem ibid.

Rom. 8.

August. vbi suprà cap. 8.

Bern. Ser. 68. in Cantica.

1. Corint. 9.

Ezech. 34. Hier. ibi.

August. lib. de lit. c. 15.

Augusst. vbi supra.

sunt Augustini vbi suprà) immunemque ab omni labe restituens hominem, quem saluandum suscepit, reconcilians suo plasmatori plasma, quod ab illo deuiauerat procul,& reformando gregi quod prædo violentus abegerat: ac tandem diuinis conspectibus reducens seruum, quem sua fecerat conscientia fugitiuum. Is enim est pastor bonus. Qui verò secus fecerit, animam ouis dyscolæ de manu eius Iudex iustus requiret. *Ezech. 3.*

De his qui sæpius correcti non emendauerint.

CAPVT XXVIII.

SI quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendauerit, acrior ei accedat correctio,id est,verberum vindicta in eum procedat. Quod si nec ita correxerit,aut fortè(quod absit)in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc faciat Abbas quod sapiens medicus. Si exhibuit fomenta, si vnguenta adhortationum, si medicamina diuinarum Scripturarum, si ad vltimum vstionem excommunicationis, vel plagas virgarum:& si viderit nihil suam prævalere industriam, adhibeat etiam quod maius est, suam & omnium fratrũm pro eo orationem, vt Dominus qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc iam vtatur Abbas ferro abscisionis, vt ait Apostolus. Auferte malum ex vobis. Et iterum: Infidelis si discedit, discedat, ne vna ouis morbida totum gregem contaminet.

1. SI *quis frequenter*, &c. Mirum valde quod verberum vindictam reputet Beatissimus Pater excommunicatione duriorem;cùm de sententia Augustini nihil ita formidãdũ sit Christiano, quàm à corpore Christi separari. De quibus nos plura satis cap. 25. Sed loquitur D. Pater secũdum æstimationem illius qui excommunicatus non resipiscit. Huic enim corporalis potiùs quàm spiritualis vindicta acrior est:vtpote qui spiritu hebes,corpore viuacissimus est. Exemplũ habemus in Christo,qui Lucæ 5. taxatus à quibusdam obtrectatoribus quod blasphemasset dicendo paralytico; *Remittuntur tibi peccata tua*,respondit; *Quid est facilius dicere,remittuntur tibi peccata tua, an dicere; surge & ambula*? Vbi supponens pro constanti

Aug. tract. 29. in Ioan.

Luc. 5. 24.

stanti difficilius esse erigere & consolidare paralyticum quàm iustificare, per id quod difficilius erat probauit sibi possibile esse quod facile. Quod autem intelligendum est ex sententia obtrectatorum, non autem ex meritis causæ: quoniam suapte natura longè superior est iustificatio impij, quàm corporis languentis sanatio. Dixit autem, *quid est facilius dicere*, vtique practicè: dicere enim practicum idé est quod dicendo efficere, more sacramentalium verborum. Hoc ergo sensu Beatissimus Pater inquit, quod excommunicatus pro aliqua culpa si non emendauerit, acrior ei accedat correctio, qualis est verberum & flagellorum.

2. Igitur, vt post Ecclesiasticas censuras iniicitur contra rebelles brachium seculare, tanquam quid durius illis qui excommunicationi non cedũt; sic vindicta hic verberum cõtra Monachum excõmunicationis rigorem non sentientem: argumentum sanè quod factus est sicut equus & mulus quibus non est intellectus, & proinde in chamo & fræno maxillas eius oportet cõstringere, vt sic approximet Deo: quia scriptum est; *Cùm occiderct eos quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Vtpote qui nisi malo coacti, flagrisque pecudum more contusi, benefacere nesciunt, duriùs autem vexati meliores fiunt. Vnde de illis Esaias; *Tantummodo vexatio dat intellectum.* & prius; *In angustia sua requisierunt te, & in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Vtique efficax & profi-

Psal. 67. 35.

Esaiæ 28. 19.

Esaiæ 26. 16.

cua. Igitur frater qui vel excommunicatus non resipuerit, acriori vindicta plectendus est, vt verberum contusionibus virus improbæ voluntatis exhauriatur. Vt enim inquit Cypr. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum suus manu parcenti contrectat: & in altis recessibus viscerum virus inclusum dum seruatur, exaggerat. Accedit enim ad cladis cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Notádum hic quàm grauiter de flagris legifer noster sentiat: cùm post excommunicationis censuram illa adhibenda præcipiat: innuens sanè per hoc sontium correctionem numquam à flagris incipiendam esse, sed multa alia primitus etiam acerba tentanda. Bene verum est quod loquitur de sæuioribus flagris, leuiora enim & quæ apud nos sunt in vsu, ad rem istam non pertinent.

Cypr. Ser. de lapsis.

Quod si nec ita correxerit. &c. 3. Extremum hic malum timetur, obstinatio vtique, & non tantùm impœnitens cor, verùm & adeò petulans, vt in verba malitiæ procedat non solum ad excusandas excusationes suas in peccãtis; verùm ad patrocinandum, & pugnandum pro eis, quod insolentiæ summum ac superbiæ est, & quasi desperationis extremum. Inquit enim Hieronymus epistola ad Sabinianum. Nihil ita repugnat Deo quàm impœnitens cor, solum crimen est quod veniam consequi non potest. Et lib. 5. cõment. in Esaiam. Nihil sic offendit Deum, quàm post peccatum erecta

Hier. epist. 48.

erecta ceruix. Et Augustinus in illud psal. *Non miseraris omnibus qui operantur iniquitatem*, ait. Est quædam iniquitas, quam qui operatur, non potest fieri vt misereatur ei Deus. Ipsa est defensio peccatorum. Quando quisque defendit peccata sua magnam iniquitatem operatur: defendit enim quod Deus odit. Item & Bernardus. Solum est cor durùm quod semetipsum nõ exhorret, quia nec sentit. Nemo duri cordis salutem vnquã adeptus est. Ratio esse potest, quod (vt vidit Seneca) qui peccare se nescit, corrigi non vult. Ille autem qui suum audet peccatum defendere, consequens est, vt intelligat se non peccasse, & proinde correctioni obnoxium non esse.

Psal 58.6. August.ibid. Ber. lib. 1.de consider. ad Eugenium.

Seneca ep. 28.

4.

Tunc Abbas faciat, &c. Præcipit hic D. Pater, vt meditetur Prælatus & secum cogiter, an debitæ correctionis lapidem aliquem intactum reliquit. Primus gradus correctionis est lenis ac mitis increpatio, de qua Paulus ad Galat. *Corripite in spiritu lenitatis.* & 2. ad Timoth. *Cum modestia corripite eos qui resistunt veritati.* Vnde Nazianzenus. Hanc rationem tene, vt fratrem corrigas, idque leniter & humanè, non vt hostis, neque vt durus & rigidus medicus. Et Ambrosius. Plus proficit amica correctio, quàm accusatio turbulenta; illa pudorem incutit, hæc indignationem mouet. Vnde idem. Qui studet humanæ infirmitatis emẽdare vitia, ipsam infirmitatem debet sustinere: nam pastor Euangelicus lapsam ouem vexisse, non abiecisse legitur: & Sa-

ad Galat. 6. 1.
2 ad Timot. 2.24.
Nazianz. orat. de moderatione disput.

Amb. lib. 8. in Luc c.17.
Idem lib. 1. de pœnit c.1.

lomon ait, noli iustus esse nimiùm. Debet enim iustitiam temperare moderatio. *Eccli.7.*

5.

Secundus item gradus correctionis est verbum Dei, quia *Lex Domini immaculata conuertens animas; testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis.* Et quia scriptum habemus; *A mandatis tuis intellexi propterea odiui omnem viam iniquitatis.* Item; *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Et rursum: *Cùm prophetia defecerit, dissipabitur populus.* & tandem: *Omnis Scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

Psal.18.8. Psalm. 118. 104.105. Prou. 29.18. 2.ad Timot. 3.16.

6.

Tertius gradus est excommunicationum adustio: quoniam vbi lenis correctio non prævalet, durior applicanda est, Scriptura dicente; *Curua ceruicem eius, & tunde latera, ne fortè induret.* Et Augustin. Vindica, coërce, ne dum parcis carni, pereat anima. Est enim (vt Greg. ait) piè sæuiens huiusmodi disciplina. Et alibi inducens illud Ezech. 13. contra prophetas aliquos; *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israël, vt staretis in prælio in die Domini*, ita inquit. Ex aduerso ascendere, est pro defensione gregis voce libera huius mundi potestatibus contraire: & in die Domini in prælio stare, est prauis decertantibus ex iustitiæ amore resistere. Ac demum Bernard. Prælati sunt qui descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis. Ascendunt vsque ad cœlos, descendunt vsque ad infernos: nunc

Eccli.30.12.

Aug in psal. 102.
Gregor. 20. mor.c.8.
Idem 2. p. past.adm. 8.
Ezech.13.

Ber. Serm de tribus ordinibus.

nunc quidem spiritualia tractantes, atque sublimia, nunc infernália & horribilia facta diiudicantes.

7. Vltimus debitæ correctionis gradus inflictio vulnerum & plagarum est. *Pestilenti enim flagellato* (dicitur Prou. 19.) *stultus sapientior erit.* Vnde Gregorius. Nonnulla sunt vehementer increpanda, vt cùm sibi quis malum quod perpetrauit, leuigat, hoc contra se grauiter ex corripientis asperitate pertimescat. Vnde ad Ezechielem dicitur: *Sume tibi laterem, & pones coram te, & scribes in eo ciuitatem Ierusalē, & ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem: & dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro. Et tu sumes tibi sartaginem ferreā, & pones eam murum ferreū inter te & ciuitatem.* In quo sanè grauissima vltio, & ciuitatis cōsternatio ob eius incorrigibilitatem innuitur. Quod si hæc cōtra ciuitatem illam, quid contra incorrigibilem Monachum? Plagis ergo virgarum, & quidem acerbissimis tundendus est.

Prou. 19.

Gregor. vbi supra c. 10.

Ezech. 4.

8. *Etiam si viderit*, &c. Hic remedium interpellatur diuinum, & quidem maximum, qualis oratio est, dicēte Chrysostomo. Magna arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus. Et quidem adeò magnus, vt explicans Origenes quomodo Moyse eleuāte manū in monte fœliciter Israël vincebat Amalech, dicat. Eleua & tu manus ad Deum, & tunc fiet quod scriptum est, quia sicut vitulus ablingit in campis herbam viridem, ita ablinget populus hic populum qui super terram est. Per quod (vt à maioribus accepimus) indicari dicitur, quia populus Dei non tam manu & armis, quàm voce & lingua pugnabat, id est, orationem fundens ad Deum inimicos prosternebat. Hæc enim est Christiani pugna superans inimicos. Quæ quasi mutuatus Chrysostomus ait. Stabat Moyses in monte non armis, sed precibus pugnaturus: stabat extensis manibus ad cælum, non de terra, sed de cælo auxilium postulabat. Pugnabat cum hostibus absens, cum externis sine bello decertans, vt quem loci diuersitas ab inimicis seiunxerat, orationis effectus bellatorem præsentem hostibus exhiberet. Occulta est pugna, sed manifesta victoria, latenter dimicat, vt euidenter deuincat: solus orat, vt multi saluentur. Si igitur orante vno saluantur omnes, cur diffitendum est, quod orantibus omnibus non saluetur vnus? Nam si vnus ille Moses, de quo scriptum est, quod fuit cum eo Dominus, omnes isti, religiosus cœtus Dei nomine addictus ad orandum eum, de quo Christus dixit; *Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ego sum*, vtique adiuuādo conatus eorum, ac voti compotes, prout par est, efficiendo, vt mediator inter Patrē & nos. Cuius gratia legifer noster dixit quod remedium hoc est maius, vtique inter omnia remedia, nimirum conuentualis oratio. Cuius iam Monachus iste capax est, vtpote ante verberum contusionem planè

Orig. hom. 11. in Exod. 17.

Chrys. tom. 1. Ser. de Moyse, qui est vnus ex variis.

Iosue 1. 5.

Matt. 18. 20.

absolutus : inp bis in idipsum puniretur. Etenim apud nos excõmunicationis huiusmodi absolutio acri verberum, licet non ferali tunsione confertur.

9. *Quod si nec isto modo*, &c. Supponit hic D. Pater illud ex psal. *Dissipati sunt, nec compuncti.* Tanta potest esse efferatis animæ obstinatio : & ideo talem Mõnachum præcipit à Monasterio repelli, & à cœtu monastico exterminari. Quod est illud Michææ ; *Ponam Samariam quasi acervum lapidum*, hoc est, abscindam, deiiciam à fundamentis, delebo, subuertamque Samariam, ita vt nihil eius supersit præter aceruos lapidum quibus compacta fuerat. Huius autem rationem attexẽs subdidit num. 9. *quia desperata est plaga eius.* Id est, quia instaurandæ plagæ illius nulla videtur spes relicta. Item est illud Ieremiæ ; *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, dedi dilectam meam in manum inimicorum eius.* Vtique ob ingentia & horrida illius crimina, prout habent Hieronymus & Theodoretus ibi, & ipse textus aperit, inquiens in persona Dei ; *Facta est mihi hæreditas mea quasi Leo in silua*, nimirum petulans, sæuiens, truculenta, & audax. Id autem ratio ipsa convincit. Nam si Lucæ 13. scriptum est ; *Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores* ; quid maleficum, proteruum, contumacem? Vnde crebrò Deut. 13. num. 5. 17. num. 7. 21. num. 8. 22. num. 21. & 44. præcipitur auferri malum de medio populi Dei. Vnde Paulus verè desumpsit testimonium quod hic inducitur ex

Psal. 36. 14.

Michæ 1. 6.

Ierem. 12. 7. & 10.

Luca 13. 27.

1. Corinth. 5. *Auferte malum ex vobis.* Quod explicans D. Thomas inquit sensum esse, auferte malum hominem, & de vestra societate elicite. 1. Cor. 5. 13. D. Thom. ibi lect 3.

10. Nihilominus ratio quam D. Pater impræsentiarum inducit, illa tantùm est, *ne totum gregem contaminet.* Scriptum quippe est ; *Cum peruerso peruerteris.* Psal. 17. 27. & apud Eccli. *Discede ab iniquis, & deficient mala abs te.* Eccli. 13. 1. & apud Paulum : *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* 1. Cor. 5. 11. Vnde Marci 9. *Si scandalizauerit te manus tua, abscinde illam, si pes tuus, amputa illum.* Marci 9. 42. Quod est illud Lucæ : *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem suam, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores ; adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Luca 14. 26. Et subiungitur apud Marcum vbi suprà. *Bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus ; vel duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis.*

11. Vnde Cyprianus. Ieremias Propheta sic hortatur cap. 4. Nolite serere in spinis. Circumcidite vos Deo vestro, circumcidite præputium cordis vestri. Abscindenda ergo sunt de agro nostro cũcta quæ pungere & lacerare consueuerunt, ne animus agricultoris in possessione sua malignis sentibus inseratur. Et amputanda sunt omnia à nobis, quæcumq; igniferi fomitis carnis fornax exæstuat, ne vel tenuis quidem scintilla seruata maiora conflet incendia. Quod Salomon manifestat dicens, à scintilla vna augetur ignis. His illa consonant quæ orthodoxi quidam

11. *Cypr. lib. de singularitate cler fol. 471.*

Ieremiæ 4.

Eccli. 11.

quidam in Epiſtola ad Agapetum Pontificem apud Baronium literis nunciauerunt dicentes. Scimus bene quod communicant anathemati in medio habentes anathema, ſicut oſtendit nobis antiqua Scriptura in Achã & Ionãthan, qui ſcienter & ignoranter inciderunt in anathema. Et rurſum ad Iuſtinianum Imperatorem eadem reſcripſerunt, alluſionem facientes ad pœnas quas ſumpſit Dominus de Iſraël propter peccatum Achan, Ioſue 7. Hac de cauſa Auguſtinus in ſua regula ſtatuit: Siquis emendatoriam ſubire vindictam recuſauerit, de veſtra ſocietate proiiciatur. Non enim hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat. Dubium tamen eſt

Baron. anno 536.

Virùm nunc Monaſteria habeant ius abiiciendi incorrigibiles Monachos?

12. PARTEM negatiuam tenet Cardinalis in Clementina; Ne in agro. §. quia verò, de ſtatu Monach. dicens, ob nullum crimen poſſe ir iure communi è Monaſterio nunc Monachum expelli, etiamſi contumax, procax atque incorrigibilis ſit, & prorſus emendationi reluctans. Idque probat in primis ex cap. Impudicas 24. quæſt. 1. vbi ex Concilio Triburienſi decernitur, impudicas Moniales ergaſtulis detrudẽdas eſſe. Et ex cap. Nec religioſi, de regularibus. vbi præcipitur fugitiuos, vel eiectos in obedientes Monachos requirendos eſſe, & in ſuis, vel ſui ordinis Monaſteriis recipiendos, vt pœnitentiam agant: & quod Abbates & Priores per cenſuram (ſi opus fuerit) Eccleſiaſticam ad illorũ receptionem compellantur. Et ratio fauere videtur: quia ſi propter aliquid iure incorrigibiles iſti tandem abiiciendi eſſent, maximè ne cæteros macularent, (iuxta ſuperiùs inducta.) At huic malo ſufficienter occurritur perpetuò illos incarcerando. Ergo non licebit huic neceſſitati ſubuenire illos expellendo. Et auget difficultatem, quod ſi Monaſterio conditi adeò ſcandaloſi inueniuntur, quid à Monaſterio eiecti? Ne igitur ampla eis licentia peccandi concedatur, non eiiciendi, ſed perpetuò incarcerandi ſunt.

13. Communis tamen ſententia ex aduerſo eſt, quam non ſolùm expoſitores huius almæ regulæ, & alterius quæ ex D. P. Auguſtino, & illius quæ ex Seraphico Franciſco eſt, ſequuntur; ſed etiam Summiſtæ omnes in verb. Religio, & in verb. Abbas, & ſimilibus, D. Thomæ proculdubio authoritate pernioti; qui inquit. Quoniam ſecundũ Apoſtolum malum eſt auferendum, ne modicum fermentum totam maſſam cõtrumpat, ideo Monachus ſi corrigi & emendari nouerit, cùm contumax eſt, meritò repellitur. Nec mirum ſanè. Ipſæ enim Monachorum regulæ id expreſsè diſponunt, & cùm Apoſtolica authoritate confirmatæ ſint, valebit diſpoſitio illarum, & nunc quidem valet,

D. Th. quod. 12. q. vlt.

siquidem semel confirmatæ, & numquam hactenus inualidatæ sunt, neque ex toto, neque ex parte, sed ad summum dispensatæ in aliquibus, inter quæ tamen non inuenitur caput hoc de incorrigibilium exterminatione. Ipsa etiam iure naturæ integra & licita est: vtpote quod ius est naturæ gregem indemnem seruare à contagio & strage cuiuslibet inficientis, & sæuientis feræ. Quod quia præcipuè perstringit Abbates, qui monachalis gregis veri pastores sunt, ideo ad Abbatem remittitur abscisionis ferrum, vtique incorrigibilis Monachi iuridica expulsio.

14. Neque obstat argumentum ex Tiburiensi Concilio de impudicis Monialibus: tum quia alia est ratio Monialium & Monachorum: tum quia si de Monialibus idem quod de Monachis contagionis periculum timeretur, nō dubium est, quin vt Monachi contaminatores expellendæ essent. Neque item obstat argumentum ex cap. Nec Religiosi: propterea quod textus ille duplicem exprimit limitationem: primam, si hoc regularis ordo non patitur; secundam, si absque graui scandalo fieri poterit. Quarum neutra deficit in hoc casu, siquidem vt eliminetur de Monasterio Monachus, opus est, ne periculum grande, graueque scandalum ex societate illius timeatur. Neque iterum obest tertium argumentum: quoniam illud potius esset punire morigeros quàm degeneres Monachos. Graue siquidem & molestum est bonis esse malorum ad tempus, nedum ad semper vindices. Vnde Esaias; *Va Assur virga furoris mei*, id est, quia virga furoris mei. Etenim si languor prolixus grauat medicum, (Ecclesiastici 10. 21.) quid perpes punitio Monachos? Maximè quod non tantùm dedecus & probrum illis est, videre Monasteria sua velut tartarea facta, vtpote ergastula interminabilis pœnæ, cùm ad cælicam fuerint vitam prorsus constructa: sed etiam patiuntur scãdalum, & quidem grauissimum ex tam pestilenti ac vicino incorrigibilium incolatu. Inde Augustinus: Cura paleam; sed triticum noli relinquere, si paleam curare non potes. Excutiuntur enim aliquando de aream Dominica paleæ. Ad quartum respondetur, tum quod per incorrigibilis expulsionem non aperitur ei ampla fenestra peccandi, sed potiùs erubeẽscedi, & resipiscendi, videndo se à domo Dei expulsum, ne videat gloriam Dei. Tum quia quisque tenetur sibi cauere, & prouidere, etiamsi pecãsionaliter alium inde perire contingat.

Esaiæ 10. 5.

Augustin. tom. 10. Ser. 23. de verb. Apost. cap. 8.

Si debeant recipi Monachi egreßi de Monaßterio.

CAPVT XXIX.

FRATER qui proprio vitio egreditur, aut proiicitur de Monaßterio, ßi reuerti voluerit, ßpondeat priùs omnem emendationem vitij, pro quo egreßßus eßt, & ßic in vltimo gradu recipiatur, vt eius humilitas comprobetur. Quod ßi denuò exierit, vßque tertiò ita recipiatur. Iam verò poßtea ßciat omnem ßibi reuerßionis additum denegari.

1. FRATER *qui proprio vitio*, &c. Congruens ßacris literis decißio ißta eßt, in quibus non tantùm aßßeritur; *Cor contritum & humiliatum Deus non deßpicies*: verùm Lucæ 15. introducitur pius quidam & prouidus paßtor, Dei perßonam ßußtinens, qui errabundam quæßiuit ouem, & inuentam propriis reuexit ad caulam Dominicam humeris. Quod ßóge antea Deus ipße pollicitus erat inquiés: *Ego ipße requiram oues meas.* & infrà; *Quod perierat requiram.* Per quæ ßanè ßatisfecit precibus illis Dauid; *Erraui ßicut ouis quæ perierat, quære ßeruum tuum.* Quare non ßolùm ßpontaneam, ßuppliccm, reßipißcentem, reducémque ouem fas erit recipere, (prout hic decernitur) verùm ad ßeriam ißtam ßalutarémque reductionẽ illam ßeriò monere, præßtabit: vtpote quod id propriè erit perditam ouem requirere, exemplúmque boni paßtoris in oue errabunda imitari. Quamuis de hoc ßecundo nihil hic decernatur: quia ex præcedenti capite ßupponitur deßperata plaga & immedicabilis fractura ißtorum, præterquàm ex miraculo Dei, vel ßpeciali munere eius.

Pßal. 50. *Luc.* 15. *Ezech.* 34. 16. *Pß.* 118. 176.

2. Statuitur autem quod ßi reßipißcens aliquis ex hac farina redierit, vt vßque tertiò recipiatur. Quod ßanè hilariter præßtandum eßt, exemplo Iacob, qui audito quod Ioßeph filius eius viueret, quem mortuum credebat, confortatus ßedit in lecto; & exemplo mulieris quæ deperditam inueniens drachmam, tripudium cum vicinis egit; & exemplo patris prodigi, qui à longè videns ßuppliccm reducem filium exliit, & illum ßumma cum lætitia excepit. Vide Petrus Chryßologus. Quoniam redeunte filio iuniore familia tota choros egit, cæleßem cecinit ßymphoniam;

Gen. 48. 2. *Luc.* 15. 8. *Chryßol Ser. 6. de prodigo.*

conuenit & nos psalmum sumere, dare tympanum, ponere organum, citharam tangere, & ad tantum Dei Patris gaudium melodiam Dauidicam personare dicentes; Iubilate Deo omnis terra. *Psal.96.*

3. Subiicitur autem, *si reuerti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitij, pro quo egressus est.* Impœnitentem enim nec Deus suscipit peccatorem: adeò vt Lucæ 13. bis scriptum legamus; *Nisi pœnitueritis, omnes simul peribitis.* Vnde Bernardus noster in encomium istius partis epistola ad Suggerium Abbatem Sancti Dionysij. Ab ipsa fundatione ordinis non est auditum, vt quis exiens sine satisfactione reciperetur. *Luc.13.* *Bern.ep.270.*

4. Quia verò absque humilitatis subiectione vera culparũ satisfactio non est, adiecit Sanctus Doctor, quod ita veniens vltimo in gradu recipiatur, vt sic eius humilitas comprobetur. Sic enim comprobata est humilitas prodigi; vtique per hoc quod filius reapse cùm esset, mercenarij tamen classem, gradúmque apud Patrem, (à quo ipse desciuerat) appetiit. Item & Magdalenæ, quæ pedes insequuta Christi & amplexata est. Etenim secus illos stabat, aut sedebat. Publicani similiter, qui in extrema delituit parte templi, vtique secus fores & prope limina eius. Demum & D. Pauli clamantis; *Non sum dignus vocari Apostolus, quia supra modum persequutus sum Ecclesiam Dei.* Ad comprobandam igitur redeuntium humilitatem, infimus debet illis assignari locus. Qui tamen honorabilis eis reputãdus est: tum quia scriptum habemus; *Melior est dies vna in atriis tuis super millia.* Et; *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Vnde religiosa abiectio potior regali extollentia est. Tum quoniam aliàs humilitate vera tincti non essent: quoniam humilitas vera ea est, qua homo verissima cognitione sui sibi ipsi vilescit, vt Bernardus habet. *Luc.7.& 10.* *Luc.18.* *1.Cor.15.9.* *Psal.83.11.* *Bern.Ser.4. de Aduent.*

5. Qui autem cum humilitate remigrat, dignus monastica receptione est: nam Deus ipse cor contritum & humiliatum non despicit. Et ideo de sic remeante ad Monasterium Monacho dicere Prælato possumus, quod dixit Ioseph Angelus: Noli timere accipere Monachum tuum; quod enim in eo natum est, vtique resipiscentiæ, humilitatis, pœnitentiæ, & subiectionis, de Spiritu sancto est. Item & illud quod de Magis refertur, videlicet quod per aliam viam reuertitur in regionem suam, vtique per obedientiæ tramitem ad monasticam, quam intra claustra professus est vitam. Item & illud psal. *Hæc mutatio dexteræ excelsi.* Reuertitur enim dicendo; *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* *Psal.50.11.* *Matth.2.* *Psal.76.*

6. *Quod si denuo exierit*, &c. Sensus est: Profugus aut proiectus de Monasterio, si humiliter reuertatur, recipiatur semel & iterum, item & tertiò, deinceps verò aditus illi omnino præcludatur. Hoc mihi mirabile est; vt mirabile re ipsa erit omnibus considerantibus Ieremiæ illud; *Ierem.3.*

Tu fornicata es cum amatoribus multis tamen reuertere ad me dicit
ith. 18. *Dominus.* Et illud Christi; *Non dico tibi* (vtique remittere pœnitentibus debita) *septies sed septuagies septies.* Hoc est (vt habet
r. ibid. Hieronymus) toties quoties. Et
n. 6. illud eiusdem; *Eum qui venit ad me, non eijciã foras.* Et ratio aperta est quoniam qui ad Monasterium reuertitur, vel reuertitur proùt oportet, vel non: si non, nec tertiò, nec secundò, nec primò recipiendus rationabiliter est: vtpote quem nec sic Deus ipse suscipit. Si sic; cur iure repellendus est, quem nec Deus ipse repelleret?

7. Salua tamen res ista est exemplo Ecclesiæ, quæ apostatas à fide post primam & secũdam reconciliationem capitali prosequitur pœna; prout videre licet in *l. Quicumque. extra de hæreticis.* & in cap. Ipsa. 23. q. 4. Vt autem est apostasia à fide, sic à religione. Et idem apud religiosos est apostatare à religione, quod apud Ecclesiam apostatare à fide; idem vtique suo modo. Et ideo vt isti à mundo, sic illi à religione amouentur. Quæ sanè remotio lethalis est, vt cuique lethale est à proprio centro excludi.

8. Neque obstat quod toties quoties Deus peccatores suscipiat. Quoniam susceptio ista simpliciter ad vitam animæ necessaria est, non autem susceptio monastica, nisi fortè in aliquo casu speciali, qui extra leges est, & in quo necessitas legi præualeret: aliàs minimè. Vnde nec ipse Deus, qui semper paratus est animarum reatus dimittere, corporum noxas condonat, sed sæpe vsque ad mortem exequitur, & exequendas imperat, vt patet Leuitici 20. à num. 2. vsque ad 27. & alibi sæpissime. Ratio est, quoniam ad Reipublicæ bonam gubernationem expedit. Vnde in cap. Quis, dicitur ex Augustino. Si aliter non meruit pacem habere domus Dauid, nisi filius eius Absalon extingueretur, extinguatur, licet paternus affectus recuset. & cap. Resecãdæ, decernitur ex Hieronymo. Resecandæ sunt carnes putridæ, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne intereant reliquæ. Quod dictum est propter illud Pauli: *Vtinam abscindantur qui vos conturbant.* Horum enim compassionem habere, planè est in alios sæuire, vt D. Bonauentura sapienter monuit dicẽs. Crudelis miseratio, vnde plures & meliores grauiter offenduntur. Quare concludit, quod tales ex suo etiam ordine debent repelli. Et idem repetit infrà, & cap. Relatum, definitur Monachos incorrigibiles, omnino à Monasterio eliminandos.

25. q. 5. cap. Quis. Aug ep. 50.

24. q. 3. c. Resecandæ. Hier. sup. ad Galat. 5.

ad Galat. 5.

Bonan. sup. reg D. Francisci. q. 14.

Idem q. 17. ibid. cap Relatũ. 3. decret. ti. 5.

9. Neque iterum obest quod de competenti, vel incompetenti dispositione obiicitur, quoniam qualis re ipsa sit, ex prudẽti tamẽ æstimatione fallax & futilis habenda est: nam si iuxta regulas iuris, qui semel mendax, semper præsumitur mendax in eodem genere mendacij: quid qui semel, & iterum, & tandem tertiò mendax, inconstans, fallax, illusorve inuenitur? Et in dies certè timendus est fraudulentior, nocen

centiórque Monachus, dicente Bernard. Qui malè exierunt, peiùs redintrauerunt, addétes præuaricationes. Horum egressio in transgressione, regressio in superbia est, & superbia eorum ascendit semper.

Bern. ep. 270.

De pueris minori ætate qualiter corripiantur.

CAPVT XXX.

OMNIS ætas, vel intellectus proprias debet habere mensuras. Ideóque quotiens pueri, vel adolescentiores ætate, aut qui minus intelligere possint quanta pœna sit excommunicationis; hi tales cùm delinquunt, aut ieiuniis nimis affligantur, aut acribus verberibus coërceantur, vt sanëntur.

1. OMNIS *ætas*, &c. Hoc adeò perspicuum est, vt nulla prorsus expositione indigeat. Quare vel ipse Paulus de

1. *Cor.* 13. 11. seipso dicit; *Cùm essem parvulus loquebar vt parvulus, sapiebam vt parvulus, cogitabam vt parvulus: vt autem factus sum vir, euacuaui quæ erant parvuli.* Vbi apprimè notandus est ordo literæ omnino retrogradus & inuersus: loquutio enim posterior debet esse iudicio, & iudicium cogitatione, quia prius est sapere quàm loqui, & prius cogitare quàm

D. Tho. sup. 1. *Cor.* 13. sapere. Sed hæc (ait D. Thomas) satis congruunt paruulis, in quibus loquutio sine iudicio est, & iudicium sine deliberatione, imò & sine cogitatione sensata. Cuius tamen oppositum in adultis perspicitur. Ratio autẽ est, quo-

Prou. 14. 18. niam (vt habetur Prou. 14.) *possidebunt parvuli stultitiam, & expectabunt astuti scientiam.* Quare vt viri intellectualiter, sic paruuli sensibiliter instruendi sunt, & docendi, atque à suis corruptelis curandi. Et quidem sine mora; quoniam (vt inquit Plutarchus) sicut infantium membra simul ac nati sunt formari componíque debent, vt recta minimèque obliqua fiant: ita puerorum mores à principio aptè fingere conuenit.

Plut. de liberis educãdis.

2. *Ideoque*, &c. Paruulos in pretio habendos Dominica iussio est: quia Matth. 18. dicitur; *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis.* & suprà n. 6. *Qui scandalizauerit vnum ex his pusillis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Circa quod Chrysost. *Vides quam*

2.

Matt. 18. 10.

Chrys. hemil. 60. in Matt.

quàm ingentia in puerorum tutelam erexit mœnia Christus, & quàtũ illis studium ne perdantur? Tum quia supremas despicientibus eos pœnas statuit: tum quia summa pollicetur his, qui curã eorũ suscipiunt. Nec mirum sanè: quoniam vt Christus ipse ait; *Non est voluntas ante Patrem vestrum qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis.* Quapropter cùm legitima ac vera paruulorum dilectio, & æstimatio, in prudenti illorum castigatione & correctione sita sit, iuxta Prouerbiorum illud; *Qui parcit virgæ odit filium suum.* & infrà: *Noli subtrahere à puero disciplinam. Si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Vnde apud Ieremiam legimus; *Bonum est viro cùm portauerit iugum ab adolescentia sua.* & apud Paulum: *Educate filios vestros in disciplina & correctione Domini.* Et hoc ideo, quoniam, sicut Lucanus ait,

Luc carm ad Pisonem.

Matt. 18.14.

Prou. 13.

Prou. 23.

ad Ephes. 6.

Abdita quid prodest generosa vena metalli
Si cultore caret?

Ideo delinquẽtes paruulos præcipimur hic ieiuniis flagrisve corripere, vt sic ad virtutem emergant, & ad bonam se frugem recipiant. Ieiunia enim multum ad virtutem valere testis nobis Augustinus est, dum expendens illud Matth. 17. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione & ieiunio*, ait. Quanta sit ieiuniorum virtus, vt id facere ieiunia valeant, quod non valent Apostoli. Et Athanasius. Vides quid valeat ieiuniũ? Morbos sanat, dæmones fugat. Et Ecclesia ipsa: *Qui corporali ieiunio vitia comprimis.* Verbera item appositissima esse ad puerorum mores componendos, abundè constat ex dictis hoc in eodem capite & numero.

Matt. 17.20.

Aug. Ser. 65. de tempore.

Athan. lib. de virginitate.

Qualis debeat esse Cellararius Monasterij.

CAPVT XXXI.

CELLERARIVS Monasterij eligatur de cõgregatione sapiens, maturus moribus, sobrius, non multùm edax, non elatus, non turbulentus, non iniuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum, qui omnis congregationis sit sicut pater. Curam gerat de omnibus, sine iussione Abbatis nihil faciat, quæ iubentur custodiat, fratres non cõtristet. Si quis frater ab eo aliqua fortè irrita-

tionabiliter poſtulat; non ſpernendo eum contriſtet, ſed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget: animam ſuam cuſtodiat,memor ſemper illius Apoſtolici præcepti,quia qui bene miniſtrauerit, gradum bonum ſibi acquirit. Infirmorum, infantium, hoſpitum pauperúmque cum omni ſolicitudine curam gerat,ſciens ſine dubio quia pro his omnibus in die Iudicij rationem redditurus eſt. Omnia vaſa Monaſterij, cunctámque ſubſtantiam, ac ſi altaris vaſa ſacrata conſpiciat, nihil ducat negligendum: neque auaritiæ ſtudeat, neque prodigus ſit,aut extirpator ſubſtantiæ Monaſtérij. Sed omnia menſuratè faciat, & ſecundum iuſſionem Abbatis ſui: humilitatem antę omnia habeat, & cui ſubſtantia non eſt quæ tribuatur, ſermo reſponſionis porrigatur bonus;quia ſcriptum eſt: Sermo bonus ſupęr datum optimum. Omnia quæ ei iniunxerit Abbas, ipſe habeat ſub cura ſua, à quibus eum prohibuerit, non præſumat. Fratribus conſtitutam annonam ſine aliquo typo vel mora offerat, vt non ſcandalizentur, memor diuini eloquij, quid mereatur qui ſcandalizauerit vnum de puſillis.Si congregatio maior fuerit,ſolatia ei dentur,à quibus adiutus, & ipſe æquo animo impleat officium ſibi commiſſum.Horis competentibus dentur quę danda ſunt, & petantur quæ petenda ſunt:vt nemo perturbetur,neque contriſtetur in domo Dei.

---

1. ELLERARIVS *Monaſterij*, &c. Bone Deus, quanta in vno Cellerario Diuus Pater ornamenta requirit! Certè eadem quæ Paulus in Epiſcopo. Etenim ſi Paulus ad Timotheum inquit: *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum*; Diuus Pater de Cellerario inquit, debere eſſe maturum moribus, non edacem, non elatum, non turbulentum, non iniurioſum, non auarum. Item ſi Paulus ſubiicit de Epiſcopo, *ſed hoſpitalem, benignum, ſanctum, iuſtum, continentem*; D. Pater de Cellerario inquit debere eſſe ſobrium, curam de omnibus gerentem; maximè tamen infirmorum, infantium, hoſpitum, pauperúmque, & animam ſuam cuſtodientem. Rurſus ſi Paulus de Epiſcopo dicit, oportere eſſe peritum, & potentem ad exhortandum in doctrina ſana. D. Pater de Cellerario dicit, debere eſſe ſapientem, & ſcientem denegare abſq; deſpectu, mœróreque petentium, ea quæ à ſe irrationabiliter eſtla-

1. *ad Tim.* 1. 7.

gitan

gitantur: prudensque respõsum reddere illis qui irrationabiliter petunt, quæ tamen ei non suppetunt. Cùm igitur Cellerarij munus adeò impar sit à munere Episcopi, non secus ac munus Oeconomi à munere Principis, mirum valde est, quod penè in requisitis æquipatentur, & quod eædem animi dotes quæ prærequirũtur ad Episcopum, ad Cellerariũ similiter prærequirãtur.

2. Sciendum tamen est Apostolos Cellerarij munus mirum in modum dignificasse: tum quia priùs ipsi illud quodam modo obierunt, vtpote curantes communium facultatum dispensationem, & mensæ communi seruientes, omnibus necessaria suppeditantes. Tum quia eximios postea requisierunt viros, quibus munus hoc tutò committerent, Actorum 6. vbi dicitur. *Conuocantes duodecim multitudinem discipulorum dixerunt; Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Et subiicitur: *Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timotheum, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Inde factum est, vt deinceps Diaconi ipsi crearentur Quæstores Ecclesiæ, hoc est, Præfecti ærarij publici, aliàs Oeconomi dispensantes facultates Ecclesiæ in subuentionem fidelium, & maximè mendicorum & pauperum. Vt de Leuita Laurentio legimus apud Ambrosium & Leonem; & de aliis referunt Hieronymus & Gregorius magnus. Si igitur Apostoli ipsi Spiritu sancto plenos requisierunt Oeconomos: quid mirum si D. Pater Cellerariũ Apostolicũ requirat?

Actorum 6. à num. 2.

Amb. & Leo Ser. de Sancto Laurentio. Hieron. sup. Ezech. 48. Gregor. lib. 2. epist. 14.

3. Præterquàm quod cùm Dominus dixerit; *Fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore.* Innuens per hoc Præfectum debere esse, tum fidelem, ne fratres pensu debito fraudet, & in proprium lucrum conuertat: tum prudentem, vt semper iudicio id faciat, & ad normam indigentiæ distribuat & opportuno tẽpore. Cùm igitur id Christus dixerit, eximias hinc Oeconomis animi dotes taxauit; quoniam prudentia & fidelitas diuinæ virtutes sunt, & attributa Dei, cuius maximè est neminem posse fallere, & à nemine posse decipi. Horum autem primum ad fidelitatem, secundum ad prudentiam spectat. Quare summis Ecclesiæ Prælatis Episcoporum nomen infertur; quia ly *Episcopus* sonat idem quod inspiciens, vigilans & intendens: quæ Oeconomis non solùm germana, sed essentialia sunt, necessaria ne desint. Nomen etiam Cellerarij honorificum est; sonat enim idem quod Cellæ ærariũm, vtpote quod prouidus industriusque Oeconomus Monachis pro ærario est. Et ob id ipsi Monachi omnẽ

Matt. 24. 45.

ſuam erga temporalia curam iactant in eum, vt ſic orationi inſtent, & aliis negotiis animæ, ac monaſticis curis omnino ſe totos impendant.

4. His addamus quod in textu ſubiicitur, videlicet, quod Cellarius debet eſſe toti Congregationi ſicut pater. Quis autem alienos filios alendos ſuſcipiat tanquam proprios, niſi prædictis fuerit animæ dotibus condecoratus? *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem?* deflebat Moyſes, pertæſus quidem ſui populi murmure & clamore pro carnibus, vt patet Num.11. Quare ſubtexuit ipſe: *Vnde mihi carnes, vt dem tantæ multitudini? Flent contra me dicentes; Da nobis carnes, vt comedamus.* Deus autem vt eius dolorem leniret, & ſubleuaret laborem præcepit illi dicens; *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint ac magiſtri, vt auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi.* Si igitur ſpiritus Moyſi, non tantùm in ipſo Moyſe, ſed in ſeptuaginta ſimul aliis ſenioribus & Doctoribus, qui adhærerent illi, neceſſarius fuit ad cómodè ſufferendum onus hoc, eo quod graue admodum redditur propter inordinatam quamdam ciborum appetitionem: qualis in Cellario vno ſpiritus eſſe debet, vt Monaſterio ſufficiat, non tantùm pro ciborum, ſed etiam veſtimentorum, calceorum, & ſexcentorum ſimilium præciſa diſtributione? Certè ſi ad illud non vnus, ſed ſeptuaginta, & eo amplius Moyſes requirebantur, quid prærequiſitum erit, & omnino neceſſarium ad hoc?

*Num.*11.12. *Ibi.n.*13.

Certè ſpiritus non ſolùm magnus & multus, ſed & multiplex in Cellario requiritur, vtpote ad multa magnaque quæ hic ab eo quæruntur. Quorum primum eſt, curam de omnibus gerere: vtpote quod eius curæ omnes Monaſterij alumni commiſſi ſunt. Quare cùm aliis dicatur, ne ſint de cibo aut veſtimento ſoliciti, Matth.6. imò neque de craſtino; vni tamen Cellario præcipitur, non tantùm de craſtino, de cibo & veſtimento ſuo, ſed & omnium ſolicitudo iniungitur, vtpote Congregationis patri. Vnde quæ vbi ſuprà Chriſtus ſubdidit: *Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater veſter cæleſtis, quia his omnibus indigetis.* Quod eſt dicere, vos iſta negligite, Deus enim qui Pater veſter eſt, proſpiciet, prouidebitque vobis, ne indigentia premamini. Hæc igitur ſuo modo de Cellario Monaſterij expectanda ſunt: ſiquidem ſuo modo Pater cæleſtis eſt, vtpote cæleſtibus pignoratus virtutibus, & dono Dei (quando talis eſt) Monaſterio datus. Aliàs idoneus tanto muneri non inuenietur.

*Matth.*6.25. & 34.

6. Secundum eſt, vt ſine iuſſione Abbatis nihil faciat. Etenim cùm Abbatis non Abbas, ſed ſubditus, non pater, ſed filius, non princeps cauſæ, ſed inſtrumentum ſit, Abbatis nutum debet in omnibus expectare, vt inſtrumentum expectat motum principalis agentis. Cuius

gratia

gratia. Esaias dixit non posse gloriari securim contra eum qui secat in ea, neque exaltari contra eum qui trahit illam: vtpotè quod ipsa nullum ex se motum habeat, sed tantùm ab artifice applicante & impellente ad opus. Quare primò subiicitur, vt Cellarius quæ iubentur custodiat: secundò, vt omnia mensuratè faciat, secundum iussionem Abbatis: tertiò, quod humilitatem ante omnia habeat: & quartò, vt omnia quæ ei iniunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua: & à quibus eum prohibuerit, non præsumat. Quæ planè eò tendunt, vt superbiendi omnis, & extollendi se contra Abbatem aditus Cellariis præcludatur, radicitusque amputetur: quoniam rei familiaris præfecti non rarò se in dominos erigunt, vt in suum Episcopũ superbè se Diaconus ille ærarij publici quæstor erexit, iuxta quæ Cyprianus notauit, referens quemdam Diaconum facultatum Ecclesiæ quæstorem contumaciter & contumeliosè in suum proprium insurrexisse Episcopum. Quod malum adeò insolens Cypriano visum est, vt dixerit eo loci. Hæc sunt initia hæreticorum, & ortus atque conatus schismaticorum, malè cogitantium vt sibi placeant, & superiorem superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia recedit-tur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacem Christi, & ordinem atque vnitatem Dei reuelatur.

r. epist. diàs lib. pist 9.

7. Tertium est, fratres non contristet. Siquis autem ab eo aliquid irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget. Hoc nos priùs Abraham suo exemplo docuit, quippe qui epulonem diuitem iniusta ab illo petentem prudenter pariter & piè à se repulit, dicens: *Memento fili, quia recepisti bona in vita tua.* Pium enim tunc aduersus impium se gessit pietatis atque humanitatis sermone. Pium Abrahamum appello: quoniam vt verè pius responsum pietatis dedit, vt (notante hoc Theophylacto) qua vna ratione poterat, iuuaret. Impium autem dico epulonem, quoniam (vt Petrus Chrysologus notauit) hinc diues impius sibi, quia pius in alium non fuit.

Luc. 16. 25.

Chrysol. Ser. 123.

8. Quartum est, animam suam custodiat, memor illius verbi, qui bene ministrauerit, gradum bonum sibi acquirit. Hoc est, animam suam custodiat à vitio contemnendi, & furore insurgendi aduersus fratrem suum irrationabilia postulantem: Etenim passiones istæ facilè excitari solent in omnibus, à quibus subnixè irrationabilia petuntur. Promptum enim est tũc probris illos proscindere, & contumeliosè tractare. Cùm tamen scriptũ sit: *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et ideo vt bonæ administrationis bonum non amittamus gradum, sed comparemus, etiam ab his eruptionibus fortiter abstinendum est, ne subitis æterna perdantur, vel etiam minorentur.

Matth. 5. 22

9. Quintum est, infirmorum, infantium, hospitum, pauperúmque cum omni solicitudine curam gerere, quia de his omnibus in die Iudicij ratio reddenda est. Certè si misericordiæ opera Iudicij die discutienda sunt, & in medium proferenda, prout in approbationem bonorum retulit Christus inquiens: *Esurini, & dedistis mihi manducare: hospes eram, & collegistis me; infirmus, & visitastis me.* Item in reprobationem malorum: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare: hospes eram, & non collegistis me, infirmus, & non visitastis me.* Igitur si hæc omnibus, quid Cellerariis? quid Oeconomis? quid Præpositis rei familiaris? quibus specialis de his omnibus cura cómmissa est.

Matt. 25. 35.

10. Sextum, omnia vasa Monasterij, cunctamque substantiam, ac si altaris vasa sacrata conspiciat, nihil ducat negligendum. Etenim cùm omnia quæ Monasteria habent, Deo oblata sint, & pietatis causa in Dei cultum directa; consequens est, vt sacra putanda sint & habenda, atque adeò non negligenter, sed studiosè & religiosè tractanda. Vnde Esaias: *Mundamini qui fertis vasa Domini.* Et in Actis vt Ananias magni Paulum faceret, & illum, quem paulo antè Christianorum persequutorẽ agnouerat, iam reuerenter honorificéque obseruaret, dictum est illi diuinitus quod vas Christi erat: quia penes Dei gnaros scitum ratumque semper fuit, vasa eius summè colenda & honoranda esse, & vasorum nomine omnem domus Dei supellectilem intelligere. Quare vel ipsa instrumenta mulica vasa cantici appellantur Amos 6. 5.

Esaiæ 52. 11. Actor. 9. 15.

11. Septimum, vt neque auarus, neque prodigus sit. Conuenientia primi cunctis perspicua est, quoniam si auaro nihil est scelestius, nihil Cellario pugnãtius auaritia erit; vtpote qui moribus debet esse conspicuus. Certè de auaris sic habet Chrysostomus. Quid manibus auari sceleratius? quid oculis impudentius & caninum magis? Non aspicit homines vt homines, neque cælum vt cælum, sed omnia reputat esse pecuniam. Et mox. Talium ora ferarum ora sunt, quin his etiam truculétiora. Etenim verba promunt, magis quàm ferarum dentes venenum emittentia, & necem patrantia. Quod si mentem talium quis excutiat, iam non feras, sed dæmones appellabit. Cùm igitur Cellarij verba etiam in eos qui irrationabiliter ab eo aliquid efflagitant, sana & salutaria futura sint: necessum est auaritiam à Cellariis semper quàm maximè exulare, vt omnino illis aduersam. Secundum item non minus perspicuum est; siquidem prodigalitas in Cellario effusionem substantiæ Monasterij, ac dilapidationem importat, quatenus omnia per illum in nihilum defluunt, & Monasteria concidunt. Vnde grauissimæ aduersus bonorum Ecclesiasticorum dissipatores pœnæ leguntur 12. q. 2. cap. Apostolicos, & 17. q. 4. cap. Nullus.

11. *Eccli. 10. 9.*

Chrys. Orat. 7. cõtra auaros.

12. Octauum, vt cùm substantia non est quæ tribuatur, sermo saltem responsionis porrigatur bonus;

Eccli. 18. bonus, quia scriptum est: *Sermo bonus super datum optimum.* Exé-
plo nobis est Rex ille de quo
Matt. 18. 24. apud Matthæum dicitur, quod exigens à seruo suo centum mil-
lia talenta quæ debebat illi, & adeò rigidè & seuerè exigens, vt quia inuentus fuit seruus non habens vnde reddere posset tam innumerabile debitum, iusserit Rex venundari eum, & vxorem & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Quia tamen seruus supplici prece rogauit longanimitatem Regis dicens; *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Tunc Rex multo magis quàm seruus petierat, erogauit ei, videlicet totius æris alieni condonationem. Habet enim textus; *Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum* (vtique à vinculis in quæ eum coniecerat) *& debitum dimisit ei*, videlicet omne, prout infrà dicitur. Adeò Rex sè gessit munificum in debitorem suum, humili responso eius precesque lenitus. Exemplum etiam est in illo clámore innocentum enixè à Domino vindictam eflagitantium effusi sui sanguinis, quem tamen claniorem illicò compescuit Deus benigno illo lenique responso,
Apoc. 6. 12. quo dixit; *Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.* Exemplum etiã habemus in Abigail, quæ iracundum Dauidem contra stolidum pariter & immitẽ Nabal, prudenti pacificauit sermone.
1 Reg. 25. Vnde mox Dauid ad illam; *Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem & vlciscerer me manu mea.* Ecce aliqua ex multis prudentis verbi trophæa. Vnde Sapiens dixit: *Vas prælum labia scientiæ.* Est enim prudens leneque respõsum vas quo vel monstra placantur.

13. Nouum, fratribus cõstitutam annonam sine aliquo typo vel mora offerat, vt non scandalizentur, memor diuini eloquij, ne scandalizetis vnum de pusillis istis. Incertum valde hic est quidnam ly *typus* significet: Latinè enim sonat idem quod figura & forma. Vnde prototypon idem quod prima forma, aut figura, aliàs exemplar. Significat item idem quod vmbra & imago. Quare vetus Testamentum dicitur typus noui, & agnus paschalis dicitur agnus typicus, vtpote figura & symbolum Christi, qui est Pascha nostrum. Sed neutrum horum videtur præsenti congruere scopo; nisi dicamus idem esse annonam sine typo offerri, ac non per ambages & circuitus, sed re ipsa offerri: quoniam typus est non res ipsa, sed vmbra rei. Eruditissimus Cardinalis Turrecremata per typum intelligit hic tristitiam, aut timorẽ, murmurationemve cum indecenti figura verborum. At licet ita acceptum ly *typus* optimè conguat sententiæ textus: quia tũc sensus esset, Cellerariũ debere dispensare annonam fratribus hilari vultu & non toruo, placidis, non iniquis dictériis: mente tamen ego non assequor vnde istam significationem typi Card. sapientissimus hauserit. Quare dicerem ego quod ly *typos* est dictio Græca, significãs idem quod internallam, delumpta etymologia a quadam periodica

dica febri,quæ per certa temporum interualla ingruit, quæ dicitur typus, prout videre licet apud Isidorum; & ideo annonã sine typo offerre, idẽ esse ac sine interuallo statutis horis offerre. Quod mox explicatur cùm subiicitur,*vel mora*.Sensus enim est, annonam sine interuallo & sine mora statis temporibus offerendam.

Isid.4.Etym. cap.7.

14. Hoc autem quod est opportunè suppeditare annonam, diuinum redolet encomium, siquidem cantatur illi:*Omnia à te expectant,vt des illis escam in tempore.*&,*Oculi omnium in te sperant Domine,& tu das escam illorum in tempore opportuno.* Quare de seruo fideli pariterque prudenti dicitur, constitutum esse à Domino super familiam suam, vt det illis cibum in tempore. Refert enim multum opportuna refectio.Vnde notabilis retardatio illius aliquibus pro scandalo est, iuxta quæ hic notantur cùm dicitur, *vt fratres non scandalizentur.* Tribuitur enim socordiæ & negligentiæ Cellarij, imò (dum frequens est) inciuilitati & irreuerentiæ aduersus Congregationem. Quæ certè non leuem scandali subministrant materiam. Præterquàm quod deordinatio in præfixa hora refectionis, plures in Monasterio deordinationes parit: quia in Monasterio nullum vel minimum ab occupationibus & exercitationibus sacris vacat tẽpus, sed statis omnia tempora sunt definita exercitiis.

*Psal.*103.27. & 144. 16. *Matt.*24.45.

15. Inde est quod cùm grauis sit scandalizanti pœna taxata, vtique quod suspendatur mola asinaria in collo eius,& demergatur in profundum maris; hoc est, exitio peribit ipse violento & horribili: illud enim in saxi grauitate, hoc in maris profunditate notatur. Cùm igitur tam grauis pœna authorem scandali maneat,oportebit Cellarium diligenter suum exequi ministerium,& fratribus escam dare in tempore opportuno, vt omnibus dat ipse Deus, cuius Cellarius minister est. Et proinde oportebit illum multiplici spiritu radiare, ob multiplicia quæ ab eo requiruntur munia, & superponuntur onera. Quod hactenus probandum assumpsi, vt satisfacerem innumeris animæ dotibus,quas D.Pater in Cellario requirit.

*Matth.*18.6.

16. *Si Congregatio fuerit maior*,&c. Profectò si messis multa, multis indiget operariis,prout nos docuit Christus: consequens est,vt Congregatio multa multis in vno Cellario adminiculis egeat; aliàs tam ipse Cellarius, quàm etiam Congregatio multa malè torquentur. Vnde ad Moysem socer suus dixit: *Quid est hoc quod facis in plebe? Cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane ad vesperam?* Et infrà: *Non bonam rem facis, stulto labore consumeris tu, & populus iste qui tecum est. Vltra vires tuas est negotium hoc, solus illud non poteris sustinere.* Et rursus: *Prouide de omni plebe viros potentes, & constitue tribunos*,&c. Certè si Christo Domino crucem oblongam grauemque ferenti necessariò Cyrenæus adactus fuit, vt illi auxilio esset aduersus incõportabile onus:nam crucis extrema

Luca 19.2.

*Exod.*18.14.

Matt 27.32.

pars

pars humi repebat, quare aliquando succubuit, & interram corruit; & magistratus omnes in partem curarum socios & administros assumunt: consequens est, vt Cellariis maiorum Congregationum coadiutores necessariò assignentur, vt sic oneri superi, & non inferi inueniantur, & gratè illud subeant, & inseruiant. Quare præter Cellarium, qui apud nos Oeconomus (vulgò *Mayordomo*) dicitur, creatur in Monasteriis minister alius qui Cellarius nuncupatur (vulgò *Cillerizo:*) item & obsonator (vulgò *Despensero, ò Comprador:*) imò in opulentioribus Monasteriis minister alius insignitur, qui dicitur secũdus Oeconomus, (vulgò *Mayordomo segundo*) vt sic omnia debitè gerantur & promptè.

17. *Horis competentibus*, &c. Hoc etiam in Cellarij leuamen institutum est; quia graue admodum est omnibus qui intenti sunt pluribus, intempestiuè distrahi, hincque indeque ferri, & ad sibi incompetentia vocari. Vnde pater ille familias amico media nocte occurrenti, vt ei commodaret tres panes, respondit dicens: *Noli mihi molestus esse, iam ostium meum clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.* Vbi non petitio, sed hora ingrata fuit. Et Christus matri responsum quasi fastidiosus reddidit, quando ab illo petiit miraculum nondum completa hora patrandi illud. Vt igitur omnia æquo animo fiant, suis sunt petenda donandaque temporibus. Ecce quantum sit Cellarij munus, & quantis animæ & corporis subsidiis indigum. Quare non mirum est, si qui bene administrauerint illud, gradum bonum sibi acquirãt, & multã fiduciam, prout hic ex 1. ad Timot. 3. 13. promittitur.

Luca 10. 5.

Ioan. 2. 4.

De ferramentis Monasterij.
CAPVT XXXII.

SVBSTANTIÆ Monasterij in ferramentis, vel vestibus, vel quibuslibet rebus, prouideat Abbas fratres, de quorum vita, & moribus securus sit, & eis singula, vt vtile iudicauerit, consignet custodienda, atque recolligenda. Ex quibus Abbas breue teneat, vt cùm sibi in ipsa assignata fratres vicissim succedunt., sciat quid dat, aut quid recipit. Siquis autẽ sordidè, aut negligenter res Monasterij tractauerit, corripiatur. Si non emendauerit, disciplinę subiaceat.

1. SVBSTANTIÆ *Monasterij*, &c. Si Apostolis commisit Christus collectionem fragmentorum omnium, quæ in deserti prandio superfuerant; & quoniam Apostoli ipsi

Ioan. 6.

ipsi numero erant duodecim, propterea duodecim voluit superesse cophinos fragmentorũ, iuxta quæ ibi Chrysostomus obseruauit, vt omnes in hoc ministerio palàm & publicè occuparentur: iure ad colligendam, pariterque custodiendam Monasterij substantiã D.Pater constituit vt eligantur fratres, de quorum vita & moribus Abbas securus sit. Certè ad integritatem & probitatem substantiæ multum refert integritas & probitas custodientis. Quare Dominus ille talentorũ distribuens seruis bona sua, vnicuique secundum propriam virtutem, ab eo cui plura commisit, plura postmodum lucrata accepit: vtpote potioris virtutis.

Chrys.hom. sup.Ioan.6.

Matt.25.15.

2. Inde Paulus dispensatorem domus Dei non solùm sine crimine esse voluit, sed multis etiã virtutibus clarum, ad Titum 1. inter quas maximè fidelitatem requirit 1. Cor. 4. Saltem quoniam defectum illius Deus seueriſſimè punit, sicut patet in Achan,aliàs Achar, 1.Paralip.2. n.7.vel Achor,ibi.n.25.& 27.Is enim quamuis esset de tribu Iuda,è qua tribu Saluator, quia tamen tulit aliquid de anathemate Iericò, hoc est, de spolio illius,quod integrum seruari iussit Deus, de sententia eiusdem Domini lapidatus est ipse, & cuncta quæ illius erant igne cõsumpta. Et quod magis est, peccatum hoc vnius vniuerso Israëli imputatum legimus, iuxta id Iosue 7. *Filij Israël prævaricati sunt mandatum, & vsurpauerunt de anathemate.* Imò ob illud seuerè punitum, non quia re ipsa alij quàm Achan furtum illud admiserint, sed quia sic Dominus substantiam domus suæ zelatur, vt qui inuadit eam, diuinam succendat iram,& communitati noceat illam quasi complicem criminis faciens. Vnde Concilium Aquisgranense sub Pipino referens sacrilegium hoc Achami ait. Vitandum tibi est, ne cogitando ea quæ Domino consecrata sunt, sis prævaricationis reus, & alij propter te in peccato sint atque turbentur. Quapropter omnium interest quod ærarij sacri fideles inueniantur, nè tanquam fidelitatis prævaricatores, cæteri coarguantur,& ita intereant.

Iosue 6.19.

Iosue 7.1.12. & 25.

Cõc Aquisg. cap.2.

3. Et quid mirum si sic Deus sæuiat in sua subripientes bona,& furtim illa auferentes,cùm adeò in Ananiam & Saphiram sæuierit, quoniam propria vota ei pollicita integrè ad Apostolorum pedes non detulerunt?subita enim ob id conciderunt morte: & simul audierunt mentitos esse Deo, non hominibus; hoc est,subreptionẽ, deceptionemve illam non tam militasse in homines quàm in Deum.Vt sic daretur intelligi,bonorum Dei inuasores,prædones,similesque sacrilegos, verè non tam hominibus, quàm Deo iniurios esse; quia non hominibus, sed Deo oblata expoliant. Et ideo cùm Monasteriorum substantia Deo non tantùm oblata, sed tradita sit, oportet fideliter custodiri, prudenterq; dispensari,& vel de minima direptione illius multum timere. Omnia siquidem Dei bona præ se ferunt inscriptionem illam;Noli me tãgere, quia

Act.5.4.

quia Dei sum: quam Cerua illa Cæsaris in torquie aurea exaratam habebat; Noli me tangere, quia Cæsaris sum.

4. *Ex quibus Abbas*, &c. Quoniam bonorum Monasterij cura maximè tangit Abbatem, præcipit sanctissimus Doctor, vt ipse habeat codicem, in quo rationes referantur omnium quæ Monasteriorum ministris in custodiã tradũtur, ne aliquo modo obliterentur. Certè si duo passeres, licet dipondio væneant, adhuc tamen vnus ex illis non cadit in obliuionem coram ipso Deo, vt *Luca 12.6.* Lucas dicit: sed & capilli capitis omnes numerati sunt, prout *Matt. 10.30.* Matthæus asserit; consequens est, facultates religionis, & pietatis ergo Deo tributas minus in obliuionem illius posse venire, & lõgè magis ab illo numeratas esse. Quod si tanta est supputatio horum apud Deum, vt rationem petat, quanta apud Abbatem esse debet, vt rationem reddat?

5. Idcirco ne quidpiam horum ex Abbatis memoria effluat, iure in rationis codice scribi, literisque mãdari præcipitur, eo quod scriptura fidus memoriæ custos, pariterque ductor est. Vnde vel in ipso Deo firma rerum notitia scriptura nominatur, dicente D. Thoma. Illud conscriptum *D.Th. 1.p.q. 14.art.1.* dicitur, quod firmiter in memoria tenetur, secundum illud Pro- *Prou.3.* uerb. Ne obliuiscaris legem meã, describe illam in tabulis cordis tui. Vnde ipsa Dei notitia, qua firmiter tenet se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, dicitur liber vitæ. Similia sunt illa *Apoc.20.* Apocalypsis: *Vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni., & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* Vtitur autẽ Scriptura phrasi ista librorum & scripturarum, vt significet certam, cõstantemque apud Deum omnium actionum nostrarum & cogitationum notitiam.

6. *Siquis autem sordidè*, &c. Magnum sanè piaculum est, res dicatas Deo sordidè aut negligenter tractare: eo quod quodam modo est Dei reuerentiam negligere, quinimò & contemnere. Quare præclarè Aristides hymno suo in Iouem. *Ignauia in rebus diuinis res neferia est, ob quã rideri à Diis, potiùs quàm reprehendi meremur.* Et iure, quoniã si de omni torpore dicit Ephrem quod gaudet maximè diabolus; quid de isto? Item si (vt inquit Paulus) *qui suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior:* quid de illo qui bonorum Dei sibi concreditorum curam non gerit? Vnde sicut seruus ille qui vno talento accepto à Domino suo negligenter se gessit cum illo, imò potiùs sordidè, vtpote qui subtus terram suffodit illud, seruus malus & piger notatus est, & in tenebras exteriores missus, vbi esset frigus & stridor dentium, sic impræsentiarum decernitur, regulari disciplinæ subiici sordidè aut negligenter tractantem res Monasterij.

Ephrem to.1. in 2. Aduentu Domini.

ad Titum 1.

Matth. 25. 18. & 26.

7. Nec mirum sanè, quoniam neglectus illarum cadit planè in earum ruinam, & harum inopia in monasticæ religionis deli-

quium, vel potiùs excidium : siquidem (vt inquit Greg. lib. 2. Reg.) necessitatis occasio robur religionis infringit. Quod sonat Bernardi illud. Vbi non est abūdantia, non est obseruantia. Vnde Dauid: *Dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant.* Nerum indigentia pressi, huc illucque distrahantur, temporalia inquirentes, & minus spiritalia curantes.

Greg. lib. 2. Reg. indic. 11. epist. 17.

Psal. 104. 44.

Si quid debeant Monachi proprium habere.

CAPVT XXXIII.

PRÆCIPVE hoc vitium radicitus amputetur de Monasterio, ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine iussione Abbatis; neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque graphium, neque tabulas, sed nihil omnino : quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate. Omnia verò necessaria à Patre Monasterij sperare : neque quicquam liceat habere quod Abbas non dederit, aut permiserit. Omniaque omnibus sint communia, vt scriptum est, nec quisquam suum esse aliquid dicat, vel præsumat. Quod si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel & iterum : si non emendauerit, correctioni subiaceat.

1. PRÆCIPVE *hoc vitiū*, &c. Mira huius capitis introductio. Cùm enim inscriptio eius & titulus sit; *Siquid debeant Monachi proprium habere*, suppressa responsione directa, affirmatiua vtique aut negatiua, prorumpit sapientissimus Doctor in extirpationem omnimodam proprietatis monasticæ, inquiens: *Præcipuè hoc vitium radicitus amputetur de Monasterio.* Quod est dicere : non solùm nō debent Monachi habere proprium quid, sed neque habere possunt vllā omnino rem, adeò vt neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed omnia in communi & cōmunia. Adeò paupertas omnimoda monasticæ professioni germana est. Vnde Basilius. Debet pietatis cultor, qui vitam communem amplexus est, ab omni priuata rerum possessione liber esse. Quod sanè est secundum illud Actorum 4. *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna; nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Et Gregor. magnus inter alia inquit. Quid est habitus Monachi, nisi despectus mundi? Quomodo autem despicit mundum, qui aurum in Monasterio quærit? Demum Cassia

Basil. in cōst. mon. c. 31.

Act. 4. 32.

Greg. tom. 4. lib. 10. indic. 5. epist. 22.

Cassian. de institut. c. 13. *Pachomius c. 63. regula.*

Cassianus. Nulli cistellam, nulli peculiarem sportellam possidere liceat. Et Pachomius capite 63. regulæ. Nihil in cella sua habeat absque Præpositi sui iussione, nec poma quidem. Appositissimè autem D. Pater vitium hoc amputandum radicitus de Monasterio iubet: quoniam (vt inquit Paulus) *radix malorum omnium est cupiditas.* Mali autem radix nisi conuellatur, malum semper emittit. Vnde sicut non euulsa arboris pestilentis radice, non prorsus pestilentia cauetur; quoniam plátæ quæ hyemis tempore marcent, veris tempore virent, quantũuis rami arcant, excindãtur, & excidant: sic nisi malorum radix cupiditas extirpetur, mala semper recrudescent, quatũuis alia vitia & peccata abscindantur, aut etiã mortificentur. Vnde quos Deus pérpete perire vult, radicitus vsque cõuellit. Ob quam rem Dauid: *Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa.* Et quid tunc postea? *Propterea Deus destruet te in finẽ.* Sed quomodo in finem? *Euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicẽ tuam de terra viuentium.* Econtà verò quos succrescere & florescere vult, radicitus plantat. Et ideo scriptũ legimus: *Plantasti radices eius, & impleuit terram.* Tunc autem radicitus conuellitur vitiũ hoc, quando nec re, nec nomine in Monasterio sentitur, sed fit quod Milleuitanum Concilium sanxit ac præcepit Monachis. Tuum & meum, atque omnis possessio re & verbo omnino tollatur. Vt olim adeò ablatum fuerat, vt (referente vbi suprà Cassiano) etiam qui incõsideratè suum aliquid nominabat, pœnas illicò lueret. Vt ego à puero intra professionis meæ sacratissimam domũ (Sancto Dominico Silẽsi, eximiæ sanctitatis Diuo, dicatam) non sine admiratione vidi & obseruaui.

1. *ad Timot. 6. 10.* *Psal. 51. 7.* *Psal. 79. 10.* *Conc. Milleuit. cap. 7.*

Quippe quibus, &c. Hæc inducitur præmissorũ ratio. Ob id enim Monachi propriũ quid nõ possunt habere, quoniã nec ipsi quidem sui iuris sunt, sed velut religionis mancipia dicata Deo. Quam etiã rationem ad idẽ Augustinus attexuit, dũ dixit. Cùm huius Congregationis fratres se per obedientiã penitus aliorum potestati subdiderint, certum est eos nihil habere posse. Huius autẽ consequentiæ vis in eo sita est, quod (vt habet Bernard.) Quid tam tuum quàm tu? Cùm igitur nullus Monachus suus reipsa sit, hoc est, sui iuris, consequens est, nihil aliud sui iuris habere posse. 2.

Aug. Ser. de cõmuni vita cler. relatus 12. q. 1. c Non dicatis. *Bern. sup. Ecce nos reliquimus omnia.*

Omnia verò necessaria. &c. Hæc duo mutuò se inferunt. Exquo enim Abbas omnia Monacho necessaria suppeditat, superfluũ esset & vanum ab alio quidpiam sperare, & exquo constringitur Monachus nihil ab alio quàm à proprio Abbate recipere, premitur Abbas Monacho omnia quę illi sunt necessaria præbere. Vnde cùm Christus dixisset: *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* subdit: *Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Hoc est, Deus ipse de his vobis prospiciet, quibus nouit & voluit vos opus habere. Vnum enim ex alio infertur. Item cùm 3.

Matth 6. 31.

Act. 4. 34. in Actis dicatur quod quotquot possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, & ponebant ante pedes Apostolorum, subditur; *dividebatur singulis prout cuique opus erat.* Cùm ergo Abbas sit Monachorum Pater vice Dei, & apud quem omnia Monachorum sunt, cõsequens est, vt Monachi cuncta ab illo recipiant, & nihil ab alio.

4. *Basil. interrog. 93. ex breuioribus.*

Inde Basilius cùm interrogasset. Qui semel omnium rerum possessione se expoliauerit, professusque fuerit, qua mente vti debet rebus ad viuendum necessariis, veluti vestitu victuque? respondit. Curare vt tanquam Dei operarius dignus sit cibo suo: qui quidem cibus non sit positus in ipsius potestate, sed ab eo, cui de communi omnium consensu subministrandi negotium datum sit, subministretur. *Idem resp.* 131. Et infrà. Est autem eius penes quem distribuendi munus est, illud exequi diligenter, diuidebatur enim singulis prout cuique opus erat. Et idem præmiserat *Idem resp.* 87. responsione 87. Augustinus item hæc Sanctimonialibus dicta. *August. epist.* 109. Distribuatur vnicuique, à Præposita vestra victus & tegumentum.

5. *Omnia sint omnibus*, &c. Etenim duo hęc mutuò se adiuuãt: nam quis dicat sibi propria, quæ videt omnibus esse communia, vt Solem, Lunam, & similia? Ratio ob quam omnia in Monasterio sunt communia, ea præfigi potest, quia nec proprij nomen aut vox in Monasterio auditur. Quis enim non reputabit communia, quæ nullus sibi propria nominat, magis quàm stellas, elementa & sydera? Vnde Chrysostomus de Monachis sui temporis. Non est ibi meum ac tuum, sed hoc verbum eliminatum est multorum causa malorum. Et Basil. Nihil cuiusquã dicatur, non vestimentum, nõ vas, non aliud quidpiam eorum, quæ ad vitæ societatem conducunt. Et Bernardus. Omnia quæ in Monasterio sunt, omnibus sunt communia. Ergo si ancilla Dei habet aliquid absconsum, vel proprium, quod à cæteris ancillis Dei ignoretur, furtum est, peccatum furti est.

Basil. Ser. de instit. mon.

Bern. de modo viuendi Ser. 43.

6. *Quod siquis*, &c. Hic iam de supplicio contra proprietarios fit sermo, quos seuerissimæ quidem vindictæ manent. Etenim Innocentius III. cap. Cùm ad Monasterium, de statu Monachorum, sic decernendo statuit. Prohibemus districtè in virtute sanctæ obedientiæ, sub obtestatione diuini iudicij, nequis Monachorum propriũ aliquid omnino possideat, Et mox. Quod si proprietas apud quemquam reperta fuerit in morte ipsa, sepeliatur inter sterquilino in signum perditionis, secundum quod Gregorius Papa fecisse legitur. Imò ante Gregorium suppliciũ istud interminatum legimus, & ẽxequutioni mandatum. Diuus enim Hieronymus epistola ad Eustochium ait. Quidam Monachus parcior quàm auarus, & nesciens Dominum triginta argenteis venditum, centum solidos moriens reliquit. Initum est consilium quid facto opus esset, sed sancto in Patribus loquente Spiritu decretum est, fodiendos esse

Innoc. cap. Cùm ad Monast.

Greg. 4. Dialog. cap. 55.

Hier. epist. 22. post medium.

Act.8.20. esse cum eodem, dicentes; Pecunia tua tecum sit in perditionem. Idcirco D. Pater vitium hoc nequissimum iudicauit, & nuncupauit, vtpote quod scriptum; *Nihil iniquius quàm amare pecunias.* *Eccli.10.10.* Et ideo Monachum repertum in illo non addixit (vt frequenter solet) disciplinæ regulari, sed correctioni absolutè sumptæ, & in genere. Inquit enim, *correctioni subiaceat.* At cuinam correctioni? Numquid regulæ? Minimè gentium; sed illi prorsus quæ ex iure est, vtpote durior & seuerior omni correctione regulari, vt ex dictis constat. Hæc pro litteræ sensu. Quia tamẽ res ista sinus habet implexos, disceptationibus illustranda est. Vnde sit

DVBIVM I.

An iure Monachi possint in particulari habere proprium quid?

7. CONSVLTO in titulo expressi ly *in particulari*, quoniam in communi certa res est, quod omnes, excepta vna vel altera religionum, habent, & habere datum semper, atque etiam nouissimè in Concilio Tridentino indultum est. Quare tota difficultas procedit de Monachis in particulari. In qua pars affirmatiua his videtur posse argumentis fulciri.

Trid. sess.25. cap.3.

8. In primis cap. Monachi, ad finem, & cap. Cùm ad Monasterium. §. tales, de statu Monachorum, conceditur Monachis habere peculiũ. Cùm igitur peculium sit idem quod filij familias parua pecunia, vel patrimoniũ. *l. depositum, ff. de peculiis.* vel idẽ quod paruum pecus, quia patrimonium veteres in pecoribus habebant, iuxta Glossam in Rubrica *ff. de peculio.* consequens est, vt Monachi iure possint habere proprium quid.

9. Deinde Moniales iure possident census annualesque reditus sibi ad vitæ sustentationem oblatos tam à propinquis, quàm à parentibus, prout etiam definiunt nobis Innocentius & Ostiensis in cap. Cùm ad Monasterium, de statu Monachorum: & Siluester verb. religio. 6.q.7. Ioannes Andreas & Abbas in cap. Cùm ad Monasteriũ. Quod sanè colligitur ex cap. de viduis 27.q.2. & cap. Insinuante. Cùm igitur Moniales verè sint religionem professæ, & eadem de illis in hac parte ac de Monachis ratio sit, consequens est, Monachos religiososque omnes posse in particulari habere, & iure ac licitè possidere proprium quid.

Innocentius Ostiensis. *Siluester.* *Ioannes Andreas.* *Abbas cap. Cùm ad Monast.*

10. Tertiò, religiosis permissum est in Iure testamenta condere, & res suas liberè testamento legare, vt patet ex *l. Generali cap. de sacrosanctis Ecclesiis.* vbi Valẽtinianus, & Marcianus Imperatores ità decernũt. Generali lege sancimus, firma rataq; haberi testamenta Monialium facta in fauorem Ecclesiæ, vel Martyris, vel Cleri, vel Monachi, vel pauperum. His subscribit Gregorius magnus dum commendat cuiusdam Petronilæ virtutem, quæ monachatum professa, cùm posset liberè suis fortunis vti, eas tamẽ Monasterio legauit. Igitur Monachi

Gregor lib.3. epist.7. relatus 19.q.3. cap. Perlatũ.

Monachi licitè rerum in particulari dominia habent ; aliàs quomodo possent testamenta condere?

11. Et ne aliquis dicat iura hæc nõ de Monachis, sed de Monialibus procedere, audiat quæ *in l. Si quis. C. de Episcopis & Clericis*, decernunt Imperatores Theodosius & Valentinianus: etenim constituũt quod Monachorum bona, atque etiam Monialium, & clericorum qui non condito Testamẽto decedũt, Ecclesiæ vel Monasterio sunt donanda. Et in vita Arsenij Monachi legimus, quod à viro quodam Senatore Monachus iste Arsenius fuit institutus hęres bonorum suorum. Et suprà ex constitutione Valentiniani & Marciani retulimus firma ratáque fore testamenta facta in fauorem Monachi, vel pauperum. Igitur Monachi rerum dominia in particulari possunt habere: aliàs omnes istæ constitutiones essent futiles.

12. Pars nihilominus nẽgatiua extra controuersiam est. Primò, propter canones sacros qui planè illam decernunt. Etenim Cõcilium Antisiodorense definit, Monachum peculium non posse habere. *Conc. Antisiod. can. 23.* Concilium item Moguntinum II. sub nostro Rabbano Mauro sancit. *Mogun. can. 34.* Nullus Monachus aliquid proprietatis habeat, & res seculares, quibus renunciauit, nullatenus sibi vsurpet. Et Concilium Lateranense sub Alexandro III. Monachi peculium non permittantur habere. *Lateran. p. 1. c. 10.* Concilium item Oxoniense sub Innocentio III. Non licet viris religiosis aliquid proprium possidere, qui se & sua pariter in ipso religionis ingressu Domino dedicarunt. Et Tridentinum de regularibus proprietatem strictè Monachis interdicit. *Trid sess. 25. c. 1. & 2.* Et demum Innocentius III. cap. Cùm ad Monasterium, ait. Prohibemus districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub obtestatione diuini iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat. *Oxon. can. 49.*

13. Et ne occurrat aliquis dicendo hæc monita salutaria, consiliáque esse ad melius, non verò præcepta quæ vrgeãt necessariò Monachum, vt aliquid sibi intrinsecum; audiat acerrimas quas sacri canones transgressoribus interminantur pœnas. Etenim Conc. Antisiod. vbi suprà subiicit. Hoc si Abbas per se non emendauerit, ad agendam pœnitentiã in alio Monasterio (proprietarius Monachus) detrudatur. *Conc. Antisiod. vbi suprà.* Et Lateranense vbi suprà adiicit. Si peculium habuerint, de communione remoueantur altaris: & qui in extremis cum peculio inuẽtus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, neque inter fratres recipiat sepulturam. *Lateran. vbi suprà.* Nicolaus item in constitutionibus Benedictinorum definit. Pœnã Monachis proprietariis infligatur, videlicet per annum ad statum nouum redigantur, & infra dictum annum assiduè coram Conuentu comedant in terra sedentes. *Nicol. in const. Benedict.* Et Gregorius IX. etiam in constitutionibus Benedictinorum. In proprietarios excommunicationis sententiã promulgetur. *Greg. in const. Benedict.* Quibus subiiciendi sunt canones, quos suprà pro explicatione vltimæ clausulæ inuexi-

mus:

mus: præcipuè illum ex Innocẽtio III. cap. Cùm ad Monasterium, vbi decernitur. Monachus, apud quem hora mortis inuenitur proprietas, subterratur extra Monasterium in sterquilinio in signum perditionis. Constat autem tam acerbas & ignobiles, infamiæ dedecorísq; refertas pœnas non nisi ob grauissimas potuisse interminari culpas. Talis ergo est in Monacho noxa proprietatis.

4. Demũ votum paupertatis essentiale est religioni, non minus quã votũ castitatis: vt palàm & expressè habetur in cap. Cùm ad Monasteriũ, de statu Monachorum, in fine, vbi sic habetur. Nec æstimet Abbas quod super habenda proprietate possit cũ aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Igitur vt Monachus nõ potest habere ius ad matrimonium, sic neque ad patrimoniũ, aut peculiũ, & proinde neq; habere propriũ quid.

5. Vt autem explicemus quod in hac parte essentialius est, vtique quid nomine proprij intelligamus, aduertendũ est primò, quod habere proprietatem in aliqua re, idem omnino est atque habere ius in illa, & quidem ius dominij, quod cõsistit in authoritate & potestate disponendi, & vtendi ea pro libito & arbitratu, nisi lex prohibeat: vt prohibet amentibus, ebriis, & infantibus vsum & dispositionem liberam rerum, quarũ verè sunt domini, donec sui iuris fiant. Ita Theologi cum Magistro, & Iurisperiti cũ Bartolo apud Anton. Gomez.

Deinde aduertendum est, dominiũ prima sui diuisione diuidi in dominium integrum & diminutum; quorum primum consistit in potestate disponendi pleno iure de aliqua re: secundum verò in potestate disponendi de ea, quantũ ad aliquid eius. Deinde diuiditur in dominium directum, quod dicitur dominiũ proprietatis, quale est illud quod retinet apud se, qui rem aliquã immobilẽ alteri tradidit in perpetuũ, vel per aliquot vitas fruendã, sub certa & determinata pẽsione; quæ traditio dicitur emphyteusis: & in dominium indirectum, quod dicitur dominium vtilitatis, quale est illud quod habet qui recipit in emphyteusim rem immobilem aliquã. Vnde quãdo vni legatur proprietas, verbi gratia, agri, alteri verò vsusfructus illius, alteri autem vsus, nulli eorum donatur plenum ius agri, nec fit integrè perfectéque dominus eius, sed limitatè tantùm: primus proprietatis; secundus omnimodæ vtilitatis; tertius vtilitatis determinatæ & definitæ. *l. Generaliter. ff. qui & à quibus. & l. Si ita stipulatus. §. Trius. ff. de verborum obligationibus.*

Theologi in 4 d. 15. Iurisp. in l. Si quis. n. 4. ff. de adquirẽda possessione. Ant. Gomez ad legem 4. Tauri. 16.

Tertiò est notandum, dominiũ proprietatis definiri ius disponendi de substantia rei authoritate propria, per quod excluduntur administratores, procuratores, & Occonomi, qui authoritate dũtaxat aliena disponũt de rerũ substãtia. De quo vbi suprà Bartolus, & cum eo citati. Dominiũ verò vtilitatis quoad vsum fructum, est ius disponẽdi

17.

de fructibus rei, salua eius substantia: ita vt possit rei fructus locare, vendere, & donare, cui, quando, & quomodo voluerit. Glossa *in l.1. ff. de vsu & habitu.* Dominium verò vtilitatis quoad vsum tantùm, est ius quo potest quis in suum propriũ commodum tãtùm vti fructibus rei, non verò dispẽsare illos in aliorum vtilitatem, aut quouis modo distrahere eos. *Instituta de vsu & habitu.§. 1. & l. Pleum, ad finem. ff. de vsu & habitu.* Exemplum horum trium est in eo qui in emphyteusim tradidit alteri, v.g. prædium suum; & iste committit culturam eius alicui famulo, ea conditione, vt de fructibus illius sustentetur. Tunc apud primum est dominium directum, licet non integrum, nec pleno iure: apud duos alios est non solùm dominium diminutum, sed indirectum; vtique apud secundum dominiũ vsusfructus tantùm, apud tertium dominium non nisi vsus. Vnde cùm dominium sit idem quod proprietas, sequitur, tres istos habere proprietatem erga illud prædium, hoc est, ius iustitiæ ad aliquid eius, licet diuersimodè.

18. His positis, sensus sententiæ affirmatiuæ est, nullum proprietatis genus penes Monachum esse posse, hoc est, neque dominij directi etiam diminuti, neque vsusfructus, sed neque vsus tantùm erga vllam omnino rem, etiam erga illã, quam ante professionem habebat, & illam quã post professionem adquirit, siue per suas operas, siue per suam industriam, siue dono oblatam, aut quouis alio titulo obtentam. Ita c. Abbates. 16. quæstione 2. Et patet ex eo quod nihil Monachus habet ad vsum, quod non sit de licentia Prælati, qua tamen non indigeret, si haberet facultatem vtendi; vt famulus qui colit prædium sub conditione vsus, non indiget licentia heri ad disponendum de fructibus, & ad vtendum eis in propriam sustentationem. Quocirca cùm omne proprietatis genus trino hoc habendi modo claudatur, sequitur, Monachum habere non posse propriũ quid, vtpote neque dominum dominij directi, aut indirecti, quantumuis diminuti.

19. Quod si obiiciatur primò, Monachos habere ius ad propriam corporis sustentationem, & quidem ius naturale diuinum; quia scriptum est: *Qui altario seruiunt, de altari edunt*, &, *dignus est operarius cibo suo.* Vnde Abbas qui Monacho necessaria alimenta subtraheret, peccatum iniustitiæ committeret. Ergo iure habent proprium quid. Respondeo negando consequentiam, quia licet verè habeant Monachi ad propriam sustentationem ius, tum propter dicta: tum quia Monasterij bona ad Monachorum sustentationẽ destinata sunt, & ad id à benefactoribus tradita: quia tamen non habent ius disponendi de sustentatione propria, adhuc in alimoniam pauperum & in eleemosynam, citra specialem licentiam Prælati, nisi tantùm in propriam alimoniam: adeò vt qui sic cibaria non insumpserit, intacta teneatur relinquere arbi-

1.Cor.9.13, Matt.10.10.

tratui

tratui Abbatis; ideo non habent proprium quid.

20. Si obiiciatur secundò, Monachos vniuersos habere vsum vestimentorum, calceorum, librorum, aliorúmque vtensilium, quę iure debentur Monachis, secundum suum statum; adeò vt Prælatus, qui hæc denegaret illis, iniurius eis esset, & in visitatione Superioris pœnas nec leues daret, & fortè priuationis aut suspensionis. Respondeo rem ita se habere: at hoc non esse habere proprium quid, etiã ad vsum, vtpote quod his vti non potest Monachus pro arbitratu suo, etiam in suum tantùm proprium commodum, sed tantùm in eos vsus, quos religio sanciuit, & ad quos hæc ista ordinauit.

21. Neque argumenta in contrarium officiunt. Primum enim nihil omnino probat: quoniam iura illa & similia quæ induci possunt, procedunt de peculiis quæ Monachi habent de licentia expressa, vel præsumpta Prælatorum suorum. Ea autem quæ ad nutum alterius habentur, ita vt quando libuerit, possit eis priuare, non sunt propria, sed gratuita.

22. Ad secundum argumentum similiter respondent Doctores antiqui, vtique Innocentius & Ostiensis, & alij in hoc argumento relati. Quod si obiiciamus eis decretum Concilij Tridentini sess. 25. de Regularibus cap. 2. Non liceat Superioribus bona stabilia alicui regulari cõcedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, vel administrationem, vel commendam. Respõdet doctissimus Nauarrus, prædictum Concilij Tridentini decretum solùm cauere ne Superiores alicui regulari bona stabilia tribuant, ad vsum, administrationem, vsumfructum, vel commẽdam sine iusta aliqua & vrgenti causa, non autem cauere absolutè quod id fiat. Et subdit, Concilium Tridentinum in hoc nullum ius nouum induxisse, sed tantummodo antiquum renouasse. Etenim Concilium Lateranense sub Alexandro III. in hunc modum sanciuit. Monachi peculium non permittantur habere. Nihilominus Corduba, qui etiam post Concilium Tridentinum scripsit, & Ioannes Azor dicunt doctrinam illam Doctorum, qui Concilium Tridentinum præcessere, non valere post Concilij Tridentini decretum: quia licet iure antiquo, naturali vtique diuino, aut Ecclesiastico, prohibitum non esset permittere religiosis, habere vsum stabilium bonorum, iure tamen Ecclesiastico nouo, vtique Tridentino, idipsum improbatum est: quoniam huiusmodi bonorum vsus, causa multorum malorum (experiẽtia magistra) apud religiosos esse solet.

Innocent. & Ostiensis cap. cùm ad Monasterium. Conc. Trid. sess. 25. c. 2. Nauar. comment. 2. de Regular. nu. 18.

Concil. Lateran. p. 1. c. 10.

Corduba in Sũma q. 54.

Azor lib. 12. institut. moral. c. 9. q. 2.

23. At cùm videamus citra conscientiæ scrupulum Monialibus à parentibus & à propinquis dari redditus, census, prouentúsque similes ad vitæ sustentationem de sola Superiorum licentia, certò credendum est quod verba Concilij sunt intelligenda iuxta expositionem Nauarri; ne dicamus, quod decretum Concilij non habetur in praxi; sed quod per desuetudinem, vel potiùs per non vsum robur amiserit suum

tanquam lex positiua Ecclesiastica: maximè quod id non tantùm apud Moniales videmus, sed etiam apud Monachos, quorum aliqui de licentia Superiorum, habent quidem quantum ad vsum stabilia bona reddituũ annualium. Et licet mihi non constet de vrgente necessitate ad talem dispensationem, præsertim in illis qui redditibus locupletioribus abundant; credendum tamen est quod non absque iusta & legitima causa talium tantorumque administratio bonorum est illis concessa: præsertim quando conceditur per generale aut prouinciale Capitulum, aut etiam de consensu totius conuentus. Tunc ènim prædicti Monachi quasi Monasterij administratores & officiales sũt. Quare vt de licẽtia & nutu Superiorũ Monachus officio fungẽs penes se habet munus administrandi redditus annuales totiũs Monasterij: sic particularis Monachus potest de licentia eorũdem stabilia aliquot in particulari administrare bona, quæ illi sint ad vsum. Bonũ enim particularis Monachi cõputatur bonũ totius cõmunitatis, & redundat in illud. Interim tamen timendum valde est tanti Concilij decretũ: videtur enim absolutum. Et illi, quibus conditionatũ apparẽt, pro conditione intelligunt iustã, rationabilẽ, & vrgẽtem causam, vt sic non de facili concedatur licentia habendi ad vsum stabilia bona, sed tãtũ quãdo necessitas ad id eos cõpulerit.

Ad 3. argumentum vt respondeamus, dubium aliud discutiendum sub hac forma est.

DVBIVM II.

Vtrùm ab initio Monachis rerũ proprietas interdicta sit, vel non, nisi tractu temporis?

24. PARTIS negatiuæ agmen sapientissimus ducit Gabriel Vazquez. Is enim duo constituit: quorum primum est, multis retrò seculis rerum dominia penes religiosos mansisse; & hoc probat testimoniis argumenti 3. præcedentis dubij, pro cuius enodatione dubium hoc discutimus. Illis enim elogiis liquidò ostenditur, religiosos temporibus illis valida testamenta condidisse; & proinde rerum dominia apud illos perseueraſſe: quoniam aliàs testamenta illorum vana & non valida essent. Similia ad idem Basilius Legionẽsis Augustinianus (egregiè doctus) testimonia congerit ex Leone Imperatore constitutione 5. & ex Concilio Lugdunensi I. can. 2. & ex Matisconensi can. 19. Maximè autẽ ex D. Patre Augustino Serm. 2. de communi vita clericorum, ad probandum religiosorum testamenta tunc temporis valida fuisse. Quibus subiicienda sunt quæ ipsi præfati Patres adiungunt, vtique religiosorum connubia validè olim celebrata, quamuis illicitè. Ex hoc enim argumentantur, quod si tunc nõ erant inhabiles ad coniugia, multo minus ad dominia; & proinde quod validè, quamuis illicitè, testamenta condebant.

Vazquez 1. 2. disp. 165. cap. 6.

Basil. Legionens. quæst. 3. Schol. cap. 5.

25. Secundũ est, leges impartientes Monachis prædictã facultatẽ testandi, postea correctas, &

abro

abrogatas fuisse, omniaque dominia rerum Monachis sublata, & suis Monasteriis pleno iure concessa. Hoc autem dicit colligi ex Greg. magno lib. 7. Registri. epist. 7. relata 19. q. 3. cap. Cũ ingredientibus, & ex constitutione 5. Iustiniani Imperatoris collatione 1. §. illud quoque. Vndẽ authẽtica, *Nũc autẽ. C. de Episcopis & clericis*, desumpta est. Per quam (inquit Salicetus) correctę fuerunt antiquæ leges, quæ Monachis rerum dominia permittebant. Idẽque sensit Cuiacius in expositione Nouellæ 5. de Monachis. Ex his autẽ planè coniicitur, Monachis non ab initio, sed tractu temporis rerum proprietatem interdictam fuisse & abolitam.

Salicetus in Authentica, Nũc autem. C de Episc. Cuiacius in Nouella 5. de Monachis.

26. In contrarium tamen multa & magna sunt. In primis enim antiquiores Patres, vtique Basilius, Hieronymus, & Augustinus, Diuusque Pater noster Benedictus religionis fundamenta eruerunt ex illo Actorum 2.44. *Possessiones & substantiam vendebant, & diuidebant illa prout cuique opus erat.* & ex illo Actorum 4.32. *Multitudinis credẽtium erat cor vnum & anima vna, neque quisquam aliquid eorum quæ possidebat, suum esse dicebat.* Quod est consonum monito illi Christi Domini Matth. 15.18. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Cùm igitur status Monachorum sit status ad perfectionem tendens, consequens est, quod si via ad perfectionem istam est rerum temporalium abdicatio, quod sit monachatui intrinseca.

Basil. reg. 19. ex fus. Hier. epist. 8. August. epist. 109. Act. 2. 44. Act. 4. 32. Matt 15. 18.

27. Vnde omnes religionum fundatores suis in regulis rerũ dominia à Monachis maximo studio abdicarunt, statuẽtes nequid prorsus proprium haberent. Basilius enim cùm interrogasset an qui inter fratres est, deberet aliquid propriũ habere, respondit. Hic contrarius est illi Actorum testimonio: Nemo ex eis quidquam suorũ proprium dicebat. Siquis ergo propriũ sibi esse dicat, sine dubio alienũ se facit ab electis. Et epist. ad Ascesiã. Monachum oportet cum primis nihil in vita quod iuris sui propriũ sit, possidere. Et in quæstionibus breuioribus. In societate fratrũ nihil priuatim haberi debet. Augustinus etiam scribit. Primum propter quod estis in vnum cõgregati, est vt sit vobis cor vnũ, & nõ dicatis aliquid proprium. D. Pater hic; *Præcipuè hoc vitium radicitus amputandum est de Monasterio.* Seraphicus Pater suã sic orditur regulam. Regula & vita minorum fratrum hæc est, Euãgelium obseruare, viuendo in obedientia sine proprio. Et infrà. Præcipio firmiter fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios accipiant, per se, vel per interpositã personam. Et Sanctus Ignatius in constitutionibus Societatis Iesu. Doceantur omnes quod nulla re tanquam propria vti debeant. Quæ dixerim, vt ostendam apud omnes religionum fundatores pro fundamento religiosæ vitæ positam esse monasticam paupertatem.

Basil. lib. de Monach. institutionibus cap. 25.

Idem epistola ad Ascesiam.

Idem q. 85. & 87.

Augustinus epist. 109.

D. Pater hic Franciscus in regula.

Idem cap. 4. regulæ

Ignatius 3. p. cap. 1. sect. 7. & 8.

28. Deinde Monachi ab initio paupertatem vouerũt, aliàs non essent Monachi. Sed paupertatẽ voto Deo dicatam violare, Deo ipsi infensissimum est: vt patet in

interitu illo Ananiæ & Saphiræ, de quo Actorum 5. Igitur cùm proprij retentio sit idem quod voti paupertatis violatio, sequitur, proprietatem ab initio cum vero monachatu pugnasse. Sanè Chrysostomus rem istam expendés. Anania(inquit)oportebat ab initio habere, & non promittere; nunc autem postquã consecrasti, maius sacrilegium commisisti. Et Hieronymus epistola ad Demetriadem. Ananias & Saphira ideo condẽnati sunt, quia post votũ partem sibi substantiæ reseruarunt. Et Augustinus ait de Anania. Dum in eo quod promiserat partem subtraxit, sacrilegij simul condemnatur & fraudis. Et Fulgentius. Quàm sit malum fugiendum, retinere aliquid de eo quod Deo vouerit, exemplo sunt Ananias & Saphira. Et tandem Greg. epistola ad Venantiũ. Ananias Deo pecunias vouerat, quas postea victus Diaboli persequutione subtraxit, sed qua morte mulctatus sit scitis. Quæ omnia & aliqua ex his quæ postea subiiciemus, ante me notauit fidei sydus illud Cardinalis Bellarminus. Si ergo retentione, aut subtractione alicuius rei tanquam proprię votum paupertatis violatur, & seuerè admodum à Deo punitur, quomodo à principio Monachi suarum rerum dominio potiebantur, aut potiri potuerunt, cùm à principio etiam votum paupertatis emiserint?

Chrys. hom. 12. in Act.

Hier. epist. 8. tom. 1.

Aug. Ser. 27. de verbis Apost.

Fulg. epist. de debito coniugali cap. 8.

Gregor. lib. 1. epist. 33.

Bellar. tom. 1. lib. 2. de Monachis cap. 2.

29. Tertiò, Vrbanus I. Papa & Martyr, qui floruit in Pontificatu ab anno 226. scriptum reliquit. Quicumque vestrûm vitam communem suscipit, & vouet se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritã faciat. Concilium etiam Aurelianense I. tempore Symmachi Papæ prope annum 507. agens de Monachis inquit. Siquis peculiare habere præsumpserit, omnia quæ acquisierit, ab Abbatibus auferantur secundum regulam Monasterio profuturam. Ioannes Cassianus adhuc ante illa tempora de institutione nouitiorum ait. Ambiens quis intra Cœnobij recipi disciplinam, diligentia summa perquiritur, ne de pristinis facultatibus inhæserit ei nec vnius nummi contagium. Sciunt enim neque humilitatis, neque obedientiæ apprehensurum virtutem, si in conscientia eius pecuniæ quamtulumcunque latuerit. Et infrà. Illam sanè virtutem inter cæteras Monachorum institutiones vel commemorare superfluum puto, quod scilicet nulli cistellam, nulli peculiarem sportellam liceat possidere, nec tale aliquid quod veluti suum proprio debeat communiri signaculo. Et subiicit duo. Primũ, quod etiam in laxioribus Monasteriis id strictissimè obseruatur. Secundum, quod qui etiam incautè & per subreptionem suum aliquid dicebat, v.g. codicem meum, tabulas meas, pœnitentia crimen purgabat. Si ergo ab initio tam stricta dominij abdicatio in Monachis, quomodo ab initio in illis rerum proprietas? Si tantum putabatur nefas de re quapiam tunc dispensare, aut illam penes se habere, quomodo tunc reipsa rerum Monachi potiebantur?

Vrbanus epist. decretali.

Concilium Aurelian. 1. de Monach.

Cassianus de instit. Monach. lib. 1.

Idem ibi. cap. 13.

Quod

30. Quod si fortè dicatur non pugnare cum proprietate rerũ, paupertatis votum & violationem illius, vt non pugnat cum habilitate ad matrimonium, votum simplex castitatis & violatio eius: Sed sicut qui post emissum simplex castitatis votum vxorem duceret, verè valideque contraheret, licet in sic contrahendo peccaret grauissimè: sic Monachus post emissum paupertatis votum, validè posset quidpiam apud se retinere, aut donare, licèt peccaret grauissimè sic illud retinendo, aut donãdo.

31. Si igitur id dicatur, percontor an paupertatis votum destruat proprietatem rerum, & dominium illarum in vouente, vel non? Si primum, iam vouens non retinet dominium illarum quod est intentum. Si secũdum, ergo penes sic vouentem manet libera potestas & facultas disponendi de rebus illis: siquidem in hoc consistit essentialiter & quidditatiuè ratio dominij, prout præcedenti dubio tam ex Theologis, quàm ex Iurisperitis stabilitum est. Dominus autem alicuius rei quale vnquam peccatum admisit, in hoc præcisè quod est retinere illam, aut insumere eam in vsus per se bonos? Cùm igitur Monachus retinens quidpiam ex his quæ illi vel testamento, vel labore, aut donatione obtigerant, aut expendens illud in vsus etiam pios & honestos, v.g. eleemosynam, citra expressam, vel tacitam Prælati sui licentiam, sceleris semper coargutus fuerit, & quidem grauissimi, vtique sacrilegij, vt patet ex suprà dictis: consequens est, quod nullam erga talem rem proprietatem habeat. Neque est simile de voto castitatis, & potestate contrahendi: quoniam habitus ad contrahendum, non est libera potestas contrahendi, cui omne castitatis votum aduersatur, sed est capacitas tantùm ad validè contrahendum. Dominium autem rerum est libera potestas retinendi illas, & disponendi pro libito, saltem in vsus aliquos.

32. Quod si dicatur secundò, Monachos habuisse quidem ab initio dominium suarum rerum, ligatum tamen & impeditum paupertatis voto, quod à die professionis emittebant: & propterea peccasse sacrilegè retinẽdo illas, aut disponendo de eis in quoscumque vsus citra licentiam Prælati: vt Princeps ante prouectam ætatem habet quidẽ dominium rerum sui principatus; quia tamen habet illud ligatum regalibus tutelæ legibus, ideo distrahendo illas, & pro libito dispensando absque Regis facultate & licentia peccat, & perperam agit, & reum se pœnę constituit.

33. Si igitur id secundò dicatur, ego secundò obiicio, vtique planè sequi ex his, tum quod bonorum retentio clanculaque subtractio Monachis ab initio reproba non fuerit, magis quàm contra tutelares leges quod pupillus hæres apud se sua bona retineat. At consequens est plusquàm falsum, vt patet ex suprà dictis, præsertim de Anania & Saphira. Igitur per monachatum non tantùm impeditur dominium, sed omnino subtrahitur; siquidem

siquidem per illum aufertur potestas retinendi & conseruandi aliquid tanquam proprium. Tum quod dispensatio distractioque bonorum licet re vera Monachis sacrilega fuisset contra religionem voti, non tamen fuisset iniusta contra virtutem iustitię, vtpote facta de voluntate domini. Quare subreptio aut distributio etiam nefanda bonorum, quam ante prouectam ætatem dominus ipse facit, licet sit iniqua, vtpote dispendium contra leges factum, non tamen est furtum, quia non est alieni inuito domino. Cùm igitur tam retentio subtractioque bonorum, quæ quomodocumque obtingunt Monacho, quàm dispensatio & distractio illorum in quoscumque vsus citra licentiam Prælati, pro furto latrociniove computentur, & ab initio contra monachatum computatum fuerit, vt nunc videbimus: consequens est, dominium Monachis minimè fuisse ligatum, sed abrasum prorsus.

34. *Bern. de modo bene viuen. Ser. 24.*

Aug. cap. 29. Regula.

Hier. tom. 1. epist. 8.

Sanè non solùm Bernardus (qui post tempora Iustiniani Imp. & Gregorij magni scripsit) furti & latrocinij insimulat ista, sed & D. Augustinus ait. Siquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnatur. Et meritò quidem, quoniam (vt habet Hieronymus) Ananias. & Saphira ideo condemnati sunt, quia post votum obtulerunt quasi sua, & non cius cui semel eam vouerunt partem, quæ sibi iam alienæ substantiæ reseruarunt. Vbi est notandum ly *quasi sua*, & ly *iam alienæ substantiæ*. Per hæc enim liquidò ostendit, quod qui Deo aliquam rem deuouit, ipso facto reddit eam non suam. Cùm igitur in professione Monachi omnia deuoueant Deo, consequens est, vt faciant ea non sua, & proinde aliena, nimirum Dei in administratione Monasterij. Alieni autem vsurpatio, occultatio, aut distributio, nisi fiant de licentia domini, furtum & rapina sunt. Cùm igitur repugnet furtum vero domino, respectu bonorum suorum, sequitur, Monachos numquam habere potuisse dominium aut proprietatem etiam circa patrimonia sua.

35. Et quidem Monachi retinentes, aut vsurpantes tanquam proprium aliquid, non solùm insimulantur furti, sed æquiparantur in furto cum Iuda proditore. Basilius enim dicit Monachum salutem animæ perdere, & furem esse atque alterum Iudam, si aliquid priuatè possideat. Hugo item Victorinus super Augustini elogium ex cap. 29. Regulæ dicit. Frater qui rem sibi collatam celauerit, Iudæ traditoris locum tenet in Ecclesia sancta, qui fur erat & latro, & loculos habebat, & ea quæ mittebantur à Domino asportabat & abscondebat. Cassianus demum contulit huiusmodi Monachos cum Giezi, de quo 4. Regum 5. & cum Iuda proditore, de quo Matth. 26. & cum Anania & Saphira, de quibus Actorum 4. Quod si Monachus committit furtum in vsurpatione, aut retentione eorum quæ sibi obtigerint; consequens est, non habere dominium erga illa.

Basil. in constit. Monach. cap. vlt.

Cassian. lib. 7. instit. c. 14.

36. Demum si propter aliquid in oppositam sententiam conceden

dendum esset, maximè propter elogia in fauorem illius inducta. At quamuis verè illa de religiosis procedant, nihil tamen habent, quod nos necessariò determinet ad existimandum quod loquuntur de religiosis professis, sed potiùs de nouitiis. Circa quos tamen nostra non procedit quæstio. Etenim testandi facultas, quæ æquè illis ac viduis, & clericis datur, potiùs nouitios eos quàm professos denotat, quibus duntaxat eadem cum clericis atque viduis testamenta condendi potestas est. Reliqua autem illarum Imperialium cõstitutionum Marciani & Theodosij verba, communia professis atque nouitiis religiosis sunt, vt patebit legenti: & proinde nullam professorum habent notam. Et idem est de Gregorij Magni elogio: quia non de fœmina in religione professa, sed Monasterium ingressa, sermonem continet. Ait enim; Res suas omnes Monasterio quod ingressa est, donauit.

37. Quod autem Arsenio Monacho aliquid testamento Senatoris legatum sit, non arguit dominium in Arsenio: nam etiam hodie aliqua religiosis testamẽto legantur: in quæ tamen ipsi dominium habere non possunt, sed sua Monasteria: iuxta authenticam, *Ingressi, de sacrosanctis Ecclesiis.*

38. Sanctio item Leonis Imperatoris eamdem solutionem habet, procedit enim expressè de his qui Monasterium adierunt. Adire autem Monasterium, non est professione deuinci ad regulam Monasterij, aut in illo perseuerare. Idem similiter est de constitutione Concilij Lugdunensis, vtpote quæ procedit de testamentis propria voluntate factis. Quis autem dixit religiosos verè professos propria adhuc voluntate potiri? aliàs vbi obedientia?

Ad Concilij Matisconensis decretum dicendum est, pro nobis potiùs stare quàm contra nos. Perstringit enim anathemate tam Moniales professas dispertientes bona sua, quàm suscipientes & dono accipientes ea, nisi restituant. Quod tamen sanciri non posset, si verè professæ Moniales illæ dominio suorum bonorum potirentur. 39.

Augustini autem testimonium maius nobis negotium facessit. Procedit enim de religioso verè professo, vt Augustinus ipse semel & iterum explanat. Inquit enim. Testamentum fecit presbyter, socius noster nobiscum manens, communem vitam profitens. At quoniam testamentum eius non modò Augustinus doluit, sed etiam quoad potuit, deleuit, respuẽs legata eius, etiamsi prorsus facta in fauorẽ Hipponensis Ecclesiæ, & in aliorũ beneficium conuertens contra dispositionem testantis; colligitur quod testamentum illud pro inualido habuit. Aliàs non sic potuisset illud tam facilè inuertere. 40.

Scio Ioannem Azor. referre aliquorum opinionem esse, iure communi antiquo Monachum filiis carentem dominij & proprietatis expertem esse; habentem tamen liberos, non ita: in cuius robur inducit 41. *Azor lib. 12. Institu. mor. cap 6. q. 4.*

authenticam illam *de sanctissimis Episcopis, collatione 6.§.Si qua mulier*, vbi decernitur. Si qua mulier, aut vir monasticam vitam elegerit, & Monasterium intrauerit liberis non extantibus, Monasterio, quod ingreditur, res eius competere iubemus. Sed si liberos habens antequam de rebus suis inter eos disponat, Monasterium intret, liceat ei postea inter eos diuidere portionem nullo diminuto triente, vel semisse, & quod eis non dederit, Monasterio competit. Sed si post ingressum moriatur, antequam inter filios diuidat, filij legitimâ portionem percipiant, reliqua substantia Monasterio competente. Inducit etiam commentum ex Gratiano nostro 19. q.3.§. Nunc autem, ex quo videtur colligi, tunc penes patrem Monachum fuisse inter filios suos suam substantiam diuidere. Verumtamen hoc potiùs erat disponere de aliena, vtique de filiorum substantia, quàm de propria, quam in commendam habebat pater Monachus, & adhuc de licentia; & ideo dictis non obstat.

42. Ad illud denique quod de coniugiis validis, quamuis illicitis Monachorũ obiicitur, respõdeo, quod quidquid sit de hoc, de quo inter Catholicos semper acriter pugnatum est, nihil tamen obstat conatibus nostris: quoniam (vt iam suprà tetigi) habilitas ad matrimonium non est ius ad illud, sed capacitas tantùm; quæ duo adeò diuersa sunt, vt de omni, v. g. clerico prædicetur capacitas ad summũ Pontificatum, ius tamen non nisi de electo. At dominium alicuius rei essentialiter est ius ad illam, & propterea nihil aliud est concedere dominium alicui erga aliquam rem, quàm concedere ius ad illam. Et cùm hoc ius sit vtendi ea pro libito, fit consequens, vt si religiosus haberet dominium alicuius rei, siue proprietatis, siue vtilitatis, liberè ac licitè posset vti illo. Quod tamen vel contrarij negant, & Sancti Patres damnant. Vt autem magis hæc capiamus, dubium aliud examinandum est. Vnde sit

DVBIVM III.

Vtrùm de essentia monachatus sit omnimodæ proprietatis abdicatio.

43. A Parte negatiua sunt authores qui præcedenti dubio parti affirmatiuæ adhæserunt. Exquo enim admiserunt, antiquiores Monachos verè & propriè Monachos fuisse, & tamen ad validè testandum, rerúmque dominium habendum habiles, cõsequenter asseruerũt, non esse de ratione & essentia monachatus omnimodam paupertatem, seu omnimodam proprietatis abdicationem. Et quidem sic rem se habere, sequentibus non inualidè possumus argumentis fulcire.

44. In primis vita Monachi non est, aut esse debet, vel potest vita Christi perfectior, sed potiùs eo est perfectior quo vitæ Christi similior. At Christus licet se abdicauerit ab vsufructu & vsu rerum temporalium, non tamen

à pro

Psal. 71. ad Heb. 1. Apoc. 1. 19.

à proprietatis dominio quod habuit *à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Constituit enim illum Pater æternus hæredem vniuersorum. Vnde habebat in femore scriptum, *Rex regum, & Dominus dominantium.* Igitur cũ retentione dominij proprietatis poterit monachatus haberi, modò abdicatio fiat à dominio vtilitatis.

45. Secũdò, crebrò Monachi creãtur Episcopi, imò Duces, Marchiones, aut Comites, quorum dignitates aliquando Episcoporum dignitati iunguntur: aliquando etiam Cardinales, quinimò & Summi Pontifices, & interdum Reges. Cùm ergo penes istos sit dominium facultatum illarum quæ talia concernunt munera, consequens est, monachatus essentiam non excludere omnem proprietatis actionem.

46. Tertiò, aliqui religiosi habẽt beneficia Ecclesiastica, quorum fructus suo nomine exigunt, distribuunt, & donant, prout habet Cardinalis in Clementina 2. §. sed & tales, de vita & honestate clericorum, & Nauarrus in Clementina 2. de Regularibus num. 10. At beneficiorum dominium, & dominium reddituum illorum verè dominium est. Igitur monachatui non omne ius dominij repugnat; & proinde paupertas omnimoda non est de essentia eius.

47. Quartò, Summus Pontifex potest dispensare cum Monacho etiam solemni paupertatis voto adstricto, vt validum ratumque conficiat testamentum; prout Gregor. Magnus (qui Monachis testamenta condendi prosus ianuam obstruxit) cum Probo Abbate Monasterij Sancti Andreæ dispensauit. Sed quæ dispensabilia sunt in aliqua re, non possunt esse de essentia illius, vtpote separabilia ab ea. Ergo omnimoda paupertas non est de ratione monachatus.

Greg. lib. 7. indict. 2. epist. 7. Idem lib. 9. epist. 22. indict 4.

Quintò, monachatum essentialiter petere omnimodã proprietatis abdicationem; vel est de iure naturali aut diuino; & hoc non, quoniam aliàs indispensabilis talis obligatio esset etiam ipsi Summo Ecclesię principi Papæ, cui naturale & diuinum iura non subsunt. Aut de iure Ecclesiastico; & neque hoc similiter, quoniam antequam Ecclesia aliquid de monachatu sanciret, erant verè Monachi, vtique tempore Diui Marci. Siquidem, vt Philo Iudæus apud Hieronymum in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorũ ait, tam in Alexandria quàm in multis aliis prouinciis erant Monachi, & habitacula eorum dicebantur Monasteria. Imò in Testamento veteri erãt Monachi. Igitur cùm status monasticus nullam possit essentiam sortiri præter illam quæ à iure est; consequens fit, paupertatem omnimodam illi essentialem non esse. 48.

49. Demum omnimoda rerum abdicatio importat abdicationem etiam à licitis & necessariis. Sed horum voluntaria abiectio, idem est ac voluntaria mortis necisve conscissio, quæ tamen nefas. Ergo.

In contrarium tamen est non 50.

D.Tho. 2.2. q. 186. a. 6. & 7. & q. 188.a.1.ad 2. Summista verb. Relig. Canonista in Rubrica de regularibus.

solùm communis Theologorum cum D. Thoma sententia, & Summistarum cum Siluestro, Tabiena & Angelo; & cum Innocentio, Ostiensi, Archidiacono, Ioanne Andrea, Abbate, & similibus, asserentium tria paupertatis, castitatis & obedientiæ vota essentialiter ad religionem & monachatum requiri: præterea quæ habentur in cap. Religiosi, de sententia excõmunicationis, in Sexto. §. quamuis. In contrarium igitur non solùm ista communis sententia est, sed illa quam ex professo & in particulari docet D. Thomas, vbi agens in particulari de paupertatis voto, & de necessitate illius ad religionem, dicit duo. Primum est, statum religionis esse disciplinam quãdam, per quam ad perfectionem charitatis peruenitur. Quod probat duplici authoritate, Augustini videlicet & Chrysostomi. Secundum est, quod ad perfectionem charitatis adquirendam primum fundamentum est paupertas voluntaria. Quod probat auctoritate Christi dicentis; *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Et posset probare illud ex his quæ nos præcedenti dubio pro prima probatione inueximus ex Basilio, Augustino, & Benedicto Patre. Constat autem fundamentum quid essentiale esse in omni ædificio stabili.

D. Tho.2.2. q.188.a.6.

Matth. 19. 21.

Et paulo suprà præmittit idem qui suprà D. Thomas: Diuitiæ natæ sunt perfectionem charitatis impedire, alliciendo animum & distrahendo. Vnde dicitur Matthæi 13. quod sollicitudo seculi & fallacia diuitiarum suffocãt verbum Dei: quia, vt Gregorius dixit, dum bonum desiderium ad cor intrare non sinunt, quasi aditum flatus vitalis vetant. Et ne obiiceremus illi, ad hæc satis esse diuitias fugere, non verò opus esse omnimodam paupertatem amplecti, saltem ad eleemosynas elargiendas, quæ gratum Deo sacrificium sunt; adiecit ex Gregorio solutione ad vltimum sic. Illi qui ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, sacrificium offerunt, quia aliquid Deo immolant, & aliquid sibi reseruant. Qui verò nihil sibi reseruant, offerunt holocaustum, quod est maius sacrificium. Per quod sanè liquidò ostendit, paupertatem requisitam ad religionem omnimodam esse debere, quoniam hæc sola potest holocaustum dici.

Matth. 13.

Greg.hom.15. in Euang.

Greg. hom. 20. in Matt.

§ 1. *D Tho. vbi sup. a 4.*

Et quidem si paupertas omnimoda essentialis monachatui non esset, adhuc (vt ita dicam, si fas ita loqui) præ duobus aliis castitatis & obedientiæ votis, cur violatio illius præ violatione istorum acriùs admodum & seueriùs tam in sacris canonibus, quàm apud Sanctos Patres Monachorum principes puniretur? Vtique priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ in signum perditionis, prout iam suprà ex Innocentio & Hieronymo vidimus; & est videre in Gregorio Magno, & Alexandro III. qui etiam prædictis adiicit. Qui in extremis cum peculio inuentus fuerit

52.

Greg. lib.4. dial. cap 55. Alexander cap. Cùm Monachi. de stat. Monach.

fuerit, & dignè non pœnituerit, neque oblatio pro eo fiat, neque inter fratres recipiat sepulturam. Abbas autem qui diligenter non curauerit, officij sui iacturam se nouerit incursurum. Cùm igitur habere peculium in aliis quàm in religiosis peccatũ non sit; in his autem adeò execrabile, vt peiùs audiat, & duriori pœna plectatur, quàm omnia Monachorum delicta, etiam turpitudinis & inobedientiæ: consequens est, essentiale ad monachatum præ cæteris votis fundamentum esse.

§ 3. Certè ob id quod inter religionis vota hoc paupertatis votum vice fundamenti est, potuit violatio eius seueriori mulcta puniri: grauiùs enim peccat qui fundamenta domus quàm qui culmina euertit. Ille enim omnia penitus destruit, is autem non nisi aliqua. Vnde illud; *Eximanite, eximanite vsque ad fundamentum in ea.* & illud: *Denudasti fundamentum eius vsque ad collum.* Essentialis igitur monachatui omnimoda paupertas est; adeò vt citra illam vera monachatus ratio nec sit, nec possit esse, magis quàm res sine eo quod pertinet ad rationem & essentiam illius. Et proinde qui ab obligatione omnimodæ paupertatis eximitur, à religionis iugo eo ipso extrahitur. Nihil enim sine sua essentia durat. Quare tantùm supereſt vt argumenta diluamus.

Psal. 136.7.

Habacuc 3.13.

§ 4. Ad primum respondeo, maiorem propositionem nullam dubitationem admittere. Ob illam siquidem scriptum habe-

mus; *Non est seruus maior domino suo. sufficit autem discipulo vt sit sicut magister eius*: minorem autem adhuc esse sub Iudice. Sed illa nihilominus cum plerisque recentiorum admissa, negatur consequentia: quoniam Christus Dominus vt perfectionis culmen teneret, nullo de meliori bono voto indiguit, aut vllo paupertatis genere. Nos autem vtroque egemus; paupertate quidem, vt perfectionem obtineamus, quia verbum Domini est; *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Temporalia enim valde nos à perfectione retardant. Vnde Diuus Paulus; *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*: castitate verò, vt in perfectione firmemur. Ad id enim vota nuncupantur Deo, vt nutantem firmemus voluntatem in his quæ expediunt, prout Diuus Thomas habet. Quod si Christus vsu potestatis suæ se abdicauit, hoc quidem non propter se, sed propter nos tantùm fecit, ob quos etiam duriora perpessum agnouimus. Vnde Paulus; *Qui cùm diues esset, pro nobis egenus factus est, vt nos eius inopia ditaremur*: diuitiis vtique spiritualibus (vt Beda sapientissimus ibi habet.) Quod sensit Diuus Thomas dicens ibi, Illius paupertate in temporalibus, vos diuites sitis in spiritualibus. Vtique propter exemplum. Quia diligendo paupertatem in tẽporalibus, efficimur diuites in spiritualibus: & propter sacramentum; quia sicut per hoc quod sustinuit mortem tempo-

Matt. 10.25.

Matt. 19.21.

2. *ad Tim.* 2.4.

D. Tho. 2.2. *q.* 88. *art.* 4.

2. *Cor.* 8.9.

D. Tho. sup. 2. *Cor.* 8.

ralem, liberati sumus à morte æterna: ita per hoc quod sustinuit inopiam in temporalibus, liberati sumus ab inopia in spiritualibus, & diuites facti in illis, iuxta id 1. ad Corint. *Diuites facti estis in illo in omni scientia.* 2. *Corint.* 1.

55. Ad secundum respondet D. Thomas, quod religiosus factus Episcopus nihil debet habere tanquam proprium; sed sicut dispensator cõmunium bonorum Ecclesiæ. Cui doctrinæ ex parte suffragatur Nauarrus, & est valde consona doctrinæ, quam hic adstruimus. At cùm 18. q. 1. cap. Statutum, dicatur, Monachum, quem sacra ordinatio Episcopum facit, habere ius adeundi paternam hæreditatem, & eam sibi vendicandi: consequens est, vt etiam habeat ius ad fructus, annuaque reditus Episcopatus sui. Et quidem cùm Monacho non solùm dominium proprietatis, sed etiam vtilitatis pari iure interdictum sit, consequens est, vt eo iure quo obtinet hoc secundum, obtineat etiam primum: quia non magis interdicitur illi vnum quàm aliud, imò magis hoc secundum, quàm illud primum. Quod autem obtineat hoc secundum, liquet ex eo quod Monachus factus Episcopus propria authoritate, proprioque nomine, non secus ac Episcopi alij distribuit Episcoparus, sui prouentus in quoscumque vsus lege permissos, quod est proprium vsufructuarij, aliàs habentis dominium vtilitatis. Imò dominium Episcoporum non est aliud nisi dominium vsufructuarij, & ita hoc obtento, obtinet dominium Episcopi, quia nullum aliud est super. Et amplius id liquet in Monacho ad summum Pontificatum assumpto, qui etiam temporalia quæque ad temporalem iurisdictionem spectantia bona absolutè & prorsus independenter dispensat. Et idem est de Monacho ad regiam dignitatem euecto, & principe seculari facto. Quis enim dicet hunc iuris sui non esse? Quod si sui iuris, quomodo Monachus? Repugnat enim, quod religio non habeat potestatem in suum iam professum Monachum, qui se illi tradidit, ac donauit maximè voto solemni. Quæ quidem potestas dominatiua est, per quam omnia Monachi sui vota non solùm dispensare, verùm irritare potest. Quis autem ad hunc gradum euectus, sic se suæ religioni mancipatum agnouit? Maximè si Rex, & maximè si Papa. Sui ergo iuris quantum ad hæc sunt: atque adeò cum iure ad ea, etiam temporalia quæque, quæ concernunt Episcopũ. Quapropter Magister Soto vnus ex potioribus D. Thomæ discipulis huic parti adhæret: Ioannes Azor etiam cum aliis in eamdem inclinat. *Soto* 10. *de iust. & iur. quæst.* 5. *a.* 7. *Azor lib.* 1. *Instit. mor. c.* 7.

56. Nec propterea aliquid contra nostram sententiam admittunt: eo quod exquo Monachus consecratione fit Episcopus, à iure regulæ & professione monachatus eximitur, prout expressè habetur 18. q. 1. cap. Statutum. Et proinde in tali casu Monachus fit non Monachus,

55. *D. Th.* 2. 2. *q.* 185. *a.* 4. & *q.* 188. *a.* 11. *ad* 4. *Nauarrus comment.* 2. *de religiosis num.* 17. & *de redditibus q.* 3. *mon.* 17.

chus, ſicut diſcipulus cùm ad docendum è cathedra aſſumitur, ex diſcipulo fit magiſter. Monachus enim eſt ad perfectionem diſcipulus, Epiſcopus autem magiſter. Quare vt leges tyronis non militant contra veteranos, ſic nec iura diſcipuli contra magiſtrum. Itaque adhuc ſententia iſta de proprietate Epiſcoporum admiſſa erga fructus Eccleſiæ (in qua ego nihil ex mea ſententia definio) nihil detrahitur ſententiæ noſtræ, ſed potiùs fauetur illi, dum adeò intrinſeca monachatui paupertas omnimoda aſſeritur, quod eo ipſo quod aliquis ab ea eximitur, monachatum (ſecundum illos) ſoluit, & à monachatu excidit, vnde & habitum mutat.

§ 7. *D. Th. 2. 2. q. 86. a. 7. ad 4.* Ad tertium reſpondetur, beneficia Eccleſiaſtica non computari inter temporalia bona, ſed inter ſpiritualia, quibus per votum paupertatis non renuntiatur, vt habet D. Thomas. Vnde ſicut Monachi habent ius eligendi Abbatem, & monaſticæ petendi & habendi, quæ ſunt ſacris annexa, ac ſtatui ſuo propria, vt veſtis, habitus, &c. ita & obtinendi beneficia. Et licèt iſtiuſmodi ius non obtineat apud Iuriſperitos nomen dominij aut proprietatis; (eo quod apud illos dominium propriè dictum, aut proprietas tantùm ſunt erga corporalia, vt habet Gloſſa *in cap. Conqueſtus, de foro competenti.* & *in leg. Sequitur.* §. *Si vnica. ff. de vſucapionibus.* & *leg. 3. ff. de adquirenda poſſeſſione.*) ſed tantùm obtineat nomen quaſi proprietatis & quaſi dominij, quod admittunt prædicta iura erga res ſpirituales, cuiuſmodi ſunt beneficium Eccleſiaſticum, iuriſdictio, ius nominandi, deſignandi, & offerendi clericum in beneficio inſtituendum, eligendi, confirmandi, inſtituendi, viſitandi, conferendi, & his ſimilia. Nihilominus abſolutè poteſt dici dominium: nam etiam homo dicitur dominus ſuarum immaterialiũ actionum, & Deus dicitur dominus animarum & Angelorum. Per hoc tamen non præiudicatur ſententiæ noſtræ, quæ procedit de rerum temporalium dominio.

§ 8. Ad quartum argumentum negat D. Thom. quod Summus Pontifex poſſit diſpenſare in aliquo voto ſolemni. Cui ſubſcribunt non ſolùm Thomiſtæ, verùm & plures alij, de quibus Soto. Et probant. Primò, quoniam Innocentius III. cap. Cùm ad Monaſterium, id expreſsè negat de voto caſtitatis & paupertatis, dicens hæc ita annexa cum ſtatu monachali eſſe, vt nec Summus Pontifex poſſit contra illa licentiam indulgere. Secundò, quia ſicut clericus per ſacerdotium conſecratur Deo, ſic Monachus per profeſſionem ſolemnem. Et ideo vt Sacerdos non poteſt fieri non Sacerdos, ſic de Monacho non poteſt fieri non Monachus. Tertiò, quia cùm Summus Pontifex non poſſit ſoluere matrimoniũ, eo quod eſt traditio hominis ad hominem; multo minus poterit monachatum ſolemni obſignatum voto diſſoluere, cùm ſit traditio hominis ad Deum. Quartò, quia

D. Tho. 2. 2. q. 88. a. 11.

Soto lib. 7. de iuſt. & iure. q. 4. art. 1. Vtrùm Summus Pontifex poſſit diſpenſare vota ſolemnia.

ſolemni

ſolemnis promiſſio, v. g. ſerui vel pecuniæ, fundi, & ſimilium, facta homini infert talem obligationem, vt nullus citra iniuſtitiæ labem poſſit eam reſcindere, aut inualidam reddere. Ergo multo minus id fieri poterit reſpectu promiſſionis factę Deo voto obſignatæ ſolemni. Demum quia ius diuinum eſt, vt vota reddantur Deo, iuxta illud pſalmi; *Vouete, & reddite Domino Deo veſtro*, Sed Summus Pontifex non habet authoritatem diſpenſandi in iure diuino, ſicut neque in naturali. Ergo.

59. *Soto vbi ſuprà.*

At referente eodem Magiſtro Soto, plures alij Theologorum oppoſitum aſſeruerunt. Inter quos etiam ſunt aliqui Thomiſtarum, v. g. Caietanus, Paludanus, D. Antoninus, ſimul cum Nauarro, Couarruuia, & Azor. Et eſt communis Iuriſperitorum ſententia cap. Cùm ad Monaſterium. Fundamẽtum eorum, & quidem ſolidiſſimum eſt, quod Pontifex quotidie cum Monachis ad Epiſcopatum aſſumptis diſpenſat in voto obedientiæ, & (iuxta multorum placita) in voto paupertatis: & aliquando diſpenſauit cum aliquibus in voto caſtitatis. Siquidem, vt refertur in vita Sancti Laurẽtij Iuſtiniani, & apud Volaterranum lib. 4. hiſtoriæ, Alexandẽr III. diſpenſauit cum Nicolao Iuſtiniano Monacho profeſſo, vt poſſet vxorem ducere, ne tam illuſtris Iuſtinianorum familia extingueretur. Et idem factum eſſe cum Caſimiro Monacho Cluniacenſi profeſſo per Benedictum IX. vel Clementem II. teſtatum habemus apud Martinum Cromerũ in hiſtoria Polonię lib. 4. de ōrigine & rebus geſtis Polonorum. Et referente Paludano in 4. d. 38. quæſt. 4. art. 4. concluſ. 11. & noſtris Hiſpanis hiſtoriographis, Summus Pontifex diſpenſauit cum Ramiro etiam Monacho Benedictino Monaſterij Sancti Ioannis de la Peña profeſſo, vt vxorem duceret, & Rex Aragoniæ inauguraretur. Et in vita Cœleſtini III. refert Platina, Conſtantiam filiam Regis Sicilię Monialem ptofeſſam diſpenſatam fuiſſe, vt nuberet Henrico Sexto. Quare cùm his neque fidem detrahere, neque vt nulliter facta damnare liceat, lubens ſubſcribo huic ſententiæ, vtique quod vrgentibus dignis ad tantam diſpenſationem cauſis, poſſit Pontifex in omni ſolemni voto diſpenſare.

Caiet. 2.2 q. 88. art. 4. & 10.
Palud. in 4. d. 9. q. 4.
Anton. 2. p. tit. 11. c. 2. §. 9.
Nauar. c. 12. n. 77.
Couar. de teſtamẽtis poſt 3. p. rub. c. 2. à num. 10.
Azor lib. 12. c. 7. q. 1. §. 2.

60. Neque obſtant argumenta in contrarium. Ad primum diu iam reſponſum eſt ab auctoribus ſecundæ ſententiæ, præſertim à Caietano, Durando, & Henrico, videlicet ſenſum Pontificis eo loci eſſe, duo illa caſtitatis & paupertatis vota indiſpenſabiliter adiungi ſtatui monachali: ita vt illorum altero deficiente, ſtatus monachalis concidat, vt cõcideret, ſi votum obedientiæ deeſſet. Tria ſiquidem hæc ſiue ſolemnia, ſiue non ſolemnia vota, ſunt indiuiſibilis religionis, ſeu monachatus eſſentia. Quibus licet alia accidant etiam eſſentialia vota, vt accidit religioſis Societatis Ieſu votum miſſionis ad prædicandum, & Monachis Trinitariis & Mercenariis votum de redemptione

Caietanus vbi ſuprà. Durand. in 4. d. 38. q. 2. Henr. quodlib. 5. q. 25.

ptione captiuorum, non sic accidunt, vt illis deficientibus, solueretur religiosus status. Is igitur est sensus elogij Innoc. III. quod saluo monachatu nec Summus Pontifex potest aliquod trium istorũ votorũ relaxare, bene tamen laxatis & relaxatis aliis. Sicut laxato & relaxato solẽni castitatis voto, quod ordini sacro, & maximè sacerdotali adiũgitur, adhuc integra sacerdotij ratio perseuerat, & potest manere Sacerdos etiam coniugatus: Monachus autem non ita.

61. Ad secundum respondetur, sacerdotij consecrationem imprimere characterem, qui suapte ratione indelebilis est: monachatus autẽ consecratio non sic, & ideo immobilis non inuenitur. Vnde sicut cõsecratus calix amittit consecrationẽ per hoc quod desinit esse calix, vt desinit soluta forma calicis: sic Monachus suã consecrationem amittit per hoc quod desinit esse Monachus: desinit autem quoties à tribus suis votis absolutur.

62. Ad tertiũ respõdetur, quod loquendo de matrimonio rato & consummato, status illius est ex instituto naturali & diuino, habens indissolubilitatẽ ex diuino pariter & naturali iure. Ex naturali quidẽ, quoniam est cõtractus spõtaneus & absolutus, & mutua ad semper traditio, vtpote indiuiduam vitæ consuetudinẽ importans, quia duo in carne vna. Ex diuino etiã, quia scriptum est; *Quos Deus cõiunxit, homo non separet.* Et quia est Sacramentum magnũ in Christo & in Ecclesia, vtique significãs indissolubilem vnitatẽ Verbi diuini cum humanitate assumpta, & Christi cum Ecclesia. Status autem religionis nõ sic: nã licet à multis, & quidẽ non immeritò Apostolicus censeatur, propter Bernardũ absolutè asserentẽ ab huiusmodi statu Ecclesiã incepisse, & quod Apostoli fuere institutores illius: absolutè tamen existimãdus est status ex Ecclesiastico instituto; & ita non mirũ si prorsus indissolubilis vt status matrimonij rati & consummati, non sit. Præterea, si iuxta cõmunem vtriusque iuris prudentũ existimationẽ vinculũ matrimonij rati non cõsummati prorsus indissolubile non est, sed dissolubile potiùs per ordinẽ ad Summũ Põtificem, iusta & legitima interueniente causa, vt vel ipse Nauar. sapiẽtissimus asserit, quod Paulus III. & Pius IV. aliquoties ad ipsius preces in tali matrimonio dispensarũt: & Caietanus dicit Pontificẽ suo tempore sæpe id feciſſe: & P. Henriquez quod Greg. XIII. vna die cum vndecim dispensauit; consequens est, vt etiã cum monachatũ soleniter professo, si digna causa premit, possit dispensare; siquidẽ monachatus non tã est de iure diuino quàm matrimoniũ ratum.

Bern. apolog. ad Guillielmum.

Nauar. cap. 22. num. 21. Caiet. t. 1. opusc. 28. Henr. tract. de matrimonio cap. 8.

63. Ad quartũ respõdetur, ea quę iure & iustitia, nedum quę dono oblata, posse (si iusta subsit causa) per publicam potestatem, etiam secularem, repeti, & à possidentibus ob publicã necessitatem diuelli: quia priuatum bonũ debet cedere publico, maximè quando intercedit cognitio causæ & iudicium publicæ potestatis. Vnde vel naturaliter brachiũ exponitur vulneri quod minatur capiti, & est prudentia serpẽtis corpore excipere vulnera, vt caput seruet incolume. Prętereà quòd si in

facti cõtingentia videmus quod vota saltem plurima, quæ post professionẽ solemnẽ Monachus etiam de licentia Prælati fecit, adhuc subsunt non solùm dispensationi, sed etiam irritationi Prælati; quia etiam postquam semel & iterum, & millies approbauit illa, potest irrita facere, prout docuerunt nos noster Panormitanus Abbas, Siluester, Nauarrus & Soto. Imò & de voto vxoris idem expressè asserit Augustinus dicens, vxorem non teneri amplius voto ieiunandi, orandi, & similibus, si vir contradixerit, etiamsi antea cõcesserit illud implere. Si igitur id Prælatus in subditi vota, & maritus in vota vxoris, cur Pontifex Summus publica necessitate compulsus, in vota religionis etiam solemnia non poterit? Quod enim ista habeant rationem traditionis, non reddit dispensationem impossibilem: nam etiam votum quod Monachus professus nuncupat in manibus Prælati sui ad singulariter ieiunandum, vel orandum, siue ad aliquod seruitutis opus exequendum, est non solùm promissio, sed traditio, & tamen Prælatus potest dispensare. Inde liquet quanto iure potuerit dispensare Gregorius Magnus in eo quod Abbas, de quo hic, testamentum conderet.

Abbas in c. Clarissimus, de conuers. coniugat. Siluest. verb. votũ 4 q. 22. Nauar. c. 12. num. 61. Soto lib. 7. q. 3. a. 1. Aug. q. 65. in Numer.

64. Ad vltimum patet ex dictis solutione ad quartum, non enim sufficit esse aliquid de iure naturali aut diuino, vt omnino indispensabile reddatur, vt patet in voto simplici, & in aliis promissionibus quæ ad Dei cultum fiunt: sed vltra hoc requiritur quod non habeat, nec possit habere iustam dispensationis causam, qualis est remotio, v.g. mali grassantis, vel impedientis aliquod apprimè necessarium bonum. Quæ cùm publicam vtilitatem & necessitatem tangunt, videntur subministrare sufficiẽtem dispensandi causam, etiam in voto solemni. Pro quo vidẽdus D. Thomas. Et licet ipse abnuat dispensationem in voto solemni, fortè intelligendus erit non quidem de impossibilitate absoluta, sed de illa quæ coincidit cum maxima difficultate. Ad eum quippe modum, quo Matt. 19. dicitur, *Impossibile est diuitem saluari.* Impossibilitas enim hæc, idem est quod maxima difficultas. Est autem maxima ad dispensandum difficultas, vbi maxima & cõmunis debet vrgere necessitas. Minores enim causæ ad dispensationẽ votorũ solemnium dignæ parésque non sunt.

D. Th. 2. 2. q. 88. a. 11.

65. Ad quintũ argumentũ principale respõdetur, statũ religionis suapte natura & essentia requirere, sempérque requisiisse omnimodam paupertatem; eo quod hæc prerequiritur ad perfectionem Christianam, iuxta verbum Christi Matt. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus:* & propterea quod de ratione monachatus est ad perfectionem tendere, & esse ad perfectionem viã, & medium ad hunc finem, prout tam authoritate Dionysij, quàm ratione nos docuit D. Thomas. Ratio autem talis est, vt non solùm de paupertate, sed etiam de castitate & obedientia (quæ sunt tota monachatus essentia) id probet. Quæ breuiter sic potest formari. Religio est virtus per

Matt. 19.

Dionys. de Eccl. hierar. p. 1. cap. 6. D. Th. 2. 2. q. 181. a. 4. & q. 186. a. 1.

per quam aliquis exhibet aliquid ad Dei seruitium & cultũ, iuxta quæ habentur 2. 2. qu. 81. a. 2. Ergo illi tantùm per excellentiam & antonomasiam dici possunt religiosi & esse, qui seipsos totaliter mancipant diuino seruitio, quasi holocaustum Dei. Vnde Gregorius. Sunt quidam qui nihil sibimetipsis reseruant, sed sensum, linguam, vitam, atque substantiam quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant. In hoc autem perfectio hominis consistit, quod totaliter Deo inhæreat. Hæc ex ratione Diui Thomæ.

...om. Ezech.

Inde est quod cùm bonũ hominis totaliter claudatur in eo quod est bonum animæ, & quod est bonũ corporis, & quod externum est: consequens sit, catenus aliquẽ religiosum constitui, quatenus illa omnia Deo sacrificat, vt reipsa sacrificat qui verè religiosus est. Nã in primis sacrificat bonũ animę per obediẽtiam, qua subdit voluntatẽ suam voluntati alterius: & sacrificat bonũ corporis per castitatem; & tandem bona externa per paupertatem. Et quoniam religio non solùm nominat perfectionem, sed statum perfectionis, prout D. Thomas constituit; & status ex sua essentia importat stabilitatem & firmitudinem, quæ sine vororũ obligatione in huiusmodi rebus non est, prout etiã ipse D. Thomas docet; ideo religionis status non solùm petit obediẽtiam, castitatem, & paupertatem, sed votum horum triũm: quia de ratione voti est firmare voluntatem in bono, prout D. Th. habet. Ex quibus planè elicitur, religionis statum essentialiter hęc tria vota includere, quæ est tota nostræ disputationis decisio. Quod si hæc habet ex sua essentia, consequens est, vt non habeat illa ex institutione extrinseca, siue diuina, siue humana.

...6.

...tho. vbi ...a.

... vbi ...a, & q. ...a. 1.

...rbi su- ...& q 88. ...1.

Sed obiiciet quis, sequi ex hoc religionis statum Pontificis approbationem non requirere: siquidem trium prædictorũ professio est tota sua quidditas. Vnde consequens est, vt sola illa posita ponatur religiosus, & sola illa ablata auferatur, circũscripto prorsus omni alio extrinseco iure, tam diuino quàm Ecclesiastico. Consequens est falsum, vtpote decretum in Sexto, quod nulla hominum in communi viuentium congregatio etiam tribus votis adstricta, pro religione habeatur, nisi Romani Pontificis authoritate approbetur. 67.

Cap. Nimis, de religiosis domibus. Cap. Religionum.

Nec valet si dicatur constitutiones istas procedere quantum ad praxim, ne scilicet religiones instituantur absque approbatione Pontificis: eo quod aliquę institutæ leguntur, quæ multis superstitionibus & erroribus implicabantur; qualis inter alias annumeratus religio Waldensium, aliàs pauperum de Lugduno, iuxta quæ nobis recẽsuit noster Vuespergensis Abbas in Chronico anni 1212. & alij grauissimi historiographi, vt D. Antoninus, & alij. Non inquam valet: quoniam ad incunda & opere exequenda consilia Euangelica, alia quàm approbatione Christi opus non est. Vnde non videtur quo iure Pontifex possit sibiipsi reseruare, religionis aut monacharus institutionem, quæ 68.

Vuesperg. an. 1212. Anton. 4. p. tit. 11. cap. 7. § 2.

planè inter Christi consilia præstantissimũ est. Quod enim præstantius ex consiliis Christi, consilio obedientiæ, paupertatis & castitatis?

69. Quod si fortè iterum dicatur, ad veram religiosi status rationẽ non solùm esse opus obedientię, castitatis, & paupertatis votis, sed etiam solemnibus, iuxta expressam D. Thomæ doctrinam, & iuxta communem similiter & expressam sententiam Ostiensis, Archidiaconi, & Ioãnis Andreę, cum reliquis antiquioribus Iuris canonici peritissimis: & proinde ad verum religionis statum esse Rom. Pontificis approbationem necessariam, eo quod votorum solemnitas sola Ecclesiæ constitutione introducta est, & introduci potuit, in c. Quod votum, de voto, in Sexto, & in constitutione Gregorij XIII. quæ incipit; *Ascendente Domino*, quibus refragari tutum non est.

D. Th. 1. 2. q. 88. a. 11. & q. 184. art. 2. ad 1.

Canonistæ in Rubrica de regularibus.

70. Igitur si fortè id dicatur, obiicitur primò, quod ex definitione eiusdem Greg. XIII. eodem loci emissio votorũ simpliciũ sufficit ad verum & propriũ religionis statum, vt patet in religiosis Societatis Iesu, respectu professionis primæ, quam post primum biennium emittunt, hæc enim simplicia tantùm nuncupantur vota. Secundò, quia cùm votorũ solemnitas verè non requiratur ad religiosi status immobilitatẽ; siquidem Papa nõ dispensante in voto religionis etiam simplici, quod emittit prouectæ ætatis vir cõditione liber, status immobilis permanebit: dispensante autem etiã solemnia vota ruunt; vtpote qui iusta ex causa potest dispẽsare etiã in quocumq; religiosi status voto solemni, iuxta dicta in solutione ad quartũ principale. Igitur si religionis status non pẽdet quantũ ad suã essentiã à Rom. Pontifice, sequitur quod à nullo dependeat; quod tamen est falsũ.

71. Respondeo tamen quod religionis status vt importat subditũ profitentem tria prædicta vota, sic etiam importat Prælatũ nomine Christi acceptantẽ illa. Nõ enim est professio monastica quę fit in manib. cuiusque, sed illius tantùm, qui propria aut delegata ad id potestate viget. Et quoniã iurisdictio hæc, vtpote spiritalis prorsus, ab alio quàm à Summo Pont. mediatè, vel immediatè nõ potest haberi: ideo absq; Summi Pontificis approbatione & concessione mediata, vel immediata, nulla Monachorum religio potest propriè creari. Dixi mediatè, vel immediatè, quoniam prioribus seculis Episcopalis id approbatio faciebat: diu autem iam (ob speciales atque necessarias sanctiones) ipsius Pontificis Summi approbatio requiritur. Sed plura de his alibi, vtpote iusto commentario digna, quod tamen non est huius loci.

72. Ad vltimũ argumentũ principale respondeo, tres in primis circa materiam illius errores insurrexisse apud Alphonsum de Castro. Primus est eorũ qui adeò paupertatem extollebant, vt illã ad salutem necessariam dicerent, propter illud Lucæ; *Nisi quis renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Cæterùm cùm ad salutem sufficiat seruare mandata, Matth. 19. facultatum autem ablegatio non nisi

Castro lib. contra hæreses verb. paupertas. Luca 14. 33.

nisi ad perfectionē sit requisita, inepta & rigida hæresis ista est.

73. Secundus error est asserētium, paupertatē adeò omnibus proficuam esse, vt per illam remittantur peccata. Fortè propter illud Esaiæ ad Deum: *Factus es fortitudo pauperi.* & alibi: *Pauperes in Sancto Israël exultabunt.* Et infrà: *Egeni & pauperes quærunt aquas, & nō sunt, ego Dominus exaudiam eos.* Verumtamen cùm scriptum sit; *Faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.* & Paulus dixerit: *Si distribuero in cibos pauperum facultates meas, charitatem autem non habeam, nihil sum*; conuincitur, paupertatem remissiuam peccatorum non esse. Neque inducta elogia oppositum probant, vtpotè intelligenda de pauperibus spiritu.

Esaiæ 25.4. cap. 29. 19. cap. 41. 17.

Psal. 139. 13.

1. Cor. 13. 3.

74. Tertius error est illorum per alterum extremum errantium, blaterātiumque voluntariā paupertatem damnabilem & culpabilem esse, propter ea quæ in argumento isto obiecta sunt. Quibus suffragatur Brentius argues apud Bellarminum sic. Aut is qui vouet paupertatem, est pauper aut diues. Si pauper, nihil quod relinquat habet: quare votū paupertatis in isto idem est quod votum cæcitatis in cæco. Si autē diues, tunc aut ponit bona sua in cōmuni, & sic nihil aliud facit quàm prouidere sibi de certiori & securiori asylo ad victū, & proinde nihil aliud facit quā paupertatem fugere: vel non sic, sed distribuit in pauperes, & ipse propterea mendicare incipit, quod tamen contra charitatem militat; siquidem charitas præcipit vt non sine necessitate molesti simus atque graues proximis mendicatione nostra.

Bellar. t. 1. lib. de Monachis cap. 18.

75. Nihilominus cùm voluntaria paupertas via ad Apostolicam perfectionē sit, iuxta illud Christi; *Vende quæ habes, & da pauperibus*, delitium insolentissimum omni Christiano est oblatrare in eam. Neque pauper conditione vouēs paupertatem est velut cæcus vouens cæcitatē, quoniam qui hodie egenus, cras potest esse diues: quod tamen cæcis respectu cæcitatis non accidit. Præterquàm quod cōditione pauper potest cupiditate esse diues, & in professione paupertatis præcipuè ingreditur cupiditatis abiectio. Cuius gratia pauperrimi Apostoli dicere potuerunt; *Ecce nos reliquimus omnia.* Vnde Augustinus. Neque mihi minus imputabitur, qui diues non fui: nam neque Apostoli qui primi hoc fecerūt, diuites fuerunt; sed totum mundū dimittit, qui id quod habet, & quod optat habere, dimittit. Diues autem qui omnia in communi reponit, dominio se priuat omnium, & sese aliorum dispositioni submittit, vt primi Christiani fecerunt, Act. 4 Quorum propterea singulis diuidebatur, prout cuique opus erat, vt nunc diuiditur Monachis non mendicantibus. Mendicantes autem nulli possunt esse rationabiliter graues aut molesti, siquidem, vt ait Paulus, magnum non est, vt qui sua spiritalia aliquibus seminant (vt verè seminant mendicantes Christiano populo) aliorum alimēta metant, & de altari & sacrario edant, qui altari & sacrario seruiunt. Et hoc maximè congruit religionibus quæ

Matth. 19.

Aug. epist. 89. q. 4.

1 Cor. 9. 1. & 13.

neque in cõmuni,neque in particulari proprium quid habent: habent tamen ex prouidentia diuina & prouida Superiorum solertia quæ expediunt cuique. Et quidquid opus est habent in particulari etiam, licet non aliter quàm de Prælati licentia. Hac enim salua sunt omnia.Sed quia adhuc id examine indiget, sit dubium quartum.

DVBIVM IV.

Vtrùm Monachus de licentia Prælati possit tuta conscientia recipere, adquirere, retinere, expendere, & donare quidquid est æstimabile pretio?

76. PARS affirmatiua probatur primò. Quoniam si aliquid obstaret, maximè paupertatis votũ: hoc enim circumscripto nihil est quod prædicta impediat.Sed votum paupertatis tantùm obligat ad non habendum vtendũve re aliqua pretio æstimabili tanquam propria. Cùm igitur qui non aliter quàm de licentia Prælati disponit aut dispensat illam,non vtatur ea tanquam sibi propria, sed potiùs tanquam aliena; non facit contra paupertatis votum, & proinde tuta conscientia id perficiet.

77. Deinde religiosus de licentia sui Prælati potest esse fideiussor,prout habetur in cap. Quod quibusdam, de fideiussoribus, etiamsi fideiussor obligationem alienam faciat sibi propriam, & in seipsum transferat. Cùm igitur hæc quid amplius proprietatis redoleant quàm omnia illa, sequitur quod si interueniente licentia Prælati,potest tuta conscientia in illud, quod etiam in illa poterit.

Tertiò,de licentia sui Prælati 78.
potest religiosus admittere tutelam,& administrationem bonorum cuiuscumque pupilli, vt habetur in cap.Monachi.16.q.2. potestque stipulari,& validè acceptare pro Abbate & Monasterio,iuxta quæ habentur *l. 7. titulo* 11. *partita* 5.& affirmat Glossa *in* §. *si quis alij. Instituta de inutilibus stipulationibus*. Cùm igitur profana magis sint ista quàm illa, sequitur quod si licentia Prælati hæc iustificat, quod etiam iustificet illa.

Quartò, in more positum 79.
apud diuersas Religiones est, vt nutu & concessione Prælatorum cõcedantur aliquibus religiosis stabilia,aut etiam mobilia bona, siue propria, siue ex eleemosynis collectitia,ea conditione vt Monasteriis aliquam pensionem reddant, ex reliquo autem viuant,& illud pro arbitrio expendant, citra obligationem reddendi rationem de eo. Sed hoc est propriè adquirere, accipere, retinere, & expendere pretio æstimabilia.Ergo.

Quintò, Monachi regentes 80.
cathedras in Gymnasiis publicis & opulentissimis,v.g.Salmanticæ, laudabiliter ex Superiorum consensu aliquantulam ex redditibus annualibus, qui sunt ditissima cathedrarum stipendia, portionem accipiunt, vt eam sibi retineant,vel in vsus alios expendant. Igitur cùm id tanto-

rum

rum auctoritate virorum sit in consuetudinem ductum, consequens est, nulli conscientię posse scrupulo subesse: & proinde licere Monachis id quod in cõtrouersia agitatur.

81. Sextò, nonnumquam Monasteriorum Prælati cõferunt particularibus Monachis beneficia regularia, regulariumque Ecclesiarum administrationem perpetuam. Sed his annexum necessariò est adquirere, retinere, & impendere bona beneficiorum suorum. Ergo si licet illud, licebit & istud.

82. Domum frequenter conceditur Monialibus, vt bona quæ labore manuum lucrantur, & quæ aliorum donationibus adquirunt, vel sibi retineant, vel in alios distribuant religiosos vsus, vtique prouidendo sibiipsis de necessariis ad vestitum, ad medicum, & similia, & ad ministeria & officia quæ iniunguntur eis. Cùm igitur hæc absque morsu conscientiæ fiant, & cum scientia & patientia Prælatorũ, consequens est, quod de licentia illorum possint Moniales accipere, retinere, & expendere quæcumque bona pretio æstimabilia; & proinde Monachi. Hæc pro parte affirmatiua.

83. Pars autem negatiua etiã pro se habet argumenta potissima. Primum est, quod concedere licentiam ad accipiendum, retinendum, & liberè distribuendum quibuis, idem prorsus est quod cõcedere dominiũ & proprietatem erga illud: siquidem nullus alius est apud verum dominum possibilis vsus, aut vsusfructus; neque dominium & proprietas alios possunt actus habere præter istos. Cùm igitur repugnẽt Monacho dominium & proprietas, sequitur quod illis repugnent etiam huiusmodi actus.

84. Deinde, Monasterij Præsul, qui pro libito Monasterij bona dispensaret in vsus Monasterio non congruos, peccaret grauissimè. Ergo etiam dans talem facultatem Monacho, & ille vtés ea: siquidem nec Monasterio, nec Monacho potest esse conducens.

85. Tertiò, quidquid Monachus adquirit, Monasterio adquirit. 12. q. 1. cap. Non dicatis: & quidem non aliter quàm quę seruus adquirit, domino suo adquirit. Quare in hac parte seruus ac Monachus æquiparantur: prout definiuit Innocentius in cap. Cùm olim. 2. de priuilegiis, quem in hoc citat Baldus *in l. Seruus*. Igitur vt administrator bonorum alicuius domini, non potest concedere seruo facultatem, vt quæ dono accipit, aut labore adquirit, aut etiam ex subtractione spontanea victus & indumenti condit, pro libito expendat: sic nec Abbas Monacho; siquidem tantùm est administrator bonorum Monasterij. Et proinde sicut seruus non potest vti facultate administratoris, quantumuis illi conferatur; sic nec Monachus concessu Prælati, etiamsi conferatur ei.

86. Quartò, in cap. Relatum. lib. 13. Decretal. t. 5. cap. 7. grauiter reprehenduntur Monachi quĩ seculariter viuunt. At accipere, retinere, adquirere, & expẽdere bona pretio æstimabilia, est

est seculariter viuere. Igitur neque de licentia Prælati id Monachus facere potest.

87. *Siluest. verb. Religio. 6. q. 7. dicta 4.* Quintò, longè vituperabilius in Monacho est expendere Monasterij bona, quàm illa apud se retinere; siquidem illud primum est in præiudicium Monasterij, non verò hoc secundum. At de sententia Patrum apud Siluestrum, nec de licentia Prælati potest Monachus pretiosam supellectilem habere. Ergo neque expendere.

88. Demum Clemens VIII. in constitutione quam edidit anno salutis 1594. quæ incipit; *Religiosæ congregationes*, præcipit sub priuatione nõ solùm vocis activæ & passiuæ perpetua dignitatum, officiorum, & honorum, sed etiam honoris; ita vt contrarium attentãtes infamia perpetua & ignominia laborarent, ne religiosi, quicumque illi sint, siue viri, siue fœminæ cuiuslibet Congregationis, aliquam largitionem & donationem munerum facere valeant, siue ex Monasterij bonis mobilibus, vel immobilibus, siue ex his quæ ipsi religiosi quomodocumque compararent, nisi de licentia Capituli generalis, vel Congregationis generalis, & de vnanimi consensu omnium, re priùs maturè discussa. Igitur quidquid olim fuerit, iam citra controuersiam erit, Monachos de licentia Prælatorum ordinariorum nihil expendere posse, nisi prorsus recurrant ad generalia Capitula. Hæc pro parte negatiua.

89. *Siluester vbi supra dicto 1. Innocen. cap. Cùm ad Monasterium.* In controuersia ista est prima sententia Archidiaconi apud Siluestrum, Innocentij, & aliorum asserentium quod Prælatus non potest cum subdito religioso dispensare, vt propria authoritate faciat de bonis quæ possidet, quidquid velit: quoniam vti re aliqua non solùm ad propriam necessitatem, sed ad libitum, est vera dominij species; vtique dominium vtilitatis. Quare cùm Monacho hoc sit interdictum, non minus quàm dominium proprietatis; consequens est, illud Monachis non licere. Vnde ait vbi suprà Innocentius quod in hoc nec Summus Pontifex valet dispensare. His Paludanus adeò inhæret, vt dicat, religiosum facere contra paupertatis votum, si licentia Prælatorum vtatur, præterquàm ad ea quæ ad victũ ipsius, ad vsusque quotidianos requiruntur. Et fauet constitutio Clementis VIII. de qua suprà num. 88. Etenim post tot tamque diras interminatas pœnas contra religiosos de licentia particularis Prælati distribuentes munera, subiicit: *Pœnis aliis à iure statutis & per constitutiones Apostolicas in suo robobore remansuris.* Pœnæ autem istæ aduersus proprietarios sunt. Igitur de sententia istorum, qui tali facultate vtuntur, proprietarij sunt.

Palud in 4. d. 38. q. 9.

90. *Siluest. vbi suprà.* At mihi nimiùm rigida sententia ista apparet, non quidem pro conclusione, sed pro ratione qua fulcitur, vtique quia proprietarium iudicat Monachum tali facultate vtentem. Etenim de sententia eiusdem Siluestri habemus, quod si Prælatus concedit Monacho vsum alicuius rei pro libito, non propterea videtur proprium, quando in

quanti-

quantitate aut qualitate nihil celatur Prælato, nec sine eius licentia aliquid recipitur, vel expenditur, & paratus est ad iussum Abbatis reddere. Igitur neque videtur proprium, quando Prælatus concedit illi vsum diuersarum rerum ad libitū, dummodo nihil illarum celet illi, & paratus sit desistere ab huiusmodi vsu ad nutum eiusdem Prælati. Consequentia patet, quia ratio proprij non minus in aliqua re graui, quàm in pluribus vrget.

91. Deinde contra rationem proprij & dominij quarumcumque rerum est, non posse aliter vti eis quàm de aliorum permissu, & tantùm ex emendicata licentia: siquidem ratio dominij & proprietatis cuiuscumque rei in libera facultate vtendi ea consistit. Ergo Monachus vtens supellectile sua non aliter, neque alio modo quàm de licentia sui Prælati, non se gerit erga supellectilem illam tanquam dominus, aut vt prætendens, vel habens dominium in ea, sed potiùs vt omnino seruus; quod est omnino contrarium proprietati & dominio.

92. Demum Prælati Monachorum omnes præbent Oeconomis suis, aliàs Cellariis, ac Procuratoribus liberam facultatem accipiendi, habendi, vendendi, commutandi, alienandi, emendi, atque expendendi Monasteriorum suorum reditus, prouentus, & fructus, & ipsi iure optimo tali facultate vtuntur. Ergo signum est, facultatē istam non arguere in habentibus rationem proprij ac dominij: aliàs Oeconomi proprietatis nota inurerentur. Cùm igitur eadem sit omnium Monachorū ratio, consequens est, quod si hæc facultas istos non inficit Monachos proprietatis nota, quod neque inficiat illos.

93. Nec valet dicere, facultatem istā concedi officialibus in Monasteriorum ipsorum cōmodum & prouentum. Non inquā valet, nam etiā potest conferri in Monachorum particularium subsidium, leuamen, auxilium, & bonum. Vnde doctissimus Nauarrus refert ex doctrina & sententia Cardinalis Alexandrini, Ruperti, & Turrecrematæ, quod regularis habēs aliquid proprium de licentia iniusta Prælati, licet peccet, non tamen videtur peccare peccatum proprietatis. Et licet multipliciter ipse Nauarrus contra hoc insurgat, omnia tamen argumenta illius soluuntur per hoc, quod vsus rei nō ex propria, sed ex emēdicata facultate, non potest esse vsus correspondens dominationi aut proprietati, sed seruituti. Talis autem est vsus Monachi in præsenti casu, modò licentia sit verè ac propriè licentia; de quo infrà numero 97. 98. & 99.

Nauar. com. 2. de regular. n. 21.

94. Secunda sententia est Magistri Alphonsi de Mendoza Augustiniani, viri omni literatura ornatissimi. Is enim constituit, Prælatum amplam istam Monacho licentiam conferentem peccare & iniquè agere, & similiter subditum sic ampliter vtentem illa. Et idem habet eruditissimus Ioannes Azor Iesuita ex sententia sua & aliorum. Itaque isti grauissimi authores excusantes Monachum, qui

Mendoza in quodlibetis q. 8. Scholast. n. 7.

Azor lib. 12. c. 22. q. 5.

tali facultate fungitur, à vitio proprietatis, accusant tamen tam illum quàm Prælatum talis facultatis auctorem de peccato & culpa. Ratio illorum est, quoniam ampla ista habendi, & pro libito dispensandi licentia, potiùs profanos, quàm viros religiosos decet. Non enim vt Monachi, qui omnia in communi habent, & habere debent, sed vt laici, qui sua singulariter possident, procedunt. Est autem sacrilegij vice profanare sacra, & viros religione Monachos vsu rerum reddere laicos.

95. Sed neque sententia ista ita ampliter & vniuersaliter dicta mihi omnino probatur. Quia tales circumstantiæ rerum, temporum, personarum, & similium possunt occurrere, vt ex vtroque extremo, vtique Prælati & Monachi latissimæ istæ licentiæ cohonestentur: vt cohonestantur illæ quæ Monasteriorum officialibus conferuntur, ad hoc vt sibi & aliis succurrant de bonis, quæ quomodolibet Monasteriis obueniunt. Ad quod certè illis opus est recipere, retinere, & dispensare bona illa ad arbitrium suum & placitum.

96. *Nauarrus vbi sup. n. 23.* Dicendum igitur in primis est cum Nauarro, Prælatum posse facere copiam religioso, vt in vita donet, vel disponat quibus in eos vsus, & eo modo, in quos & quomodo ipse potest disponere. Ratio prima huius etiam secundum ipsum Nauarrum ibi est, ex cap. Potest quis, de regulis, in Sexto, vbi dicitur. *Potest quis facere per alium, quod potest facere per seipsum.* Secunda ratio ex eodem est, quod seruus qui in hoc æquiparatur religioso, id facere potest circa peculium, si sit ei commissum. *ff. de peculio. per totum. & l. Quicunque. §. si ei.* Ex quo sequitur, quod si iure Prælatus potest facultatem istam facere religioso, quod etiam religiosus iure ac licitè ea vti possit. Quoniam (vt etiam vbi suprà Nauarrus) concesso aliquo, conceduntur ea sine quibus nequit expediri. cap. Præterea, de officio delegati, & in terminis propriis cap. Exiit. §. Porrò, & sequentibus, de verborum significatione, libro 6. Vnde addit Nauarrus. Cùm alicui regulari traditur aliqua villa, vel domus cum suis bonis accessoriis administranda, ea lege vt certam pensionem soluat Monasterio: vel eam pretiosiorem reddat, siue aliquod melioramentum faciat, reliqua autem suo vsui cedant, is poterit soluta pensione, & expleto onere meliorandi, disponere de reliquo, modo quo posset ipsemet Prælatus sine vllo proprietatis vitio: quia id expressè, vel tacitè continetur in tali concessione. Cùm igitur bona stabilia & immobilia non sint melioris conditionis quàm mobilia, respectu Monachorum & illorum vsus, sed longè deterioris, consequés est, vt si facultas ad illa modo prædicto licet, multo magis liceat facultas ad ista.

97. Dicendum deinde cum eodem vbi suprà Nauarro, Prælatum Monachi non posse conferre illi maiorem facultatem habendi, aut dilargiendi quàm ipse habet. Ratio est, quoniam nemo potest

dare

dare quod ipse non habet. *cap. Quod autem, de iure patroni. l. si vniuersa. C. de legatis.* Quare sicut Prælatus non potest habere aut expendere ad libitum in quoscuis vsus quodlibet, quoniam aliàs non religiosus & ministrator, sed profanus negotiator, aut dilapidator inueniretur, sed tantùm potest adquirere, habere & retinere quæ religionem non dedeceant, neque deforment statum; nec similiter expendere aliqua nisi directè, vel indirectè in Monasterij vtilitatem vergant, vt vergunt quæ insumuntur in necessarios & honestos vsus Monachorum & Monasterij, hospitum, pauperum, & egenorum siue nobilium, siue ignobilium, & demum quæ expendũtur in pios quosque vsus, de quibus latè Nauarrus. Vt igitur Prælatus non potest nisi in ista: sic nec potest Monacho licentiam ad alia conferre; & proinde nec potest Monachus vti ea, tam in habendis, quàm in dispensandis bonis.

Nauar. cõm. 3. de regul. à n. 6.

98. Sed quid iuris, si nihilominus Prælatus Monacho concederet facultatem istam, & Monachus vteretur? Numquid tunc Monachus crimen proprietatis incurreret? Videtur enim ex vna parte quod sic, quia talis facultas nulla omnino est, vtpote facultas ad illicita, & ad iniqua agenda. Ex alia verò parte videtur quod non, propterea quod Monachus prodigens de licentia Prælati suum peculium, non incurrit proprietarij pœnas, nec iure potest tanquam proprietarius puniri, saltẽ quoniam non authoritate propria, sed Prælati id prodigit. Hanc autem difficultatem sequentia enodabunt.

99. Dicendum tertiò, licentiam Prælati ad accipiendum, retinẽdúmve quod Monachum decet, atque ad profanè & improbè peculium monachale expendendum, vsumque talis licentiæ semper in dante atque in exequente peccatum esse. Ratio in promptu est, quoniam vtrumque militat cõtra obligationem Prælati, & professionem Monachi, & proinde contra diuinam legem. Quare iuxta quantitatem & qualitatem materiæ erit pensanda qualitas & grauitas istius peccati, an scilicet veniale sit, vel mortale. Ad quæ etiam expendere oportet religionis & religiosi, loci, temporis, similiũque circumstantiarum diuersitatem. Nam, v.g. ornamenta librorum, imaginum, vtensiliũ, & vestium quæ regionem aliquam mendicantem dedecent, fortè non dedecent monachalem: aut si notabiliter illic, hic tantùm leuiter dedecẽt: & proinde vsus illarum ibi mortalis erit, hic verò venialis. Et idem est dicendum de religiosis ipsis. Ea enim quæ dedecent grauiter, aut etiam leuiter aliquos tyrones Monachos ac nouitios, fortè veteranos alios grauissimos Patres aut nullo modo, aut saltem leuiter dedecent. Et idẽ denique de locis ac temporibus philosophandum est. Quoniam aliquando & alicubi decent & congruunt, v.g. tempore ægritudinis, & in loco oblectationis, quæ tẽpore integræ valetudinis, & intra Monasterij claustra dedecent atque absonãt.

Hæc autem prudentum iudicio relinquẽda sunt. Non enim quę à prudentia pendent, regulam vniuersalem admittunt.

100. Dicendũ quartò, Monachum habentem, aut dispertiẽtem peculium, siue bona, de licentia iniusta irritaque Prælati, peccare quidem contra paupertatis votum; non tamen incurrere latas à iure contra proprietarios pœnas. Prima pars huius dicti satis probata manet, ex eo quod habere, aut disponere bona aliqua pretio æstimabilia sine vlla licẽtia Prælati, proprietas est. Sed licentia ad habendum ea quæ statui religioso repugnant, & ad dispertiendum ea in reprobos & profanos vsus, verè & propriè licentia non est: quoniam licentia huiusmodi neque est dabilis, neque possibilis, vtpote licentia ad peccandum. Ergo, &c. Secunda pars patet, ex eo quod, vt Nauarrus habet, pœnæ quæ sunt à iure, non imponuntur contra omnem proprietarium & peccantem peccatum proprietatis, sed contra illum qui sine scientia & licentia, saltem iniusta, vtitur bonis, vel retinet ea sibi appropriata etiam quoad vsum tantùm. Et confirmatur ex eo quod Abbas, quantumcumque sit proprietarius, expendens & prodigens bona in profanos turpesque vsus, aut retinẽs apud se ingentem diuitiarũ summam à monastica paupertate exorbitantem, & quæ iure interdicitur Monacho, adhuc proprietarij pœnas à iure taxatas non incurrit, vtpote qui Prælato sciente & consentiente facit, & non clãculum & citra eius notitiam.

Nauar. com. 2. de regul. n. 21.

Cùm ergo Monachus retinens de licentia Prælati peculiũ Monacho indignum, aut illud in turpes vsus dispertiens, non id faciat ignorante, sed sciẽte & cõsentiente Prelato, sequitur quod non det operam culpæ cui sunt annexæ pœnæ stabilitæ à iure.

101. Resolutoriè igitur ad quæstionis titulum respondendo, dicendum est, Prælatum tuta conscientia non solùm particularem, sed etiam generalem licentiam habendi & expendendi peculium, posse concedere alicui priuato Monacho, de cuius probitate & prudentia plenè securus sit, & possit esse; & talem priuatum Monachum tuta conscientia etiam tali licentia vti. Ratio est, quoniam hæc non pugnant cum vera perfectaque religione, paupertateve religiosa; siquidem Abbas ipse de iure, & omnes eius Oeconomi, siue Cellarij aut Procuratores de licentia illius generaliter possũt habere, retinere, & expẽdere ipsius Monasterij peculia, iuxta officia quę gerunt, & quidẽ absque præiudicio omnimodæ paupertatis quã vouent, & monasticæ professionis qua fulgent. Igitur si iure his tanta potest licentia cõferri, cur non priuato Monacho probatæ præstantisque vitæ viro tantilla? Hoc est, licẽtia respẽctu sui singularis peculij. Maximè quod eo ipso quod de vera & legitima licẽtia loquimur, intelligi datur terminari prorsus ad licita & honesta. Ad alia enim licẽtia nõ est: Quare sicut neque Oeconomus, sed neque ipse Abbas possũt in quoslibet vsus expẽdere Monasterij bona, sed in eos tãtùm qui

pietatis

pietatis & probitatis sunt, iuxta superiùs dicta: sic neque expectatissimus iste priuilegiatus (de quo loquimur) Monachus. Hæc autem intelligenda sunt de iure communi: quibus possunt obstare peculiares religionum leges, si forte sanciuntur de hoc, quod nulli probatissimo etiam & expectatissimo Monacho possit generalis ad omnia etiam licita, vel ad aliqua etiam iusta licentia conferri. Tunc enim huiusmodi legibus standum omnino est.

102. Dixi autem, priuato alicui Monacho: quoniam omnibus, aut etiam multis, quantumuis religione præstantibus, generalem habendi & impartiendi bona sua licentiam concedere, absurdum valde esset, & omni bene instituta religione indignum, cuius fundamentum est, vt Monachi habeant in communi vnde viuere possint; cùm tamen hic haberent singuli peculiariter.

103. His iam sic constitutis, ad argumenta vtriusque partis leue est respondere. Ad primum enim partis affirmatiuæ respondeo, verè nullum peccatum proprietatis admittere, qui de legitima licentia Prælati, aliquid æstimabile pretio accipit, retinet, aut expendit, prout dicto primo visum est. Ad reliqua respondeo, tantùm probare quòd de legitima Prælati licentia possit Monachus in omnia illa; licentia autem ad improba & profana pro licentia computanda non est, bene tamen pro scientia Prælati & notitia, quæ eximit à pœnis contra proprietarios latis.

104. Ad primum argumentum secundæ sententiæ maior propositio neganda est, quia dominij ratio non consistit in facultate quacumque etiam generali ad acquirendum, retinendum, & donandum, sed in libera & absoluta facultate ad ista, & similia; quã tamen Monachus quantumuis priuilegiatus non accipit, nec potest à Prælato accipere, quia semper manet obnoxius voluntati Prælati, qui ad nutum potest præstitam illam licentiam reuocare.

105. Ad secundum respondeo, tantùm probare doctrinam secundi dicti. Ad tertiũ dicitur, quod sicut administrator bonorũ alicuius domini potest expendere illius domini bona per seipsum, atque etiam per seruum: sic Abbas Monasterij bona per seipsũ, & Monachum, vt de facto expendit per officiales suos, & potest expendere per priuatum, quem maluerit Monachum; modò expendat ritè & rectè.

106. Ad quintum respondeo, quod probat dictum tertium. Ad vltimum respondeo, constitutionem illam sanctissimam procul dubio, & tanto dignam Pontifice fuisse; tamen quia visum illicò est grauissimos scrupulos parituram, à multis religionum humiliter contra eam supplicatum est. Propterea in viridi hactenus non fuit. Erit tamen si Clementis successores institerint, quorum nos decretis per omnia substamus, & maximè illis, eo quod quanto à mutuis donationibus abfuerimus, tanto erimus religiosiores. Quare dubium hoc ego consultò intexui,

non vt largitionibus mutuis laxarem habenas, sed vt qui de suorum Prælatorum licentia illis aliquando indulgent, sciant qualiter & quomodo sese gerere debeant,& qualis retentio & largitio sit sine culpa,aut cum ea, & cuius generis sit talis culpa, & quibus subsit, aut non subsit canonicis pœnis.

DVBIVM V.

Vtrùm sine licentia Prælati liceat Monacho aliquid pretio æstimabile apud se retinere, aut in aliquos expendere vsus?

107. *Nauar. cõm. 2.de regul.n. 20.*

AFFIRMATIVA pars habet pro se quod Nauarrus (vir longè doctissimus & religiosissimus) refert de seipso, videlicet iampridem Moniali cuidã, quæ sine licentia Abbatissæ, nescio quæ munera à quodam receperat viro, respondisse obligatam non esse ad deferenda illa munera Abbatissæ. Ergo sensit vir doctissimus quod recipere, & retinere aliqua pretio æstimabilia sine facultate Prælati licitum religiosis est.

108. Deinde, eleemosynam indigentibus dare cuique Christianorum fas, vel potiùs ius est;siquidem tenemur proximos vt nos ipsos diligere,pascere, vestire,mederi, & maximè necessitate premente.Sed ad ea quæ præcepti diuini, aut etiam consilij sunt,nobis Prælatorum licentia opus non est. Igitur neque ad dilargiendam miseris eleemosynam.Maximè quod eleemosyna purgat peccatá, iuxta id Tobiæ: *Eleemosyna à morte liberat,& ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam.* & Lucæ 11.*Date eleemosynam,& cuncta munda sunt vobis.* Cùm igitur Monachorum status sit pœnitẽtium, & ad profectum animarum inhiantium status, ad quæ Prælatorum licentia non egemus; consequens est, quod neque ad eleemosynas impartiendas. *Matt.25.35.* *Tob.11.17.* *Luc.11.41.*

109. Tertiò,nullus vitio vertit,aut proprietatis nota inussit crebras Monachorum donationes aut permutationes librorum, vestiũ, ac similium inter sese, vtpote symbola mutuæ beneuolentiæ & amoris; & quia quod vni superfluit, aliis necessarium non est. Sed ad hæc non semper licentia Prælati expectatur,vtpote qui præstò semper & vbique non est. Ergo possunt Monachi aliqua sine licentia Prælati dispensare.

Confirmatur,quoniam suapte ratione omnia Monachorũ bona sunt communia omnibus & singulis.Ergo licitè possunt adinuicem donari & commutari per ipsos & inter ipsos Monachos.

110. Quartò, administratores bonorum Monasterij,vt Oeconomi, Cellarij, & similes, ægrè se possunt expedire ab accipiendis, & cum fœnore retribuendis colonorum, conductorum, atque vectigalium donariis, aliàs ingrati cum illis viuẽt.Sed si Prælatorũ licentia ad hæc necessaria fuisset, plura ex his claudicarẽt, & cum vitio proprietatis fierẽt. Quod tamen dicet nemo. Ergo.

Quintò,

11. Quintò, quod Monachus inconsulto Prælato accipiat aliquod munus à patre, fratre, vel amico, animo non occultandi, sed palàm habendi illud, nihil irreligiosum admittit, cùm non accipiat illud suo, sed Monasterij nomine, cui adquirit, quidquid adquirit. Sed Monachum aliquid Monasterio adquirere, & illud nomine Monasterij accipere, culpabile non est. Ergo.

12. Confirmatur; nam ex hoc ipso quod aliquis tuta conscientia donat Monacho munus aliquod, & Monachus acceptat illud, eo ipso proprietas eius ad Monasterium transfertur, & Monasterium illicò fit dominus eius. Ergo signum est quod Monachus legitimè acceptauit illud: quoniam aliàs non posset iure transire in dominium Monasterij. Si igitur acceptauit legitimè, & tamen sine licentia Prælati, sequitur, posse Monachum aliquid sine licentia accipere.

13. Sextò, si accipere, aut expendere aliqua sine licentia Abbatis nunquam liceret Monacho, maximè quia id redoleret proprietatis crimen, & paupertatis voti violationē. Sed hoc ita non esse ex eo patet, quod pœnæ quas iura sanciunt contra proprietarios, & censuræ quas expediunt aduersus pecuniarum retētores, non feriunt illos. Ergo in hoc nullum crimen admittunt.

14. Septimò, quilibet priuatus Monachus habet tantum ius ad bona communitatis, quantum ipse Prælatus, & Prælati Oeconomi, siue Cellarij, sunt enim omnibus Monachis omnia bona communia. Ergo licet priuatus Monachus non possit distribuere in alios, quæ potest Abbas, & quæ possunt Oeconomi, saltem poterit dispensare quæ sunt necessaria sibi, etiam inuito Prælato, & proinde sine licentia eius.

115. Denique nihil Monachis districtiùs inhibetur, quàm penes se habere sine expressa licentia Abbatis qualescumque pecunias siue aureas, siue argenteas, siue æreas. Id enim illis sub censura latæ sententiæ interdictum est. Et nihilominus possunt sine licentia Prælati apud se retinere, & expendere pecunias aliquas, vt multorum sententia fert. Igitur si id de pecuniis, multò securiùs de aliis, quæ non sunt talibus innodata censuris.

116. His tamen non obstantibus, negatiua pars extra controuersiam est; quia exquo Monachus omnis paupertatem vouet, abdicat à se facultatem habendi, aut retinendi authoritate propria, quidquid temporale simul & pretio æstimabile est. Quod si nihil authoritate propria potest habere, sequitur quod ad habendum aliquid huiusmodi aliena authoritate indigeat, & proinde authoritate Prælati. Si autem id ad habendum, quid ad donandum, vel expendendum?

117. Confirmatur; accipere, retinere, & expendere authoritate propria, actus dominij & proprietatis sunt, vt per se notum est; imò isti prorsus sunt potissimi actus dominij. Ergo qui nullius dominij aut proprietatis est capax; consequens est, vt ad nullius dominij aut proprietatis actum sit potens nisi de alterius licen

licentia: & proinde quod Monachus citra proprietatis crimẽ nihil possit habere, retinere, aut expendere sine licentia Prælati.

118. Dixi sententiam istam sine controuersia esse, vtpote communem animi conceptionem cum Innocentio, Ostiensi, Ioanne Andrea, Abbate, Antonino, Archidiacono, & reliquis in cap. Cùm ad Monasterium, de statu Monachorum: & cum Archidiacono, Turrecremata, Præpositó, & similibus in cap. Non dicatis. 12. quæst. 1. & cum Angelo, Siluestro, Tabiena, cæterísque Summistis in verb. Religio, de quibus omnibus Azor lib. 12. moralium Institutionum cap. 12. quæst. 7. Concors enim horum sentẽtia est, quod cùm paupertatis emittens votum, abdicet à se omnem vsum rei, perinde ac si promisisset se nullis rebus vsurum nisi de licentia Prælati, non potest citra illam vsum illarum habere.

Azor lib. 12. cap. 12. q. 7.

119. Bene verum est quod Maior districtiùs & grauiùs rem istam commentatur, dicens quod neque de licentia Prælati potest Monachus vti rebus ad libitum. Tum quoniam si licentia Prælati ad hoc sufficeret, sequeretur quod quilibet Monachus posset absque proprietatis vitio peculium suum insumere. Tum quoniam repugnaret quod Abbas votum paupertatis infringeret, etiamsi prodigeret quælibet Monasterij bona, vtpotè qui de Prælati consensu & beneplacito id facit. Sed improbabilis sententia hæc est. Iam enim suprà dubio præcedenti vidimus, quod de licita Prælati licentia possit Monachus retinere, & expendere in vsus honestos & pios, in impios verò non sic, concessa sibi bona.

Maior in 4. d. 38. q. 9.

120. Vt autem ab argumentis propositis nos expediamus, præmittenda est distinctio licentiarum, in eam quæ generalis omnibus Monachis est, & communis, & in eam quæ particularis est tantùm ad priuatam vel priuatas personas. Deinde in eam quæ expressa seu formalis est, & in eam quæ tacita, vel prudenter præsumpta dicitur, qualis est illa quæ re ipsa non petitur, nec datur à parte rei, tamẽ si à parte rei peteretur, libenter & à parte rei indulgeretur, & quidem iustè ac rationabiliter. Item præmittenda est distinctio bonorum Monasterij in triplici mensura, vtique magna, moderata, & minima quantitate.

121. His positis, respondeo ad primum argumentum cum eodem Nauarro vbi suprà, videlicet ideo Nauarrum respõdisse Moniali, obligatam non fuisse ad reddenda Abbatissæ munera illa, quia in receptione illorum interfuit tacita & prudẽter præsumpta licentia, quatenus si Monialis petiisset illam, Abbatissa libenter & iustè indulsisset ei. Quod fulciuit Nauarrus ex *l. Inter omnes. §. rectè. ff. de furto.* quatenus habet, non committere furtum eum, qui clàm capit alienum, quod scitum domino placeret. Quare ad munerum receptionem tacita ista, etiamsi generalis licentia satis est.

122. Ad secundum respondeo primò, quod Monachus quid maius offert

offert Deo quàm eleemosynæ bonum, vtique holocaustum sui, vt habet D. Thomas: & proinde quid Deo magis gratum, & ipsi Deo magis proficuum. Secundò respondeo cum eodem D. Thoma, cum Nauarro, Turrecremata, & Alexandrino apud ipsum Nauarrum, quod necessitate ingruente potest Monachus conuenientem elargiri eleemosynã: quoniam ad hoc omnes Monachi hãbent præsumptam, tacitã, generalémque licentiam Prælatorum, & quia eadem est virtus taciti & expressi. *l. Cùm quid. ff. de rebus cred.* & *cap. 2. de rescriptis.* Dixi conuenientem eleemosynam; quoniam, vt Molina habet, Monachus dum in Monasterio versatur, nihil vel in eleemosynam donare potest, nisi ex beneplacito saltem indubitatè præsumpto sui Superioris, vt habetur c. Non dicatis. 12. q. 1. Quando verò de licentia Superiorum peregrinatur, illas potest eleemosynas facere, quas honesti Scholastici aut peregrini facere consueuerunt. Et ad hoc citat Nauarrum.

D. Tho. 2. 2. q. 186. art. 3. ad 6.

Idem ibid. q. 32. art. 8.

Nauar. com. 2. de Regul. n. 20.

Molina de iust. & iure d. 276.

Nauarr. sup. cap. Non dicatis. n. 8. 123.

Ad tertium respondeo, quod si donationes aut commutationes illæ nec habent specialem prohibitionem in religionibus illis, nec cedunt in Monasterij præiudicium, nec fiunt animo occultandi Prælato res sic donatas vel commutatas; nec denique sunt erga res notabilis valoris ac pretij, licitæ censentur Monacho virtute licentiæ tacitæ quæ in illis indubitatè præsumitur: secus autem si conditio aliqua in huiusmodi donationibus admisceretur, quæ licentiam, si à Prælato peteretur, meritò retardaret, aut difficiliorem redderet. Tunc enim licentia tacita non minus deficeret quàm expressa, & proinde omnis licẽtia deesset. Monachum autem sine vlla licentia dare rem maioris aut mediocris momẽti, grande peccatum est.

Ad confirmationem respondeo, taliter Monasterij bona esse communia, vt dispositio illorum tantùm sit apud ipsos Prælatos & officiales ipsorũ, prout Concilium Tridentinum declarauit.

Concil. Trid. sess. 25. c. 2. 124.

Ad quartum, vt ad tertiũ respondendum est, vtique tacita saltem particulari licentia Oeconomos vigere ad omnia illa, vtpote necessaria ad cõmodam villarum & bonorum Monasterij administrationem. Aliàs grauiter delinquerent, si in alios vsus quàm à Superioribus deputatos Monasteriorum bona Oeconomi isti in magna quantitate impenderent, prout ex Diuo Thoma, & Glossa in Clementina 2. §. Sed & talia, de vita & honestate clericorum, accepimus.

D. Th. 2. 2. q. 32. art. 8. Gloss. in Clemen. 2. §. Sed & talia. 125.

Ad quintum respondeo, quod ad illa semper intercedit generalis, licet tacita Prælatorum licentia, quæ ad illius rei honestatem sufficit.

Ad confirmationem respondeo, consequentiam esse nullã: quoniam etiam quæ turpi lucrò Monachi adquirunt, ipso iure ad Monasterium pertinent, sicut quæ vxorata ex adulterio, ad maritum, & filiafamilias ex fornicatione, ad patrem, & Monialis ex sacrilegio, ad Monasterium. De quibus Molina ex sua & ex Magistri Soto sententia:

Molin. t. 2. de iust. & iure d. 95.

126. Ad sextum respondeo, iura Ecclesiastica nullas edixisse pœnas contra proprietarios omnes, sed duntaxat in illos qui clanculum retinent priuatas pecunias, prout præcedenti dubio visum est.

127. Ad septimum respondeo vt ad tertium: addendo quod si Prælatus non dederit Monacho necessaria ad victum, ad vestitum, & ad similia, potest Monachus reluctante Prælato illa sibi sine peccato sumere. Habet enim ius vt de bonis Monasterij sustentetur.

128. Ad vltimum respondeo, quod sicut Prælatus licet non sit dominus bonorum Monasterij, sed tantùm administrator, adhuc si rationabilis causa subest, potest de bonis Monasterij aliquid exteris donare, vt habetur *in l. Cùm plures, ff. de administratione tutorum.* (Quod intelligendum est, etiamsi Conuentus cuius sunt Monasterij bona, obnixè reluctetur: quoniam rationabiliter tenetur in parua quantitate non reluctari administratori suo.) Sic priuatus Monachus licitè potest retinere, & expendere aliquid parui momenti, etiamsi Prælatus abnuat, quia in tam minima quantitate irrationabiliter abnuit. Non enim per omnia Monachus mancipium est, sed filiusfamilias. Et sicut Corduba dixit quod Abbas licitè potest vsque ad quãtitatem decem aureorum de bonis Monasterij donare, bona interueniente causa: sic Magister Alphõsus de Mendoza dicit quod priuatus Monachus potest quantitatem duorum argenteorum recipere, aut expendere citra peccatum mortale. Citra mortale inquit, nimirum ob paruitatem materiæ. Ex suo enim genere mortale est, sed ob paruitatem materiæ veniale fit. Quare religiosis viris non minus declinandum & fugiendum est quàm furtum modicæ rei, quod cùm ex suo genere mortale sit, tamen ob paruitatem materię veniale est, inciuile tamen & indignum omni probato probandóque integri honoris viro, imò & puero. Hæc de paupertate religiosa dicta sufficiant.

Corduba tract. de cas sibus. q. 54. dicto vlt.

Mendoza q. 8. Scholast. n. 12.

Si omnes æqualiter debeant necessaria accipere.

CAPVT XXXIV.

SICVT scriptum est, diuidatur singulis prout cuique opus erit. Vbi non dicimus, vt personarum (quod absit) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Vbi qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contristetur. Qui verò plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro

miseri

misericordia : & ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicumque causa in aliquo qualicumque verbo, vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinæ subdatur.

SICVT *scriptum est*, &c. Rescissa precedenti capite proprietate à Monachis, procedit præceptor sanctissimus præscindere occasionem repullulandi in eis, præcipiens vt Abbas singulis necessaria prouideat. Necessaria inquam, non superflua, quoniam superfluitas innumerabilium malorum causa est. Etenim de superfluitate ciborum sic habet Bernardus. Ex superfluitate ciborum quandoque infunduntur iumenta, & in ventris nimiam affluxionem resoluuntur, ita vt ex refectione deficiant. Sic corpus tuum ; ô princeps & dominus corporis, si regulas necessitatis excesserit, & ad barathrum concupiscētiæ os aperuerit, lacum perditionis sibi effodit in hospitio reparationis, & de remedio comparat exitiū, de vehiculo naufragium. Quid proinde ? Superfluum tollit necessariū. Aufer superflua, & nulli deerunt necessaria, quia de superfluenti copia aliquorum, nascitur valde ægra inopia aliorū. Et infrà. Comedo & bibo profusè, & multiplicantur fercula & pocula, donec & venter grauetur, & turbetur cerebrum, & sic mei oblitus gulæ appetitum sequor. Obliuisci mox incipio quid faciant fratres in refectorio, & cadit à memoria faba, caulis, panis durus, & aquæ potus. Sicut fabula sic est vita mea. Timeo etiam ne egomet sic fabulando fabula efficiar, & sine bonis operibus inueniar.

lib. de ori do- p. 6.

ibi. cap.

Idem etiam contra superfluitatem vestium. Dominus noster Iesus Christus dixit in Euāgelio: Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. Mollia dicuntur vestimenta, quia mollem faciunt animum. Mollibus vestimentis delectatur Regis curia, asperis verò & humilib. Christi Ecclesia. Talia debent esse vestimenta seruorum & ancillarum Dei, in quibus nihil possit notari nouitatis, nihil superfluitatis, nihil vanitatis, nihil quod pertineat ad superbiam & ad vanam gloriam. Vnde Beatus Hieron. Non facit ornatum clericū terrena vestis, sed mūditia mentis. Et mox. Christus inuisibilis sponsus nō requirit pulchritudinē foris, sed intus, sicut scriptū est in psal. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. Et nihilominus clamat Bern. & interrogat. Quē das mihi contentū necessariis, contemptorem superfluorū? Lex est prę-fixa ab Apost. Victum & vestitū habentes, his contenti simus. Vbi forma hæc ? In libris videmus eam, sed non in viris. Sed gratis istud. Vtinā superfluis ponatur modus; vtinam nō cupiamus in infinitum. Vtpote quod à concupiscentia superflui perucnitur ad impossibiliū appetitionem. Hac ergo de causa D. Pater

2. *Bern. de modo bene viuendi. Ser. 9.*

Hieron.

Psal. 14. 14.

Bern. præfat. in vitam Sāti Malach.

1. ad Tim. 6.

præcipit hic, vt Abbas indulgeat Monachis necessaria, non superflua, exemplo ad hæc inducto priorum Ecclesiæ fidelium, quibus authoritate Apostolica diuidebatur prout cuiq; opus erat, hoc est, pro necessitate singulorum, non pro voluntate.

3. Ex hoc enim quod Abbas prouideat singulis Monachorũ suorum prout cuique opus fuerit, proprietatis vitium longè faciet ab illis. Etenim si Christus Dominus inde suasit fidelibus Mat. *Matth.6.35.* 6. ne soliciti essent de victu & vestitu proprio, quoniam Deo ipsi cura de omnibus inerat: quid Monachis de cupiditate facultatum mundi abiicienda suaderi non poterit, exquo Abbatem viderint sibi de omnibus prouidentem, & cuncta necessaria illis opportunè donantem, & pro necessitate impartientem? Magni igitur refert quod Monachis Abbas superflua prohibeat, prouideátq; necessaria, vt initio nascentis Ecclesiæ cum fidelibus actitatum est.

4. Huius gratia 10.q.2.cap. Episcopus, ex Concilio Martini Papæ c.16. & 12.q.1.c. Episcopus, præcipitur tam Episcopis quàm ministris, & illorum procuratoribus, sub reatu Concilij, vt Ecclesiastica bona distribuant in egentes, prouidentes singulis de vestitu pariter & victu. Quod si hæc Episcopis pro egenis, quorum fortè nomina non audierunt, nec viderunt facies, quid Abbatĩ pro Monachis viuis sui corporis membris, & quibuscũ perpete agit, manducat, & bibit, & qui se, suáque omnia Monasterio dederunt, Præsulum se ipsos per omnia committentes tutelæ?

5. Personarum acceptio hic procul reiicitur dum exaratur, *non dicimus vt personarum (quod absit) acceptio sit.* Tum quia D. Pater vult omnes Monachos sine delectu alendos, vestiendos, nutriẽdos, fouendósque ab Abbate. Tũ quia si quando delectus habendus est, tunc non personam, sed causam respiciendam præcipit. Id enim significat non esse accipiendam personam. Pro quo est cum D. Thoma notandum, tunc esse personarum acceptionem, quando alicui non ob specialem causam & rationem, sed præcisè propter illum aliquid singulare confertur: vti quando promouetur aliquis ad Episcopatum, non quidem quia reipsa dignus, sed quoniam diues, vel consanguineus est. Ex quo sequitur, mentem legislatoris nostri hoc indicto esse cauere speciales sumptus, vbi specialis ad hoc necessitas non coëgerit: effundere autem vbi necessitas postulauerit. Propter hoc enim infirmitatum considerationem sedulò inuexit, inquiens; *sed infirmitatum cõsideratio.* Infirmitates enim sunt, quæ ad maiores solent impensas obligare. Vbi autẽ ob maioré necessitatẽ maiores sumptus indixit, ibi tacitè, consequenter tamen præcepit, minores sumptus ob minores causas faciẽdos. Sunt autẽ diuersis in Monachis diuersæ plerumque rationes, & speciales causæ ad speciales sumptus, qui tamen omnes ad indigentiam Monachorum sunt reuocandi. Nam etiam infantiũ & senum conditio ob natiuam imbecil *D.Th.2.2.q. 63.art.1.*

becillitatem indigentia est. Item plus omnibus laborantium siue in choro, siue extra chorum, siue in publicis lectionibus, aut concionibus, siue in strenuè indefessèque gerenda administratione domus, siue in Monasterij authoritate vtilitatéque vindicanda. Horum igitur omnium, & similium indefessus labor & studium indigentia est, quia indigentiam parit ob specialem sudorem speciale postulantem subsidium.

6. Nec solùm istis, verùm & omnibus illis, qui aliquando his omnibus, vel aliquibus insudarunt illorum, & iam emeriti rudeque donati sunt, vt speciale obsequium, sic speciale debetur indulgentię auxilium. Quale exhiberi video penè in cunctis monasticis religionibus: eos enim vt Patres habent, venerantur ac colunt, & eis indulgentiùs aliquantulumque sumptuosiùs seruiunt. Præterquàm quod honoris causa sunt illis aliqua oblectamenta debita. Vt enim Glossa in verb. victus, super c. Episcopus 10. q. 1. & Cassianus habent, alimenta debentur hominibus secundum qualitatem personarum, quia pars honoris consistit in melioribus & delicatioribus cibis, & in pretiosioribus vestibus. Quæ tamen sic intelligenda sunt, vt monasticam numquam moderationem excedant, vt non excedunt.

Cassianus.

7. *Vbi qui minus indiget*, &c. Certè vt *melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas*, & eligibilius est esse abiectum in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum: sic melius pane tantùm & aqua cum integra valetudine viuere, quã deliciis impleri & saginari cum ægritudine & febri. Eligibiliusque humi bene valentem cubare, quàm molli atque instrato lecto cum infirmitate decumbere. Quis hoc neget? Vt igitur qui bene valent, non inuident languidis misericordiam & munificentiam, quæ in illis medendis funditur; nec malè habentes superbiunt efferunturque contra illos in quorum salutem tot sumptus non erogãtur, sed apud vtrosque in hac parte salua sunt omnia: sic qui minus in Monasterio indigent, debent gaudere magis, qui verò plus indigent, humiliari amplius; quoniam melius est valere quàm curari: & humiliationis causa est cultioribus vestimentis, delicatioribusque egere cibis, quã communibus & ordinariis. Inde Augustinus. Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractentur in victu, non debet molestum esse, neque iniustum videri eis, quos fecit aliqua consuetudo fortiores. Nec illos fœliciores putent, quia sumunt, quod non sumunt ipsi, sed sibi potiùs gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

Psal. 36. 16.

August. in regula c. 14.

8. *Ante omnia murmurationis malum*, &c. Hic omnis murmurationis ausus interdicitur Monachis, & non vtcumque, sed sub disciplina strictiori. Et meritò quidem: tum quoniam si Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, & reprehendit Paulus quotquot iudicant alienum seruum, qua fronte Monachi suos temere iudica-

bunt fratres? quinimò & Patres suos, Abbates videlicet? Inde in Clement. Religiosi, de religiosis, præcipitur in virtute sanctæ obedientię, & sub interminatione maledictionis æternæ, ne in sermonibus suis Monachi Prælatis detrahant. Tum quoniam (vt videre licet Actorum 6.) primi qui aduersus fratres & spirituales Patres murmurarunt, Græci fuerunt: scriptum inibi est; *Factum est murmur Græcorum.* Vt autem expositores huius loci obseruant, primi qui defecerunt à fide, Græci fuerunt. Longè igitur murmurationis malum à Monasteriis & Monachis relegandum est: quoniam licet initio leue leneque videatur, tandem tandem habet infœliciſſimos exitus.

Act.6.1.

De septimanariis coquinæ.

CAPVT XXXV.

FRATRES sic sibi inuicem seruiant, vt nullus excusetur à coquinæ officio, nisi aut ægritudine, aut in causa grauis vtilitatis quis occupatus fuerit: quia exinde maior merces adquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, vt non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia secundum modum congregationis, aut positionem loci. Si maior congregatio fuerit, Cellerarius excusetur à coquina: vèl si qui (vt diximus) maioribus vtilitatibus occupãtur. Cæteri verò sibi sub charitate inuicem seruiant. Egressurus de septimana, Sabbato munditias faciat. Linteamina, cum quibus sibi fratres manus ac pedes tergunt, lauet. Pedes verò tam ipse qui egreditur, quàm ille qui intraturus est, omnibus lauent. Vasa ministerij suî munda & sana Cellerario reconsignent. Qui Cellerarius item intranti consignet: vt sciat quid dat, aut quid recipit. Septimanarij autem ante vnam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes, & panem, vt hora refectionis sine murmuratione & graui labore seruiant fratribus suis. In diebus tamen solemnibus vsque ad Missas sustineant. Intrantes autem & exeuntes hebdomadarij, in oratorio mox matutinis finitis Dominica, omnium genibus prouoluantur, postulantes pro se orari. Egrediens autem de septimana dicat hunc versum: Bene-

dictus

dictus es Domine Deus, qui adiuuisti me, & consolatus es me. Quo dicto tertiò, accipiat benedictionem egrediens. Subsequatur ingrediens, & dicat: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Et hoc idem tertiò repetatur ab omnibus, & accepta benedictione ingrediatur.

1. FRATRES *sibi inuicem seruiant*, &c. Si fratres sunt, iure sibi inuicem seruitia impendent, etiam maiores minoribus, vt scriptum, est; *Maior seruiet minori.* Quia verò vt Laban ad Iacob dixit; *Num quia frater meus es, gratis seruies mihi?* oportet vt si maior seruit minori, sic minor maiori inseruiat, vt rependat vicem, & tandem vt sibi inuicem seruiant fratres.

Gen.25. 13. cap.29.15.

2. Item si (prout Innocentius habet in cap. Cùm olim. 2. de priuilegiis, relatus à Baldo) Monachi æquiparantur seruis, æquum est vt seruiant, & vt sibi inuicem seruiant velut serui cõseruis: adeò vt qui talia seruitia detrectauerit, mereatur audire illud Ieremiæ; *Confregisti iugum, rupisti vincula, dixisti, non seruiam.* Seruorum enim seruire est non tantùm dominis, sed & cõseruis, & maximè in necessariis, qualia sunt pro ratione victus coquinæ officia: quæ licet humilia & abiecta, Monachis tamen indigna non sunt, sed neque prorsus ignota. Legimus enim Prophetarum filiis, Monachorum antesignanis, munus hoc iniunctum. Dixit enim Helisæus ad quemdam illorum: *Pone ollam grandem, & coque pulmentum.* Imò quoniam huiusmodi olla insuauis admodum inuenta est, ita vt filij Prophetarum clamarent, *Mors in olla, vir Dei, mors in olla*, Helisæus ipse ipsorum religiosorum Præfectus & Pater oppidò demisit se condire illam, vt patet ibi numero 40.

Baldus in l seruis.

Ierem.2.20.

4.Reg.4.27.

3. Nec solus ex prouectioribus viris, nec primus hoc opus inuexit: etenim Loth coxit azyma, vt comederẽt Angeli, Gen.c.19. & de Iacob dicitur quod coxit pulmentum illud rufum, quod dedit Esau fratri suo in pretium primogenituræ suæ, Gen. c.25. Ipsi etiam Esau dixit pater eius Isaac; *Fac mihi de venatione tua pulmentum, & affer vt comedam,* Gen.c.27. Et de populo Dei inter Ægyptios oppresso dicitur in persona Ioseph; *Manus eius in cophino seruierunt.* Vbi Hebræorum aliqui pro ly *cophino* legunt *ollas*, vel *cacabum* apud Agellium & Lorinum. Gedeon etiam coxit hœdum, Iudicum 6.

Gen.19.3.

cap.25.29.

cap.27.4.

Psal.80.7.

Iudic.6.19.

4. Et non tantùm homines commendatione insignes, verùm & ipsi Angeli huic operi condiendi cibos institerunt. Angeli enim præparauerunt illud manna deserti, de quo in Exodo, Numeris & Sapientia. Propter quod in psalmo appellatur panis Angelorũ. Et dum famelico Christo accesserunt Angeli ministrãtes, cibos parauerunt, & condierunt in refectionem illius. Si igitur condiendi cibos studium

Exod.16.4. Num.11.7. Sap.6.20. Psal.67.25. Matth.4.11.

non

non dedecuit Principes etiã cœlicos, cur indecens erit Monachis ? Iure ergo Monachorum nullũ excusari præcipitur à coquinæ officio.

Nisi aut ægritudine, &c. Prudenter per omnia legifer, vt omnia præuidet, sic præcauet. Excipit enim à præcedenti regula, tum eos qui ægritudinibus, tum illos qui vtilioribus sunt occupationibus præpediti. Illos, quiá non possunt coquinæ officio incumbere; istos, quia non expeditvt abiectis occupationibus maximis, incumbant minoribus. Exemplum nobis Apostoli suppeditarũt; ipsi enim se subtraxerũt à munere & onere (aliàs piissimo & amplissimo) ministrandi mensis, ne sic auocarentur, aut distraherentur ab oratione ad Deum, & ab eius verbi prædicatione. Dixerunt enim in Actis. *Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate viros boni testimonij, quos constituamus super hoc opus : nos verò orationi, & prædicationi verbi Dei instãtes erimus.* Hac ratione nixi nostræ congregationis antiquiores Patres eximere voluerunt ab officio coquinæ choristas Monachos, vt orationi potiùs & diuini officij exercitationi, quàm ollæ & coquinæ insisterent. Nec tamen prorsus à coquina auocantur, siquidem sibi inuicem fratres in refectorio seruiunt, exceptis illis qui vtilioribus sũt occupationibus implicati.

Actor.6.7.

6. *Quia inde maior merces adquiritur.* Sanctionis suæ commodum & motiuum D. hic Pater attexuit, dicens, ideo iniunxisse fratribus vt sibi inuicem seruiãt in coquinæ officio, quia inde maior merces adquiritur. Maior inquam, quoniam si scriptum est apud Luc. *Omnis qui se humiliat, exaltabitur*, consequens est, vt cæteris paribus qui se depressiùs humiliat, sublimiùs exaltetur. Exemplum in Christo est, qui quoniam plus omnibus sese humiliauit, (etenim exinaniuit sese) supra omnes euectus & exaltatus colitur. Quæ autem maior demissio, humiliorve illa, quæ vsque ad cacabos & culinæ officia, etiam in Sacerdotibus est ? Inde psalmista ; *Si dormiatis inter medios cleros*, (seu vt Hebræa apud Genebrardum, *inter medios lebetes*, vel *tripodes*, vel *ollas*,) *pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Quorum sensus est : ũ versemini inter medias nigras & fuliginosas ollas, quæ sunt instrumenta culinæ, non propterea tetri sordidive cubabitis, sed potiùs cãdidi pellucidique emergetis, & in} altum volabitis, velut deargentatæ atque inauratæ columbæ.

Luc. 14.

ad Ephes. 5.

Psal. 67. 14.

7. *Imbecillibus autem*, &c. Imbecilles, quia debiles sunt, adiutoribus egent, etiamsi congregatio pusilla sit : est enim coquinæ officium graue pariter & fastidiosum, & proinde imbecillibus superum. Robustis etiam & vegetis socij necessariò adiiciendi sunt, quando congregatio in gentem magnam crescit, vnus enim vel vnicus tantorum obsequiis par esse non potest. Idcirco vtrisque solatia dari præcipitur, vt fortiter & alacriter suum exquantur officium : quia

Prou. 18. 19. quia frater qui adiuuatur à fratre, est velut turris fortissima. Econtrà autem, *Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem*
Eccle. 4. 10. *se.* Vnde inter imprecationes aduersus proditorem Iudam illa
Psal. 108. 12. non leuis est; *Non sit illi adiutor.* Cellerarius autẽ & reliqui maioribus occupationibus præpediti, à ministerio isto eximuntur; quia semper quod minus est, cedit maiori. Cæteri autem non sic, sed potiùs edicitur hic vt sub charitate sibi inuicem seruiant. Sub charitate, inquit,
1. Cor. 13. 4. quia charitas cùm patiens & benigna sit, omnia suffert, & omnia sustinet, & proinde ad omnia est potens. Vnde scriptum est; *Per charitatem seruite inuicem.* Aquæ enim multæ
ad Gal. 5. 13. Cant. 8. 7. non possunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam.

8. *Egressurus de septimana*, &c. Cùm vasa coquinæ flamma, fumo, fuligineque denigrari fœdarique opus sit, necessariò purgatione indigent, & quidem frequenti; ne nauseam & stomachum prouocent sumentium quæ condiuntur in eis. Vbique enim & semper mundities in pretio est, adeò vt ad ipsum
Iob. 9. 31. Deum dixerit; Iob, *Sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea*, vtique refugiendo contactum illius contaminationis metu. Adeò enim omnia declinant spurcitiam, & horrent sordes. Itaque vbique & semper mundities in pretio est; in vasis autem ciborum in præcepto: quoniam vel ipsa apprehensio spurcitiæ in eis mouet stomachum, & cibus sumendus ab eis non tam victus, quàm virus habetur. Quare D. Pater præcepit hebdomadario coquinæ, vt Sabbato mũditias faciat, hoc est, vt omnia instrumenta coquinæ siue ferrea, siue terrea, exactè, exactiúsque quàm per hebdomadam purget & mundet. Idem etiam de linteaminibus præcepit, illis vtique, quibus sordes pedum manuumque abstergũtur. Ipsos etiam Monachorum omnium pedes lauari ab egrediente, atque etiam ab intrante hebdomadario coquinæ imperat, vt sic omnia initio hebdomadæ munda sint. *Qui enim* Ioan. 13. 10. *mundus est*, (ait Christus) *non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Quare subiicit D. Pater, vasa. Monasterij munda sanáque Cellario consignãda esse ab hebdomadario egrediente, vt sic Cellarius ea intranti consignet, sciens quid dat, & quid recipit. Omnium enim rationem iniungit; quia omnium ratio habenda est, si ratione est agendum, & non tumultuariè & confusè in Monasteriis procedendum. Sed de vasis Monasterij plura suprà cap. 32.

9. *Septimanarius autem*, &c. Consultò prouisum id est. Cùm enim labor officij ingens sit, nec ientacula in Monasteriis liceant, opus est vt ante refectionem communẽ aliquid coquinæ ministri refectionis prægustent, ne ægrè, defessi, & languentes inseruiant fratribus. Refectio autem ista aliquo panis frustulo & haustu vini conficienda indicitur. Et meritò quidem, quoniam panis cor hominis confirmat, & vinum lætificat cor. Vnde de

Helia legimus, quod in fortitudine ſubcinericij panis ambulauit vſque ad montem Dei: & de Paulo, quod cùm accepiſſet cibum confortatus eſt. Modificat tamẽ D.Pater ſtatutum hoc, & contrahit ad dies priuatos, iubens quod in ſolemnibus vſque ad Miſſas ſuſtineant, fortè propter communionem ſacram Dominici corporis, quæ conuẽtualiter tunc in Miſſa maiori fieret, vti nunc apud nos Monachi non presbyteri faciũt. Vel propter reuerentiam feſti maiori corporis maceratione colendi. Vnde illud; *Sabbatum Domini eſt, affligetis animas veſtras.*

10. *Intrantes autem & exeuntes*, &c. Sanè ſi refectioni accumbentes duas de more recitant orationes, vel cantant; primam ante prandium pro benedictione, ſecundam finito prandio pro gratiarum actione, & hoc quotidie, iure refectionem eamdem miniſtraturi totidem ſe orationibus munire debent, vna initio hebdomadæ, qua Dei auxilium implorent, altera in fine illius, qua Deo gratias pro illato ſubſidio referant. Item ſi recitaturi in choro ſuper analogium lectiones, poſtulant ante omnia benedici dicentes; *Iube Domne benedicere*, & in fine miſericordiam precantur cantantes: *Tu autem Domine miſerere noſtri*, cur miniſtraturi & alimoniam condituri & exhibituri eiſdem prorſus Monachis, introitu non implorabunt Dei auxilium, exitu autem non ſe gratos oſtendent? Quare ad illud ſignatur verſiculus pſal. *Deus in adiutorium meum intende*: ad iſtud autem ille qui ex diuerſis Scripturę verbis compactus eſt: *Benedictus es* (ſcilicet) *Deus meus, qui adiuuiſti me, & conſolatus es me.* Pſal.69. 2.

De infirmis fratribus.

CAPVT XXXVI.

INFIRMORVM cura ante omnia & ſuper omnia adhibenda eſt, vt ſicut re vera Chriſto, ita eis ſeruiatur, quia ipſe dixit; Infirmus fui, & viſitaſtis me. Et quod feciſtis vni de iſtis minimis meis, mihi feciſtis. Sed & ipſi infirmi conſiderent in honorem Dei ſibi ſeruiri, & non ſuperfluitate ſua contriſtent fratres ſeruientes ſibi. Qui tamen patienter portandi ſunt, quia de talibus copioſior merces acquiritur. Ergo maxima cura ſit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis ſit cella ſuper ſe deputata, & ſeruitor timens Deum, & diligens, ac ſolicitus. Balneorum vſus infirmis, quotiens expedit, offeratur: ſanis autem & maximè iuuenibus tardiùs cõcedatur.

Sed

Sed & carnium esus infirmis, omninoque debilibus pro reparatione concedatur. At vbi meliorati fuerint, à carnibus omnes more solito abstineant. Curã autẽ maximã habeat Abbas, ne à Cellerariis aut seruitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsũ respicit, quidquid à discipulis delinquitur.

1. INFIRMORVM *cura*, &c. Magno studio Patres religionum institutores & principes infirmorum curam suis Monachis commendarunt. Seraphicus enim Pater ita cõstituit. Siquis in infirmitatẽ ceciderit, alij fratres debeant ei seruire, sicut vellent sibi seruiri. Quod ad literam est illud Christi apud Luc. *Quæcumque vultis vt vobis faciant homines, eadem facite & vos illis.* D. item Pater Augustinus ita habet. Ægrotantium cura, siue post ægritudinem reficiendorum, siue aliqua imbecillitate etiam, siue febribus laborantium, vni alicui debet iniungi, vt ipse de Cellario petat, quodcumque opus esse perspexerit. Basilius denique. Qui Præfectus est, necessariò singulos languentes cognoscere debet, & conuenienter curare.

Erãciscus in Regula c. 6.

Aug. cap. 33. Regulæ.

Basil. reg. 155. ex breuior.

2. Nihilominus rem istam hausit, extulitque verbis ac monitis nullus vt legifer noster, inquiẽs; *Infirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est, vt sicut re vera Christo, ita eis seruiatur, quia ipse dixit; Infirmus fui, & visitastis me. Et quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Itaque vt Christus mandatum dilectionis dixit esse primum & maximum: sic D. Pater infirmorum curam iniunxit primam & maximam Abbati. Et paucis interiectis dicit; *Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiã patiantur infirmi.* Et in fine cap. *Cura autem maxima sit Abbati, ne à Cellerariis aut seruitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit, quidquid à discipulis delinquitur.* Ecce funiculus triplex, & is strictissimus, pro infirmorum obsequiis.

Matth. 24.

Matt. 22. 13.

3. Equidem si in subsidium infirmi non solùm legimus; *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius:* sed assertum etiam; *Vniuersum stratũ eius versasti in infirmitate eius.* Quod est dicere, Deũ ipsum in fauorem infirmi officium assumpsisse famuli, componendo, sternendo, vertendo lectisternia dolentis, vt molliùs cõmodiúsque decumbat. Item si (prout notauit Ambrosius) in figura illius qui descendit de cælo & ascẽdit in cælum filius hominis, qui est in cælo, vtique in figura Christi dictũ est de quodã Samaritano, quod iter faciẽs vidit nescio quem hominẽ vulneribus in itinere cõfossum, & semiuiuum relictum, & misericordia motus alligauit vulnera eius, infundens vinum & oleum, & imponens illum super iumentũ suum, duxit ad stabularium, vt curam illius gereret ad ipsius Samaritani expensas. Si igitur hæc de Deo ipso, quid mirum si serui eius, vtique religionum institutores tantum ad subueniendum infirmis studium colloca-

Psal. 40. 9.

Ambr. lib. 7. in Lucam.

Luc. 10. 37.

rint, vigilantiãque adhibuerint?

4. Sed ad hæc vrgẽtiori nos ſtimulo D.Pater adegit,dicens,docenſque ſacris ex literis quod obſequia præſtita infirmis, ipſi præſtantur Chriſto,quia ipſe dixit; *Infirmus fui,& viſitaſtis me.* *Chryſolog. Ser.14.* Circa quod, vt Petrus Chryſologus philoſophatur circa id, *eſurini,& dediſtis mihi mãducare*, poſſumus philoſophari & nos, vtique conſiderando quod non dixit Chriſtus, infirmus fuit famulus meus,& viſitaſtis illũ,ſed, infirmus fui, & viſitaſtis me,ſibi factum clamans, quod factũ eſt infirmo. Dixiſſe ſufficeret, viſitaſtis me,ſed præmiſit, infirmus fui,quia paruus fuiſſet amor infirmi, niſi & paſſiones ſuſciperet, quia verus amor non niſi paſſionibus probatur. Itaque obſequium quod præſtatur infirmo, Chriſto re ipſa præſtatur. Quid Chriſtianius Chriſtiano obſequio in Chriſtum?

5. *Hier.1.tom. epiſt.22. Innoc. cap. Cùm ad Monaſterium.* Inde referente Hieronymo epiſtola ad Euſtochium,de Monachis ſui temporis. Siquis cœperit ægrotare,tanto ſenum miniſterio confouetur,vt nec delicias vrbium, nec matris quærat affectum. Inde etiam Innocentius III. in cap. Cùm ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum. Infirmi quæ ſibi neceſſaria fuerint tã in carnibus quàm in aliis recipiant competenter. Sed quæ iſta cum monitis D.Patris iniũgentis Abbatibus primã & maximam curam infirmorum? Sanè illos voluit indutos ſpiritu Pauli dicentis: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Infirmabatur enim Paulus anima, dũ fidelis corpore, & ideo ſaluti illorum non minus ille quàm ipſi oppidò incumbebant.

Cor.11.29.

6. *Sed & ipſi infirmi*, &c. Adeò certũ eſt, Chriſtum in infirmis curari, & in obſequium Chriſti obſequia infirmis impendi, vt hac vna ratione infirmos ſanctiſſimus legiſlator coërcitos velit à prolixitate & faſtidio, quibus non ratò ſolent ſibi ſeruientes vexare. Cùm enim infirmorũ conditio grauis plerumq; ſit,& quidẽ adeò grauis,vt ipſos diſtorqueat, & cruciet vel diligentiores miniſtros, admonet D. Pater infirmos vt hoc vnum mẽte reuoluãt,quod in Dei honorem præcisè,aut principaliter ſaltẽ, non autem ob aliũ finem fratres ſui illis inſeruiunt. Hac enim cogitatione cõpreſſi mitiores euadent, & benefactores ſuos grati & comes, non autem truces & indignabũdi reſpiciẽt; obſeruantes quippe quod non propter ſe,ſed propter Deum ſic miniſtratur illis,vt qui ob amorem Dei ſubſidium eleemoſynæ recipit, humillimè & cũ gratiarum actione ſuſcipit illud, non autem acerbè & ingratè.

7. *Qui tamen patienter*, &c. Exhortatur hic nos Pater mitiſſimus, quod ſi fortè infirmi infirmitatis duritie compreſſi patiẽtiã exhauſerint, & graues ſe miniſtris & acerbos oſtẽderint,eos nihilominus patienter ſufferãt: quoniã morem gerere illis, maiorem mercedem comparat. Etenim ſi de quocumque pauperibus ſubueniente dicitur: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*; quid de ſubueniente infirmo penitus intolerabili? *Pſal.40.1.*

Certè

Certè ſi vnuſquiſque propriam mercedē accipiet ſecundū ſuum laborem: conſequens eſt, vt is lōgè maior labor, atque durior, longè maius & dulcius præmiū adquirat, & ſit mercedis menſura pro quantitate laboris.

8. *Balneorum vſus*, &c. Balnei tē-
Senec. ep. 86. peratura (ait Seneca) vtilis eſt, ſalubris eſt, & proinde neceſſaria multis. Multis inquam, nam re ipſa non omnibus: multis enim exitio & exterminio fuit. Referente enim Sabellio, Dedalus dux pugnaciſſimus & acerrimus, balneo exanimatus & ſuffocatus periit. Referente item Paulo Diacono, Grimaldus Venauentanus dux vapore balnei interiit, aliique ſimiliter. Vnde taliter hic balneorum vſus indicitur pro infirmis, vt non abſolutè impetretur, ſed tantùm temperie iſta, quoties expedierit. Quæ quidem apprimè conſtant illis Auguſtini verbis, quæ ſic habent. Lauacrū etiam corpori cum infirmitatis neceſſitas cogit, minimè denegetur. Fiat ſine murmure de conſilio medicinæ, vt etiamſi nolit, iubente Præpoſito, faciat quod faciendum eſt pro ſalute. Si autem velit, & fortè non expedit, ſuæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim etiamſi noceat, prodeſſe creditur quod delectat.

Sabellius 1. Ennead.

Paulus Diac. lib. 5 hiſt. Lōgob. c. 30.

Aug. in Reg. cap 31.

Cura autem maxima, &c. Cùm reipſa Abbas non omnia & ſingula poſſit per ſeipſum exequi in infirmorum ſalutē, opus ſunt illi adminiſtri & ſuffragatores quibus illam committat, & ipſi fidenter exerceant, & ſtudiosè compleant, ne fortè ob incuriam illorum patiatur infirmus, & Abbas in conſcientia plectatur. Scriptum quippe eſt: *Ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum.* & alibi: *Iudicium durisſimum his qui præſunt, fiet.* Quare tota mente, tota die cogitabundus debet circa infirmorum obſequia incedere Abbas. 9.

Ezech. 34. 10.

Sap. 6. 6.

De ſenibus & infantibus.

CAPVT XXXVII.

LICET ipſa natura humana trahatur ad miſericordiam in his ætatibus, ſenum videlicet, & infantum, tamen & regulæ authoritas eis proſpiciat. Conſideretur ſemper in eis imbecillitas, & nullatenus eis diſtrictio regulæ teneatur in alimentis, ſed ſit in eis pia conſideratio, & præueniant horas canonicas.

1. LICET *ipſa natura*, &c. Cùm ſenes in vitæ occaſu mortíſque in confinio ſint: tum quia (vt Auguſti-
Aug ep. 110. nus expendit) ſenectus aliam ætatem quam ſperet, non habet. Propter quod Cicero in Topicis appellauit ſenectutem vitæ

occasum. Tũ quia senectus ipsa longa infirmitas est, vt etiam notauit Augustinus, & vt vidit Cornelius Gallus, senectus est mortis primitiæ; & Comicus, senectus ipsa morbus est. Et demum Hieron. In senibus sola crescente sapientia cæteræ decrescunt vires. Senes igitur cùm huiusmodi sint, & hoc naturaliter, naturaliter etiam in obsequium illorum propẽdent cuncti, & omnes naturaliter eis se morigeros exhibent, coram cano capite stando, & obtemperando iussis nutibúsque illorum.

Idem lib. de catechizãdis rudibus. Comicus in Thormione. Hier epist. ad Nepotianũ.

2. Pueri item puri candidíque cùm sint, siquidem (notante Varrone) à puritate pueri nomen trahunt. Propter quod Paulus; *Malitia paruuli estote*; & Chri- 1.Cor.11.20.
stus: *Nisi efficiamini vt paruuli,* Matth 18.2.
non intrabitis in regnum cælorum; Apoc.21.27.
vtpote quod nihil coinquinatum intrabit illuc. Cùm igitur pueri tales naturaliter sint; ex vno capite, & ex alio parum industrij & validi ad ea quæ ipsi opus habent, propterea innato pondere in amorem & subuentionem illorum vniuersi impelluntur. Vnde Christus: *Non est* Marci 9.36.
voluntas ante Patrem vestrum qui in cælis est, vt pereat vnus ex pusillis istis. Idcirco certo certius est primum huius capitis verbum, vtique quod natura humana ad misericordiã trahatur erga infantes & senes. Qui meritò sub vno comprehenduntur capite, eadémque trutina ponderantur: quia senes dum valde senes, sunt valde pueri: ex quo illud Cornelij Galli de sene,

Fitque tripes prorsus, quadrupésque vt parnulus infans.

His tamen non obstantibus, 3.
subiicit D. Pater quod vtrisque authoritate regulæ prospiciendum est, hoc est, benignè fouendum; vt si fortè aliquando natura exorbitet in aliquibus, degeneretve in aliquo, regula ista suppleat, vtpote quæ magis à gratia quàm à natura est. Vnde gratiæ author apud Esaiã; *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio ventris sui? Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Inde licet frequenter pueri seruentur indemnes, adhuc in bello iusto, Deut.2.14. sæpe tamen elisi sunt, Esaiæ 13.6. Oseæ 14.1. Nahum 3.10. Threnorum item 4. legimus: *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*: & in psalmo habetur; *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Exinde Chrysost. expendens commendationes eximias Christi in paruulorum fauorem, dixit. Perspicis quàm ingentia mœnia in paruulorum tutelam erexit Christus, & quantum studium curámque habeat ne perdantur? Vtique quoniam licet humana natura trahatur ad misericordiam illorum, adhuc tamen subsidio egent & vigore legum, vt foueantur. Esaiæ 49.15. Chrys. homil. 60 in Matt.

4. *Consideretur semper*, &c. Explicat D. Pater quid in senibus, infantibúsque prospiciat authoritas regulæ, vtique eximere illos à districtiori obseruantia, consulendo sic necessitati illorum pariter & imbecillitati. Ex quo liquidò constat, quod licet inter multos diffideat, quinam verè sint senes, eo quod apud aliquos senes dicendi sunt qui

quadra

quadrageſimum ſextum annum expleuerũt, apud alios qui quinquageſimum, apud alios item qui ſextum ſupra quinquageſimum: at apud Patrem noſtrum illi tantùm ſenes dicuntur qui debiles exiſtimantur, & impares inueniuntur regulari obſeruantiæ: aliàs ſiue tranſcenderint centeſimum, ſiue trigeſimum non expleuerint, ſi modò inepti non ſunt ad ſtrictiorem vitam, ſenes non iudicantur, ſed iuuenes. Et idem eſt de pueris ſiue infantibus. Quota enim ſit illorum ætas, ſi tamen robuſti & integri ad obſeruantiam regulæ non iudicantur, infantes omnino dicuntur. Diuus enim Pater hic corporum neceſſitatem, indigẽtiam, & debilitatem inſpiciendam præcipit, & commendat, & non puram ætatem.

De hebdomadario lectore.

CAPVT XXXVIII.

MENSÆ fratrum edentium lectio deeſſe non debet. Nec fortuito caſu qui arripuerit codicem, legere audeat ibi, ſed lecturus tota hebdomada Dominica ingrediatur. Qui ingrediens poſt Miſſas & communionem petat ab omnibus pro ſe orari, vt auertat ab eo Deus ſpiritum elationis. Et dicatur hic verſus in Oratorio tertiò ab omnibus, ipſo tamen incipiente: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Et ſic accepta benedictione ingrediatur ad legendum. Summúmque fiat ſilentium ad menſam, vt nullius muſſitatio, vel vox, niſi ſolius legentis ibi audiatur. Quæ verò neceſſaria ſunt comedentibus & bibentibus, ſic ſibi inuicem miniſtrent fratres, vt nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, ſonitu cuiuſcumque ſigni potiùs petatur, quàm voce. Nec præſumat ibi aliquis de ipſa lectione, aut aliunde quidquam requirere, ne detur occaſio: niſi fortè Prior pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere. Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum priuſquàm incipiat legere, propter communionem ſanctam: & ne fortè graue ſit ei ieiunium ſuſtinere. Poſtea autem cum coquinæ hebdomadariis & ſeruitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant, aut canent, ſed qui ædificent audientes.

MENSÆ

1. MENSÆ *fratrum*, &c. Ita in more positum vel à prioris temporibus est. Etenim Tertullianus agens de Christianorum epulis, & conuiuiis, ita inquit. *Non priùs discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur: vt qui non tam cœnam cœnauerint, quàm disciplinam.* Vnde quoniam priores Christiani Monachorum semina extiterunt, ideo laudabilem hunc & maximè commendabilẽ morem in refectionibus Monachorum ipsorum Patres inuexerunt, & suis in scriptis mandarunt. Equidem Basilius inquit. *Maiore cum delectatione debemus audire quæ ad mensam nobis accumbentibus leguntur, quàm quæ edimus & bibimus.* Et Augustus. *Cùm accedetis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite.* Authore etiam Cypriano lib. 2. epist. 2. in fin. olim clerici & religiosi inter edendum sacra lectione pascebant animum. Quod etiam adstruunt Conc. Afric. can. 6. Burchardus lib. 2. cap. 169. Conc. Tolet. III. can. 7. Conc. Turon. can. 15. Cassianus lib. 4. Instit. c. 17.

Tertul. 3. cõtra Marcionẽ c. 39. n. 519.

Basil. reg. 180. ex breuior.

Aug. in reg. cap. 8.

2. Rationem istiusmet institutionis aperuit Isidorus dicens. *Vt sicut illis corporalis cibus præstat refectionem carnis, ità spiritualis mentem reficiat.* Quã sanè causam similiter attexuit Synodus Hidruntina dicens. *In communi mensa lectio adhibeatur, vt ynà cum corpore sumat quoque mens cibum.* Sed longè exactiùs Concilium Toletanum III. causas lectionis ad mensam explicuit dicens. *In conuiuio sacerdotali, diuinarum Scripturarum lectio semper habeatur. Primò, vt non solùm homo exterior, sed etiam interior Dei verbo pascatur. Secundò, vt anima diuinæ lectioni intenta à delectatione ciborum vtcumque retrahatur. Tertiò, vt nociua verba & contentiosa, quæ in conuiuiis oriri solent, cuitentur.* Vnde Cornelius Nepos de Attico. *Nunquam sine lectione apud eum cœnatus est: vt non minus animo quàm ventre delectaretur.*

Isid. in regul. Monach. c. 9.

Synod. Hid. ist. de Monast. cap. 4. Conc. Tolet. 3. relatum c. Pro reuerentia. d. 42.

Plin lib. 1. ep. 15. & lib. 9. epist. 136.

3. Et iure simul cum corpore reficitur anima. Tum quia non tantùm corpore, sed etiam anima coalescit homo. Tum quoniam vterque sunt laboris & consolationis socij, & proinde digni vt etiam sint consortes mensæ. Decet enim vt qui simul laborant, simul reficiant. Sunt etiam intimi amici, vtpote corpus & anima. *Amicus autem* (ait Ecclesiasticus) *est socius mensæ.* Vnde Dauid, cui prædixit: *Tu verò homo vnanimis dux meus & notus meus*; eidem subdidit: *Qui mecum dulces capiebas cibos.* Vnde etiam olim in Ecclesia conuiuia, quæ agapæ dicebantur, charitatis ergo instituta leguntur 44. distin. cap. Siquis agapes. & apud Clementem Rom. Et exinde cõfraternitates fidelium, conuiuia & comessationes illorum initium sumpserunt, de quibus Gregorius magnus relatus in c. Conuiuia. dist. 44.

Psal. 54. 15.

Clem. Rom. lib. 2. constit. Apost. c. 32.

Greger lib 2. Regist. indict. 10. epist. 37.

4. Et licet longè distet refectio animæ à refectione corporis, adhuc similitudinis multum, multúmque analogiæ habent, quare

quatenus vtraque refectio panis & vini est, & cũ proportionatis effectibus. Etenim vt panis cor
.103.15. hominis confirmat, psal. 103. 15. ita & verbum Dei, iuxta id psal-
.118.28. mi 118. 28. *Confirma me in verbis tuis.* Item vt de vino dicitur
103 11. lætificare cor hominis, psal. 103. 11. similiter & de Scripturis asseritur; *Lætabor ego super eloquia*
118.162. *tua*, psal. 118. 162. & rursum: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo*? Vnde
sub.4. Christus: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei.* Rursum verbum Dei & doctrina sacra panis in Scriptura dicuntur, dum habe-
ren.4.4. tur; *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* & Lu-
ɛ 22.15. cæ 22. *Beati qui manducant pa-*
16. *nem in regno Dei.* Quod est illud eiusdem cap. 11. *Beati qui audiunt verbum Dei.* Eadem item nuncupantur vinum, vbi dici-
u. 9. tur; *Sapientia miscuit vinum.* Verbum siquidem Dei & doctrina sacra sunt illud vinum, de quo
char.9. Zacharias dixit quod est germinans virgines.

Nec fortuito casu, &c. Notatu
5. dignum hoc. Equidem si legentes lectiones sacras in choro tanquam partes, & quidem non minimas diuini officij, non se alia oratione premuniunt, quàm illa quæ breuissima est; *Iube Domne benedicere.* Imò neque Diaconus solemniter Euangelium in Missa adstanti populo recitaturus, aliam pro se orationem à Sacerdote petit quàm istam; *Iube Domne benedicere:* quinimò & Subdiaconus palàm epistolam recitaturus nullam ad sic legendum benedictionem precatur. Si igitur hoc ita est, mirum valde apparet, quod in refectorio lecturi omnium debeant se publicis solemnibúsque orationibus commendare, ita vt omnes fundant orationes pro illis, & hoc ad finem Missæ maioris & solemnioris, id alta voce precantes vt Dominus auertat ab illis spiritum elationis: non enim aliter ad legendum in refectorio accessus datur. Et quod mirabilius est, cùm omnes alij benedictionem precentur ad dicendum bene: hoc est, ad conuenienter aptéque recitandum siue lectiones, siue Euangelia; in quo se palàm fatentur insufficientes ad opus nisi Deus succurrat, lectores refectorij tanquam de seipsis satis supérque fidentes, & extunc opus suum optimè cessurum sperantes, tantùm quod ab elationis spiritu diuinitus liberentur, deposcunt, elatio siquidem fœliciores tantùm irrepit in exitus.

Sed certè cùm lector refec- 6.
torij præmittat versum illum; *Domine labia mea aperies, & os* *Psal.50. 15.*
meum annunciabit laudem tuam, & quidem non semel, sed bis, conuentúsque repetat illud iuxta præscriptum hoc: & non aliter quàm sic petita benedictione debeat ad legendum procedere, quinimò & accepta, nimirum à Sacerdote precante, & dicente; *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum*, non mirum si circumspectè de præsumptione timeat, & sic contra illam oret. Tantorum enim oratio, & maximè tam solemnis quid non apud Deum valebit? Maximè dicente ipso: *Vbi duo, vel*

tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ego sum. Vnde Sacerdos pro calce benedictionis subiungit; *Et auferat à te spiritum elationis.*

7. Quod si lector chori & ministri altaris non ita procedunt in precationibus suis vt lector refectorij, fortè in causa est quod ibi non sua tantùm, sed causa omnium agitur, vtpote in officio diuino, respectu cuius omne refectorij officium (aliàs piũ atque religiosum) profanum est, & proinde elationi magis & vanitati obnoxium. Præterquàm quod cùm ex præscripto huius capitis fratres non quidem per ordinem & promiscuè in refectorio lecturi sint, sed illi tantùm qui audientes ædificent, vtique vocis concinnitate & legendi peritia, iuxta quæ insinuantur ad calcem huius capitis, dum sic habetur: *Fratres autem non per ordinem legant, sed qui ædificent audientes*; non mirum est, si de lectorum huiusmodi elatione timeatur, siquidem donum vocis, legendíque strenuitas non leuem inanitati exhibent occasionem.

8. *Summúmque silentium*, &c. Etiam hoc ex veterum consuetudine tractum est. Habet enim Cassianus. Apud Ægyptios tantum silentium exhibetur, vt cùm in vnum tanta numerositas fratrum refectionis obtentu consederit, nullus nec mutire quidem audeat, præter eum qui suæ daniæ præest. Tantáque silentij huius disciplina seruatur, vt cucullis vltra oculorum palpebras demissis nihil aliud intueátur quàm mensam & appositos cibos, ita vt quemadmodum se reficiat alius, nullus inuicem notet. Hieronymus item ait. Vnaquæque Monachorum decuria cum suo parente pergit ad mensam, nullus ibi in cibo strepitus est, nemo comedens loquitur. Inde Innocentius III. in cap. Cùm ad Monasterium, de statu Monachorum, sanciuit, vt in refectorio semper obseruetur silentium. Isidorus etiam ait. Corpus cum magno silentio reficiant fratres. Synodus similiter Hidruntina vbi sup. Seruato silentio vnà cum corpore sumat mens cibum.

Hier. lib. de virginitate seruanda.

Isid. lib. de Ecclesiast. off. cap. 16.

9. Et non tantùm apud Christianos, & præsertim religiosos Monachos, verùm & apud Ethnicos mos iste increbuit, & strictè seruatus est. Refert enim Plutarchus, quod Orator Isocrates obsecrantibus quibusdam vt inter pocula diceret aliquid, non sustinuit. Vtique quoniam studiosis & bene moratis viris non licebat refectionis tempore verba facere. Vnde vulgare illud celebréque prouerbium; *Odi memorem compotorem.* Quoniam quæ memoriæ occurrunt, facilè prolabuntur ad linguam cibo imperante, & ore inter reficiendum calente. Vndé refert vbi suprà Plutarchus, quod patrio more Liber obliuionis nota symbolúmque depingebatur. Item cum ferula, in signum quod inter pocula omnino tacendum est, quasi omnia quæ dici poterant, memoria excidissent. Contrarium verò attentantes puerili forent animaduersione plectendi, quoniam inter pocula loqui, non virorum crimen, sed

Plut in Sympos.

Plutarch. vbi suprà.

Cassian. lib. 4. instit. Monach. c. 8.

puero

puerorum est, & proinde inciuile hominibus. Origenes etiam refert tantã apud Ethnicos mensæ reuerentiam fuisse, vt pro irrationalitatis nota haberetur inter prandendum loqui. Quod certè vel ipsius naturæ videtur votum atque studium fuisse, siquidem naturaliter loquutio & masticatio mutuò sese impediunt. Vnde D. Pater nutibus & signis vult Monachos reficientes necessaria postulare, non autem verbis aut vocibus. Dicit enim; *Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscumque signi potiùs petatur quàm voce.*

Orig. lib. 3. in Iob.

10. *Nec præsumat*, &c. Cùm qui reficientibus præsidet fratribus, vice fungatur Dei, iure quod negatur aliis, illi conceditur: vtpote quod etiam illum tangit eloquium Christi; *Qui vos audit, me audit.* Quare vt Christus recumbentibus fuit loquutus Apostolis, imò exprobrauit eis, quia his, qui viderant eum resurrexisse à mortuis, non crediderant: sic Prælati interdum suos in refectionis loco nõ tantùm docent, verùm & arguunt Monachos & reprehensionibus feriunt, cunctis hæc attendentibus, & digito superposito comprimentibus ora; hoc est, nec mussitantibus: quia talis in refectorio disciplinæ habitus requiritur, ne locus detur maligno.

Luc. 10. Marc. 16.

11. Etenim Theodoreto explicante versum illum psalmi 90. *Non timebis à timore nocturno; à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano*, discimus incursum istum dæmoniumque meridianum esse illum, qui nos post cibos impetit, vt qui tunc non solùm malignè, verùm aperta fronte & quasi signo dato adoritur, ea sanè mẽte vt in nos sæuiat. Quia verò refectionis opus per se quidem malum non est, neque ansam fenestrámve ad tantũ patefaciens incommodum, vtpote necessarium homini iuxta exigentiam naturæ; consequens est, vt cùm non ab illo, saltem ab aliquo refectionis comite aditus ad huiusmodi insidias maligno paretur. Quis autem huiusmodi comes, nisi verba, quæ inter prandendum funduntur? Hæc igitur sunt, quæ maligno amplam aperiunt fenestram ad perniciem nostram. Vnde Christus; *Non quod intrat per os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex eo.*

Theodor. ad psal. 90.

12. *Frater autem hebdomadarius*, &c. Ecce tibi qualiter olim Monachi omnibus totius anni Dominicis communicabant, cælestique se pabulo reficiebant, cùm ad resoluendas hostiæ consecratæ species, siquæ fortè in stomacho perseuerassent, sumptio ista destinata est, vt patet ex hoc textu. Consultò autem dixi saltem hoc constare; quoniam verba textus non leuiter indicare videntur, communionem istam per singulos hebdomadæ, quinimò & anni dies in vsu fuisse, ita vt per singulos dies ad sacram Monachi mensam accederent. Mixti enim sumptio quę ante lectionem fieri hic præcipitur, quotidiana est, & non tantùm ad Dominicam diem contracta. Cùm igitur hæc imperetur propter sanctam com-

munionem, consequens videtur quod etiam communio sancta quotidiana erat, si non in præcepto, saltem ex consilio, exemplo, & vsu fratrum. Cótra quam oblatrandum non est, non solùm aduersus Monachos, sed neque aduersus laicorum aliquos. De quibus tamen aliqui.

13. Aliam item huius sumptionis D. Pater causam assignat, vtique ne fortè graue sit lectori ieiunium. Etenim non omnes sunt ad ieiunium robusti, sed multi languent stomacho. Diuus autem Pater prudentia sua cunctis cuncta nocitura præcauet pro virili, vt facili leuique remedio Monachus complexione inualidus magno præseruetur à malo, & anteuertat incommodum. In quo sanè prudentiæ culmen eminet, quod si virgines illæ attigissent, fatuitatis nota seipsas non infamassent, Matth. 25.

14. *Postea autem*, &c. Sensus est quod lector non procedat ad legendum vsque ad secundam mensam, in qua hebdomadarij & seruitores rẽficiunt; sed potiùs quod communi refectione finita descendat de cathedra, vt reficiat cũ hebdomadariis ipsis. Quod si nec huiusmodi mensæ lectio decesse debet, vt assidentes anima simul reficiantur & corpore, per alios ex his qui primæ accubuerunt mẽsæ supplendum est, vt de facto apud nos suppletur, & apud omnes Congregationes etedo suppleri.

15. *Fratres non per ordinem legant*, &c. Cùm lectionis inter reficiendum effectus multi (vt vidimus) & magni sint, oportet discrimini eos non exponere. Exponuntur autem si lector ingratus audientibus aut insuauis sit, qualis omnis horrisonus est. Perstrepere enim & vocibus cõtundere aures, aut in alio extremo contracta nimium & inclusa voce cantare, aut quouis modo illepidè insulsève vocem emittere, audientibus fastidium protinus mouent, & sic bono omni effectu fructuque carent. Inde in psal. *Bene psallite ei in vociferatione.* & *Psallite sapienter*, hoc est (ait Augustinus) prudenter, scitè, concinnè. Absona enim vox cui grata erit, siue cantando, siue concionando, siue orando, aut legendo? Vt ergo, quoniam senes & pueri inepti ad districtionem regulæ sunt, eximuntur ab illa, vt patet ex præcedenti capite; sic etiam ab officio legendi, qui apti conuenientesque ad illud non inueniuntur. Eos enim tacere decet ob terriculam vocem, vti deformes aliquot, & vetustate consumptas Sanctorũ imagines Cõcilia sepulchris condi, & humari præcipiunt, ne pro religione & obsequio risum despectumque in conspicientibus excitent.

Psal. 36.3.
Psal. 46.8.

De

De mensura ciborum.

CAPVT XXXIX.

SVFFICERE credimus ad refectionem quotidianam tam Sextæ quàm Nonæ omnibus mensis cocta duo pulmentaria, propter diuersorum infirmitates: vt fortè qui ex vno non poterit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta fratribus sufficiant: & si fuerint inde poma, aut nascentia leguminum, addatur & tertium. Panis libra vna propensa sufficiat in die, siue vna sit refectio, siue prandij & cœnæ. Quod si cœnaturi sunt, de eadem libra tertia pars à Cellerario reseruetur, reddenda cœnaturis. Quod si labor fortè factus fuerit maior, in arbitrio & potestate Abbatis erit, si expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula; vt numquam subrepat Monacho indigeries. Quia nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula, sicut ait Dominus noster: Videte ne grauentur corda vestra in crapula & ebrietate. Pueris verò minori ætate non eadem seruetur quantitas, sed minor quàm maioribus, seruata in omnibus parcitate. Carnium verò quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio, præter omnino debiles & ægrotos.

1. *Sap.* 11 11. SVFFICERE *credimus*, &c. Cùm Deus omnia in pondere, numero & mensura fecerit, consequens est, vt in cibo etiam mensuram requirat, quinimò & in cibo maximè: quoniam ille tantùm cibi meretur nomen, qui proportionatus & mensuratus sumenti est. Exorbitans enim & nimius, vt è contrà exilis & paruus, non tam cibus, quia non cibat, quàm virus, quia enecat, est. Vnde cùm Deus saluti & incolumitati populi sui ambulantis per desertum singulariter consulere decreuisset, ita vt non esset in tribubus eorum infirmus, mensuratum illi pabulum dedit, vtique gomor per singula capita, hoc est, mensuram quamdam ad formam & modum modij. Cúmque illorum aliqui plus, alij minus collegissent, prout Exod. 16. narratur; factum est vt dum metirentur collectam mane annonam ad mensuram gomor, nec qui plus collegerat, inuentus est habens plus quàm gomor, nec qui minus parauerat, reperit minus quàm gomor, sed singuli iuxta ea quæ edere poterant congregauerunt. Æqualitas autem ista verè in quantitate non erat, vt neque omnibus inerat æqualis *Exod.* 16. 16.

edacitas,sed pro edacioribus cõdensabatur & constipabatur diuinitus: pro debilioribus autem extendebatur, eleuabatur,& rarefiebat, vt creditur, Deo sanè sic prouidente; quoniam cibus superans virtutem stomachi obest saluti multum: econtà verò qui longè inferior stomachi calore est, prodest parum. Inde dixit Christus: *Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam,vt det illis in tempore tritici mensuram.* Vbi est maximè notandum ly *in tempore tritici*, hoc est, quando tritici non penuria,sed abundantia est; & tamen tunc ad mensuram triticum, & non superefluentem dandum est.

Luca 12.42.

2. Ratio autem est, quoniam(vt Augustinus habet)alimenta sunt sicut medicamenta. Inquit enim ad Deum. Hoc me docuisti, accedere ad alimenta, sicut ad medicamenta. Quare sicut in medicamentis pondus & mensura adeò essentialia sunt,vt excessus defectusve notabilis sint lethiferi, sic in alimentis. Notabilis enim alimenti defectus vitam attenuat, sicut attenuatur ignis defectu pabuli. Is enim est inedix vrgentisque famis effectus. Excessus item in cibis adeò exitialis est, vt Iob dicat de homine; *Cùm satiatus fuerit,arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet in eum.* & Ecclesiasticus: *Multi per crapulam perierunt, qui autem abstinentiis est, adiiciet sibi vitam.* & alibi: *In multis escis erit infirmitas.*

Augusti. 10. *Confes.*6.51.

*Iob.*20.22.

*Eccli.*37.34.

*Ibid.*32.

3. Inde, quia cæteris paribus ciborum superfluitas nocentior quàm penuria est, paucior hic Monachis potiùs quàm abundans portio designatur, nimirum pro quotidiana totius hebdomadæ refectione cocta duo pulmentaria. Quid autẽ sit pulmentarium sub discrimine est. Etenim ly *pulmentum*,ly *pulmentarium*, & ly *pulmamentum* idem prorsus cùm sint, æquiuoca inueniuntur. Vniuocè enim significant idem quod obsonium; at quale cuiusve generis obsonium sit in ancipiti est. Etenim quia veterum,& maximè Latinorum cibi pultes fuere, hoc est, cibus ex farina & aqua constans, additis interdum ouis, melle, vel caseo, fabis etiã, interdum lentibus, ciceribus, aliisque similibus leguminibus, prout habet Plinius, ideo ad significandum quodcumque obsonium,& maximè agreste & rusticum, nomen istud deriuatum est, adeò vt propterea Romani pultiphagi dicerentur; nam ex fabis & pisis pultes sibi faciebant. Econtrà verò quia delicatissimũ carnium pulpa est, ideo de sententia aliquorum pulmentum, pulmentarium, & pulmamentum significant delicatiores carnes & carnium cibos. Ad quod alludens Comicus dixit; *Tu tibi lepus es, & pulmamentum quæris?* —Et Poëta Lyricus,

Plin. lib. 11. *cap.*8.

Canes vt pariter pulmenta laboribus empta. *Horat. lib.* 1. *epist.*19.

At quoniam vsus carnium nobis interdictus est, vt ad finem videbimus in hoc capite, non verò vsus piscium, ideo *pulmentarij* vox nec primam, nec secundam potest habere significationem, sed illam tantùm quæ obsonij est, siue ex piscibus, siue ex sumi

ex similibus aliis (carnibus dumtaxat exceptis & excipiendis) constans. Pulmentum enim ad quoduis significandum obsoniũ vsu iam tractũ est ; & hoc ex vltima huius periodi parte liquet. Habet enim: *Si fuerint inde poma, aut nascentia leguminũ, addatur & tertium*, vtique pulmentarium. Igitur duo illa priora non erant pultes, hoc est, cibus ex leguminibus constans aut pomis. Maximè quod duo illa pulmentaria priora cocta esse præcipiuntur ; tertium autem quod ex leguminibus est, non sic, sed aliquando crudum, aliquando coctum potest sumi, poma autem frequenter cruda eduntur.

4. Quod si obiiciatur, tot taliaque obsonia potiùs ad abundantiam & ad delicias, quàm ad parcitatem, & ad macerationem vergere, & quodam modo militare contra illud verbum Christi ; *Porrò vnum est necessarium.* Luca 10. Respondetur primò, quod pulmentarium tertium fortuitum & casuale est, vtpote sub conditione ; *Si fuerint inde poma, aut nascentia leguminum*, vtique ad acetaria (vulgò *en ſalada*) quæ frequentia apud Italos in refectionibus sunt. Secundò, quod duo illa priora pulmentaria quę firma & fixa esse debent, ex regulæ præscripto non pro omniũ quidem, sed pro diuersorum necessitatibus & complexionibus constituta sunt : vt qui fortè ex vno non poterit edere, ex alio reficiatur. Gustus enim (vt compertum est) & varij sunt, & de illis non disputandum. Vnde passim videmus aliquos auersari, v.g. oua, non autem pisces, alios verò econtrà ; & hoc alternatim. Quare nisi vtrumq; Monachis pararetur, aliquando ieiuni è mensa surgerent, quod tamen non expedit. Tertiò, quod vt dixit sapientissimus Pater; *Sufficere credimus ad refectionem duo pulmentaria pro diuersorum infirmitatibus, vt fortè qui ex vno non poterit edere, ex alio reficiatur*, apertè alluſit ad vnius tantùm pulmentarij tum necessitatem, tum sufficientiam : necessitatem quidem, vt talis reficiatur Monachus; sufficientiam autem, quia ex vno tantùm. Et nihilominus voluit duo pulmentaria singulis exhiberi Monachis, vt si fortè aliquibus neutrum seorsim sumptum, vel satis ad sustẽtationem, vel ingratum & insipidum ad gustum esset, vtroque simul & mixtim pascerentur. Naturaliter siquidẽ aliqui abũdantiori quàm alij cibo indigent; & multis obsonium vnum pro condimento alterius obsonij est, v.g. vua est condimentum sardinæ, & pisces condimentum ouorum.

5. Neque hoc militat contra macerationem monasticam, pulmentaria enim quæ carnium nõ sunt, nec possunt esse, potiùs ad pœnitentiam quàm ad palatum, nedum ad delicias spectant. Neque rursum militant ista contra elogium Lucæ : tum quoniam ibi ly *vnum*, idem est quod quiduis pręuium & obuiũ, vulgò, *loque ſe hallare mas à mano*. Tum quoniam Christus parcior parciori contentus erat cibo ; nos autem longè impares Christo, ditiori mensa egemus, & tamen plus parcitate quàm

abun

abundátia laboramus. Deus scit. Vnde vetus mihi proloquium, Monachis in hac parte nec cōmiserendum esse, nec inuidendum. Non commiserendum quidem; nam verè quod satis est habemus: non inuidendum autem, quia nec superfluo, nec studiosè parato cibo vtimur, alimentóve reficimur, quouisve modo saginamur.

6. *Panis libra*, &c. Libra nō vbique easdem ponderis vncias habet, sed alicubi plures, alicubi autem pauciores, vt intra Hispaniam nostram videre licet: siquidem in Hispalensi regno multo plures libra quàm in regno Castellæ vncias habet. Quare iuxta diuersitatem regnorum in hac parte diuersimodè de libra philosophandum est. Quoniam vbi superfluxerit, fortè sufficiet dimidia; vbi verò pusilla & diminuta inuenitur, duplicari oportebit. Crediderim ego Italicam libram panis conuenientis mensuræ fuisse pro alimento diario: aliàs D. Pater, qui prouidè cuncta dispensat, improuidus & diminutus mansisset in potiore parte cibi, vtique pane, quod tamen credibile non est. Quare cùm ad integram refectionem diei, etiam illius in quo Monachi cœnaturi sunt, libram vnicam panis præfiniat; consequens est, libram istam Italicam longè maioris ponderis quàm nostras Hispanicas esse. Maximè dicente ipso cap. 34. distribuendum vnicuique in his quæ ad cibum pertinent, prout illis est opus. Et ideo apud nos liberaliter administratur cuilibet mēsura panis, quam pro sua refectione petit.

Quod si labor fortè, &c. Monachorum labores multi pariter & assidui sunt, vtpote qui nunquam otiantur, sed vel in choro semper, vel in Sacello, vel in Oratorio, vel in Capitulo, vel in Gymnasio, vel in studio, aut etiā in horto, & similibus obedientiæ & exercitamenti locis noctu & die versantur. Et taliter versantur, vt cōtingat dies penè integros noctesque in choro, aut prope chorum trāsigere, & quidem vel cantando, vel recitādo, vel orando, vel sacras conciones audiendo, & diuina tandē peragendo officia, immobiliter ad ista hæc omnia assistendo. Si igitur qui altari seruit & sacrario, de altari & sacrario edit; cur qui extraordinariè altari & sacrario seruiunt, extraordinariè etiam non edent de altari & sacrario? Et idem est de extraordinariè seruientibus Capitulo, Gymnasio, pulpito cathedræ, confessionario, & horto. Maximè temporibus illis, quando Monachi non solùm extra chorum, sed etiam extra Monasterium laboraturi migrabant, rei agrariæ insudantes, & nihilominus tanquam in choro ibi diuinum officium persoluentes, vt cap. 50. videndum est. 7.

Et adhuc indulgentiā hæc & supererogatio maioris aut potioris cibi non præcipitur, sed prudentiæ dispensatione quę Abbatis commendatur, inspectis vtique quantitate & qualitate laboris, dummodo crapulæ non inseruiatur, nec vel remotè illi occasio detur; cùm sit nocentissima cuique, iuxta verbum Dei in textu citatum; maximè autem §.

Monachis

Monachis indigna, vtpote quibus ingluuies pro ignominia est, dicente Chrysostomo. Nihil gula perniciosius, nihil ignominiosius est, hæc obtusum & crassum ingenium, hæc carnalem animam reddit, hæc cæcat intellectum. Et Cassian. Non solùm crapula vini mentem inebriat, verùm & cunctarum escarum vacillantem eam & nutabundam reddit, omnique integritatis ac puritatis contemplatione dispoliat. Vnde quoniam cibus qui viris prouectæ ætatis parcus ac sobrius est, pueris & infantibus potest esse nimius, præcipit Sanctus Pater minorem pulmentariorum mensuram pueris impartiendam, vt in omnibus seruetur parcitas & sobrietas.

Chryf. hom. 44. in Ioan.

Cassian. lib. 5. instit. Monach. cap. 6.

9. *Carnium quadrupedum*, &c. A carnium esu religiosi se continuerunt viri etiã à mundi exordio. Vt enim Chrysostomus, Theodoretus, & alij obseruant, licet Deus nũquam interdixerit homini carnium esum, quia tamen ante diluuij tempus non probauit illum, aut saltem quia non expressit edendum, vt expressit & indixit esum olerum, pomorum & herbarum, iuxta illud Gen. *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ.* Ideo religiosi viri, vtique posteri Seth, à carnium se continuerunt esu. Itaque non quasi prohibitum, aut de se malum respuerunt illum, aut respuere potuerunt, vtpote quod ab initio fuere greges, & armenta ouium, quarum pastor erat Abel solicitus de pinguedine illarum, vt patet ex sacrificio eius. Pinguedo autem carnium certũ est quod procurabatur propter gustum & esum. Ab initio igitur fuit licentia & naturalis facultas edẽdi carnes; & tamẽ religiosi viri illarum se gustu priuarunt. Vnde factũ est, vt licet trãsacto diluuio expresse vescendi carnibus licentiam indulsisset Deus, iuxta id Gen. *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibũ, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* & iuxta illud Luc. *Omne quod in macello venit, manducate.* Hoc est (seruatis circumstantiis loci & tẽporis, quia non semper & vbiq; carnibus vescẽdum est) comedite quidquid apponitur, siue pisces, siue carnes. Igitur licet licentia vescẽdi carnibus palàm data sit cunctis, illi tamen qui zelo districtioris vitę æstuabant, carniũ continentiam vel ad sæpe, vel ad tẽpus (ni grauis ægritudo obstaret) seruauerunt: vt patet in Daniele cap. 10. in Ioanne Baptista Matth. 30. in Apostolo Petro apud Greg. Nazianz. in Matthæo Apostolo & Euãgelista apud Clem. Alexãdrinũ: & in Iacobo Apostolo apud Eusebium: & in prioribus illis Christianis, qui circa Alexandriã à Marco erudiebantur Euangelista, apud eundem Eusebium & Epiphaniũ; & in quibuscunque Christianis illorum temporum, apud Cyrillũ Ierosolymit. Catechesi 4. Basilium Oratione 1. de ieiunio, Chrysostomũ hom. 6. in Gen. Theoph. Alexandrinũ lib. 3. paschali, & tandem August. lib. 30. contra Faustũ cap. 3. Et in antiquioribus Anachoretis apud

Gen. 9. 3.

Luca 10.

Nazianz. oratione de pauperum amore.

Clem. lib. 2. pædagog. cap. 1.

Euseb. lib. 2. cap. 22.

Idem ibi cap. 17.

Epiphan. hæresi. 29.

Basil. orat. 1. de ieiunio

Chryf. hom. 6. in Gen.

Aug. 30. cõtra Faustũ.

Hieronymum libro 5. aduersus Iouinianum, & in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis, & Augustinum lib. de moribus Ecclesiæ cap. 31. & 33.

10. Ratio huius est, quoniam licet carnium esus ex se malus nó sit: tum quia omnis creatura Dei bona est: tum quia carnes potissimùm ad id sunt conditæ: tum quoniam aliàs neque ægris possent concedi: voluntaria tamèn abstinentia ab illis longè melior & vtilior est, atque ad perfectionem præstantior. Veluti licet diuitiæ & diuitiarum vsus per se quidē mala non sint, aliàs Deus iustorū nulli eas pro mercede contulisset: nihilominus voluntaria paupertas, quæ ex diametro illis cōtraria est, adeò eis præstat, vt Christus dixerit diuiti etiam studioso & timorato; *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Vtique quoniam diuitiæ aptæ natæ sunt (nisi Deus remoueat) vel ipsum quod nobis inseritur & insemiinatur diuinum suffocare verbum, non secus ac spinæ semē quod inter illas cadit, iuxta parabolam Christi. Propter quod dixit ipse; *Diues difficulter intrabit in regnum cælorū.* Vt igitur hæc de diuitiarum vsu, & voluntaria abdicatione illius: sic licet esus carnium & vsus mali de se non sint, longè tamen melior ad perfectionem inuenitur voluntaria continentia ab illis: quoniá deliciæ carnium à carnalibus illecebris procul nō sunt.

Matt. 13. 22.

Matt. 19. 23.

11. Hæc igitur ad literam D. Hieronymus Iouiniano dixerat; sic enim habet. Dominus in Euangelio dixit ad eum qui se iactauerat legis vniuersa complesse; Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Ne graue onus nolenti videretur imponere, in propria audientis voluntate dimisit, dicēs, si vis perfectus esse. Quamobrē & ego tibi dicam; si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere, & carnem non manducare: si vis perfectus esse, melius est saginare animam quàm corpus. Si autem adhuc paruulus es, & coquorum iura te delectant, nemo eripit faucibus tuis esculentas dapes. Manduca & bibe, & si tibi placet, cum Israële lude consurgens, & canito; Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Manducet & bibat, qui post cibos expectat interitum. Hactenus Hieronymus, qui multus mirabilisque in ista parte micat.

Hier. lib. 2. Iouinianum c. 5. ad finem.

12. Et licet obiiciant hæretici asseclæ Iouiniani, periculosius esse ventrem repleri piscibus, fructibus & ouis lautè præparatis, quàm modicum sumere ex carnibus præsertim fumo duratis, & arido caseo, vel rancido butyro vti. Respondetur tamē periculosius esse, cæteris paribus, carnibus fumo duratis, arido caseo, vel rancido butyro vesci, quàm piscibus sale compressis, & leguminibus rusticè agrestéque præparatis, vt etiam nocentius est carnibus delicatioribus lautéque paratis, quàm dulcioribus piscibus vti. Itaque cæteris paribus carnium vsus longè periculosior est piscium & ouorū esu. Hæreticorum autem argumentum non procedit ex cæteris paribus, sed ex rancido pisce,

caseo,

caſeo,& butyro ad delicatiſſimũ & pretioſiſſimum carniũ eſum, & ita nihil obtinet,quia Monachis non apponuntur lautiores piſcium ac leguminum cibi, ſed rancidiores potiùs , viliores, & qui magis in prõptu atque obuiã ſunt. Et eſto proponerentur delicatiſſimi, minus periculi timẽdum eſſet in illis,quàm in carnibus lautè præparatis.

13. Hæc,& aliæ quas lubẽs omitto,quia communes ego nõ texo centones,eſt ratio propter quam legifer noſter ſanctiſſimus ſuis interdixit Monachis carnium omnium eſum. Omnium dixi, quia licet non expreſſerit niſi quadrupedum vſum , tamen vbi agreſtia ruſticaque prorſus negãtur ad mortificãdos Monachos, & lautiores ab illis cibos arcendos,ea quæ ſunt longè pretioſiora,dulcioraque,vtique volatilia, minimè concedũtur. Vnde Monachorũ quidã qui ſiniſtrè elogium hoc interpretari volens gallinã quamdam ictu lapidis interficere cœpit,vt ſibi eã die illo in cibum pararet, repẽte (coram parentibus ſuis)exanimatus corruit,& animã egit:obſtupeſcentibus maximéq; dolentibus cunctis qui aderant,præſertim parẽtibus ſuis. Nos autem Monachi Benedictini Hiſpaniæ,licet vim textus ſatis ſuperq; penetremus, & fideliter referamus,quia tamẽ in huiuſmodi regnis piſciũ magna raritas eſt,à Summo Põtifice habemus diſpenſationem congruam veſcendi carnibus omnibus(ni quadrageſima aliáq; prohibitio obſtet) totius anni diebus. Qua diſpenſatione certè eo liberiùs vtimur, quod,vt D. Th. conſtituit , abſtinere à carnibus non ponitur in regula ſanctiſſimi Benedicti vt præceptum,ſed vt ſtatutum quoddam. Vnde Monachus comedens carnes, non ex hoc peccat mortaliter, niſi hoc propter inobedientiam, vel contemptum faciat.

D. Th. quodlib. 1. art. 2.

De menſura potus.

CAPVT XL.

VNVSQVISQVE habet proprium donum ex Deo, vnus ſic,alius verò ſic. Et ideo cum aliqua ſcrupuloſitate à nobis menſura victus aliorum conſtituitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem,credimus heminã vini per ſingulos ſufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abſtinentiæ,propriam ſe habituros mercedem ſciant. Quod ſi aut loci neceſſitas,vel labor, aut ardor æſtatis amplius popoſcerit,in arbitrio Prioris conſiſtat, conſiderans in omnibus ne ſubrepat ſatietas , aut ebrietas; licet legamus vinum omnino Monachorum non eſſe. Sed quia noſtris temporibus id Monachis perſuaderi non poteſt,ſaltem vel hoc conſentiamus, vt non vſque ad ſacieta-

tem bibamus, sed parciùs, quia vinum apostatare facit etiã sapientes. Vbi autem necessitas loci exposcit, vt nec supradicta mensura, sed multo minus inueniri possit, aut ex toto nihil, benedicant Deum qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc autem ante omnia admonemus, vt absque murmurationibus sint.

1. VNVSQVISQVE, &c. Si omne virtutis genus donum Dei est, prout Bernardus habet, dicens. In cassum quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperãdas putet, quàm à Domino virtutũ, cuius doctrina seminarium prudentiæ, cuius misericordia opus iustitiæ, cuius vita speculũ temperãtiæ, cuius mors insigne fortitudinis. Et D. Prosper. In primis nosse debemus quod cardinales virtutes, & omnes quæ ex illis existunt, dona sunt Dei, & quod nullus eas habuit, habet, aut habebit, nisi cui Deus, qui est omnium virtutũ proprietas, & origo, contulerit. Si igitur omne virtutum genus donum Dei est, iure temperantiæ virtus Dei donum hic nuncupatur. Temperãtia inquam, quæ est, & quatenus est (prout definiuit Ambrosius) abstinentia & sobrietas ad passionum ardorem extinguẽdum, & corporales ferocitatis habenas refrænandas. Inde Clemens Alexand. temperantiam istã non solùm Dei donum dixit, sed maximũ; inquit enim. Cauendi sunt cibi, qui incitant ad libidinẽ, est enim donum Dei maximum tẽperantia. Idcirco conuenienter hic D. Pater temperantiã gustus, vtique illam quæ est circa cibũ & potum, donum Dei dixit.

Bern. Ser. 22. in Cantica.

Prosp. lib. 3. de vita contemplativa. cap. 18.

Amb. lib. 1. de Iacob & vita beata.

Clem. Alex. lib. 2. Strom.

2. Dixit itẽ esse huiusmodi donũ propriũ cuique, quia vnus sic, & alius sic: & propterea cũ formidine accedere ad definiẽdam & taxandã victus rationẽ. Certè cùm experimento constet, quod quãtitas victus siue sumptibilis, siue potabilis, quæ aliquibus est necessaria, aliis sit superflua, & quod illi est crapula, isti sit inedia, & hoc rationabiliter & naturaliter: consequens est, vt omnibus nõ possit vna præfigi mẽsura victus, quæ corporis vires possit reficere, lædere autem siue per excessum, siue per defectum non valeat. Vnde Basilius tam de quãtitate quàm de qualitate victus inquit. Quoniam innati nobis corporis vehiculum neque nimiũ laxando fræna, neque rursus immodicè illa retinendo ad virtutis cursum perducere oportet, idcirco corporum status & habitus, & ciborum qualitates solerter considerare cõuenit, vt valido corpori fræna immittamus, & senili frigescenti cibi potusque adiumentũ ingeramus.

Basil. tract. de virginit.

Hac de causa Pater sanctissimus non pro omnibus, sed pro debilibus tantùm mẽsuram vini præfixit, vtique heminã vini ad singulos dies. Est quidẽ hemina breuis mensura, nimirum quarta pars (vulgò *quartillo*) illius vsualis amphoræ, qua tabernarij metiuntur vinum quod minutim vẽditur (vulgò *azumbre.*) Etenim

3. cùm

cùm debilibus & vinum,& modicum vinum opportunum sit, iuxta illud Pauli; *Noli adhuc aquam bibere,sed modico vtere vino propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*,præfinit D. Pater breuem hanc vini portionem, vtique heminam vini. Vt enim Ecclesiast. habet; *Sanitas est animæ & corporis sobrius potus*. Vnde Petrus, *Fratres sobrij estote*. Etenim temperantia circa potum est sobrietas, sicut erga cibos est abstinentia.

1. ad Tim. 5. 23.

Eccli. 31. 19.

1. Petr. 5. 8.

4.

Quibus autem donat Deus,&c. Dominicum hoc verbũ est. Ipse enim dixit ieiunatori; *Pater tuus qui videt in abscondo, reddet tibi*. Vnde Basilius dixit, abstinẽtiam ad futuri seculi mala fugienda, & ad sequẽda bona vtilem esse. Et Aug. Ieiunium remedium est aut præmium,hoc est,aut indulgentiam peccatorũ, aut præmiũ regni cælestis adquirit. Basilius item ait. Abstinẽtia est mater sanitatis, & bonæ valetudinis custos. Quare peritiores medici per abstinentiam trahunt redundãtiam,ne vis naturæ,pondere corpulentia fracta,succumbat. Ecce hic multa & magna parsimoniæ præmia,quæ tetigit D. Pater pro his qui vel naturaliter, vel prudentialiter renunciant vino.

Matth. 6. 18.

Basil. tract. de ieiunio.

Aug Ser. 62. de tempore.

Basil. vbi supra.

5.

Quod si aut loci,&c. Redit beatissimus Pater ad eos qui naturaliter vini indigentia laborant,& quibus ipse imbecillitatis ergo heminam vini præfixerat. Dicit igitur hic, quod si fortuitas ob causas loci,temporis,aut laboris, maior vini portio necessaria fuerit,in Prioris potestate consistat dispensare in ea, salua tamen saeietate omnino & ebrietate. Taliter enim vult prouidus legislator necessitatibus subueniri, vt superfluitas euitetur, & maximè vini: quia in ista materia longè maius periculũ abundãtia habet quàm penuria. Ecclesiast. enim habet; *Multos exterminauit vinũ*: *aqua tamen vita hominibus,vinum in sobrietate*. Sed notare prudentiam D.Patris, cùm omnia arbitrio semper committat Abbãtis, dispensatio tamẽ portionis vini cõmittitur Priori:tum quia proximior Monachis in omni illorum opere & exercitio cùm sit, priùs & meliùs quàm Abbas de necessitate illorum iudicabit. Tũ ne strepitum in Conuentu faciat additio aliqua & incrementum vini, quod rarò, iustis de causis, premẽte necessitate,fit. Maximè quia sæpe hoc fit vrgẽte siti,quæ nec breues solet inducias pati. Et ideo ad Abbatem recurrendum minimè est,quia non tam de facili potest adiri.

Eccli. 31. 30.

6.

Licet legamus,&c. Etenim Nazaræi professione Monachi cùm essent, vtpote Deo dicati & cõsecrati expressiùs & specialiùs quàm Sacerdotes, vnũ institutũ illorum erat vino abstinere, & quidem perpetuò, In quo etiam sanctiores erãt Sacerdotibus,qui tantùm abstinebant à vino quãdo sacrificaturi intrabãt,vt patet Leuit. 10. & Ezech. 44. de quibus multa Abulensis,vbi ex professo refertur Nazaræorum religio. Iure ergo D.Pater affirmat vinũ omnino Monachorum non esse. Præterquàm quod si Paulus inquit; *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem in-*

Abulens. sup. c. 16. Num. 4. 3.

1. Cor. 9. 27.

corruptam; consequens est, vt Monachi quorum est in agone contendere, propter quod reliquerunt omnia, etiam seipsos, omnino declinare habeant (quātum fas detur) vinum, quod ad assequendum brauium conducit minimè, & potest obesse maximè. Certè cùm Monachis maximè dictum sit illud Pauli, vtique vt abnegantes impietatem & secularia desideria, iustè, sobriè & piè viuamus in hoc seculo expectātes beatam spem, videtur consequens, illis interdictum esse vini vsum: siquidem (vt Ambrosius dixit) vinum post diluuium iustus ad tentationem suam reperit. Quasi diceret, adeò efferum & effrænatum est vinum, vt vel suum tentarit, viceritque authorem, vtique Noë. Vide etiam in textu hic subiicitur, quod vinum apostatare fa it etiam sapientes. Cuius gratia Paulus monuit Episcopum vinolentum non esse, sed sobrium; & hortatur senes scribens ad Titum, vt sobrij sint, anúsque similiter non multo vino seruientes esse, sed sobrias.

ad Titum 2. 12.

Ambr. ep. 82.

1. *ad Tim.* 3. 2.

ad Titū 2. 1.

Vbi autem necessitas loci, &c. 7.
Morigeros hic D. Pater suos optat Monachos, ita vt si vel præfixa hemina vini defuerit ob malignitatem terræ, non solùm non queruli, detractores, aut murmuratores inueniantur, sed potiùs quod Deo gratias referant; quoniam si bona victus suscipiūt de manu Domini, quare mala potus non sustinebunt? Maximè quod vini defectus ex prouinciæ malignitate, non autem ex Abbatis aut ministrorum illius incuria, aut negligētia, vel illiberalitate procedit. Quod si ex Monasterij inopia, & quidem irreparabili, magis indulgendum est, in Deóque proinde sperandum, vt sperarunt illi, qui pridie nec frustum habuerunt panis, sequenti autem die ducenti modij farinæ ante fores Monasterij ab illis, prouidente Domino, inuenti sunt, prout inter Diui Patris nostri miracula magnus Gregorius narrat. Quod si plaga desperata fuerit, adhuc magis sperandum in Deo, qui sicut alit in fame, sic alit in siti.

Quibus horis oporteat reficere fratres.

CAPVT XLI.

A SANCTO Pascha vsque ad Pentecosten ad Sextam reficiant fratres, & ad seram cœnent. A Pentecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, quarta & sexta feria iciunent vsque ad Nonam, reliquis verò diebus ad

Sextam

Sextam prandeant. Quæ prandij Sexta, si opera in agris habuerint, aut æstatis feruor nimius fuerit, continuanda erit, & in Abbatis sit prouidentia. Et sic omnia temperet atque disponat, qualiter & animæ saluentur, & quod faciunt fratres absque vlla murmuratione faciant. Ab Idibus autem Septembris vsque ad caput Quadragesimæ ad Nonam semper reficiant fratres. In Quadragesima verò vsque ad Pascha ad vesperam reficiant. Ipsa tamen vespera sic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes, sed luce adhuc diei omnia consummentur. Sed & omni tempore, siue cœnæ, siue refectionis hora sic temperetur, vt cum luce diei fiant omnia.

1. CIRCVMSTANTIA temporis ad omnia ex ratione agenda vbique & semper necessaria erit, & fuit. Vnde scriptum legimus; *Eccle.3.1.* *Omnia tempus habent*, vtique opportunum. Adeò vt vel ipsa orandi, & veniam apud Deum precandi actio opportunum tempus requirat, dicente psalmographo; *Psal.31.6.* *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* Quale sanè est omne huius vitæ tempus, licet aliquod alio aptius, *Esaiæ 49.8.* iuxta Esaiæ illud & Pauli, *2.Cor.6.2.* *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Vnde Dauid: *Ps.118.147.* *Præueni in maturitate, & clamaui.* & rursum Esaias: *Esaiæ 13.22.* *Propè est vt veniat tempus eius*, vtique tempus Incarnationis Christi, & manifestationis illius per ingentia miracula. Et quidem tempus opportunum. Quare vel à matre rogatus Christus ipse de miraculo ad supplendum vini defectum in Cana Galilææ, respondit; *Ioan.2.4.* *Nondum venit hora mea*, vtique hora manifestationis per miracula. Ad omnia igitur ex ratione agenda circumstantia temporis necessaria est, sed maximè ad refectionem: siquidem (prout Augustinus dixit) ad alimenta sicut ad medicamenta accedendum est. Ad medicamenta autem opportunum tempus non modò conueniens, verùm essentiale iudicatur. Experimur enim tali tempore medicamenta applicata salubria esse, aliis verò lethalia. Ob id sanè dicitur Deo non tantùm quòd dat omnibus alimẽta, verùm opportuno tempore. Dicitur enim: *Oculi omnium* *Psal 144.15.* *in te sperant, Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno.* Quod si opportuna refectionis hora omnibus est conueniens, maximè tamen Monachis: quoniam, vt Cassianus de illis, Monachus hanc in primis cautionem sibi indicat, vt non potus quicquam, non esus vlla oblectatione deuictus, ante stationem legitimam communemque refectionis horum, extra mensam percipere sibimet prorsus indulgeat. *Aug.10.Cõfess.c.31.* *Cassian. lib. 5. instit. Monach. cap. 20 & 23.*

A sancto Iascha, &c. Idem Cassianus habet, eiúsque fundamentum aperit D. Thomas, dicens. Est autem debita & communis 2. *Cassian. collat 21 c.23. D Th 2.2 q. 147. art.7.*

munis consuetudo comedendi hominibus circa horam sextam; tum quia iam videtur esse completa digestio nocturno tempore naturali calore interiùs reuocato propter frigus noctis circumstans, & diffusio humoris per membra, cooperante ad hoc calore diei vsque ad summum Solis ascensum. Tum etiam quia tunc præcipuè natura corporis humani indiget iuuari contra exteriorem aëris calorem, ne humores interiùs adurantur.

3. Cœnandi etiam hora conuenienter indicitur, vtique ad seram, vt aliqua etiam ad digestionem mora sumatur. Ieiunij autem hic nec verbum auditur, sed ad aliud tempus reseruatur: quoniam vt Matthæi 9. dicitur, *Numquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis sponsus est? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.* Vocatur autem Resurrectionis Dominicæ tempus nuptiarum dies; quoniam nuptialia tempora plena lætitiæ sunt. Quæ sanè ieiunia, macerationes & luctus minimè decent.

Matth. 9. 15.

4. *A Pentecoste autem*, &c. Ieiunia quartæ & sextæ feriæ solemnia apud Christianos leguntur, statuentibus apud Clementem Romanum Apostolis; Post hebdomadam ieiunij, in omni quarta feria & parascene præcipimus vobis vt ieiunetis. Item Adamantio Origene. Habemus quartam & sextam septimanæ diem, quibus solemniter ieiunamus. Et demum Epiphanio in Panario. A quo non est assensum in omnibus orbis terrarum regionibus, quod quarta & prosabbato ieiunium est in Ecclesia decretum. Nihilominus quoniam præceptum hoc districtum minimè est; & quoniã æstiuo tempore stomachi ad multam diem ieiuni naturaliter marcent, & æstuant, non vult prouidus, prudénsque legislator absolutè hæc ieiunia indicere æstatis tempore, sed sub conditione tantùm, vtique quando neque agrarius, neque æstiualis labor perurgeat. Si autem nec labor, nec calor graues Monachis sunt, ieiunandas præcipit quartam & sextam feriam cuiuscumque hebdomadæ, & in illis non reficiendum vsque ad horam nonam; vtpote quæ ieiuniis apta & mystica est, dicente D. Tho. Vt ieiunans aliquam afflictionem sentiat pro culpæ satisfactione, conueniens hora taxatur comedendi ieiunantibus circa horam nonam. Conuenit etiam ista hora mysterio passionis Christi, quæ cõpleta fuit hora nona, quando inclinato capite tradidit spiritum. Ieiunantes enim dum suam carnem affligunt, passioni Christi conformantur, secundum illud ad Galat. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Aliis autem diebus huius temporis iubet Monachos ad seram reficere, imò necessitate premente ante horam sextam, ad arbitrium Abbatis, vt sic vtrique, hoc est, animæ corporíque saluti consulatur, & hilariter exequantur Monachi, placidéque munera sua, licet antiquitus communis reficiendi hora vsque ad nonam protendebatur, adeò vt (notante hoc Patricio) omne victus genus annona.

Clem. Rom. lib. 5. constit. Apost. c. vlt.

Orig. homil. 10. in Leuit.

Epiph. hæres 75.

D Thom. vbi supra.

ad Galat. 5.

Patricius lib. 1. de instaur. Reip.

annona appellatum sit, ab hora reficiendi nona.

5. *Ab Idibus autem Septembris*, &c. Hinc regularia indicuntur ieiunia, quæ prout in regula verè possunt Ecclesiastica dici, vtpote vna tantùm per diem refectione contenta, & cum delectu ciborum, hoc est, cum abstinentia à carnibus & lacticiniis. His enim tota Ecclesiastici ieiunij ratio continetur, de quibus D. Thomas. Apud nos autem Hispanos hac in parte de delectu ciborũ authoritate Apostolica mitigatos, dubium est an ieiunia ista regularia meritò dicantur ieiunia, & ieiuniorum Ecclesiasticorũ nomen illis conueniat, siquidem deest illis vnum ex essentialibus constitutiuis ieiunij, nimirum abstinentia à carnibus. Sed nihilominus licet ieiunia ista longè distent à ieiuniis Ecclesiæ, adhuc tamen verè & propriè sunt dicenda ieiunia, & ieiunia Ecclesiastica: quoniam authoritate Pontificis sic dispositа & confirmata sunt. Exemplum nobis est tã in laicis quàm in Sacerdotibus, qui indulto & priuilegio Bullæ cruciatæ ouis & lacticiniis vescuntur in Quadragesima. Etenim non propterea ieiunium illorum amittit veram & propriam rationem ieiunij, & ieiunij Ecclesiastici, etiamsi ieiunium Ecclesiæ non solùm carnium, sed etiam ouorum & lacticiniorum vsum interdicat: vt patet ex cap. Statuimus, & ex cap. Presbyter. 93. distinct. Cuius rationem Diuus Thomas inducit dicendo, ieiunium ab Ecclesia institutum esse ad reprimendas concupiscentias carnis, quæ quidem sunt delectabilium secundum tactum, quæ consistunt in cibis & venereis; & ideo illos cibos Ecclesiam ieiunantibus interdixisse, quia & in comedendo maximè habent delectationem, & iterum maximè hominem ad venerea prouocant. Huiusmodi autem sunt carnes animalium in terra nascentium, & respirantium, & quæ ex eis procedunt, sicut lacticinia ex gressibilibus, & oua ex auibus. Hæc Diuus Thomas. Vbi obiter notatum vellem, quod si delectus ciborum essentialis ieiunio non est, rectè esus carnium cum vero poterit cohærere ieiunio. Notatum inquam id obiter vellem ab his qui in Quadragesima, eo solùm quod carne vescuntur, immunes se ab obligatione ieiunij arbitrantur.

D. Tho. vbi suprà art. 6. & 8.

D. Tho. vbi suprà art. 8.

6. *In Quadragesima*, &c. Rigidum sanè ieiunij genus hoc, cæterùm tam in veteri, quàm etiam in nouo Testamento solemne. In Leuitico enim præcipitur; *Sabbatum est, affligetis animas vestras: à vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Id est, ieiunabitis, iuxta Diuum Thomam. Item Iudic. 20. vers. 26. 2. Regum 1. 12. & capite 3. idem factitatum legitur. Inde etiam ad tempora Testamenti noui institutum hoc traductum est; Athanasio dicente in vita Sancti Antonij. Pernoctabat in oratione sæpissime, edebat semel in die post Solis occasum. Item Hieronymo de Hilarione in vita illius. Inter mare & paludem vasta solitudine fruebatur, quindecim tan-

Leuitic. 23.

D. Tho. vbi suprà art. 7.

Athanas. in vita S. Antony.

Hier. in vita Hilarionis.

tùm caricas (vulgò *higos ſecos*) poſt Solis occaſum comedebat.

Baſil.hom 1. de ieiunio. Item & Baſilio: Expectas veſperam, vt cibos capias. & demum

Bern. Ser. 3. de Quadrageſima. Bernard. Hactenus vſque ad nonam ieiunauimus ſoli, nunc vſque ad veſperam ieiunabunt nobiſcum vniuerſi, Reges & Principes, Clerus & populus, nobiles & ignobiles, ſimul in vnum diues & pauper. Inde Concilium Cabillonenſe (relatum cap. Solent, de conſecratione diſt. 1.) decreuit ne ieiunium quadrageſimale ante veſpertinum officium ſolueretur. Quia tamen humana fragilitas & virium debilitas ægrè ad tantam diem inediam ſuſtinere valuit, refectionis hora, etiam in Quadrageſima, detracta ad ſextam eſt, ita vt pomeridiana hora ieiunium ritè & rectè diſſoluatur, vt modò in vſu eſt. Cùm enim Eccleſiaſticum ſtabilimentum ſit iure pro temporum perſonarúmque neceſſitate, ſic vel aliter mitigari, mutari, & alterari potuit. Vſus etiam obtinuit vt ad finem diei aliqua refectiuncula fiat, vt ſomno detur occaſio, & diuturna ieiunia tolerentur.

Ipſa tamen veſpera, &c. Vtique ne arguamur conuenientiæ cum Iudæis: de quibus aiunt Tertullianus & Hieronymus, quod non ſoluunt ieiunia vſque ad ſtellæ exitum. Quem Mahometani etiam & Sarraceni morem retinent, vt patet in Alcorano. Et licet in hac parte robuſtos præ Chriſtianis ſe oſtẽdant, non propterea ſobrios, ſed helluones videmus, vtpote qui ad ſtellæ exitum omni quo poſſunt ſe cibo ingurgitant. Nos autem temperatè agimus, ita vt neque exceſſu, neque defectu peccemus; ne (quod Ignatius monuit) nos ipſos deſtruamus. 7.

Tertull. lib. contra Pſychicos c. vlt. Hier. lib. 2. cõtra Iouin.

Alcoran. c. 2.

Ignatius ep. ad Hermonẽ.

Vt poſt Completorium nemo loquatur.

CAPVT XLII.

OMNI tempore ſilentio debent ſtudere Monachi, maximè tamen nocturnis horis. Et ideo omni tempore, ſiue ieiunij, ſiue prandij, mox vt ſurrexerint à cœna ſedeant omnes in vnum: & legat vnus collationes, vel vitas Patrum, aut certè aliquid quod ædificet audientes, non autem Heptateuchum aut Regum: quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc lectionem audire, aliis verò horis legantur. Si autem ieiunij dies fuerit, dicta Veſpera paruo interuallo, mox accedant ad lectionem collationum, vt diximus: & lectis quatuor aut quinque foliis, vel quantum hora permittit,

omnibus

omnibus in vnum occurrentibus per hanc moram lectionis, si quis fortè in assignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in vnum positi compleant. Et exeuntes à Completorio, nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid. Quod si inuentus fuerit quisquam prævaricari hanc taciturnitatis regulam, grauiori vindictæ subiaceat: excepto si necessitas hospitum superuenerit; aut fortè Abbas alicui aliquid iusserit. Quod tamen & ipsum cum summa grauitate & moderatione honestissimè fiat.

1. OMNI *tempore*. &c. Nõ caret difficultate proloquium hoc, cùm scriptum sit; *Tempus tacendi, & tempus loquendi*. & alibi: *Mala aurea in lectulis argenteis qui profert verbum in tempore suo*. & Ecclesiast. habeat: *Adolescens loquere in causa tua*. Sed longè aliud est semper & vbique silere, aliud autem studere silentio. Illud enim licet aliquando laudabile, paritérque mirabile in aliquo singulari viro singulariter sit, velut in illo nostri Benedictini instituti excellentissimo Monacho ex prouincia Brabantiæ, de quo refert Cantapetrensis quod ad decimũ sextum annum silentium protraxit, ad quorum finem vnicum tantùm verbum protulit, quo ad ignem suum deuastantem Monasterium dixit; Siste hac hora ignis, & protinus stetit. Regulariter tamen absonum ipsis Monachis est, siquidem scriptum habemus: *Si est tibi intellectus, responde proximo; est enim honor & gloria in sermone sensati*. & Prouerbiorum 12. *Sermo bonus lætificat*. & cap. 15. *Sermo opportunus optimus*. Vnde Basil. cùm interrogasset, numquid rectum sit in vniuersum vbique silentium seruare. Respondit. Silentij decorum ex temporis opportunitate & persona expectatur, quemadmodum ex sacris literis docemur. A temporis quidem opportunitate, velut cùm dicitur; Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. Et alio in loco; Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersum me. Ex persona autem, veluti cùm Apostolus scribit; Si autem alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Item, Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. sed qui bonus ad ædificationem fidei. Necessarium igitur est perpetuum silentium, vsque dum quid, quando, & quomodo loqui oporteat. Tunc autem silere turpe & stupidum esset, & homine indignum.

Eccle. 3.7. *Prou.* 15.7. *Eccli.* 32.10. *Cantapetr. lib. 2. de apibus cap. 3.* *Eccli.* 5.15. *Prou.* 12.25. *cap.* 15.23.

2. Silentio autem studere, hoc est, silentium amare, & illud citra necessitatem non rumpere, commendabile multum, & Monachis sacratissimum est. Nam si omnis homo (iuxta Iacobi monitum) debet esse ad audiendum velox, & ad loquendum tardus, quid Monachus? Vnde

Iacobi 1. 19.

Aug Ser. ad fratres in Eremo.

Auguſt. Silẽtium, fratres chariſſimi, inter cætera vobis in Eremo neceſſariũ eſt. Non enim debemus tãtùm oculos clauſos ſeruare, ſed & linguas intra dentes reſeruare illæſas. Inflãmat enim linguæ mobilitas in adoleſcẽtia ad iocoſa, in virilitate ad fraudulenta, & in ſenectute ad detractoria. Reſtringenda eſt igitur hæc parua fauilla, ne in magnam vertatur flammã, ſurculus ne creſcat in ſiluam, gutta ne tumeſcat in fontẽ. Maius denique eſt linguam refrænare, quàm capere ciuitatem, quia illud inſultat interiùs, exteriùs iſtud. Lingua egredi quærit, ſed tu Monache illam refræna. Appone ei peſſulũ rationis, circũda eam maturitate diſcretionis. Et licet hæc omnia tangant omnes, ſpecialiter tamẽ Monachos, quos linguę maximè repreſſio cõdecet, dicente Iacobo: *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, huius vana eſt religio.* Vnde religiosè Dauid: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Vtpote quod (dicẽte Eſaia) cultus iuſtitiæ ſilentium: hoc eſt, cultus totius virtutis. Vt enim Bern. ait epiſtola ad Oggerium; Silentium mater, nutrix, cuſtóſque virtutum eſt. Iuſtitia autem denotat quamcumque virtutem, vt patet ex illo pſal. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Quod ſi ſilentium vſquam Monachis neceſſarium eſt, maximè tamen nocturnis horis: quoniam nocturnum tempus ſilentio dicatum agnouimus: adeò vt vel ipſa nox tacita proinde dicatur apud Poëtam, *Tacite ſilentia noctis.* Imò apud Sapientem; *Dum medium*

Iacobi 1. 26.

Pſal. 140.

Eſaiæ 32. 17.

Bern. ep. 87.

Pſal. 18.

Sap 18. 4.

ſilentium tenerent omnia, hoc eſt, in ipſa intempeſtá nocte ſilentio illuſtri.

Et ideo omni tempore, &c. Silẽtio impoſito Monachis, prẽcepit D. Pater omnibus & ſingulis, (dempto nemine) etiam illis qui exercitationib. aliis præoccupati fuerint, vt Completorium ingreſſuri, conſedeãt ad hoc, vt lectioni vacent, quam vnus illis palàm recitet, & cuncti attentè audiãt. Certè iſtud eſt ad quod audiendum Monachus debet eſſe velox: ſiquidem, vt Bern. inquit, per lectionẽ ſenſus & intellectus augentur, lectio nos ad orationem inſtruit & ad operationem, & ideo dicitur beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte. Et Caſſiod. Agreſcit ingeniũ niſi iugi lectione reparetur, citò expenduntur horrea, quæ aſſidua non fuerint adiectione fulcita. Nocturnum autem ſilentium valde nos lectioni attentos reddit. 3.

Bern. de modo bene viuendi Ser. 50.

Caſſiod. 11. *variarum in prologo.*

Qualis autem huiuſmodi lectio eſſe debeat, explicat D. Pater dicens; *Legat vnus collationes, vel vitas Patrum, aut certè aliud quod ædificet audientes: non autem Heptateuchum aut Regum: quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc lectionem audire; alijs verò horis legãtur.* Etenim cùm tempus noctis meditationi opportunum ſit, dicente pſalmiſta; *Meditatus ſum nocte cum corde meo*, id eſt, non excors, cuius eſt, (vt habetur Eccleſiaſtici 6. 21.) non permanere in ſapientia, ideo D. Pater conſtituit non hiſtorias aliave dogmata etiam ſacra (vtique Heptateuchum, hoc eſt, ſeptuplũ illud volumen 4.

Pſal. 76. 7.

conti

continens quinque libros Moysi, & duos alios Iosue & Iudicum, & libros Regum, quorum lectio ad eruditionem potiùs, quàm ad sublimiorem meditationem conducit) sub noctem Monachis recitari, sed tantùm volumina, quæ animum ad contemplationem euehant, & inducant. Quoniam Monachorum studium maximè in contemplatione & oratione est, & potissimùm debet esse sub noctem, quando demonum terriculamẽta grauiora sunt. Vnde sub Cõpletorium hortamur, vt sobrij & vigiles simus, ne aduersarius noster diabolus deuoret nos, quos circuit.

§. *Et exeuntes*, &c. Hic iam ora vsque ad sequentem diem reserantur sub vindicta graui, nec aperiri permittuntur, nisi vel hospitalitatis necessitas, vel Abbatis aliud decernat voluntas. Tunc enim obstrusa debẽt aperiri ora: quoniam, vt Gregorius inquit, lingua sub magni moderaminis libratione frænanda est, sed non insolubiliter liganda: ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta torpescat ab vtilitate. Hinc per Sapientem dicitur; Sapiens tacebit vsque ad tempus. Discretè quidem vicissitudinum seruanda sunt tempora, ne aut cùm restringi lingua debet, per verba se soluat, aut cùm loqui, semetipsam pigrè restringat. Necessitas autem occurrendi hospitibus, & obtemperandi Abbatibus, opportunum tempus ad loquendum est, & ideo etiam post Completorium ad huiusmodi verba lingua laxanda.

Greg. 7. moral. cap. 17.

De his qui ad opus Dei, vel ad mensam tardè occurrunt.

CAPVT XLIII.

AD horam diuini officij mox vt auditum fuerit signũ, relictis omnibus qualibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur, cum grauitate tamen, vt non scurrilitas inueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quod siquis ad nocturnas vigilias post Gloriam psalmi nonagesimi quarti (quem propter hoc omnino protrahendo, & morosè volumus dici) occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed vltimus omnium stet; aut in loco quem talibus negligentibus seorsum constituerit Abbas: vt videatur ab ipso, vel ab omnibus, vsque dum completo opere Dei, publica satisfactione pœniteat. Ideo autem eos in vltimo, aut seorsum iudicauimus stare, vt visi ab omni-

bus,vel pro ipsa verecundia sua emendentur. Nam si foras oratorium remaneant, erit fortè talis, qui se aut colloceт, & dormiat, aut sedeat certè foris, & fabulis vacet,& detur occasio maligno.Sed ingrediatur intrò, vt nec totum perdat,& de reliquo emendetur.Diurnis autem horis qui post versum & Gloriam primi psalmi (qui post versum dicitur) occurrerit, lege qua suprà diximus in vltimo stet, nec præsumat sociari choro psallentium vsque ad satisfactionem: nisi fortè Abbas licentiam dederit permissione sua, ita tamen vt satisfaciat reus ex hoc. Ad horam verò refectionis qui ante versum non occurrerit, vt simul omnes dicant versum, & orent, & sub vno simul omnes accedant ad mensam: qui per negligentiam suam aut vitium non occurrerit, vsque ad secundam vicem pro hoc corripiatur. Si denuò non emendauerit, non admittatur ad mensæ communis participationem, sed sequestratus à consortio omnium reficiat solus, sublata ei portione sua vini vsque ad satisfactionem & emendationem.Similiter autem patiatur, qui & ad illum versum non fuerit præsens, qui post cibum dicitur.Nec quisquam præsumat ante statutam horam, vel postea quicquam cibi vel potus percipere. Sed & si cui offertur aliquid à Priore,& accipere renuerit: hora qua desiderauerit hoc quod priùs recusauit, aut aliud omnino non percipiat,vsque ad emendationem congruam.

1. AD *horam diuini officij,* &c. Desidiam (inquit Gregorius)facit minor amor Dei.Hoc est, defectus feruoris in amore. Desidia autem (ait Chrysostomus) facit vt neque consuetudo etiam Christi, neque consilia, neque admonitiones illius prosint, vt patet in Iuda.Et vt Ambrosius ait: ignauia exuit homines omni virtute & gloria,quibus Deus vestit illos.Vnde Prou.11.*Omnis piger est in egestate.* Omnis,etiam ille qui ditior antea & opulentus fuerat.Et non tantùm denudat bonis, verùm & malis replet, omnibusque vitiis facit obnoxios: iuxta illud Prouerb. *Per agrum hominis pigri pertransiui, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerunt vrticæ.* Vbi piger & stultus confunduntur, & pro eodem reputantur. Quare Bernardus. Viro sapienti sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia. Nihil incultum in se derelinquit sapiens: stultus autem non ita; cuncta apud eum neglecta, iacentia, inculta inueniuntur & sordida.

Gregor.lib.9. moral. c.17.
Chrys. sup. 1.Cor.11.19.
Ambr. lib.4. epist. 4. ad Irenaum.
Prou.11.5.
Prou.24.30.
Bern.Ser.63. in Cantica.

2. Econtrà autem solicitudo & sedulitas

sedulitas erga diuina, quibus (vt
D.Th.2.2.q. D.Thomas habet) directè opponitur negligentia, tanti apud
54. *Michea 6.6.* Deum fit, vt cùm Micheæ 6. secum volueret, & clamoribus rogaret populus: *Quid dignum offeram Domino? curuabo genu Deo excelso? numquid offeram ei holocausta? Numquid placari poterit in millibus arietum? numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ?* Hæc igitur clamans populus audiuit à Domino. *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Deus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo.* Vtpote qui non tantùm bonitatem & misericordiam requirit, sed vtramque promptam & vigilem, non verò segnem aut desidem. Inde est *Lucæ 1.* Beatissimã Virginem apud Lucam commendari de festinatione, qua abiit in montana Eliza-
Ephes.4.3. betham salutatura: & Paulum hortari nos ad solicitè seruandam vnitatem spiritus in vinculo pacis: & commendare illum qui circa negotia Domini se so-
1.Cor.7.32. licitum gerit, 1.Corint.7. & laudibus efferre eum, qui præest in
Rom.12.8. solicitudine, Rom. 12. & de se ipso prædicare Ecclesiarum, qua æstuabat, solicitudinem: vtpote
Apoc.3.16. quod Deus hanc simul cum iudicio & misericordia requirit: tepidos enim non sustinet, sed euomit.

3. Vt igitur longè simus ab illo negligentiæ malo, huic autem sedulitatis hæreamus bono, precipit D.Pater, vt ad horam diuini offi-ij, mox vt auditum fuerit signum, relictis omnibus quæ fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur. Non quia desidia in his grande malum putetur: quia licet negligentia aliqua possit (vt D.Thomas habet) esse mortalis, vtique illa, qua to- *D.Th.2.2.q.* taliter à Dei charitate defici- *55.art.2.* mus, prout contingit in eo qui diuina ex contemptu negligit, illa tamen quæ consistit in prætermissione eius quod non est de necessitate salutis, nec fit ex contemptu, sed ex aliquo defectu feruoris, non mortalis quidem, sed venialis est. Nihilominus, quoniam diuinum omne re ipsa magnũ est, & dato quod minimum sit, adhuc qui modica spernit paulatim decidit, vt habetur Ecclesiastici 19. Vnde Gre- *Eccli.19.1.* gorius magnus; Si curare parua *Greg.10.mo-* negligimus, insensibiliter se- *ral.cap.9.* ducti, statim maiora audacter perpetramus: ideo præcepit Sanctus Doctor, quod semel diuini officij signo percepto, cum omni festinatione (salua tamen grauitate monastica) ad oratorium curramus. Etenim cymbali sonitus Monachos ad oratorium euocans, vox Domini est: & proinde ei obtemperandum citò, illaque Magorum responsione satisfaciendum; *Hoc signum magni Regis est, eamus & inquiramus eum.* Hodie enim voce Domini audita, non solùm corda obturanda non sunt, sed neque pigrescenda; imò prompta expeditaque ad exequutionem paranda. Maximè quod si in canonicis horis properum festinumque nobis Deum, diuinumque adiutorium precamur, dicentes; *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuãdum me festina:*

cur

cur nos tardos pigrosque, & non potiùs præcocissimos, maximéque festinos exhibebimus?

4. *Quod si quis*, &c. Hæc contra desides, tardosque vindicta signatur, & quidem non admodum leuis: vtpote publica & ad ruborem apta, & proinde ad emendationem opportuna, vt contrà impunitas est recidiuationis causa. Vnde Bernardus inquit. Impunitas negligentiæ mater, nouerca virtutum, religionis virus, tinea sanctitatis. Ad idem Pachomij regula cap. 2. habet: Qui vna oratione tardiùs venerit, à superiori increpabitur: nocte verò qui post tres orationes venerit, corripiatur.

Bern. lib. de conscien. c. 3.

5. *Ad horam verò refectionis*, &c. Notatu dignum est, quod D. Pater promptiores videtur nos velle ad refectionis, quàm ad orationis horam. Vult enim nos sub statuta pœna, & quidem nõ leui, occurrere ante versum quo mensa benedicitur; cùm tamen ad horas dici sit contentus vt occurramus ad versum & Gloriam primi psalmi, & ad nocturnos ad Gloriã psalmi nonagesimi quarti, quem propterea protrahendũ & morosè dicendum constituit. Sed præterquàm quod id etiam habet Pachomius vbi sup. num. 24. Isidorúsque rigidior in hac parte est, sanciens. Resurrectionis tempore, dato signo, pariter omnes concurrant. Qui autem ad mensam tardiùs venerit, aut pœnitentiam agat, aut ieiunus ad suum opus; vel cubile recurrat. Nemo autem ad vescendum ibit, antequam ad vocandum omnes vox signi solita insonuerit. Vtique vt omnes, (vel ipsa famis necessitate compressi) simul benedictioni adsint, & ad mensæ benedictionem concurrant. Igitur præter hoc, illud in causa est, quod fratres qui ante versum ante refectionem cantandum, vel recitandum occurrunt, communem tam pro se, quàm pro his qui sumpturi sunt, orationem faciunt; illi autem qui huiusmodi versum prætermittunt, communi illius horæ orationi desunt. Qui verò tardè ad alias diuini officij horas occurrunt, licet prætermittant aliqua orationis communis, non tamen prætermittunt omnia: sed licet minus plenè, diuinum tamen officium persoluunt, diuinisque horis intersunt.

Pachom. c. 2. & 12. regula. Isid. cap. 9. regula.

De his qui excommunicantur, quomodo satisfaciant.

CAPVT XLIV.

QVI pro grauioribus culpis ab Oratorio, & à mensa excõmunicatur, hora qua opus Dei in Oratorio celebratur, ante fores Oratorij prostratus iaceat, nihil dicens: nisi tantùm posito in terram capite, & prostratus pronus omnium.

omnium de Oratorio exeuntium pedibus se proiiciat, & hoc tamdiu faciat vsque dum Abbas iudicauerit satisfactum esse. Qui dum iussus ab Abbate venerit, prouoluat se ipsius Abbatis pedibus, deinde omnium vestigiis fratrum, vt orent pro eo. Et tunc si iusserit Abbas, recipiatur in choro, vel in ordine quo Abbas decreuerit; ita sanè vt psalmũ, aut lectionem, vel aliud quid non præsumat in Oratorio imponere, nisi iterum Abbas iubeat. Et omnibus horis dum completur opus Dei, proiiciat se in terram in loco in quo stat, & sic satisfaciat, vsque dum ei iubeat iterum Abbas, vt quiescat iam ab hac satisfactione. Qui verò pro leuibus culpis excommunicantur tantùm à mensa, in Oratorio satisfaciant vsque ad iussionem Abbatis. Et hoc semper faciant, vsque dum benedicat, & dicat, sufficit.

1. QVI *pro grauioribus culpis*, &c. Cùm omnis in Deum culpa sit Dei offensa, consequens est, vt grauis culpa grãdi satisfactione egeat, si modò veniam impetratura est. Vnde Cyprianus. Quàm magna delinquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit, pœnitentia crimine minor non sit. Inde Niniuitæ in cilicio & cinere, gemitu, luctu, & ieiuniis pœnitentiam egere; vtpote qui grauiter delinquẽtes grandi satisfactione indiguerunt. Similiter & alij aliis afflictionum generibus se macerarunt, vt Deo dignam (prout fieri potest) satisfactionem redderent. Inde voces illæ; *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu.* & illæ: *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* & illæ: *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.*

Cypr. lib. de lapsis.

Ioan. 2.

Ioël. 2.

Ezech. 18.

1. Corint. 11.

2. Et quidem si adhuc remissa culpa, & remissa diuinitus, non propterea manet semper tota pœna condonata, vt Concilium Tridentinum habet contra recentiores hæreticos, & patet perspicuè ex illo Numerorum, vbi cùm peccatus fuisset Moyses ad Dominum; *Dimitte, obsecro, peccatum populi tui.* Respondit Dominus: *Dimisi secundum verbum tuum. Attamen omnes qui tentauerunt me per decem vices, non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum.* Item & ex illo Danielis, *Peccata tua eleemosynis redime.* Hæc enim elogia de satisfactione pro peccatis iam quoad culpam remissis intelligenda esse constat, & omnes cum Augustino habeint: Si igitur cum remissione culpæ, adhuc remanere contingit reatum pœnæ, cõsequens est, vt pro grauioribus excõmunicatus culpis satisfacere habeat.

Concilium Triden. sess. 14. cap. 8.

Num. 14. 20.

Daniel. 4. 24.

Aug. in Enchiridio. cap. 71. & 72.

3. Ratio satisfaciendi pro culpis illa est, quam Concilium Tridẽtinum expendit dicens. Sanè &

Concilium Triden. vbi supra.

diuinæ iustitiæ ratio exigere videtur, vt aliter à Deo in gratiam recipiantur, qui ante baptismū per ignorantiam deliquerunt; aliter verò qui semel à peccati & dæmonis seruitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidauerunt. Et diuinam clementiam decet, ne ita nobis peccata absque vlla satisfactione dimittantur, vt occasione accepta, peccata leuiora putantes, velut iniurij & contumelioſi Spiritui sancto in grauiora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere à peccato reuocant, & quasi fræno quodā coërcent hæ satisfactoriæ pœnæ: cautioresque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis: & vitiosos habitus malè viuendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò securior vlla via in Ecclesia Dei vnquam existimata fuit ad amouendam imminentem à Domino pœnam, quàm vt hæc pœnitentiæ opera omnes cum vero animi dolore frequentent. hæc Concilium. Vnde huiusmodi satisfactio vindicatoria simul & emendatoria, salubris simul, atq; medicinalis existimatur.

4. D. Tho. in 4. dist. 15 q. 1.

Aliam ad idem rationem cōminiscitur D. Thomas inquiēs. Satisfactio est recompensatio iniuriæ illatæ secundum æqualitatem iustitiæ. Vel iuxta Anselmum, satisfacere est idem quod debitum honorem reddere. Aut secundum Augustinum, satisfacere est idem quod peccatorum causas excidere. Quare D. Pater supponens, & quidem catholicè, pro omni culpa satisfaciendū esse, & pro grauiori grauiùs, decernit in hoc capite, quomodo excommunicati pro grauioribus culpis satisfaciant: vtique vt hora qua opus Dei in Oratorio celebratur, ante fores Oratorij huiusmodi excommunicatus prostratus iaceat, nihil dicens, nisi tantùm posito in terram capite, & prostratus pronus omniū de Oratorio exeuntium pedibus se proiiciat, & hoc tamdiu faciat vsque dum Abbas iudicauerit satisfactum esse. Egregiè quidē; siquidem, vt habetur Iosue 7. cùm Dei populus sese Deo infensum vidisset, tunc tam Iosue quàm omnes senes Israël scinderunt vestimenta sua, & proni in terram coram arca Dei ceciderunt vsque ad vesperam, miseruntque puluerem super capita sua. Dauid etiam iacuit super terram, adeò vt venientes seniores domus eius, & cogentes eum vt surgeret de terra, noluerit, iuxta quæ habentur in 2. libro Regum. Iob item in sterquilinio iacens, in fauilla & cinere pœnitentiam egit. *Iosue 7.6.*

Qui dum iussus ab Abbate, &c.

Bone Deus! si iam iudicauit Abbas excommunicatum satisfecisse, cur iterum & iterum satisfacere, & cunctorum pedibus prouolui iubetur? Dicitur enim, prouoluat se ante pedes Abbatis, deinde omnium vestigiis fratrum, vt orent pro eo. Et tunc si iusserit Abbas, recipiatur in choro, vel in ordine quem Abbas decreuerit; ita sanè vt psalmum,

aut

aut lectionem, vel aliud quid nõ præsumat in Oratorio imponere, nisi iterum Abbas iubeat. Et omnibus horis dum completur opus Dei, prõiiciat se in terrã in loco in quo stat, & sic satisfaciat, vsque dum iubeat Abbas, vt quiescat ab hac satisfactione. Bone, inquam, Deus! si iam lõgè antè iudicauit Abbas excommunicatum istum pro suis grauioribus culpis satisfeciisse, quo iure efflagitantur ab eo tot satisfactionis signa? Certè Dauid exquo audiuit infantem obiisse, mox surrexit de terra, & lotus vnctusque est, prout vbi suprà habetur, existimans possibilem sibi satisfactionem adhibuisse.

6. Est enim casus, quod longè aliud est satisfacere pro remissione culpæ, & aliud pro debito pœnæ: non enim quæ satis sunt ad accipiendam cõdonationem delicti, sufficiũt semper ad obtinendam totius pœnæ veniam, prout ex Tridentino num. 3. vidimus. Est etiã casus, quod aliud est delicta nostra cõtra nos ipsos vindicare, aliud autem Dei gratiam pleniorem nobis conciliare velle: vt sicut apud Dominum fuit copiosa redemptio, sic etiam nobis remissionis sit abũdans & copiosa gratia. Ideo enim dum nos de sententia Prælatorũ nostrorum ob culpas nostras vapulamus, aliquod speciale flagrum ex supererogatione petimus, certè vt pleniùs perfectiusque satisfaciamus. Etenim si ab his qui ante baptismum deliquerunt, nõ adeò grauia exiguntur, vt in gratiam recipiantur, sicut exiguntur ab illis qui sunt post baptismum lapsi: consequens est, vt cæteris paribus maiora pro æqualibus culpis satisfactionis pignora oneraque à Monachis, quàm à laicis petantur, tam vt in gratiam redeant, quàm vt admissorum peccatorum reliquias eluant & diluant.

Qui verò pro culpis leuibus, &c. 7. Cùm duplex excommunicationis genus sit, prout cap. Ingeltrudam vxorem. 3. q. 5. noster adnotauit Gratianus: alterum quod à Christi, alterum quod à fraterna nos separat societate: cõsequens est, vt sicut non irrogatur illud nisi ob graues culpas, sic neque istud nisi ob leues. Istud autem excommunicationis genus in sequestratione à mensa situm esse vult D. Pater: satisfactionem verò in priuatione imponendi psalmum, & antiphonam, recitandique lectionem, & in onere prouoluẽdi se pedibus exeuntium de Oratorio, vsque dum Abbas benedicat excommunicatum hunc, & dicat, sufficit. Quod certè nimiũ ac rigidum videtur satisfaciendi pro tam leui excommunicatione onus: quia penè est idẽ quod pro grauiori excommunicatione decernitur. Cùm tamen oportuisset pro minori offensa minorem efflagitasse compensationẽ. Sed præterquàm quod grauissimum satisfactionis onus huic secundo excommunicato non imponitur, vtique prostratum iacere ante Oratorij fores toto tempore quo diuinum officium celebratur, sicut imponitur illi qui ob grauiores culpas excommunicatus est; adhuc si imponeretur, citra iniuriam fieret: quoniam pares in qualitate pœnæ,

possunt esse in quantitate durationis impares, vti reapse inferni, purgatoriique pœnæ sunt. Et debet Abbas breuiorem pro leuioribus culpis, quàm pro grauioribus satisfactionem exigere.

De his qui falluntur in Oratorio.

CAPVT XLV.

SI quis dum pronuntiat psalmum, responsorium, aut antiphonam, vel lectionem, fallitur, nisi cum satisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ subiaceat, quippe qui noluit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit. Infantes verò pro tali culpa vapulent.

1. SI *quis dum pronuntiat psalmum*, &c. Scitū est nō esse satis Deo psallere nisi id sapienter fiat. Saltem quoniam in conspectu Angelorum psallitur, iuxta illud psal. *In conspectu Angelorū psallam tibi.* Ratio est, quoniam (vt Bernardus inquit) credimus sanctos Angelos orantibus adstare, offerreque Deo preces & vota hominum, dicente ad Tobiam Angelo, quando orabas, ego obtuli orationem tuā Domino. Quinimò non tantùm in cōspectu Angelorum psallimus, verùm & cum illis; vt etiā Bernardus habet, & probat ex illo psal: *Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum.* Si igitur coram Angelis, & cum ipsismet Angelis psallimus, necessum nobis est strenuè, peritéque, hoc est, sapiēter psallere, & orare, diuinumque officium persoluere, ne concinentes simul desidia aut imperitia nostra indignemus Angelos, & illos longè à nobis faciamus, ita vt illi cum indignatione recedant, & nos Deo dicamus; *Longè feciſti notos meos à me, posuerunt me in abominationem sibi.* & iterum: *Elongasti à me amicum & proximū, & notos meos à miseria.* Et demum illud psal. *Qui iuxta me erant, de longè steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam.* Vnde Bernardus (à quo ego ista transcripsi) addit. Pro certo enim si se à nobis boni spiritus elongauerint, impetus malignorum quis sustinebit? Dico igitur his qui huiusmodi sunt; *maledictus qui opus Dei facit negligenter.* Dixit quoque, non ego, sed Dominus; *Vtinam te calidum aut frigidum inuenissem: sed quia tepidum te inueni, incipiam te euomere.* Ea propter attendite Principes vestros, cùm statis ad orandum, vel psallendum, & state cum reuerentia & disciplina. Vtique vt nec irreuerenter, nec oscitanter, aut imperitè, vel ineptè, quidquam diuini officij proferamus.

Psal. 137.2.

Bern. Ser. 7. *in Cantica.*

Tob. 12.12.

Psal. 67.

Psal. 87.

Psal. 37.

Ierem. 48.

Apoc. 3.

Sapienter

2. Sapienter item psallendum est: quoniam Deo psallere præcipimur; iuxta illud psal. *Psallite Deo nostro, psallite, psallite sapienter.* Quod etiam videns & expendens Bernardus inquit ista dialogum & colloquium sonare inter Angelos simul & homines; dicentibus hominibus ad Angelos, *Psallite Deo nostro, psallite*: Angelis verò ad homines, *Psallite Regi nostro, psallite.* Et quoniam leue procliuéque est hominibus etiam in choro labi, ideo Angeli renuntiantes addiderunt, *psallite sapienter.* Quasi dicerent, experimento diuturno comprobatum habemus, quanto studio homines Regibus placere contendant, Regibus inquam terræ, & quàm strenui & periti coram illis cõparere procurent; cùm igitur Deus noster non tantùm Rex terræ sit, verùm & vniuersæ terræ, consequens est, vt coram illo psallentes, sapienter psallere debeatis. Maximè psallentes nobiscum, vtpote iam facti Sanctorum ciues & domestici Dei.

Psal.46.

Qui igitur dum pronuntiat psalmum, aut responsorium, vel antiphonam, vel lectionem, fallitur, consequens est, vt nisi pro satisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori debeat vindictæ subiacere: vtpote qui contempsisse videtur, & nec pili fecisse coram summo Deo & Angelis Dei, atque in diuinis officiis lapsum esse; aut quia (vt textus habet) noluit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit. Quia verò in his infantes potiùs quàm rationis compotes viri labuntur, non aliis quàm infantibus specialis pœna assignatur, & quidem infantibus digna, nimirum vt vapulent. Metus enim vapulationis valde infantes stimulat, & à lapsibus cohibet. 5.

De his qui in aliquibus rebus leuibus delinquunt.

CAPVT XLVI.

SI quis dum in labore quouis, in coquina, in Cellario in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit vbiuis, & non veniens continuò ante Abbatem, vel congregationem, ipse vltrò satisfecerit, & prodiderit delictum suum, cùm per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi. Si animæ verò peccati causa latens fuerit, tantùm Abbati aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant curare sua, & aliena vulnera, non detegere aut publicare.

1. *Si quis dum in labore*, &c. Multa sanè & magna cõtra huius capitis decisionem militare videntur. Militat enim in primis Concilium Tridentinum asserens, non esse de præcepto aut aliquando mandatum publicè confessionem fieri; & addit quod nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta, præsertim secreta, publica confessione aperienda essent. Militat etiã quod cùm in prouincia orientali Cãpaniæ lege sancitũ esset, vt peccata illa pro quibus publica solemnisque pœnitentia imponebatur, euulgarentur, Leo Pontifex vt scandalosam & planè hæreticam huiusmodi legem abrogauit, prout Gabriel Vazquez refert. Qui etiam ex Tripartita, Sozomeno, atque etiã ex Chrysostomo narrat, Nectarium Archiepiscopum Constantinopolit. similem de publicandis peccatis legem submouisse. Ruardus item Taper, Decanus Louanien sis, & Bullengerius similia promunt. Quo ergo iure Diuus Pater decernit, vt latentia Monachi sua delicta euulgent, grauiori se, ni id fecerint, vindictæ implicantes?

Conc. Trid. sess. 14. c. 5. de pœnitentia.

Vazquez tract. de pœnitentia. q. 90. art. 1. dub. 3. Vazquez ibi. fol. 209. n. 1. Tripart. & Sozom. lib. 9. c. 35. Chrysost. ad psal. 50. hom. 4. de Lazar. Ruard. ar. 5. contra Caluinum. Bulleng. lib. instit. Christ. 2.

Nihilominus in dubium verti vocarique non potest, quin propriam, etsi latentem culpam aperire & confiteri, Deo maximè gratum sit, & glorioſum quodammodo, iuxta illud Iosue ad Achan; *Fili mi, da gloriam Deo Israël, & confitere, atque indica mihi quid feceris ne abscondas.* Dixit autem, *da gloriam Deo*, quoniam omnis qui humiliter sua confitetur peccata, consequẽter protestatur misericordiam diuinam; summámque miserationem illius in remissione culparum. Vnde Augustinus. Confessio est per quã morbus spe veniæ aperitur. Protestatur etiam diuinam iustitiam; quia iuxta Magistrum Sententiarum, confessio est testimonium conscientiæ Deum timentis. Qui enim timet iudicium Dei, confitetur peccatum. Vnde in confessione peccatorũ impletur illud psal. *Misericordiã & iudicium cantabo tibi Domine.* Vtpote quia in confessione concurrunt duo quæ respõdent misericordiæ & iustitiæ; nimirum spes veniæ quæ misericordiam respicit, cuius proprium est misereri: item erubescentia & pudor per ordinem ad diuinam iustitiam, quatenus erubescentia & pudor prudenti cuique pro pœna graui sunt. Vnde Magister Sent. Confessio peccati pudorem habet, & ipsa erubescentia pœna grandis est. Est etiam ingens venustas, eo quod, vt Bernardus habet explicãs illud psalmi 44. *Concupiscet Rex decorem tuum*, & interrogans in quo is animæ consistat decor; respondet. In pudicitia, in verecundia, & in pauore decor iste consistit. Verba Bernardi sunt. Quanta enumerauimus bona animæ, dona verbi, voluntatem bonam, scientiam, virtutem, sapientiam! & tamen nihil horum Rex concupiscere dicitur: sed tantùm concupiscet Rex decorem tuũ. Dominus regnauit, decorem induit: quia tanto profectò sibi charior, quanto similior. In quo ergo animæ decor? In pudicitia, verecundia, pauore. Inde etiam Dauid,

Aug. ad psal. 66.

Magist. Sent. in 4. dist. 7. c. vlt.

Psal. 100. 1.

Magist. Sent. vbi suprà.

Bern. Ser. 85. in Cantica.

Iosue 7. 19.

Psal.95. Dauid, Confessio & pulchritudo in conspectu eius: Quod Augustinus explicat de confessione peccatorum dicens. Non dixit, pulchritudo & confessio, sed confessio & pulchritudo. Fœdus eras? Cõfitere, vt sis pulcher. *Aug. sup. ps. 94.* Et alibi. Numquid ad Dei laudem non pertinet vt confitearis peccata tua? Cùm peccata nostra cognoscimus, Dei gloriam commendamus, quia tanto plus laudatur medicus, quanto plus desperatur ægrotus. Idcirco Paulus *Rom.13.23.* dixit; *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*; hoc est, confessione peccatorum.

3. Et licet principaliter hæc de sacramentali confessione intelligantur, etiam intelligenda veniunt de qualicumque humili verecundáque peccatorum confessione: nam etiam in Testamẽto veteri hãc Deus sæpe sanxit: vt constat ex Deut. 16.10. & 26. *Psal.31 5.* 41; & Numer. 5.6. & ex illo psal. *Dixi; confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* & ex illo Prouerb. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Vnde etiã nos extra Sacramẽtum petimus *Luc.11.4.* vt dimittantur nobis debita nostra.

4. Neque obstant in contrarium obiecta, quoniam hic non datur decretum de confitendis palàm peccatis occultis, quæ ad conscientiam pertinent; de his enim aliud statuitur, (vt infrà videbimus) sed tantùm disponitur, aperiendos esse Prælato defectus vel excessus, in aliquo externo opere, officio, vel exercitio latẽter à Monacho admissos, quorum tamen ad alium possit notitia permeare: & de illis Prælatum certiorem fieri, vt patet ex contextu & ex litera capitis: tũc enim culpas huiusmodi humiliter non aperire, & pœnitentiam à Prælato nõ postulare, veniámque precari pro eis, vitio vertendum foret; & proinde duplici animaduersione puniẽdum: vtique & pro culpa, & pro pertinacia.

5. *Si animæ verò peccati*, &c. Hic iam de culpis internis sermo inducitur, quarum examen & iudicium ad Ecclesiæ claues pro vera absolutione pertinet: & ideo D. Pater ad Abbatem, aut spirituales seniores reiicit; Monachos illos, qui huiusmodi sunt. Per quod planè colligitur, Abbates de sententia legiferi, atque parentis nostri Sacerdotes esse debere: quoniam aliàs latentes animæ causas non possent diiudicare. Mos autem qui apud nos longo seculorum tempore increbuit, occurrendi & accedendi diebus Dominicis ad aperiẽndas Prælatis nostris nostræ conscientiæ causas, ex huius capitis decreto ortum & initium accepisse à senioribus meis accepi: à quibus etiam audiui (vt iam superiùs retuli) confessionem istam sacramentalem fuisse.

De ſignanda hora operis Dei.

CAPVT XLVII.

NVNTIANDA hora operis Dei die noctúque ſit cura Abbatis, vt aut ipſe nuntiet, aut tali ſollicito fratri iniungat hanc curam, vt omnia horis competentibus compleantur. Pſalmos autem, vel Antiphonas poſt Abbatem ordine ſuo quibus iuſſum fuerit, imponant. Cantare autem & legere non præſumat, niſi qui poteſt ipſum officium implere, vt ædificentur audientes. Quod cum humilitate, & grauitate, & tremore faciat, & cui iuſſerit Abbas.

1. NVNTIANDA *hora*, &c. Non mirum quod D. pater Abbatibus indixerit regimen cymbalorum pro diuinis officiis, & quod Abbates quodammodo cymbaliſtas fecerit: cùm Deus ipſe ſummos Sacerdotes creauerit lucernarũ templi emunctores, concinnatoréſque lampadarum, iuxta id Leuitici; *Loquutus eſt Dominus ad Moyſem dicens: Præcipe filijs Iſraël, vt offerant tibi oleum de oliuis puriſſimum ac lucidum, ad concinnandas lucernas iugiter: ponétque eas Aaron à veſpera vſque ad mane coram Domino, cultu ritúque perpetuo in generationibus veſtris.* Vt ergo illud myſterio non caruit, de quo expoſitores ibi; ſic neque iſtud. Huius autem myſterium eſſe poteſt, omne illud quod omnes diuini officij horæ continent. Sanè Clemens Romanus ſequentia producit. Petitiones facite mane, hora tertia, ſexta, nona, & veſpera, atque ad galli cantum. Mane gratias agentes quod illuminauerit nos Deus nocte ſublata, & reddita luce. Tertia, quod ea hora Pilatus aduerſus Dominum iudiciũ pronunciauit. Sexta, quod ea hora in crucem actus ſit. Nona, quod tunc omnia mota & tremefacta ſunt crucifixo Domino. Veſpera, quod noctem dederit ad quieſcendum à diurnis laboribus. Ad galli cantum, quod illa hora nuntiauit aduẽtum Domini ad faciendum opera lucis. Quapropter neceſſum eſt horarum canonicarum tempus præfixum, nec præſtolari, nec retardare, nec vllo modo anteuertere, vel etiã trãſilire, ſed opportunum prorſus prefixúmq; ſeruare.

Leuit. 24. 21.

Clem. Rom. lib. 8. conſtitut. Apoſt. c. 36.

2. Inde eſt quod Petrus & Ioannes non tantùm aſcenderunt in templum vt orarent; ſed aſcenderunt orationis tempore, vtique hora orationi ſignata, vtiq; nona, prout habetur in Actis. *Act. 3. 1.*

3. Et hoc ideo, quia licet in omni gente, & in omni loco offeratur nomini Dei oblatio mũda, Malachiæ

Malachiæ 1. id tamen singulariter geritur in Ecclesiis, vt in locis ad id seriò constructis. Vnde Dauid, *In Ecclesiis benedicite Domino Deo.* Sic licet benedicendus sit in omni tempore Deus, specialiter tamen specialibus debet id horis præstari. Non igitur canonicæ horæ præponendæ aut postponendæ sunt, sed suis tẽporibus recolẽdæ, vt recolãtur opportunè. In huius confirmationẽ referunt nobis Innocẽtius, Ioannes Andreas, Abbas Panormitanus, Ostiensis, & similes, quod Angelus apparuit quõdam Monacho solitario cuidam, illíque aliquando detulit acerbas vuas, aliquando matũras, aliquando marcentes. Et quod rogatus Angelus à Monacho, quid sibi portenderet huiusmodi vuarum discrimen: respondit Angelus, monere illum, & certiorem facere, quod ipse aliquando præueniebat, & aliquando postponebat tempus recitandi horas, aliquando etiam opportuno tempore illarum pensum soluebat. Innuens sanè per hoc, acidum aliquid in anticipatione, marcidum in retardatione in horarum canonicarum precibus admisceri, suauitatis verò multum in opportuna recitatione.

Innoc. & reliqui c. 1. de celebratione Missarum.

4. Et licet cæteris paribus consultius sit anteponere, quàm postponere recitationem illarum, ob negotia & occupationes sæpe incidentes, prout in iure habetur; nihilominus procurandum est opportunis temporibus pensum illarum soluere: sedulò animaduertentes illud quod Petrus Damianus noster recensuit, vtique Episcopũ quẽdam pœnas in purgatorio dedisse, quia in aula Principis pluſquàm par erat versatus, diuini officij pensum minimè suis temporibus exsoluere consueuerat.

cap. Presbyter, de celebr. Missarum.
cap. Presbyter. dist. 91.

Petr. Dam. ep ad Desiderium.

5. Nec mirum sanè hoc, nam qui antelucanas horas, primam, v.g. recitat, quo iure potest dicere Deo; *Iam lucis orto sydere?* Qui item ad multam noctem completorium recitat, quo iure proferre audebit; *Te lucis ante terminum?* Præterquàm quod si tempus præfixum omnibus illis horis verè mysticum est, mysteria relata referens, quid significationis habebit opportunæ & propriæ, quando ad alia distincta tempora traiiciũtur? Opportunum igitur tempus seruãdum est in diuinarum horarum pensio exsoluẽdo. Propter quod ipse Abbas de sententia legislatoris nostri quasi in cymbalistam effertur, vt (quod mirabilius est) summus olim efferebatur Sacerdos, non modò in cymbalistam, sed etiam in campanile, prout videre licet in Exod. cap. 38. & 39. Quod si Abbas occupatus aliis, huic non possit negotio inuigilare, præcipitur vt curam iniungat alicui solicito fratri, ne canonicarum horarum præfixum periclitetur tempus.

6. *Psalmos autẽ*, &c. Suggerit hic D. Pater, quod licet ordine suo psalmos aut antiphonas fratres in choro imponere debent: attamen non omnes fratres, sed illi tantùm quibus iussum fuerit; vtpote qui renuit cantare, aut legere præter illos qui possunt audientes ædificare. De quo iam nos egimus capite 38. Et

Bernardus eius rationem nobis reddit inquiens. Sicut orationibus iuuamur, ita modulationibus delectamur. Vsus cantandi consolatur tristia corda: cantus in Ecclesia mentes hominum lætificat: fastidiosos oblectat. Oratio effunditur in remissionem peccatorum, cantatio significat glorificationem beatorum.

7. Additur etiam in textu, quod qui ex delectu Prælati legerit aut cantauerit, id cum humilitate, grauitate, & tremore faciat. Significans quidem non satis esse audiétes ædificare, nisi id quod canitur, aut legitur, humiliter, grauiter, & religiosè cantetur. Vnde cùm Canticorum 2. diceretur Sponsæ; *Sonet vox tua in auribus meis*, non tantùm redditur pro causa, *vox enim tua dulcis:* sed vlteriùs subiicitur, *& facies tua decora.* Monachus enim non tantùm auribus, sed etiam oculis probandus est in actibus publicis. *Cant. 2.*

De opere manuum quotidiano.

CAPVT XLVIII.

OTIOSITAS inimica est animæ. Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, cæteris autem horis in lectione diuina. Ideóque hac dispositione credimus vtraque tempora ordinari, id est, vt à Pascha vsque ad Kalendas Octobris, manè exeuntes, à prima vsque ad horam penè quartam laborent quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta vsque ad horam quasi sextam, lectioni vacent. Post sextam autem surgentes à mensa, pausent in lectis suis cum omni silentio: aut fortè qui voluerit legere, sibi sic legat, vt alium non inquietet. Et agatur nona temperiùs, mediante octaua hora: & iterum, quod faciendum est, operentur vsque ad vesperam. Si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, vt ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur; quia tunc verè Monachi sunt, si de labore manuũ suarum viuũt: sicut & Patres nostri & Apostoli. Omnia tamen mensuratè fiant propter pusillanimes. A Kalendis autem Octobris vsque ad caput Quadragesimæ, vsque ad horam secundam plenam, lectioni vacent: hora secunda agatur tertia: & vsque ad nonam, omnes in opus suum laborent quod eis iniungitur. Facto autem primo signo horæ nonæ, disiungant se ab opere suo singuli, & sint parati dum secundum signum pulsauerit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis, aut

psal

psalmis. In Quadragesimæ verò diebus, à manè vsque ad tertiam plenam, vacent lectionibus suis: & vsque ad decimam horam plenam, operentur quod eis iniungitur. In quibus diebus Quadragesimæ accipiant omnes singulos codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant. Qui codices in capite Quadragesimæ dãdi sunt. Ante omnia sanè deputentur vnus aut duo seniores, qui circumeant Monasterium horis quibus vacant fratres lectioni: & videant ne fortè inueniatur frater accidiosus, qui vacat otio, aut fabulis, & non est intentus lectioni: & non solùm sibi inutilis est, sed etiam alios extollit. Hic talis si (quod absit) repertus fuerit, corripiatur semel & secundò: si non emendauerit, correptioni regulari subiaceat taliter, vt cæteri metum habeant. Neque frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus. Dominico die lectioni vacent omnes, exceptis his, qui variis officiis deputati sunt. Si quis verò ita negligens & desidiosus fuerit, vt non velit, aut non possit meditari, aut legere; iniungatur ei opus quod faciat, vt non vacet. Fratribus infirmis vel delicatis talis opera aut ars iniungatur, vt nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur, vt effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.

1. TIOSITAS *inimica est animæ.* Et quidem adeò inimica, vt dicat Chrysostomus. Otium malitiæ pars, imò verò non pars, sed causa & mala radix. Vnde Ecclesiast. *Multam malitiam docuit otiositas.* Imò non tantùm multam, sed planè omnem, dicente Bernardo. Omnium tentationum, & cogitationum malarum & inutilium sentina otium est. Summa etenim mentis malitia est otium iners. Vnde Belgicus ille orator Philosophus (Lipsius vtique.) Prima scintilla & fomes calumniæ otiũ est: nec vnquam vacabit, aut lubebit in alienas res inquirere quem suæ detinebunt. Apud desides & ignauos mala Dea habitat, & apud eos sedem posuit sui regni. Horum ratio est, quoniã, vt Ambros. habet, apud ignauos nulla sunt insignia virtutis. Dixerim ego quod neque rationis: siquidem Basilius explicans illud Isaiæ 1. *Neomenias vestras odiuit anima mea*, inquit. Quomodo nõ odio prosequẽdum otium, quod formica & ape peiorem efficit hominem?

Chrys. homil. 16. sup. ad Ephes.

Eccli. 33.29.

Bern. Ser. ad fratres de monte Dei.

Lips. tract. de calumnia.

Ambr. lib. de Cain & Abel cap. 4.

Et ideo certis temporibus, &c. 2. Cùm homo ad laborem sit natus, haud secus quàm ad volatũ auis, opportuna & maximè congrua erit illi occupatio, quinimò & natiua & innata. Vnde cùm Deus creauerit Angelos in paradiso Angelico, vtique in cælo empyreo, inquirit D. Tho. pisces etiã

Iob. 5.7.

D. Tho. c. 1 p. q. 102. *art.* 4.

in ſuo paradiſo, vtique in aqua, aues in ſuo, vtique in aëre, nec non & animalia in ſuo, vtique in terra; cur igitur non creauit hominem in paradiſo ſuo, vtique in terrenali, ſed extra, vt colligitur ex illo Gen. *Tulit igitur Deus hominẽ, & poſuit eũ in paradiſo voluptatis?* Reſpõdet paradiſum non eſſe cẽtrum hominis in hac vita, cùm ſit natus ad laborem, & ad virtutem, ad quam non eſt iter, nec via niſi per laborem. Vnde Ambr. Nulla ſine labore virtus, quia labor proceſſus virtutis eſt. Labor autem vel occupatio quę hic præfigitur Monachis, partim manuum, & partim oculorum eſt: vtique lectio, de qua quoniam ſæpe alibi, nec per tranſcurſum meminimus, ideo nunc potiùs de labore manuum quotidiano ſermonem protrahemus, licet ad calcem capitis aliqua de lectionis vtilitate adnotabimus.

Gen.2.15. *Ambroſ. vbi ſup.c.2.*

3. Primum autem quod circa laborem iſtum notare debemus, illud eſt, multa eſſe quæ nos ad illum impellant. Nam in primis impellit ille, qui primus labori manuum finis præfixus eſt, vtiq; ſuſtentatio vitæ, nimirũ proprię, iuxta illud Gen. *In ſudore vultus tui, veſceris pane tuo.* Vnde Paulus in Act. *Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ.* & 2. ad Theſſal. *Si quis non vult operari non manducet.* Et Clemens Rom. Sciens conditor à nullo ſponte veniri ad agonem, dum refugitur labor, corpus huiuſmodi fecit, quod famem, & ſitim, & frigus reciperet, vt refrigerandi corporis cauſa, ad labores & artes diffunderetur. Et Senecà. Diſcamus membris noſtris inniti, agamus vt diuitias à nobis potiùs quàm à fortuna petamus.

Gen.3.19. *Act.20.34.* *2.ad Theſſ.3.* *Clem. lib. 9. Recognitionũ ad Iacob. fr. Domini.* *Seneca de tranquil. c.9.*

Deinde impellit ſuſtentatio vitæ alterius, vtique indigẽtium ſiue propter infirmitatem, ſiue propter mendicitatem. Paulus enim inquit: *Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos, & meminiſſe verbi Domini Ieſu, ipſe enim dixit, beatius eſt magis dare quàm accipere.* Item ad Epheſ. *Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti.* Vnde Bernardus refert Ægyptios Monachos ſuis laboribus egenos oppreſſóſque ſuſtentaſſe.

4. *Act.20 35.* *Epheſ. 4.28.* *Bern. epiſt. ad fratres de monte Dei.*

Impellit tertiò neceſſitas macerandi laſciuientis corporis petulantiam; laboribus ſiquidem, præſertim diuturnis, & maximè manuum, petulãtiſſimum quodque, atque refractarium premitur, & ſubigitur corpus. Vnde Dauid; *Vide humilitatem meam, & laborem meum.* &, *Humiliatum eſt in laboribus cor eorum.* & Sapiens; *Honeſtauit illum in laboribus.* & Paulus; *In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in laboribus; in vigiliis.* & 2. ad Theſſalonic. *Audiuimus inter vos quoſdam ambulare inquiete nihil operantes. His autem qui huiuſmodi ſunt, denuntiamus & obſecramus; vt cum ſilentio operantes panem ſuum manducent.*

5. *Pſal.24.18.* *Pſal.106.12.* *2.Cor.6.4.* *2.ad Theſſ 3.*

Impellit quartò neceſſitas fugiendi atque perimendi otium. Quotidiano ſiquidẽ labore manuum otiũ neceſſariò perimitur, & de

6.

& de otio fit negotium. Neceſſitas autem fugiendi otium non minor eſt quàm neceſſitas fugiendi vitium: ſiquidem, vt Auguſtinus habet, per otium accẽdimur frequenter ad luxuriam, animamur ad ſuperbiam, ducimur ad mundi gloriam, tentamur delicatè paſci, ſuffocamur pretiosè veſtiti, ad ſuperfluam dormitationem trahimur, & ad verba ſecularia ducimur. Numquam quis ciuis cælorum erit, ſi otioſitatẽ amauerit. Et Chryſoſt. Valde deſidero vos bonis operibus eſſe occupatos: omnium enim vitiorum quaſi magiſtra quædam, atque origo eſt otioſitas. Sed de his ſatis plura numero 1.

Aug. Ser. 16. ad fratres in Eremo.

Chryſ. hom. 36. in Matt.

7. Inde Ioannes Caſſianus inquit de Apoſtolo Paulo. Cauſas tantorum vlcerum quæ de radice otioſitatis emergunt, vno laboris ſalutari præcepto curauit, vt peritiſſimus medicorum, cæteras quoque valetudines malas eodem ceſpite pullulantes, ſciẽs protinus extinguendas origine morbi principalis extincta. Item Hieron. Facito aliquid operis, vt ſemper te diabolus inueniat occupatum. Si Apoſtoli habentes poteſtatem de Euangelio viuere, laborabant manibus ſuis, ne quem grauarent, & aliis tribuerent refrigeria, quorum pro ſpiritualibus debebant carnalia metere, cur in vſus tuos ceſſura non præparas? Vel fiſcellam texe iunco, vel caniſtrum lectis plecte viminibus: ſarriatur humus, arcolæ æquo limite diuidantur, inſerantur infructuoſæ arbores, apum fabricare alucaria, ad quas te mittũt Salomonis Prouerbia.

Caſſian. lib. 10. inſtitut. Monach. cap. 14.

Hier. epiſt ad Ruſticũ Monach. relatus de conſecrat. diſt. 5. cap. Numquam.

Prouer. 13.

Sed dices, in præcepto igitur, & quidem ſtrictiſſimo erit labor quotidianus manuum: vtpote ingens remedium aduerſus tam innumera, tamque ſæuientia mala. Præſertim cùm Paulus dicat; *Operamini manibus veſtris, ſicut præceptum eſt.* Et Auguſt. Quis ferat religioſos nõ operantes? Vnde Bernardus præceptum eſſe dicit obligationem manibus operandi. Verumtamẽ D. Thomas occurrens ait quod manualis labor neceſſarius ad victum quærendum, verè in præcepto eſt, his qui non habẽt aliàs vnde licitè viuere poſſint, ſiue tales ſint Monachi, ſiue laici, ſiue pauperes, ſiue Principes. Ad alia autem non ita, quoniam qui ſtudiis literarum vacat, & ſimilium, otioſus non eſt, nec petulans, maceratur enim caro per ieiunia & per vigilias, & otium tollitur per meditationem. Vnde Dauid: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum.* Circa quod Gloſſa. Non eſt otioſus qui verbo Dei tantùm ſtudet, nec pluris eſt qui extra operatur, quàm qui ſtudium cognoſcendæ veritatis exercet. Et ideo propter has cauſas religioſi non tenentur ad opera manualia, ſicut nec ſeculares, niſi fortè ad hoc per ſtatuta ſui ordinis obligentur. Neceſſitas etenim operis manualis propter eleemoſynas faciendas non cadit ſub præcepto, niſi fortè in aliquo caſu, in quo ex neceſſitate aliquis eleemoſynam facere teneretur, & non poſſet aliunde pauperibus ſubuenire. Hæc D. Thomas.

8.

1. ad Theſ. 3.

Aug. tom. 3. lib. de operibus Monachorum c. 3. Bern. epiſt. ad Carthuſien. D. Th. 2. 2. q. 187. art. 3.

Pſal. 118.

9. Cum hoc tamen ſtat id quod Diuus Pater capite iſto aſſirmat,

vtique quod Monachi tunc verè Monachi sunt; si labore manuũ suarum viuunt, sicut & Patres nostri & Apostoli. Etenim Monachorum antesignani Apostoli suis manibus laborauerunt, iuxta Hieronymum,& iuxta illud Pauli, *laboramus operantes manibus nostris.* Monachi item qui sub Marco olim in Alexandria viguerunt,manibus laborabant, vt ex historia Ecclesiastica refert Cassianus. Qui etiam de Paulo primo Eremita recenset quod per integrum laborabat annum: & Hieronymus de magno Antonio refert quod assiduè manibus laborabat. Vnde D. Pater non tantùm in capite isto, verùm infrà cap. 57.& 66. laborem manuum commendat. Et tandem D.Isidorus consonãs his quæ hic legifer statuit, inquit. Monachus semper operetur manibus suis : nam Patriarchæ greges pauerunt; Gentiles Philosophi sutores & sartores fuerunt, Ioseph faber ferrarius, aliàs lignarius, Petrus piscator, & omnes Apostoli corporale opus faciebant. Germanum igitur Monachis est manuale opus, saltem ne torpeant otio, siquidem,vt cecinit Ouidius Naso 1. de Ponto Elegia 6.

1.Cor.4.

Cassianus lib.2.institu. Monach.c.5.

Idem lib.10. cap.24.

Isid.in regula Monach. cap.5.

Ouid. 1. de Põte Eleg.6.

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus,
Et vitium capiant,ni moueantur aquæ.

10. At cùm Monachorum vita planè non sit rusticari,sed orare, non in agro,sed in choro inseruire,propter hoc enim suprà diximus teneri ad officium canonicum, quo iure D. Pater tunc nos verè Monachos asserit esse, quando labore manuum nostrarum viuimus? Sed præterquàm quod (vt Augustinus dixit)cantica diuina cantare etiam manibus laborantes facilè possunt& Isidorus, canunt manibus operantes, & ipsum laborem tanquam diuino celeumate consolantur. Igitur propter hæc est maximè notanda historia quæ habetur in libro de Vitis Patrũ Græcorum numero 112. vtique quod Abbas Lucius quæsiuit à fratribus; Quid manibus vestris operatis?respondentesque nihil, sed quod secundum Apostoli decretum sine cessatione orabant;iterum percunctatus est an comederent, & cibo aliquo se sustentarent; ad quod affirmatiuè responderunt, rogandoque eos iterum, quando comeditis quis orat pro vobis?item & quãdo dormitis? Quo audito conticuere omnes, & tunc Abbas subiunxit. Scitote fratres quod apud nos tam comedẽdo, quàm somnum capiendo oramus, vtpote quia laboramus manibus nostris, & psalmos inter laborandum cantamus; & quamdiu cibum somnumve sumimus, adhuc Deum laudamus:quia elecmosynas elargimur de fructu laboris nostri, & ipsæ orant pro nobis. Magni igitur faciendus est labor quotidianus manualis Monachis, etiam ad perpete laudandum Deum. Vnde Concilium IV. Carthaginense statuit sic. Clericus victum & vestitum sibi artificiolo, vel agricultura paret. Et infrà subiicit. Clericus quantumcumque verbo Dei eruditus artificiolo victũ quærat. Quod si hæc clerici, quid

Aug. lib. de opere Monachorum.

Isid. lib.2.de Eccles.sit. officiis c. 16.

1.ad Thess.5.

Concilium Carthagin. cap. 49. & 52. relatum dist. 91. cap. Clericus. Idem cap. 51. & 53. relatũ ibi.

quid Monachi? vtique valentes, debiles enim aut ægri à tanto hic onere liberantur.

11. Tandem D. Pater frequenter in hoc capite atque pro diuersis temporum horis sacram lectionem commendat, vtpote adeò vtilem, vt dicat Palladius relatus in libro de Vitis Patrum Græcorum num. 67. Initium recedendi à Deo fastidium doctrinæ est. Et Bernardus. Per lectionem discimus quid facere, quid cauere, quò tendere debeamus. Vnde dicitur; Lucerna pedibus meis verbum tuum. Per lectionem sensus & intellectus augetur, lectio nos ad orationem instruit & ad operationem, informatque ad actiuam & contemplatiuam vitam. Ideo dicitur in psal. Beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte. Hæc sunt instrumenta quibus diuina beatitudo acquiritur. Et Augustinus super id psal. 44. *Rios eius inebria*, inquit. Duritia pectoris nostri aperiatur vomere sermonis Dei. In quo verè aurea depascimur (vt Lucretius dixit) cuncta dicta.

Bern. de modo viuendi Ser. 50.

August. ad Psal. 44.

De Quadragesimæ obseruatione.

Caput XLIX.

Licet omni tempore vita Monachi Quadragesimæ debeat obseruationem habere: tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus Quadragesimæ omni puritate vitam suam custodire, omnes pariter negligentias aliorum temporũ his diebus sanctis diluere. Quod tunc dignè fit, si ab omnibus vitiis nos temperemus, orationi cum fletibus, lectioni & compunctioni cordis, atque abstinentiæ operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum seruitutis nostræ, orationes peculiares, ciborum & potus abstinentiam: vt vnusquisque super mensuram sibi indictam, aliquid propria voluntate cum gaudio sancti Spiritus offerat Deo, id est, subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, & cum spiritualis desiderij gaudio sanctum Pascha expectet. Hoc ipsum tamen quod vnusquisque offert, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione & voluntate. Quia quod sine permissione Patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt.

Licet

1. LICET *omni tempore*, &c. Quod vita Monachi Quadrageſimæ obſeruationem ſemper requirat, vel ipſum nomen Monachi luculẽter oſtendit: Monachus enim (vt habet Eugenius Papa relatus 16. q. 2. cap. Placuit.) eſt dictio complexa à ly *monos*, quod eſt vnus, & à ly *achos*, quod Latinè ſonat triſtis. Vnde Hieronymus epiſtola ad Paulinum. Si cupis eſſe quod diceris Monachus, id eſt, ſolus, quid facis in vrbibus? Quid autem quadrageſimali tempori proprius quàm ſolitudo & triſtitia? Probat deinde officium Monachi; quoniam, vt Hieronymus habet, Monachus non docentis, ſed plangentis habet officium, qui vel ſe, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præſtoletur aduẽtum. Quid igitur proprius quadrageſimali tẽpori quàm planctus & luctus? Vnde Eccleſia in hymno Quadrageſimæ.

Hier. epiſt. 13.

Hier. epiſt. ad Ripariũ relatus 16. q. 2. c. Monach.

Dicamus omnes cernui,
Clamemus atque ſinguli,
Ploremus ante Iudicem,
Flectamus iram vindicem.

Probat tertiò quod ea quæ in Quadrageſima requiruntur, vtique cibi, ſomni, ioci, verbi, & ſimilium parcitas, cùm dicitur: Vtinam ergo parciùs verbis, cibis, & potibus, ſomno, iocis, & arctiùs perſteimus in cuſtodia; màximè de Monachis prædicãtur. Chryſoſtomus enim inquit de illis. Hi noctu quoque peruigiles durant, vt re vera filij lucis; & vbi ſeculares ſomno plus indulſere & grauati prodeunt; contrà hi ſemper ſobrij ſunt, ſine cibo perſiſtentes, & hymnis intendentes. Et paucis ſubiunctis. Si contigerit morbus, non ex gulæ prodit vitio, non ex vinolentia, ſed ipſæ quoque morborum occaſiones plenæ ſunt laudibus, non criminibus vllis obnoxiæ, vtique vel ex vigiliis iugibus, vel ex continuato ieiunio, aut ex aliquibus huiuſmodi, quocirca etiã facilè liberantur.

Chryſ. hom. 14. in 1. ad Timoth.

2. Baſilius præterea ad idem. Somni leuis ſunt, eorumq; oculi nec importunos aſpectus, neque aures auditus obturbatores intrò ad cor admittunt. Ipſe itẽ Gregorius Theologus loquens de Monachis inquit. Omnia quę in aliis videbam, fomites erant mihi. Explicans autem quinam iſti fomites eſſent, ſubiunxit, dicens. Vigiliæ nempe, ieiunia, preces, lacrymæ, calloſa genua, pectoris conuerberationes, ſuſpirium ex imo manans. Hæc enim erant Gregorij Nazianzeni fomites. Vnde ſubiecit. Hinc ego lugens & contriſtatus ingrediebar. Auguſtinus ſimiliter. Corpus reficitur quantum ſaluti, & ſalubritati ſat eſt, coërcẽte vnoquoque conſcientiam, ne ſe profundat, vel in ea ipſa quæ præſtò ſunt parca & viliſſima. Ita non ſolùm à carnibus & à vino abſtinent, ſed ab his etiam quæ prouocant appetitum. Hæc vt germana Monachis referunt iſti Patres, per quæ planè conuincitur quàm veraciter aſſertũ, quod vita Monachi ſemper Quadrageſimæ obſeruationem debeat habere. Quæ enim Quadrageſima ſtrictior, durior, & (vt ita dicam) pœnitentior eſt, ſtrictiſſima & duriſſima pœnitentia iſtiuſmodi Monachorum?

Baſil. epiſt. ad Gregoriũ Theologum.

Nazianz. orat. 12.

Aug. lib. de moribus Eccleſiæ cap. 31.

Proba-

3. Probat demum, quod assiduè precandi, iugesque ad Deum fundendi orationes, munus Monachorum est, iuxta illud Hieronymi Epistola ad Eustochiũ. Egredientibus de hospitio armet oratio, ingredientibus de platea oratio occurrat antequã sessio, nec priùs corpusculum requiescat, quàm anima pascatur. Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem. Constat autem Quadragesimæ tempus id maximè habere, vt nos ad precandum & placandum Deum inclinet. Vnde Ecclesiæ hymnus.

Hieron. epist. 22.

Audi benigne conditor,
Nostras preces cum laudibus,
In hoc sacro ieiunio
Fusas quadragenario.

Quia igitur, ait D. Pater, paucorum est ista virtus, (ob id certè quia, vt ait Leo, necesse est de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere) ideo prouisum est Quadragesimæ tempus, vt saltem illo veri perfectique Monachi cõparcamus, aliorum temporum culpas negligẽtiasque purgando ieiuniis, pariter & orationibus, corporumq; afflictionibus redimendo, & mentium puritatem reparando: Quod est illud Leonis magni dicentis. Cùm nos oporteat semper studere virtutibus; quidam tamen dies ideo sunt ad castigationem communis obseruantiæ consecrati, vt anima quæ terrenis adhuc desideriis implicatur, & curis secularibus impeditur, ex interuallo saltem ad diuina respiret.

Leo Serm. 4. Quadrag.

Leo Ser. 4. de ieiunio 7. 3.

4. *Quod tunc dignè fit*, &c. Hic à nobis D. Pater in particulari requirit, quidquid à nobis in communi diuina lex exigit: vtique declinare à malo, & facere bonum, ex psal. 33. 15. & 36. 7. Requirit item in particulari, quod nos solemniter profitemur, vtique morum nostrorum conuersionem, nimirum à malo in bonum. Quod est illud Pauli, *Odientes malum, adhærentes bono.* & illud Tobiæ; *Recede ab omni malo, & fac omne bonum.* Quoniam, vt Gregorius inquit, minus est mala non agere, nisi & quisque studeat bonis operibus insudare. Et Hilarius. Solum malum non admittere, non habet laudem, nisi mali abstinentiam etiam gloria boni operis consequatur. Quia verò bona ad quæ Monachi tenemur vt Monachi, plura numero sunt, quàm illa ad quæ tenentur laici, ideo D. Pater licet malorum fugam vno comprehenderit verbo, vtique, *ab omnibus vt temperemus vitiis*; bonorum tamen prosequutionem quinque notulis intimauit, videlicet, orationis, lacrymarum, lectionis, compunctionis cordis, & abstinentiæ. Quorum illa potuit esse ratio, quod certè claudantur in illis vel ipsa summa encomia, quibus præfati Patres, vtique Chrysostomus, Augustinus, Basilius, & Nazianzenus perfectiores (num. 2.) extulerunt Monachos. Quorum virtutes admiratus Nazianzenus, clamauit illud, quod retulimus ex psal. *Hinc ego lugens & contristatus ingrediebar.*

Rom. 12. 9.

Tob. 4. 13.

Greg. homil. 13. in Euãg.

Hil. in psal. 114.

Psal. 34. 14.

5. Hoc autem verbum *contristatus*, magni mehercle pro hac parte ponderis est; eo quod apud Hieronymũ vertitur *vestus*. Quasi allusio

allusione facta ad illam acerrimam vestem quæ dicebatur cullus causticis illita fucis, iuxta illud *Senecæ*. Cogita hoc loco carcerem,& crucem,& eculeos, & vncum, & adactum per medium hominem ; qui per hos emergat,stipitem, & illam tunicam alimentis ignium illitam & cótextam. Vnde Tertullianus de Martyribus. Iam & ad ignes quidam se autorauerunt,vt certum spatium in tunica ardenti conficerét. Verbum igitur quod apud Nazianzenum est *contristatus*, apud Hieronymum est *vstus*, consonans eiusdem Nazianzeni verbulo, de quo suprà num.2. fomites erant mihi. Item apud Genebrardū *pullatus*, apud Montanū & alios *atratus*. Quæ sanè cuncta cucullæ nostræ insignia esse videntur. Est enim velut ille cullus, quoniam fomes, & quidem valdè ignitus omnibus inducntibus illum: ardenter enim ad virtutem accendit, inspecta semel priscorum suorum cucullatorum sanctitate eximia. Fusco item, hoc est, nigro cōlore atratus habitus atque pullatus est.

Seneca.

Tertul. lib. ad Martyres.

6. Sed videtur obesse Monachis atratus pullatusve color, vtpote qui in perfectione dentibus cōparantur, quos tamen nigredo inficit, albedo autem perficit. Vnde encomiū illud quod mysticè Christo aptatur; *Dentes eius lacte candidiores*: & illud Canticorum (quod etiam mysticè de Monachis à Bernardo intelligitur) *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.* Hunc enim locum versans Bernardus, lato liciulemoque cala-

Gen.49.12.
Cant.4.1.

Bern.Ser.64. ex parte.

mo & prorsus diuino sequentia ministrat. Spiritus sanctus, de cuius secretiori fonte Canticorum flumen emanat, in his (vt sentio) dentibus mysteria nobis non parua commendat. Nō sunt hi dentes, de quibus dicitur; Deus cōteret dentes eorum: vel de quibus ad virum sanctū vox diuina proclamat; Per gyrum dētium eius formido. Dentes isti lacte candidiores. Quippe sponsæ sunt, cuius speciem concupiuit Altissimus, quæ non habet maculam, neque rugam. Cùm enim tota candida sit, candidior probatur in dentibus. Noua tamen & inaudita comparatione in illius laudes perorat dicens. Dentes tui sicut greges tonsarū. Quid in hac (rogo) similitudine dignum est, vt eam de cælestibus arcanis descendisse credamus? Magnum prorsus, & magno animo magnificè sentiendum. Spiritus enim est qui loquitur, qui cùm loquitur, nec vnum potest iota vacuum præterire. Aliquid enim est in huiusmodi dentibus inuolutum, quod euolutum sacratioris intelligentiæ præsignet arcanum. Dentes enim candidi sunt & fortes : carnem non habent; carent corio; nihil intra se pati possunt; non est dolor sicut dolor eorum : clausi sunt labiis ne videantur : indecens est cùm videntur, nisi ridendo: toti corpori masticant cibum ; nullum inde saporem habent: non facilè consumuntur: per ordinem positi sunt, superiores alij, & alij inferiores ; & cùm inferiores moueantur, superiores nūquam. Huiusmodi dentes ego arbitror homines monasticæ professionis,

Psal.57.

Iob.41.

nis,

nis, qui viam compendiosiorem, & securiorem vitam eligentes, de toto Ecclesiæ corpore quod candidum est, candidiores esse videntur. Quid enim illis candidius, qui totius immũditias spurtiæ cuitãtes, cogitationum, sicut actionũ peccata deplorãt? Quid fortius illis, quibus tribulatio pro solatio, contumelia pro gloria, inopia pro abundantia ducitur? Isti carnem non habent: quia in carne carnem obliti audiunt ab Apostolo: Vos autem in carne non estis, sed in spiritu. Corio carent, quia nitorem & distẽsionem mundanarum sollicitudinũ non habẽtes, in pace in idipsum dormiunt & requiescunt. Nihil morari intra se patiuntur, quia nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputant, aut intra se, aut in conscientiis singulorum. Hinc est illa vestra opportuna importunitas, qua tam sæpe fatigatis nos, vt multotiens etiam cùm necesse non sit, multum in his diei impendatis. Nõ est dolor sicut dolor eorum, quia nihil tam horrendum & horribile est, sicut murmur in congregatione. Clausi sunt labiis ne videantur; sic & nos materialibus vallis circumcingimur, ne secularium oculis & incessui pateamus. Indecens est si appareant, nisi interdum fortè ad risũ, quia nihil turpius quàm Monachus per vrbes & castella discurrens, nisi cùm illa cogit, quæ operit multitudinem peccatorũ. Charitas enim risus est, quia hilaris est. Læta quidem, nõ tamen dissoluta. Toti corpori masticant cibum dentes, quia ipsi pro toto corpore Ecclesiæ, videlicet tam viuis quàm mortuis, orare sunt constituti. Nullũ inde saporem habere debẽt, nullam sibi gloriam assignare, sed dicere cum Propheta: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Non facilè consumuntur, quia quanto annosiores, tanto feruentiores: & eo rapidiùs currunt, quo viciniùs appropinquant ad palmã. Per ordinẽ positi sunt. Vbi enim aliquid ordinatum est, si hic non est, vbi cibus & potus, vigilare & dormire, laborare & quiescere, ambulare & sedere, & cætera omnia in numero, mensura & pondere constituuntur? Superiores & inferiores sunt, quia inter nos Prælati & subditi sunt: & sic superiores inferioribus iunguntur, vt inferiores à superioribus non discordent. Cùm autem inferiores moueantur, superiores numquam moueri debent: quia etsi subditi quandoque turbentur, Prælatorum est in mente composita perdurare. Sicut greges tonsarum, inquit. Quàm bene Monachi tonsis ouibus comparantur: quia re vera tonsi sunt, quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum relictum est. Quæ ascenderunt de lauacro. Baptismus lauacrum est de quo ascendit, qui ad celsitudinem vitæ perfectioris intendit. Descendit autem, qui se vitæ mancipat inhonestæ. Omnes gemellis fœtibus: quia & verbo pariunt & exemplo. Et sterilis non est in eis, quia nullus est infœcundus. Hactenus Bernardus optimè, dulciter, diuinitusque vt semper. Sed vt rectè cohærent dentes

Psal. 103.

Rom. 8.

tes candidi cum nigris labiorum operculis, vtique cum labiis barba nigra contectis: sic Monachi moribus candidi cum atra veste tectis, quæ summorum solet esse virorum integumentum: præsertim apud Hispanos, apud quos encomij vice est, pullatus homo, vulgò, *hombre de capa negra.*

7. *Ergo his diebus,* &c. Hic iam Diui Patris labia videntur (haud secus quàm labia sponsi) distillare myrrham primam, hoc est, amariorem myrrham, & maximè acerbam: vtpote quæ de circumcidenda, circumcisa nimiùm apud Monachos, cibi, potus, somni, loquelæ, similiumque ad vitæ sustentationem pertinentiũ mensura. Nam si grauis fuit Adamo tot fruticibus, & pomariis, fructibusque consito vnius arboris diuina interdictio; quid Monacho parcissima cibi, somni, potusque, & similium mensura adacto, istorum omnium aliqua delibatio, etiam leuis? Mirabile iudicatur quod Ionas lætitia magna exilierit ad vmbram, quã capiti suo ex quadã hedera accepit. Non enim tã exile bonũ tãta erat in tanto viro alacritate celebrandum: saltem ne obiiceretur ei quod aliis apud Amos, vtique quod delectabantur in nihilo. Sed à nota liberatur ista, per hoc quod à Ceti angustiis liberatus, à quo absorptus fuerat, minimũ pro maximo duxit bonum: & duriorem expertus fortunam mediocri contentus est. At magis mirabile ducitur quod exusta hedera illa, iniquè admodum tulerit priuationem illius, dicens: *Melius est mihi mori quam viuere.* Non enim tam caducæ vmbræ tam grauiter debuit interitus deplorari. Sed pro solutione est, quod nullum aliud sibi cõtra Solis æstum restabat vmbraculum: & vbi vnicum tantùm est vitæ refugium, iactura illius omnium iactura est. Cùm igitur Monachi pro vitæ sustẽtatione non habeant nisi necessaria omnino, in idem recidit libare illa, atque eis vitam eximere, vel saltem extenuare. Myrrha ergo prima est, quæ inducitur hic.

Cantic. 5. 13. *Ionæ 4. 6.* *Amos 6.*

8. Sed absit quod D. Pater sæuũ quid suis Monachis sanciat. Non enim præcipit cibi, aut potus, aut etiam somni libationem simpliciter & absolutè: quinimò nec permittit vt Monachus horum aliquam priuationem inducat absque licentia Abbatis, & de consilio eius, ne præsumptionis notetur, & ne salutis mehercle periculum patiatur aut subeat. Religiosa siquidem carnium maceratio prudentiam & moderationem requirit. Vnde scriptum habemus: *Prudentiæ tuæ modum impone.* &, *Noli esse nimiùm iustus.* Certè quoniam, vt Ieremias habet, *Qui plus fecit quàm potuit, ideo perijt.* Quapropter regulæ monitum licet ad pœnitentiam exhortetur, non tamen ad violentiam, quæ tristitiam, sed ad sobrietatem, quæ lætitiam ingerat, inducit.

Prou. 25. 4 *Eccli. 17. 1.* *Ierem. 48. 36.*

De

De fratribus qui longè ab Oratorio laborant, aut in via sunt.

CAPVT L.

FRATRES qui omnino longè sunt in labore, & non possunt concurrere hora competenti ad Oratorium, & Abbas hoc perpendit quia ita est, agant ibidem opus Dei vbi operantur, cum tremore diuino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant horæ constitutæ, sed vt possunt agant sibi, & seruitutis pensum non negligant reddere.

1. FRATRES *qui omnino*, &c. Scita & constans apud omnes est doctrina Scholasticorum dicentium, quod dum grauis aliqua & diuturna simul ingruit occupatio, quæ absque offensione aliorum prætermitti non potest, aut in aliud tempus commodè differri, iustam excusationem afferat recitandi officium diuinum: secus verò quando breuis vel leuis est, & talis quod ab vna in aliam possit commodè transferri horam, & hoc citra notabile præiudicium alterius. Ita Henrriquez, Maior, Nauarrus, & Azor. Quare quoniam huiusmodi est communis & regularis Monachorum occupatio in agris, atque etiam in itineribus, vtpote quæ non necessariò omne diei tempus prærequirunt sibi, præcipit Sanctus Pater fratribus in viam directis, vt in ea semper diuinum officiū persoluant vt vt potuerint: fratribus autem qui in agro sunt, non solùm præcipit vt diuinum in eo recitent officium, verùm quod id faciant genua flectentes, & cum reuerentia & tremore adhuc in ipso agro, dummodo adeò lōgè à Monasterio sint, vt (de sententia Abbatis) ad Oratorium commodè non possint occurrere horis competentibus, in quibus diuinū officium persoluendum est. Aliàs præcipit vt etiam cum interruptione laboris ad Oratorium occurratur, vt in eo reddatur Deo seruitutis pensum.

Henrriquez quodlib. 4. q. 12. Maior in 4. d. 12. q. 6. Nauarrus de orat. c. 11. Azor lib. 10. c. 13. q. 15.

2. Ratio illius, vtique orandi extra chorum tunc temporis, est quod, vt Ieroboamus (apud Iosephum) dixit; *Deo mūlus locus est, vacuus.* Et bene quidem, quoniam, vt dixit Salomon ipsi Deo: *Cæli cælorum te capere non possunt,* & pater eius Dauid: *Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiā? Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* Vnde Malachiæ 1. ipsemet dixit Deus: *In omni gente, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda.*

Ioseph 8. Antiq 3. *2. Paral. 6.* *Psal. 138. 6. 18.* *Malach. 1.*

Ratio autem huius, vtique orandi semper, extra casum necessitatis, in Oratorio, est quod, vt Chrysostomus habet, fieri non potest, vt domi tam bene ores quàm in Ecclesia; vtpote ad id maximè condita, & domus orationis vocata Isaiæ 16. Ierem. 7. Matth. 21. 11. Vnde Salomon vbi suprà agens de domo quam ædificauerat Deo, dixit: *Ad hoc tantùm facta est, vt respicias orationem serui tui, & obsecrationẽ eius, Domine Deus.*

Chrysost. homil. 3. de incomprehensibili Dei natura.

3. Ratio verò vtriusque (vtique recitandi diuinum officium in agro, quando commodè in Oratorio recitari non potest, & recitandi in Oratorio, quando id commodè fieri valet) est quoniã, vt inquit Tertullianus, etsi omni in loco orare liceat, & preces ad Deum fundere, qui nullo circumscriptus est loco, melius tamen atque longè vtilius est ad Ecclesias accedere, in illisque orare. Et Chrysost. Affixus foro, illic potes orare, & in via, & in mari, & in diuersorio, & in officina, & vbicumque, & inuocato Deo petitionem poteris obtinere: in Ecclesia autem maius aliquid est, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur. Hic enim vnanimitas est & consonantia, charitatis vinculum, & Sacerdotum orationes. Augustinus etiã. Non quæritur locus quantum sensus! Ieremias confortatur in carcere: Daniel inter leones exultat: tres pueri in fornace tripudiant: Iob nudus in sterquilinio triumphat: Paradisum latro de cruce inuenit. Non est locus vbi non sit Deus: at in Ecclesia maximè.

Tertul. in Apolog. c. 39.

Chrys. homil. 79. ad populum.

Aug. in Ser. quod nõ quæritur locus quãtum sensus.

4. Demum Sanctus Pater præcipit, vt laborantes in agro longè à Monasterio dissito, simul ibi officium faciant: vtique quoniam in congregatione orare magni momenti est: siquidem (vt nuper vidimus) ideo in Ecclesia orare consultius habetur. Vnde Tertull. Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Et Basil. Oratio quæ non est comprecatores nacta, multo est seipsa languidior atque debilior. Et Ambros. Multi minimi dum congregantur vnanimes, sunt magni: & multorum preces impossibile est contemni. Demum D. Thom. quasi vniuersa complectens quæ in hoc capite diximus, obseruat quod determinatus locus eligitur ad orandum, non propter Deum qui adoratur, quasi concludatur loco, sed propter ipsos adorantes. Et hoc tripliciter. Primò, propter loci consecrationem, ex qua spiritualem deuotionẽ concipiunt orantes: vt patet ex adoratione Samuelis. Secundò, propter sacra mysteria & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur. Tertiò, propter concursum multorum adorantium: ex quo fit oratio magis exaudibilis, secundum id Matth. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum.* Idem autem de oratione ad Deum atque de adoratione illius iudicium est.

Tertull. vbi suprà.

Basil ep 68.

Ambr. lib de pœnitentia.

D. Tho. 2. 2. q. 84. art. 3. ad 2.

3. Reg. 8.

Matth. 18.

De sta

De fratribus qui non longè proficiſcuntur.

CAPVT LI.

FRATRES qui pro quolibet reſponſo proficiſcuntur, & ea die ſperant reuerti ad Monaſterium, non præſumant foris manducare, etiamſi à quouis rogentur: niſi fortè eis ab Abbate ſuo præcipiatur. Quod ſi aliter fecerint, excommunicentur.

17 FRATRES, &c. Strictè hic prohibetur Monachis cibum extra Monaſterium ſumere, quotiens in eis viget ſpes intra diem exitus redeundi. Cuius ſanè ſtabilimenti rationes non facilè quis coniectabit. Præſertim quod ſtabilimentum ipſum dirũ prima fronte apparet, propter multorum natiuam ſtomachi defectionem. Sed nihilominus congruentiſſimis poterit rationibus communiri. Harum autem prima ſit, neceſſitas quæ Monachos premit fugiendi ſecularium commercia præſertim intima: vtpote quod inter gentes commixti facili negotio diſcunt eorum opera, ipſorúmque ſculptilibus ſeruiiunt, prout pſalmo 105. num. 35. refertur. Conuictus autem ſiue epuli, ſiue poculi non leue commercij genus atque ſocietatis eſt, maximè ad familiaritates fouendas & confirmandas. Quare amicitiæ ſymbolum iampridem conuictus eſt & conuiuatio, iuxtà id pſal. *Tu verò homo vnanimis, dux meus & amicus meus, qui ſimul mecum dulces ca-* *Pſal.54.*

piebas cibos. & Lucæ 22. *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Vt igitur commercia forinſeca, quoad fieri poſſit, vitentur, conuictus forinſeci, quoad fieri poteſt, taxantur. Ex quo planè conuincitur conuictus laicos, quales plerumque ſunt illi, qui extra Monaſteria agitantur, Monachis verè Monachis abſonos atque noxios eſſe. Etenim ſi 18. quæſt. 2. cap. Luminoſo, Monachis interdicũtur Miſſæ, vbi ſecularis concurſus obſtrepit, ne Monachi diſtrahantur: quidni ſeculares menſæ, & extra clauſtra Monaſterij conuiuia? *Luc.22.29.* *18.q.2.cap. Luminoſo.*

2. Secunda cauſa ſit, velocior ad Monaſterium reditio, more (vt ita dixerim) corui illius, quem miſit extra arcam Noë. Is enim tamdiu feſtinus regrediebatur ad arcam, quamdiu extra illam reficiendus non erat. Id enim ſonant verba illa Geneſis ſecundũ veritatem Hebraicam, *Corvus egrediebatur, & reuertebatur*, de qua Chryſoſt. & Auguſtinus. *Gen.8.8.* *Chryſ.homil. 26.in Geneſim.* *Aug.q.13.in Geneſim.*

Ex

Exquo verò potuit extra arcam pasci, ad eam tardè, aut nunquã fuit reuersus, iuxta Vulgati literam dicentem vbi suprà de coruo, *egrediebatur, & non reuertebatur.* Cùm autem Monasteria Monachis non minus congrua sint, quàm piscibus aqua, prout habetur 16. q. 1. cap. Placuit, ex Eugenio Pontifice, consequens est, vt festinus ad ea regressus conuenientissimus sit.

16. q. 1. cap. Placuit.

3. Tertia ratio est, quod Monachorum vita propè Angelica cùm sit, prout Nazianz. habet: Angeli autem non visibili vescantur cibo, prout illorum quidam dixit Tobiæ; consequens est, vt Monachis occultior refectio, quæ externorum oculos fugiat, non autem illa, quæ laicos spectatores habet, iudicesve, expediat. Sic enim quasi non vescentes reputabuntur Monachi, Scripturæ phrasi, qua vt tunc res fieri dicuntur, cùm patefiunt, sic negantur esse cùm non apparẽt: veluti de Melchisedech scriptũ legimus, quod fuit sine patre & sine matre; non quidem quasi ingenitus, veluti Adam & Heua, sed quia de progenitoribus eius non constabat. De Ioanne item Baptista dicitur quod erat nec manducans, nec bibens; non quidem quasi omnino ieiunus duxisset vitam, sed quia cibo parcissimo simul & alieno à vulgari vsu conquictúque sese alebat.

Nazianz. in 1. Apolog.

Tobiæ 12. 19.

Hebr. 7. 3.

4. Vltima ratio sit, cautus & prudens timor ne Monachi prægustantes lautiores delicatioresque laicorum cibos, auersentur exinde illos qui Monachorum sunt; Israëlitarum more, qui ob præ-

gustatas apud Ægyptios carniũ ollas, quas inter ærumnas & plagas condierant, cælicum in eremo fastidierunt manna, contemptuíque habuerunt.

Exod. 16. 13.

Num. 11. 6.

5. At siue istæ, siue aliæ fuerint huius stabilimenti rationes, ad legislatoris tamen authoritatem & pondus maximè recurrẽdum est, quando noluit ipse rationibus præmunire, aut etiam roborare decretum: imitatus meherle in hac parte Dominum Deũ ipsum, qui primis parentibus nostris esum ligni, in medio paradisi positi, prohibens sub discrimine vitæ, nullam prohibitionis tam rigidæ causam expressit. Quinimò & subticuit rationem ob quam Prophetæ Gaddo præcepit, ne in legationis munere quod aduersus Ieroboam obibat, comederet panem, aut biberet aquam, quamuis ob violatum præceptum istud morte Propheta illicò mulctatus fuerit. Ad legem igitur & ad testimonium respiciendum est, & semper in fauorem illorũ præsumendum, siue rationes suppetant, siue non occurrant: quoniam legis virtus & robur in legislatoris authoritate fundatur.

3. *Reg.* 13.

6. Pœna quã interminatur transgressoribus huius decreti Diuus Pater, excommunicatio est; dicit enim, *quod si aliter fecerint, excommunicentur.* Cuius autem generis & conditionis excommunicatio ista sit, ex qualitate personæ transgredientis, vel ex qualitate temporis, vel finis, vel consuetudinis, vel ex quantitate materiæ discernendum erit. Grauis enim culpa maioris excommunicationis materia est, leuis autẽ

non

non nisi leuioris, vtique regularis,& monachalis censuræ,diuersæ admodum à minori excommunicatione Ecclesiæ: de quibus nos suprà cap.23.& 24. Hæc autem reficiendi extra Monasterium prohibitio prudenter interpretanda est, vtique ni ad oppositum necessitas vrgeat: necessitas enim lege caret. Præsertim quod de licentia Abbatis id posse fieri exprimitur: est autem præsumpta licentia,quotiens necessitas vrget, rectaue ratio suadet. Vnde cap.Ad limina.3. q.1. & 54.q.1.c.1. Inculpabile iudicandum est quod necessitas intulit. Per quod fit satis argumento superiùs inducto ex stomachorum imbecillitate.

De Oratorio Monasterij.

CAPVT LII.

ORATORIVM hoc sit quod dicitur:neque ibi quicquam aliud geratur aut condatur.Expleto opere Dei omnes cum summo silentio exeant, & agatur reuerentia Deo;vt frater qui sibi peculiariter vult orare,non impediatur alterius improbitate.Sed si alter vult sibi fortè secretius orare,simpliciter intret & oret,non in clamosa voce, sed in lacrymis,& intentione cordis.Ergo qui simile opus non facit,non permittatur expleto opere Dei remorari in Oratorio,sicut dictum est, ne alius impedimentum patiatur.

1. ORATORIVM,&c. In sacros canones verbũ hoc translatum est, prout videre licet cap. Oratorium. Post quod etiam illud Augustini attexitur quod sic habet. In Oratorio præter orandi & psallendi cultum nihil agatur: vt nomini huic & opera iugiter impensa concordet. Quæ sanè inducta sunt,vt canon ille Concilij Carthaginẽsis tertij roboretur,quod habet. Nulli Episcopi,vel clerici in Ecclesia conuiuentur, nisi fortè transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur. Populi etiam ab huiusmodi conuiuiis,quantum potest fieri,prohibeantur. Item & illud Conc. Laodicen. Non oportet in Basilicis seu Ecclesiis agapem facere,& intus manducare,vel accubitus sternere. Hæc autem disposita sunt propter illud Pauli: *Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?*

Dist. 42. cap. Oratorium. Aug. ep. 109.

Concil. Carthag. c. 30.

Conc. Laodic. c. 17.

1 Cor. 11.

Idcirco licet Concilia præmissa, Chrysostomus,aliique similes Patres non respuant clericorum accubitus conuiuales: non tamen admittunt illos sa-

2. *Chrys. homil. 11. sup. ad Hebr. 10.*

cris in locis, vt patet 42. distinct. citata, cap. 2. 4. & 5. Refert autem multum ad obseruantiam obsequij debiti basilicis, nihil præter opus diuinum, precum, sacrificiorum, Sacramentorum, honoris Dei & Sanctorum, similiúmque geri in eis, vt sic propriùs præstantiúsque reuereamur illas. Vti quoniam signum Crucis in hoc potissimùm differt à signis instrumentorum omnium quæ Dominicæ inseruierunt passioni, vtique clauorum, lanceæ, & similium, quòd claui, lãceæque ad varios profanósque vsus promiscuè destinentur: clauis enim configuntur tabulæ, & lanceis confodiuntur viscera, & ad huiusmodi effectus conduntur & fabricantur; & propterea claui, lanceæque vt sic non habentur vt signa clauorum & lanceæ Christi Domini, nec vlla reuerentia coluntur, etiamsi claui ipsi & lancea, reliquáque quibus Christus occubuit summo honore habeantur. Crux autem, quòniam ad id tantùm conficitur, vt signum referat & repræsentet ipsissimæ Crucis Christi, ideo tanquam ipsa Crux colitur & adoratur, eo quod idem est motus in imaginem & in prototypum. Ita hic de templis omnino constructis & fabrefactis ad diuinum opus, non verò ad quodvis aliud.

3. *Expleto opere Dei*, &c. Notatu dignum est id quod 1. Regum 3. refertur, videlicet quod audita per Samuelem intra templum Domini voce illa, *Samuel, Samuel*, protinus accurrit Samuel ad summum Sacerdotem Heli dicens ei; *Ecce ego, quia vocasti me.* Qui respondit; *Non vocaui te, fili mi, reuertere & dormi.* Quod cùm secundò & tertiò accidisset, protinus intulit Heli quod Dominus vocaret puerum: vt re ipsa vocabat. Ait enim Scriptura num. 9. *Intellexit ergo Heli quod Dominus vocaret puerum.* 1 Reg. 3. Sed difficultas est, vnde id sibi coniicere potuit Heli, & vnde locus illationis huius. Sed facilis coniectura est. Cùm enim sciret Heli quod in templo Domini Dominus ipse præcipuè, & ministri eius, non verò alij possunt verba edere, & efferre vocem; & simul sciret, quod ipse tunc vnicus templi minister, templo adstans, non extulisset vocem, excitando Samuelem, consequenter intulit quod Dominus vocabat illum. Vnde Diuus Pater hic improbitatis arguit omnem qui perstrepit in templo, & vel intempestiuam vocem promit in illo; eo quod templum Domini domus orationis est, ad orandum, & non ad negotiandũ singulariter conditum.

Inde Dauid: *Qui statis in domo Domini; in atrijs domus Dei nostri*; quoniam (vt Augustinus habet) orantium habitus erectæ staturæ est, dicente Paulo; Volo viros stantes orare. Vnde stans publicanus orabat, Lucæ. 18. & illi, de quibus Matth. 6. stantes orabant. Imò ipsum stare in sacris literis non infrequenter accipitur, pro eo, quod est orare. Psalmo etenim 105. habetur; *Dixit vt disperderet eos, si non Moyses stetisset in confractione in conspectu eius.* Id est, nisi tunc orasset. 4. Psal. 133. 2. *Aug. ep. 119. & lib. de moribus Eccles. cap. 15. 1. ad Tim. 2. 8.* Psal. 105. 23.

2. Reg. 3.

orasset. Et alibi; *Stetit Phinees & placauit, & cessauit quassatio.*

5. *Sed si alter*, &c. Ratio est, quoniam (vt Ieremias habet) *propè es tu ori eius*; & ideo ad orandũ Deum clamoribus opus non est. Id autem eximij Patris elogium eximium eximij eius filij, vtique Gregorius magnus, Cassiodorus, Rupertus, & Bernardus probè intelligentes amplexati sunt & magnificarunt. Sic enim Gregorius ait. Animarum clamor magnus magnum est desiderium. Cassiod. Ipsius est oratio perfecta, cuius & causa clamat, cogitatio & vita. Rupert. Non expectat Deus verba, sed solis cogitationibus aduocatur. Demum Bernardus. Clamor in Deum vehemens est desiderium vehemens, apud Deum valet non magnus clamor, sed magnus amor. Hæc præfati Patres alumni parentis nostri. Inde Dauid: *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.* & Dominus ad Moysen taciturnum, & pro tũc omnino silentem; *Quid clamas ad me?* Vtique præcordiorum affectu, non verò labiorum rugitu: & tamen clamans dicitur, quia verus ad Deum clamor ex corde potiùs quàm ex ore est. Vnde Oseas: *Non clamauerunt ad me in corde suo.* & Dauid: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.*

Gregor. lib. 2. moral. c. 6. & lib. 21. c. 8.
Cassiod. in ps. 16.
Bern. Ser. 16. in psal. 90.
Rupert. sup. Matth. 5.
Exod. 14. 15.
Osee 7. 14.
Psal. 18. n. vlt.

6. *Ergo qui simile opus non facit*, &c. Obseruatione ad id dignum videtur quod de Anna Samuelis matre testatum est: videlicet, quod orans ad Dominum, vota nuncupans, & largiter flens in templo Heli Sacerdote adspectante, & supra sellam ante fores templi sedente, non verò oratne, sic ab illo sacra mulier interturbata est, & molestiis affecta, ob quædam verba Heli, quæ tunc improuidè & imprudenter protulit, vt magno adscribatur miraculo Annam omnino ab oratione distractam diuulsámque nõ fuisse. Certum enim est, quod si Heli aut simul cum illa orasset, aut inde longè aufugisset, quod Annam non interturbasset, nec vitio vertere potuisset modum orandi illius, vtique labia mouendo, & vocem penitus non emittendo, prout notat ibi Scriptura. Vbi etiam præmittitur quod in corde suo loquebatur. Quod loquendi genus maximè Deo arridet, vt ex prædictis constat. Abeant igitur ab Oratorio, qui orationibus non incumbunt, ne impedimento sint his qui orationibus vacant. Ita necessum est à cœtu Scholasticorum & studiosorum abiicere quoscumque literis virtutibúsque non insudantes, quoniam inertia istorum, nedum distractio illis exitiosa est. Videatur cap. 19. superiùs n. 7.

1. Reg. 1. 10.

De hospitibus suscipiendis.

Caput LIII.

Omnes superuenientes hospites tanquam Christus suscipiantur;quia ipse dicturus est,hospes fui,& suscepistis me.Et omnibus congruus honor exhibeatur,maximè domesticis fidei,& peregrinis.Vt ergo nuntiatus fuerit hospes, occurratur ei à Priore, vel à fratribus cum omni officio charitatis.Et primitus orent pariter,& sic sibi socientur in pace : quod pacis osculum non priùs offeratur, nisi oratione præmissa,propter illusiones diabolicas. In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas omnibus venientibus , siue discedentibus hospitibus inclinato capite , vel prostrato omni corpore in terra , Christus in eis adoretur, qui & suscipitur.Suscepti autem hospites ducantur ad orationem.Et postea sedeat cum eis Prior,aut cui iusserit ipse. Legatur coram hospite lex diuina,vt ædificetur,& post hęc omnis ei exhibeatur humanitas.Ieiunium à Priore frangatur propter hospitem : nisi fortè præcipuus sit dies ieiunij, qui non possit violari. Fratres autem consuetudinem ieiuniorum prosequantur. Aquam in manibus Abbas hospitibus det. Pedes autẽ hospitibus omnibus tam Abbas quàm cuncta cõgregatio lauet.Quibus lotis tunc versum dicant: Suscepimus Deus misericordiam tuã in medio templi tui. Pauperum autem & peregrinorũ maximè susceptio omni cúra exhibeatur:quia in ipsis magis Christus suscipitur.Nã diuitum terror ipse sibi exigit honorem. Coquina Abbatis & hospitum per se sit , vt incertis horis superuenientes hospites, qui nunquam desunt Monasterio , non inquietent fratres.In quam coquinam ingrediantur duo fratres ad annum, qui ipsum officium bene impleant. Quibus vt indigent,solatia administrentur,vt absque murmuratione seruiant. Et iterum quando occupationem minorem habent, excãt,vbi eis imperatur,in opera. Et non solùm in ipsis,sed & in omnibus officiis Monasterij ista sit consideratio , vt quando indigent , solatia accommodentur eis : & iterum quando vacant.obediant imperanti.Itẽ & Cellã hospitum

habeat

habeat assignatam frater, cuius animam timor Dei possideat, vbi sint lecti strati sufficienter, & domus Dei sapienter à sapientibus administretur. Hospitibus autem cui non præcipitur, nullatenus societur, neque collo quatur. Sed si obuiauerit, aut viderit, salutet humiliter, vt dictum est, & petita benedictione pertranseat: dicens sibi non licere colloqui cum hospite.

1. OMNES *superuenientes*, &c. Præcellens sanè hospitalitatis virtus, dicente Ambrosio. Commendat plerosque hospitalitas: est enim publica species humanitatis. Quinimò & Christianitatis est: siquidem, vt Tertullianus habet, tessera hospitalitatis, est tessera Christianitatis, vtique quoniam hospitalitatis pietas valde olim Christianis in pretio, & in vsu erat: adeò vt non tantùm fideles, verùm & Pagani Ethnicique peregrini apud illos diuersarentur, prout in vita Pachomij refert Surius. Vbi simul recẽset Pachomium hac de causa se Ecclesiæ adiunxisse, quod in illa hospitalitatem mirificè exerceri expertus esset. Maximè tamen exercebatur in Christianos, quorum qui temporibus illis peregrinabantur, secum deferebant tesseram hospitalitatis, hoc est, speciale quoddã signum aut symbolum, quo seipsos prodebant Christianos esse, & ad cuius notam mirificè ab aliis excipiebantur Christianis. Quo factum est vt Lucianus ille vniuersorum, etiam Christianorũ, irrisor, expulsus à sua patria cùm fuisset ob delicta grauiora, simulans se Christianum abusu contesserationis prædictæ abundè à Christianis viaticum colligeret: imò & quaquauersum ibat comitatus incessit; prout narrat ipse in Dialogo quem inscripsit, *Peregrinus*. His Dionysius faucet, dicens apud Eusebium. Hospitalitas antiquius Christianorum exercitium. Et Prosper Aquitanus. Ecclesiasticæ opes egenorum patrimonia sunt. Imò & Ioannes ipse scribens Gaio. *Fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos.*

Amb. lib. 2. offic. cap. 21.

Tertul. Apolog. cap. 20.

Surius die 14. May.

Euseb. lib. 7. historiæ c. 22. Prosp. lib. 2. de vita contemp. cap. 3. n. 5. & 6.

2. Et quidem quî non flagrarét hospitalitatis studio Christiani illi, Christiani maximè, qui non solùm ab Esaia acceperunt: *Frãge esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam.* &c. & à Paulo; *Hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. Hospitales inuicem sine murmuratione.* Non igitur hæc Christiani acceperunt tantùm ab illis, verùm & à Christo ipso, qui dixit. *Qui recipit vos, me recipit: & qui recipit me, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ mercedem prophetæ accipiet.* Et alibi. *Venite benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum ab origine mũdi; hospes fui, & collegistis me.* Est ergo hospitalitatis virtus non solùm publica species humanitatis,

Esaiæ 58. 8.

Heb. 13. 2.

1. Petr. 4. 9. Matth. 10. 40. & 41.

Matt. 25. 34.

tatis,sed & Christianitatis.

3. Est etiam virtus ista species eximiæ diuinitatis. Scriptum quippe habemus: *Dominus amat peregrinos,& dat eis victum atque vestitum:& vos ergo amate.* Libro item 2. Machabæorum Iouis hospitalis mentio inducitur. Et quidem si hospitalitatis beneficio vel ipsi Pagani & Ethnici conuertuntur ad fidem, vt suprà de Pachomio retulimus num. 1. consequẽs est hospitalitatis munus diuinum esse: quia Dei tantùm est homines ad fidem trahere. Ait enim Chtistus; *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum.* Ioannes etiam in suprà allegato testimonio num. 1. quod ad Gaium rescripsit, attexuit; *Hos benefaciens deduces dignè Deo.* Stat autem munus Dei esse deducere homines ad se medio beneficiorum satellitio. Paulus itẽ Timotheo dixit; *Exerce teipsum ad pietatem.* Pietas autem virtus diuina est: nam Deus pius simul & misericors prædicatur. Vnde subiicit Paulus; *Exercitatio corporalis ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia valet.* Virtus autem ad omnia supra humanam est.

Deut. 10.18. & 19.

2. Machab. 6.3.

Ioan. 6.44.

1. ad Timot. 4.7.

4. Præcellens igitur virtus est hospitalitas. Nihilominus in admirationẽ adducor propter præsentis capitis verbum, quod habet; *Omnes superuenientes hospites tanquam Christus suscipiãtur.* Cõmendatio etenim ista noua sanè & supra omnẽ commẽdationem mihi est. Etenim si satis dignè propheta recipitur sub nomine prophetæ, & iustus sub nomine iusti, vt præmissa testimonia perhibent: quo iure omnis superueniens hospes, id est, cuiuscumque generis & conditionis sit, id est, etiamsi nec propheta, nec iustus inueniatur, veniet excipiẽdus vt Christus? Nec soluitur admiratio dicẽdo quod dum Christus Dominus dixit; *Quod vni ex minimis meis feecistis, mihi feecistis*, mox exempli gratia subiecit; *hospes fui,& collegistis me.* Non, inquam, soluitur, tum quoniam minimus Christi non est quilibet superueniens, sed ille qui aut Christi est, aut nomine Christi superuenit. Vnde sic habet textus: *Quamdiu feecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi feecistis.* Tum quoniam, vt Christus eo loci dixerat, *hospes fui, & suscepistis me*; sic etiã dixit: *Infirmus fui, & visitastis me*; & tamen cùm de infirmis fratribus sermonem D. Pater inducit cap. 36. non præcipit vt visitẽtur, curẽturve vt Christus. Quare D. Isidorus licet in regula Monachorum non segniter, nec vulgariter, sed potiùs eximiè cõmendet hospitalitatis officium; at nõ adeò summè vt hic Diuus Pater commendat. Quid igitur mysterij referet? Mysterio etenim non caret. Certè mysterium magnum hic relucet.

Matt. 15.40.

Isid. in regula cap. 22.

5. Mehercle hospitandi cura quasi specialis tessera, hoc est, signũ vel insigne egregiũ Patriarcharum est: Abraham enim illi maximè incubuit, supra omnes siquidem hospitalitatem coluit. Quam etiam imitatus est Loth: & Iob adeò inclytè prosequutus, vt dixerit; *Foris non mansit peregrinus; ostium meũ viatori patuit.* Vnde factum est vt Eliezer adiuratus à domino suo Abrahã

Gen. 18.

Gen. 19.

Iob. 31.32.

vt

vt egrediens de terra Chanaan; & pergens in Mesopotamiã, acciperet de cognatione sua vxorem filio suo Isaac; per hospitalitatis tesseram cognationem Abrahæ in Mesopotamia deprehẽderit: & filiã dignam filio domini sui à Mesopotamia in Chanaan traduxerit. Perspexit enim hospitalitatis charitatem esse patriarchalis cognationis sanguinisque characterem, aliàs signaculum. Vnde cùm Diuus Pater Patriarcharum omnium velut Patriarcha sit, vtpote maximus & præcipuus Monachorũ Occidentalis Ecclesiæ Pater & princeps; summè eximiéque coli voluit, & præcepit hospitalitatis charitatem atque pietatem, iniungendo vt omnes superuenientes hospites tanquam Christus susciperentur.

Gen. 24. 13. & 14.

6. Etenim non sine mystério patriarchali agnationi virtus ista quasi diuinitus impressa est: Patriarchæ siquidem catenus dicũtur & sunt, quatenus ingenuæ pariterque immẽsæ sobolis clarissimi patres existunt. Hospitalitas autem feracissimæ posteritatis radix Dei munere est: vt pater in Abrahamo, qui (vt Ambrosius notauit) per illam suscepit filium Isaac, in cuius semine omnes gentes sunt benedictæ, & ipse multarum gentium pater euectus. Vnde Diuus Pater tanquam Patriarcha potissimus tãta talique posteritate polluit, vt ex familiis eius quinquaginta quinque milla Monachorum, & eo amplius in Diuorum numerum relata sint. Incolumitatis etiam donum hospitalitatis piæ effectus inuenitur, quando (vt dixit Ambrosius) propter hospitalitatis affectũ Sodomitica à se à suisque Loth supplicia detorsit. Cùm autem D. Pater religioni suæ perpetuæ incolumitatis optasset subsidium, cõuenienter hospitalitatis charitatem mirum in modũ commendauit, & sic ei mirũ in modũ commẽdatio ista successit, quando hodie post tot annorũ, vtique milie ducentorũ curricula, totq; tẽporis iniurias acerrimas vbiq; Occidentis adhuc religio eius in viridi perseuerat, licet non in eodem flore semper. Qui tot ergo à peregrinorũ hospitio prouentus expectabat, iure in peregrinos quosq; munificentissimus esse debuit; itẽ & religiosissimus, volens iubénsque vt tanquã Christus ipse omnes superuenientes suscipiãtur, vt suscipiuntur singuli qui sub nomine prophetarũ, iustorum, vel Christianorum, vel etiã proximorũ suscipiuntur. Ij siquidem omnes Christi personã referunt, quatenus in Christi honorem obsequiumque excipiũtur. Per quod patet ad argumẽti rationem. Ad replicam verò respondeo, idem de infirmis omnino dicendum esse. Quod sub alia verborũ serie D. Pater iniunxit; dum dixit quod ante omnia & super omnia infirmorum cura gerenda est. Quæ autem geri potest erga personã Christi, quàm ante omnia & super omnia cura? Maximè quod etiam sic dicitur; *vt sicut re vera Christo, ita eis seruiatur.*

Amb. epist. 25. sine 82. ad Ecclesiã. Vercellen.

Idem ibid.

7. *Et omnibus cõgruus honor*, &c. His explicat D. Pater quosnam intellexerit hospites, cùm verbo præcedenti dixit; *Omnes superue-*

nientes

zientes hospites tanquam Christus suscipiatur: vtique fideles & infideles, licet inæqualiter. Inæqualibus enim inæqualis honorificentia debetur: & ideo fideles præ infidelibus honorificentiùs excipiendi sunt, & tractandi. Expedit autem non solùm fideles, verùm & infideles hospitio recipere: tum quia hospitalitatis obsequio infideles ad fidem alliciuntur, vt vidimus numero 1. Tum quia in hospitalitate non est habendus delectus personarum, sed indifferenter quibuscumque sufficimus, nos hospitales exhibere debemus, prout habetur in Iure. Vbi etiam adiicitur ex Chrysostomo. Inquire quomodo Abraham hospitalem se circa omnes ostendebat, si scrutator fuisset circa refugientes ad se, numquam Angelos hospitio suscepisset. Forrassis enim non putans eos Angelos esse, cum reliquis & hos repulisset; sed quoniam omnes suscipiebat, recepit & Angelos. Non enim ex vita eorum quos accipis, mercedem tibi retributurus est Deus, sed ex voluntate tua & liberalitate.

22. dist. c. 1. in Glossa, & ibi cap. 4. Chrys. hom. 11. sup. ad Hebr.

3. *Vt ergo renunciatus fuerit*, &c. Signum gratæ & beneuolæ susceptionis est pomptus ad hospitem superuenientem occursus. Vt enim propè est quod libenter donet, qui citò; (ait Seneca) sic qui festinus it hospitibus obuiam, propè est vt illos lætabundus excipiat. Quod sanè hospiti superuenienti quàm gratissimum est. Vnde Christus placidè alacriterque mansurus quadam die in domo Zachęi, non tantùm illi præcepit vt descenderet ad eum penes se excipiendum, vtùm vt festinanter descenderet. Dixit enim: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Post quę subiicitur; *Et festinans descendit, & suscepit gaudens.* Est enim festinatio internæ exultationis effectus, & proinde pendens ac dependens ab illa, atque adeò semper consequens eam. *Luc. 19.*

Inde cómendatur Abraham de eo quod cùm eleuasset oculos, & vidisset tres viros stantes prope se, cucurrit ad occursũ eorum, vt apud se manerent. Commendatur etiam Rebecca quod festinans descendit in domũ patris sui, nuncians gratulabunda hospitem, qui superuenerat eis. Ibidemque laudatur frater Rebeccæ Labã quod festinus egressus sit ad hospitem illum. Inde demum cùm Paulus dixisset; *Festinabimus faciem vestram videre*, subdidit, *cum multo desiderio*. Et post. *Quæ est enim spes nostra, & gaudium nostrum, & corona gloriæ? nonne vos?* Festinatio igitur in occursum hospitis signũ & effectus est gratæ susceptionis illius: quæ sanè hospiti ipsi pro summo beneficio est. Et ideo D. Pater constituit, vt nunciato hospiti occurratur protinus à Priore, vel à fratribus. 9 *Gen. 18.* *Gen. 24. 46.* *1. ad Thes. 6. 17.*

10. *Et primitus orent*, &c. Etenim si Sathanas ipse (Angelus tenebrarum cùm sit) aliquando tamẽ transfigurat se in Angelum lucis: tum inuisibiliter suggerendo bona, vt inducat ad mala peccati, erroris ac doli: tum visibiliter mentiendo se esse Angelum Dei; quid mirum si aliquando transfiguret se in hospitem Christi? hoc est, in peregrinum, pauperem: *2. Cor. 11. 14.*

rem & egentem. Vnde cùm orationis satellitio dæmones resiliant & refugiant, dicente Chrysost. Si dæmones nos conspexerint deprecatione munitos, illicò resiliũt. Et hoc quidem, quoniam Dominica oratio tandem terminatur ad hoc vt liberemur à malo; hoc est, à diabolo, prout Tertullianus & Chrysostomus interpretantur. Cùm igitur orationis satellitio resiliant dæmones quantumuis deceptores, congruè D. Pater constituit, vt propter illusiones diabolicas primitus orent pariter, tam super venientes hospites quàm occurrentes, ita vt pacis osculum superuenientibus non offeratur nisi oratione præmissa. Quod sanè in viridi prorsus apud nos est in susceptione fratrum. Prius enim quàm illis vel fœlicissimum precemur aduentum, pariter cum eis genu flexo oramus.

Chrys. lib. 1. de orando Deum.

Matth. 6. 13.

Tertullian. tract. de oratione Dominica.

Chrys. hom. 20. in Matt.

11. Osculum autem pacis post hæc dicitur offerendum, quia ex more antiquo tam sacro (de quo Gen. 27. n. 27. & c. 31, n. 29. Exodi 4. 27. Ruth. 1. 9. & Actorum 20. 36.) quàm profano (de quo Xenophon, Herodot. & Strabo) solitum erat dari venientibus hospitibus, aut recedentibus in signum pacis. Vnde Cyprianus oris osculo concordiam pacis agnoscit. Idcirco antiquis osculum pro salutatione erat, iuxta illud Pauli, *salutate inuicem in osculo sancto.* Dicitur autem osculum sanctum, quoniam in celebratione sacrorum interueniebat, prout Clemens Romanus, Ignatius, Origenes & Cyprianus obseruant. Mos tamen iste diu cum seculo inseruit apud multos, propter abusus aliquorum, de quibus Clemens Alexandrinus & Athenagoras. Maximè tamen obsoleuit apud Hispanos (quidquid sit de Gallis, Germanis, & similibus) & ideo nos ab illo supersedemus.

Xenoph. lib. 1. de Cyro. Herod. lib. 1. historia. Strabo lib. 18. Cypr. lib. 3. epist. 8. 1. Cor. 18. 20. Clem. Rom. lib. 2. Const. cap. 61. Ignat. epist. ad Antioch. Orig. sup. ad Rom. vlt. Cyprianus vbi suprà.

Clem. Alex. 3. pædagog. Athen. Orat. ad Christ.

12. *In ipsa autem salutatione*, &c. Huic humilitatis obsequio initium dedit Abrahamus, dum visos tres illos viros stantes prope se quos erat hospitio excepturus, pronus in terram adorauit, ciuilem sanè Orientalibus consuetam reuerentiam exhibens. Vnde Hebræa habent, *valdè se demisit incuruauit.* Ratio autem demissionis istius esse potuit, quod (vt Eucherius habet) Christus Dominus in illis prænunciabatur. Quare cùm omnes superuenientes hospites Christum etiam suo modo prænuncient, vtpote quod Christus ipse venit suscipiendus in eis, iure inclinato capite & prostrato corpore excipi iubentur. Vnde textus habet, *Christus in eis adoretur, qui & suscipitur.*

Eucher. lib. 2. in Genesim cap. 27.

13. *Susceptis autem hospites*, &c. Cùm multa & varia sint itinerantium pericula, adeò vt propter illa dicatur; *Iuxta iter scandalum posuerunt mihi.* &, *In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* Vnde psal. 90. viro sancto & iusto (iuxta Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum & Bernardum) dictum est; *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Vtpote quod non raro viæ ipsæ sunt tenebræ, &

Psal. 136. 6. Psal. 141. 4.

Psal. 90. 11. Nazianz. Orat. in baptism. Ambros. & Hier. ibi. Bern. Ser. 13. in psal. 90.

bricum (psal.34.)atque exterminij itinera (Sap.5.13.) vt videre licet in homine illo,de quo Lucas scribit, quod descendens de Ierusalem in Iericho incidit in latrones, qui mox expoliauerũt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Cùm igitur varia sint itinerantium pericula: consequens est, vt cui Deus prosperum fecit iter, protinus vt peruenit ad portum,palàm illi gratiam referat oratione publica. Congruè proinde præcipitur, quod hospites ad orationem ducantur. *Luce* 10.15.

14. *Leo Serm. 4. Quadrag.* Item si (vt Leo magnus habet) necesse est de terreno puluere religiosa corda sordescere: quanto magis de terreno luto? Hoc est, si de mundi illecebris quæ in oculos latentium incurrunt, sordescunt corda; quanto magis de illecebris, quæ sensus omnes per vias publicas discurrentium feriunt? Tunc enim maxima maximè confluunt spectra, & mundi vana, quæ spectatores pelliciunt ad prohibita. Quare si (vt Augustinus dixit) impossibile est quin visis tangamur, consequens est,vt videntes sensibusque percipientes ea, aliquali sorde inquinentur. Ad eluẽdas autem animi sordes oratio pro lauacro est; dicente Chrysost. Quos oratio deprehendit impuros, celeriter purgatos reddit. Vnde vnũ orationis Dominicæ precariũ est; *Dimitte nobis debita nostra:* hoc est, offensiones & culpas, vtique peccata, (Lucæ 11. 4.) Et idẽo præcipitur vt superueniẽtes hospites ad orationem ducantur. Et nos supra frattes nostros venientes è via oramus, vt si quid eis in via subripuit visus,vel auditus malæ rei, vel otiosi sermonis, totum ineffabili pietate indulgeatur illis: prout infrà cap.67. disponitur.

Chrys. lib.1. de orando Deum.

Matth.6.12.

Et postea sedeat cum eis Prior, &c. Oratione præmissa sequitur peregrini sessio, confortatio & refectio nimiùm illi grata. Fessis enim defatigatisque de via sessio ad requiem valde opportuna est. Quare Christus ex itinere fatigatus supra fontem sedit, vt requiesceret. Et in psalmo dicitur; *Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris.* Id est, post refectionem & quietem moderatè susceptas, ne desidia torpeatis vltèriùs mensæ inhærentes, sed promptè ad laborandum surgite, scientes quod panis quem sumitis, & à labore est, & ad laborem inclinat; & hoc pro primo. Pro secundo autem imperat D. Pater vt hospiti lex diuina legatur. Verba enim diuina confortant animam, dicente Dauid ad Deum; *Confirma me in verbis tuis.* Vnde Christus ad Petrum: *Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos,* nimirum verbo Dei. Pro tertio autem imperat, vt omnis hospiti exhibeatur humanitas, hoc est, vt humaniter & liberaliter agatur cum eo. Hospites enim honorificentiùs & largiùs quàm domestici tractandi sunt, licet nunquam superfluè aut profusè. Idcirco permittitur Priori in gratiam hospitum (quod omnibus aliis in gratiam religionis negatur) ieiunia regularia frangere ad conuescendum eis, vt 15.

Ioan.4.6.

Psal.126.3.

Psal.118.28.

Luca 22.32.

mensæ

mensæ comes, non verò iudex censeatur, & proinde gratior hospitibus fiat. Ex quo ego elicio contra aliquos, quod tunc Prior de his quæ mensæ apponuntur, vesci debet, quotiens id necessarium viderit pro bono & optimo hospitum comitatu, licet moderatiùs semper & parciùs præ hospitibus ipsis: vt simul se Monachum & comitē promat, & hospites non contristet vescentes, si fortè dum illorum vidēt delibantem obsonia, non verò prandentem, iudicent apud se, quod in exemplum hęc facit, vt & illi similiter faciant. Quod certè absonum conditionibus hospitij religiosi est.

16. Sed quomodo cohærent ista cum illis capitis §6. *Mensa Abbatis cum hostibus & peregrinis sit semper*? Si enim hospites semper reficiendi sunt penes mensam Abbatis, quid opus est, vt Prior frangat ieiunium propter hospites simul prandens & conuescēs illis? Numquid non est satis quod Abbas sit illis mensæ comes atque compransor? Satis sanè. Nec satisfit argumento, dicendo decretum hoc de comedendo à Priore cum hospitibus intelligendum esse in absentia Abbatis, non verò in præsentia. Cùm enim subiiciatur illicò; *Aquam in manibus Abbas hospitibus det, & pedes eorum lauet*: consequens est, Abbatem præsentem esse debere, quando dispensatur quod Abbas frangat ieiunium propter hospites. Sed nec iterum dici potest quod tam Prior quàm Abbas debent hospitibus cōuiuari. Cùm enim infrà dicatur, *hospites numquam desunt Monasterio*, consequens est, quod tam Abbas quàm Prior deberent à cœtu fratrum in refectorio prandentium perpetuò exulare: quo tamen nihil absurdius. Quid ergo dicendum? Certè quod decretum istud procedit tantùm in casu quo hospites tempore ieiuniorum regularium occurrunt, & adhuc non hora prandij, sed cænæ. Tunc enim cùm semel tantùm in die Monachi reficiant, cæna illis intercluſa est, & Priori tantùm, non autem Abbati, aut aliis imperata aut concessa. Id enim est quod significant verba illa textus, *à Priore frangatur illa die ieiunium propter hospites, nisi fortè præcipuus sit ille dies ieiunij, qui non possit violari.* Ieiunium autem non frangitur per vnicam refectionem. Ex quo sequitur decretum istud respicere aliam, vtique cænam.

17. *Aquam in manibus Abbas hospitibus det.* Licet non lotis manibus manducare, non coinquinet hominem, vt dixit Christus: impuras tamen in mensam manus immittere inciuile prorsus, & graue spectantium oculis, & stomachis considentium est. Quare viatorum manus lutulētæ puluerulentæque timeri cùm possint propter viarum sordes, meritò quod lauentur ante prādium præcipitur. Quod verò Abbas aquam illis abluendis ministret in causa est, quod Christus præcepit, & dixit; *Qui maior est in vobis, fiat sicut minister, & qui præcessor est, tanquam ministrator.* Inde Christus ipse postquam se proposuit toti orbi exemplum humilitatis internæ

Matt. 15. 20.

Luca 22. 26.

Matth. 11. dicens; *Discite à me quia mitis sum & humilis corde:* postea summis Ecclesiæ Principibus, vtique Apostolis, proposuit se exemplum humilitatis extremæ, subiiciens; *Ego autem in medio vestri sum tanquam qui ministrat.* Et sanè si omnis hospes nomine Christi exceptus personâ Christi refert, cur Abbas non se demittet, vt manus illi lauet? Certè Martha excipiens in domum suam Christum, per se ipsam ministrabat ei. Huius gratia in textu subiicitur.

Luc. 22.

Luc. 10. 38.

18. *Pedes verò hospitibus*, &c. Multa sunt quæ lotionem istam commendant, & quasi necessariam faciunt. Si enim pedestres sunt hospites, vt quondam Orientales illi, qui nudis cruribus incedebant, & nunc Gallæciæ humiles, etiamsi non mendici, ad sordium ablutionem requiritur. Si verò equites, multo tamen calore æstuantes, ad sudoris purificationem, vel saltem ad ardoris tẽperiem. Quod si non calore, longa tamen itineris fatigatione compressi, ad lassitudinem subleuandam. Nec dedecet sacerdotes, aut viros dignitate fulgentes humillimũ hoc obsequium: quoniam, vt Gratianus noster inquit; Si enim vidua in Ecclesia recipi prohibetur, quæ pauperes non recipit hospitio, quia pedes Sanctorum non lauit; multo magis sunt prohibendi à sacerdotio, qui ab opere pietatis probantur alieni. Vnde hospitalitatis opera despicientes in Gangrensi Concilio excommunicantur.

Gratian. dist. 41. in proœmio ad finẽ. 1. ad Tim. 5.

Conc. Gangren. cap. 11.

19. *Quibus lotis*, &c. Versus iste decimus est ex psalmo 47. Sed quid ad rem istam spectet, non facilè coniiciemus. In eo enim nihil de ablutione manuum vel pedum, nihilque humiliationis aut demissionis sonat, imò nec misericordiæ humanitatisve exhibitæ, sed potiùs susceptę. Quare si cantandus erat, potiùs abluti hospites, quàm Monachi suscipientes deberent intonare illum: vtpote quod illi misericordiam susceperunt in medio domus Domini; vtique in Monasterio, isti verò præstiterunt, & perfecerunt.

At si præterea omnes superuenientes hospites tanquã Christus suscipiendi sunt, & omnibus venientibus hospitibus, siue discedentibus inclinato capite prostratoque toto corpore in terra reuerentia exhibenda, quia Christus in eis adoratur, qui & suscipitur, prout textus habet: consequens est, vt cùm eis pedes lauantur, etiam lauentur Christo. De Christo autem intra templum à Simeone in vlnas suscepto interpretantur verbum istud, Bernardus, Ahimo, D. Thomas, Glossa ordinaria, Lyra, & alij super eumdem psalmum. Quare cùm intra Monasterium peregrinum hospitio suscipere, & pedes lauare idem sit quod Christum suscipere, & manibus Monachorum & Abbatis eius pedes abluere, tangere & contrectare; consequens est, vt meritò possint dicere, & cantando proferre, quod Dei misericordiam, hoc est, Christum ipsum, susceperunt in medio Monasterij sui.

20.

Bern. Ser. 1. de Purificatione. Relati Patres ad id psalmi.

21. *Pauperum & peregrinorũ*, &c. Licet

Licet personarũ acceptio seuerè admodum in Scriptura prohibita sit, vt in Leuitico; *Non consideres personam pauperis, neque honores vultum potentis*, & alibi sæpe: nihilominus quia maiori pauperes commendatione quàm diuites egent, vt à potentioribus adiuuẽtur, & mediocri in pretio habeantur, studuit Christus magis in pauperibus quàm in diuitibus repræsentari, & excipi. Nunquam enim dixit; diues fui, & domi vestræ recepistis me: dixit tamen, pauper, nudus, sitiens, infirmus, & hospes fui, & cibastis, vestistis, potastis, operuistis, visitastis, & suscepistis me. Et mox: *Quamdiu fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis.* Vnde Iacobus licet prohibuerit personarum acceptionem dicens; *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi*: & monuerit eumdem honorem pauperibus diuitibúsque impartiri dicens; *Etenim si introierit in conuentum vestrum vir annulum aureum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu. & intendatis in eum qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hic bene; pauperi autem dixeritis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?* Adhuc tamen commendat amplius pauperes inquiens: *Nonne elegit Deus pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod repromisit diligentibus se?*

Leuit. 19. 15.

Ibid. n. 40.

Iacobi 2. 1.

Ibid. n. 2.

Ibid. n. 5.

22. Et quid mirum si hæc Apostolica commonefaciãt, cùm vel Ethnicorum exempla eadẽ nos docent? Sanè de Telemacho refert Homerus, quod domi excepit honorificentissimè & munificentissimè hospitem quendam prorsus sibi ignotum: nec tamen ab illo inquisiit cuias esset, vnde veniret, quid prętenderet, quodnam illi negotium, quod genus, quod munus, quinimò nec quod nomen haberet. Ea sanè prudentia ductus (quantum ego coniicio) ne hospes hospitalitatis susceptæ honorificentiam adscriberet dignitati personæ, patriæ, negotij, generis, fortunæ, aut etiam nomini suo: sed omnino refunderet eam in magnificentiam & indolem hospitantis. Cõiecturæ occasionem præbuit Athenæus qui narrat, quod olim vsque ad finem prandij hospites accumbentes nec de genere, nec de munere, nec de fortuna, sed neque de nomine interrogabantur, ita vt ante prandium omnes eorum notæ prorsus ignorarentur; vt sic hospitantium benignitas & beneuolentia in exteros patefieret, & agnosceretur quod non fœnoris aut commodi reportandi gratia, sed propria indole hospitalitatis illius sumptus fecissent. Simili autem aut maiori potiùs encomio gaudebunt, qui pauperes scitos & agnitos, à quibus nihil in hoc mundo sperare possunt, vberiùs quàm diuites pascunt, subsidiísque prosequuntur. At non propterea ditissimi sunt aspernandi: nam prætercquàm quod illorum terror illis extorquet honorem, prout hic notatur; etiam contingit Dominum his opus habere, prout Christus de se ipso dixit Matth. 21. 25.

Homer. Odyss. 1.

Athen. lib. 5.

23. *Coquina Abbatis*, &c. Magni fœnoris apud Deum est peregrinorum alacris lætáque susceptio, vt perspectum satis habemus ex illis non semel repetitis
Matt. 25. 34. Christi Domini elogiis: *Venite benedicti Patris mei; percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi, hospes fui, & suscepistis me.* Nihilominus Marthæ ministranti Christo ipsi, ab eo
Luc. 10. 41. dictum pro Maria (tunc temporis non ministrante, verùm secus pedes Domini sedente, & audiente verbum illius) legimus: *Maria optimam partem elegit.* Ex quo licet haurire quod dum adest qui ministret hospiti etiam Christo, non opus est vt alij ab orationis deuotionisve exercitio distrahantur. Quod si hæc in persona Christi, quid in symbolis & figuris eius? Si autem officina hospitum dissita ac per se non esset, Monachis (quibus hospitum cura demandata est) impedimento foret ad ea quæ ipsorum sunt.

24. *In quam coquinam*, &c. Incongruè necessaria hospitibus ministrarẽtur, nisi penes aliquos munus istud vigeret, qui possent & scirent illud, prout opus est, exequi. Quare singulis annis duos præfici fratres, & illis adiungi socios necessarios ad istud præcipitur, vt sic expeditè & promptè, non verò ægrè & difficulter rem faciant. Quando enim pondus viribus non cedit, cedunt ponderi vires. Quod autem molestè fit, rarò succedit fœliciter, aliisve factum probatur. Quare conquerẽti Marthæ apud Christum quod soror eius Maria reliquisset illam solam ministrare, Christus exquo illi auxiliatricem non præbuit quæ vires augeret, alleuiauit onus dicendo; *Porrò vnum est necessarium.* Econtrà verò quãdo in lege noua grauauit Christus onus supra onera veteris legis: quoniam, vt Hieronymus habet, in lege homicidium, in Euangelio autem verbum etiam racha taxatur, in lege adulterium, in Euangelio autem concupiscentia punitur. Quando igitur grauauit pondus, adauxit robur: quoniam adauxit Spiritum qui adiuuat infirmitatem nostram, prout Augustinus & Hieronymus vbi suprà notarunt. Vnde iugum Christi suaue & onus leue dicitur, non quidem ob grauitatis defectum, sed ob excessum virium quæ charitate donantur.

Hieron. sup. Matth. 11.
Matth. 5.
Aug. Ser. de verb. Domini secundùm Matth.
Hieron sup. Matth. 11.

25. *Item & Cella*, &c. Si vni excipiendo Heliseo frequẽter transeunti per Sunam, cœnaculum parari cum lecto, mensa, sella & candelabro oportuit, vt commodè maneret ibi, prout in libris Regum dicitur: hospitibus qui
4. Reg. 4. 9. nunquam Monasterio desunt, & qui in persona Christi excipiuntur, quî non parandum domicilium conueniens, vt in eo requiescant, & pausent? Sed quia domicilij fabrica quantumuis optima, per se sola non sufficit absque competenti administro, penes quem cura sit domicilium istud purgandi, sternendi, aptandíque vsui & indigentiæ hospitum: ideo hic præcipitur, vt vnus assignetur frater curam istorum gerens; & quidem timoratæ conscientiæ. Non enim Christum ipsum, nedum Christi vmbras digno honore excipiet, aut excipere

cipere sciet, qui timore Christi imbutus non erit. Est enim sapientiæ initium timor Domini. Vnde mox attexitur; *Et domus Dei sapienter à sapientibus administretur.* Et non solùm sapientiæ ipse timor Domini est causa, verùm & obedientiæ, iuxta Dauidicum illud; *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.* Congruenter igitur minister hospitum quæritur, cuius animam timor Dei possideat.

Psal. 111. 1.

26. *Hospitibus autem*, &c. Sanè si infrà c. 67. prohibetur fratribus è via regredientibus referre quæcumque extra Monasterium viderint, aut audierint, quia plurima ex opposito sequeretur destructio: multo magis prohibendus est illis accessus ad hospites; quia sermones conferendi cum illis quid aliud quàm audita & visa extra Monasterium referẽt? Maximè quod quid conduceret officinas hospitum longè dissitas facere à Monachorum officinis, si tamen indifferenter colloquia miscere possent? Et certè exquo Prior & alij ministri benemeriti de hospitibus fuerint, sedulò attendentes obsequio & indigentiæ illorum, exemplo illis, & quidem præclarissimo erit cæterorum silentium, taciturnitas & retractio, quibus ad sociandos hospites Maioris licentia non suppetit.

Quod non debeat Monachus literas, vel eulogia accipere sine iussu Abbatis.

CAPVT LIV.

NVLLATENVS liceat Monacho, nec à parentibus suis, nec à quoquam hominum, nec sibi inuicem literas, aut eulogia, vel quælibet munuscula accipere, aut dare sine præcepto Abbatis sui. Quod si etiam à parentibus suis ei quicquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi priùs indicatum fuerit Abbati. Quod si iusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, cui illud iubeat dare. Et non contristetur frater, cui fortè directum fuerat, vt non detur occasio diabolo. Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subiaceat.

1. NVLLATENVS *liceat*, &c. Hoc capite D. Pater intendit arcere penitus Monachos à secularium omnium, etiam parentum, commercio, interdicens eis liberam communicationem cum illis, siue per literas, siue per munuscula. Quod licet du-

rum

rum videatur, est tamen cohærens, vel consequens iussionibus illis Domini; *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* & illis: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Quibus sanè monastica vita inumbrata est, vt patet ex Basilio & Cassiano. Et iure quidem hæc Monachis iniunguntur: quoniam si id decuit Leuitas, vt patet ex illis verbis Moysi in benedictione Leui: *Perfectio tua & doctrina tua viro sancto tuo. Qui dixit patri suo & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro vos, & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuū Domine, & pactum tuum seruauerūt.* Si igitur hoc decuit Leuitas: quid Monachos verè Christi discipulos? Cùm scriptum sit: *Qui non odit patrem suum & matrem suam, non potest meus esse discipulus.*

Gen. 12. 1.

Psal. 44. 10.

Basil. in constit. Monach. Cassian. collat. 3.

Deut. 33. 8. & 9.

Matth. 10.

2. Certè, vt de Mose narrat author historiæ Scholasticæ super Exod. 16. quod dedit vxori suæ Æthiopissæ annulum talis virtutis, vt infunderet obliuionem ei domus patris sui, & patriæ suæ, à quibus renuens discesserat: sic Deus vult vt religiosa anima obliuiscatur populum suum, & domum patris sui, iuxta præmissum psalmi elogium. Eatenus autem fieri potest quis immemor parentum, & patriæ, fratrum, sodalium & amicorum, & demum vniuersorum quæ extra claustra Monasterij sunt, quatenus omnem cum illis ansam communicationis rescindit. Et ideo Diuus Pater vt horum nos obliuiosos redderet, cōmunicationis viam obstruxit. Et post illum Concilium Coloniense tertium idem Monachis decretum sanxit.

Psal. 44. 10.

Concil. Coloniens. 3. c. 18.

3. Et quidem si munera excæcant vel ipsos sapiētum oculos, prout scriptum est in Deuter. & (quod deterius est) reddunt aliquando homines malorū opifices, & fabros, iuxta id psal. *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* Id est, ideo illud, quia istud, vtpote quod hoc secundum est causa illius primi. Econtrà autem Salomon: *Qui odit munera, viuet.* & Esaias; *Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.* Quæ Bernardus ad hoc induxit propositum. Si igitur hæc ita sunt, quid mirum si D. Pater tam literas quàm eulogias à Monachiis relegauerit, penitúsque præsciderit? vtraque enim munerum genus sunt. Etenim, vt Gregorius magnus relatus in cap. Sunt nonnulli, explicans hoc verbum inquit. Non dixit Propheta, excutit manus suas à munere, sed ab omni munere; quia aliud est manus ab obsequio, aliud à manu, aliud à lingua. Vnde D. Pater hic simul prohibuit literas, & eulogias, hoc est, munuscula affectu charitatis missa. Id enim significat ly *eulogia*, prout notauit Erasmus commētario in Epistolam Iudæ; & patet ex 18. dist. cap. de eulogiis, ex Leone quarto Epistola ad Episcopos Britanniæ. Significat etiam ly *eulogia* benedictionem, munificentiam, & rationabilitatem, vtpote compositum ab *eu*, quod est bonum, & *logos*, quod est sermo. Vnde quia sermo bonus supra datum optimum

Prou. 15. 27 Esaiæ 33. 15.

Bern. de modo bene viuendi Ser. 61.

Greg. hom. 4. in Euang. relatus 1. q. 1. cap. Sunt nōnulli.

mum, ideo quodlibet donum eulogos vocatur. Nihil ergo horum vult D. Pater vt recipiat Monachus, etiam ab aliis eiusdem Monasterij Monachis, & à suis parentibus, sine Abbatis licentia.

4. *Quod si etiam à parentibus*, &c. His D. Pater omnino viam communicationi præpedire conatur, imò intentum assequitur. Nam si adhuc post pudore petitam licentiam à Monacho, & difficulter obtentam recipiendi munuscula à parétibus ipsi directa, non datur facultas Monacho fruendi eis, quinimò neque vtendi pro libito; sed cogitur, (vt sic dicam) illa ad pedes Apostolorum deferre, hoc est, dare illis, quibus iusserit Abbas; ad quid ipse recipere, parentes verò illius, aut etiam amici mittere volent? Certè si Salomon dixit; *Eccli. 2. 18.* *Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub Sole studiosissimè laboraui, habiturus hæredem post me, quem ignoro:* cur non detestabũtur patres immittere munera filiis, fratres fratribus, & amici amicis Monachis dona, ignorantes penitus quisnam sit potiturus illorum? Via igitur ad communicationem hoc secundo elogio præcluditur.

5. *Et non contristetur*, &c. Parum referret Monachos his donariis muneribusve priuare, ipsósque Monachos manus ab illis excutere, si tamen id ægrè ferrent, aut mœrore sese ob id lacerarent. Certè si vitio Seneca vertit, quod miremur amittere aliquid, amissuri vno die omnia; quis non vitio dabit quod Monachus molestè ferat relinquere aliqua, postquam solemni paupertatis voto reliquit omnia? Et quidem non vtcumque reliquit, sed timens sibi à possessione illorum: vtpote quia solent esse noxia vel illa quæ vtilia putantur. Vnde idem Seneca. Sæpe nihil interest inter amicorum munera & hostium vota. Et paulo antè. Ille amando me occidit. Certè non aliter quàm qui decumbenti ægro calicem aquæ frigidæ præbet, quo medici priuant. *Senec. ep. 98.* *Senec. 2. de beneficijs c. 14.*

6. *Qui autem aliter*, &c. Cùm enim peccet in regulam, atque in disciplinam illius: consequens est, vt regulari disciplinæ subiaceat. Regularis autem disciplina decernit, vt iuxta quantitatem, vel qualitatem culparum, sit etiam pœnarum (vt suprà vidimus) quantitas. Hæc autem culpa non leuis admodum censenda est, cùm D. Augustinus dicat. Quicumque in tantum progressus malum fuerit, vt occultè ab aliquo literas, vel quodlibet munus accipiat; si hoc vltrò confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehenditur atque conuincitur, secundum arbitrium Presbyteri, vel Præpositi grauiùs emendetur. *Suprà c. 25.* *August. in 3. reg. c. 25.*

De vestimentis & calceamentis fratrum.

Caput LV.

Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem, vbi habitant, vel aërum temperiem dentur: quia in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis verò minus. Hæc ergo consideratio penes Abbatem sit. Nos tamen mediocribus locis sufficere credimus Monachis per singulos cucullam & tunicam: cucullam in hyeme villosam, in æstate puram aut vetustam, & scapulare propter opera. Indumenta pedum, pedules & caligas. De quarum rerum omnium colore aut grossitudine non causentur Monachi, sed quales inueniri possunt in prouincia, in qua habitant, aut quod vilius comparari potest. Abbas autem de mensura prouideat, vt non sint curta ipsa vestimenta vtentibus eis, sed mensurata. Accipientes noua, vetera semper reddant in præsenti, deponenda in vestiario propter pauperes. Sufficit enim Monacho duas tunicas, & duas cucullas habere, propter noctes, & propter lauare ipsas res. Iam quod superfuerit, superfluum est, & amputari debet. Et pedules & quodcumque est vetustum, reddant cùm accipiunt nouum. Femoralia hi qui in via diriguntur, de vestiario accipiant: qui reuertentes lota ibi restituant. Et cucullæ & tunicæ sint aliquanto his, quas habere soliti sunt, meliores: quas exeuntes in viam, accipiant de vestiario, & reuertentes lotas ibi restituant. Stramenta autem lectorum sufficiant matta, sagum, lena, & capitale. Qui tamen lecti frequenter ab Abbate scrutandi sunt propter opus peculiare, ne inueniatur; & si cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, grauissimæ disciplinæ subiaceat. Et vt hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia quæ sunt necessaria, id est, cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus graphium, acus, mapula, tabulæ, vt omnis auferatur necessitatis excusatio A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum, quia dabatur singulis, prout cuique opus erat.

erat. Ita ergo & Abbas consideret infirmitates indigentium. In omnibus tamen iudiciis suis Dei retributionem cogitet.

1. VESTIMENTA *fratribus*, &c. Indumentorum sanè non aliter quàm ciborum ineuitabilis necessitas iudicatur: quoniam vt ad firmandas corporis vires alimento nobis opus est,(vt habet Basil.) sic integumentis hyemi æstatíque accommodis, ad conseruandam vitam, & turpitudinem obuelandam. Vnde Paulus; *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*: vtroque enim ad pacandum animum indigemus, quia illud sine isto, hoc est, victus sine vestitu non potest iam satis esse. Iam inquam, nam si Adamus perstitisset in ea, qua constitutus est, gratia, amictus corporis nobis superfluus esset: terram enim inhabitaremus vt cælum, numquam tecto, numquam veste, neque aliquo alio indigentes: vtpote quod (vt Chrysostomus habet) quasi terrestres Angeli viueremus. Quia tamen peccato excidimus ab illa gloria, in contrariam sumus vilitatem deiecti. Quam primi ipsi parẽtes nostri primitus subierunt, consuentes sibi (vt sacer textus habet) folia ficus, vt sibi facerent succinctoria, & tegmen ex foliis conficerent, mutuum fœdæ nuditatis conspectum non ferentes. Quia autem huiusmodi opus accuratum minimè erat, vtpotè neque acu, neque filo assutum, neque ex valida materia confectum, sed contextum hinc inde ramusculis; fecit illis Deus tunicas pelliceas, vt commodiùs sic eorum necessitati consuleret, & aëris iniurias arceret.

Basil. hom. in Martyrem Iuliam.

1. *ad Timot.* 6. 8.

Chrys. hom. 16. in Genesim.

Gen. 3. 7.

Gen. 2.

2. Vt igitur Deus tunc licet offensus, tamen quia prouidentia summus, & misericordia optimus, de amictu peccatorum curauit, vt suos sic posset Christus postea monere; *Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? scit enim Pater vester cælestis quia his omnibus indigetis.* Ita D. Pater hic de Monachorum suorum amictu curat, vt suprà de victu & potu curauerat: vt sic posset abstrahere illos ab omni rerum temporalium angore & solicitudine improba, & intentos illos attentósque prorsus reddere muneribus sacris sua professione dignis. Certè si (vt Basilius notauit) non passus fuit Deus, vt in primo illo statu fœlicitatis primi parentes aduerterent se nudos esse, ne mens ad cupiditatem eorum quæ deesse videbantur, distraheretur; consequens est, ne Monachi temporalis necessitatis prætextu distrahantur, & sic à contemplatione cælestium seuocentur, vt de necessariis ipsis ad vitam corporis prouideatur. Nam etiam illi qui nulla sensus voluptate capiuntur, cruciatu tamen necessitatis torquentur. Et ideo ad subleuationem illius totos illicò intendunt neruos, & animum dirigũt. Quare prouidus per omnia Pater non solùm sanciuit vt Monachis

Luc. 12. 22.

Suprà cap. 39. & 40.

Basil. hom. 9. *Examer.*

machis vestimenta dentur, verùm & opportuna pro temporum & locorum qualitate. Quorum considerationem prudentem Abbati committit, vt in textu patet.

3. *Nos tamen mediocribus locis*, &c. Vt Monachus habet lugentis & plangentis officium, vt habetur in Iure: sic habitus & amictus Monachi lugubris hic decernitur; vtique cucculla, tunica & scapulare, vt sic integumentum humile contemptum seculi probet; & habitus consonet professioni, iuxta quæ notauit Hieronymus Rustico Monacho scribens: Præterquàm quod, vt Basilius habet, humilitas in victu, tenuitas in cultu, frugalitásque in omnibus necessaria sunt. Si enim eo studendum est nobis, vt omnium infimi simus: sine dubio quod infimum est in genere indumentorum summopere nobis amplectendum est. Vt enim qui studiosi gloriæ sunt, ex amictu etiam vestimentorum gloriam aucupantur, sic qui ob vitæ humilitatem in infimum se abiecerit, quod omnium infimum est, debet consectari. Præsertim quod (vt obseruat Chrysostom:) Quia propter transgressionem pœnæ mortis reus erat factus Adam, opúsque habebat veste quæ confusionem tegeret, pelliceas ei vestes Deus contulit. Quod monuit nos, vt mollem & dissolutam vitam fugiamus, sectemúrque austeram. Itaque vestium amictus continuum sit nobis monimentum, quo memores simus, quantis exciderimus bonis, & discamus quanto supplicio humanum genus ob inobedientiam sit affectum. Monimentum autem lethalis infaustíque supplicij, quis vnquam molle splendidúmque esse dixit, & non potiùs durum, squalidum & abiectum? Vnde (Basilio id suprà notante) Ioannes Baptista ille, quo inter natos mulierum nullus surrexit maior, vestimentum ex setis camelorum induit: & veteres Sancti illi circuibant in melotis pellibúsque caprinis. Quamuis non propterea monachalem habitum abiectum ego cuperem, sed mediocrem: quoniam (vt Isidorus inquit) sicut non oportet sit in Monacho notabilis habitus, ita nec satis abiectus. Nam pretiosa vestis animum ad lasciuiam pertrahit, nimis autem vilis aut dolorem cordis parit, aut morbum vanæ gloriæ contrahit. Sed age iam singula expendamus.

16. q. 1. cap. Monachus.

Basil. vbi suprà.

Hebr. 11.

Isid. in regula Monach. cap. 14.

Hier. t. 1. ep. 4.

Basil. interrogat. 22. ex fusioribus.

4. Cuculla nobis primus & potissimus, (& qui pro omni regionum temperie gerendus est) habitus designatur. Est autem cucculla duplex, altera manicata, quæ ab aliquibus appellatur flocus: altera non manicata, quæ capa communiter dicitur, hoc est, pallium amplum & longum, sed manicis carens. Quare licet vsus cucullæ aliquibus concederetur, non continuò fieret, vt de manicata posset, aut deberet intelligi, nisi consuetudine, vel constitutione id ipsum euinceretur: vt vtroque euincitur apud nos, qui & ab initio religionis nostræ, & statutis prioribus & perpetuis eius manicatis tenemur vti cucullis, & eisdem semper Benedictini nostri vsi sunt, &

Chrys. hom. 18. in Gen. tom. 1.

& Benedictinorũ ipsorum Pater & princeps fuit vsus, prout vel eius effigies antiquiores & recentiores ostendunt. Quare cucculla manicata nobis insigne nostræ religionis est, & velut impressa nota. Quod autem villosa hyeme, æstate autem pura & vetusta sit; hoc extrinsecas respicit inclementias temporum, hyeme frigidas, æstate igneas, aduersum quas præsidio nobis nec modico opus est.

§. Secundo loco ponitur tunica, non qualis erat apud Romanos in vsu, nimirum sine manicis, affabrè sic confecta propter ludum pilæ, cui dediti erant, iuxta quæ ex Cicerone habentur, sed manicata potiùs, de qua Plautus dixit; *Manulentam tunicam habere hominem de-*

Cicero 5. Tusculana.

Clem. Ne in agro. cap. 1.

Isidorus 19. Etym. c. 22.

cet. Vt enim in Clementinis exprimitur, monachalis tunica non tantùm manicas, sed manicas longas vsque ad pugnum protractas debet habere. Quia autem apud antiquos breuis hæc tunica erat, prout Isidorus notauit, adeò vt propterea diceretur pectoralis, quia tantùm pectus operiret: & quia D. Pater in præsenti scapulare indulget propter opera, existimare quis posset tunicam hic taxatam breuem esse debere: siquidem quo breuior, eo ipso expeditior esset ad opera. Cuius gratia conuersi nostri ob seruilia, ad quæ mancipati sunt, opera breui simul cum scapulari vtuntur tunica: ideo Clementina prædicta expressum est, tunicam istam rotundam & longam, non tamen nimiùm longam esse debere. Quasi dixisset, sit velut talaris tunica, de qua Isidorus, quæ ad talos vsque descendit, & ad pedes defluit, vulgò apud nos Hispanos, *Saya*, qua semper subtus cucullam vtimur.

Isidorus vbi suprà.

Scapulare propter opera, &c. 5. Scapulare breuis simul ac monasticus amictus est ad vsus quotidianos accommodus. Laxior enim & productior habitus operibus manualibus impedimentum est. Vnde dum Christus Dominus accinctos nos esse iussit, ad operum expeditionem respexit: prout Tertullianus docuit. Et fauet Basilius dicens. Reuera necessarium videtur, eum qui manuum opere vti in aliquo debet, succinctum esse, vt in omnibus præparatus ac sine vllo inueniri impedimento ad omne boni operis ministerium possit. Ob id etiam idem Basilius loquens de integumentis suorum Monachorum dixit: Quando in his quædam sunt, quæ ad plures, quædam quæ ad pauciores vsus aptantur, consentaneum videtur ea pluris fieri, quæ ad plures possunt vsus accommodari. Et ideo vestimenti genus excogitandum, quo ad omnia vti commodè possimus.

Luc. 12.

Tertul. lib. 4. contra Marcionem c. 28. Basil. cap. 12. Regulæ.

Idem reg. 22. ex fusis.

Indumenta pedum, &c. Quàm longè D. Pater sit à merito & reatu illo infandæ calumniæ illius, quam aduersus Deum eius inimici iactarunt apud Iob dicẽtes; *supra cardines cæli perambulat, nec nostra considerat.* Licet enim cõuersatio assidua D. Patris apud cælos esset, non propterea nostra licet inferiora contẽpsit, quinimò quantumuis infima ma-

7.

Iob. 22. 14.

gna prouidentia curauit. Quid enim humilius aut vilius pedum integumentis? De his ergo decernit vt pedules & caligæ sint. Ly autem *pedule* licet vulgari sermone idem quod *peales* significet, propria tamen significatione omne genus integumenti corij, quo pedes calciantur, importat, siue sint calcei, siue ocreæ, siue bottæ breuiores vel productiores. In Clementina autem Concilij Viennensis explicatur: æstiuo tempore vtendum bottis pro calciamento. Vbi Glossa. Bottis vtique quæ capiunt supra talos & aliquid de crure, & ligantur, & qui infra fotulares dicuntur. Quod si genus hoc calciamenti pro æstatis tempore, quid pro hyemis? Vnde Hieronymiani Patres toto anni tempore his vtuntur.

Clem Ne in agro. cap. 1.

8. *De quarum rerum, &c. Causari* idem in primis est quod excusationē afferre, iuxta id Suetonij: Causatus nondum esse fatalem horam. Item accusationem intendere, iuxta id Quintiliani: Nec causanti pupillo sic tutor irascetur vnquam, vt non remaneant amoris vestigia. Ac demum renuere & detrectarè, iuxta id Ciceronis: Si id planum facio, numquam causaberis? Id est, detrectabis. Et certè omnibus his acceptionibus potest cōuenienter intelligi monitū hoc D. Patris: quia siue huius, siue illius coloris, aut grossitudinis monasticus sit habitus, non opus est quod Monachus excusationem prætendat, aut litem moueat, aut vsum eius detrectet, sed omnium se conformet vsui, qui semel inualuit.

Suet. in Nerone.

Quintilian. lib. 11. c. 1.

Cicero pro Roscio.

Hic duo maximè attendenda sunt. Primum est, quod licet colorū numerus quibus Monachi vti debent, in præsentia non exprimatur, non datur cuicumque libera facultas quouis vtendi colore. Hac enim honestis viris, etiam laicis, nec gaudere conuenit. Sed intelligenda litera ista est respectu colorum qui maciem monasticam condecent, quales sunt niger, fuscus, albus, & si qui sunt similes. Quia tamen niger color his omnibus in multis præstat: nam in primis est humilitatis, castitatis, sanctitatisque insigne, dicente Bernardo. Nigra vestis insinuat humilitatem mentis, nigredo veli munditiem & puritatem demonstrat animi, castitatis & sanctitatis est signum. Est etiam mœstitudinis species, propter quod funeribus adaptatur: ac tandem modestiæ & grauitatis specimen, adeò vt seniores propterea nigris vestimētis vtātur: ideo ab initio nobis summóque parenti nostro quasi naturaliter hæsit. Vnde vel iura Ecclesiæ nos nigros appellant Monachos. Color enim is optimus in nobis mutatus non est.

9.

Ber. Ser 9 de modo bene viuendi.

Secundum est, quod temporibus illis, ista quæ nunc micat religionum diuersitas, nondum prodierat, & ideo tunc opus nō erat colore speciali habitus, vt Benedictini agnoscerētur. Omnes siquidem Monachi Benedictini erant in Occidentali Ecclesia, siue istum, siue illum colorem gestarent. At modò, quia religionum pluralitas fœlicissimè excreuit, necesse fuit, vt quælibet pro distinctiuo vterē-

10.

tur

tur distincto colore. Et ideo nunc de coloribus quod causétur Monachi necessarium est. Suum enim quæuis tenetur retinere religio, ne spectatorum oculos coloris permixtione deludant.

11. *Sed quales inueniri*, &c. Iam suprà contra vestium pretiositatem aliqua diximus, & plura nunc possemus subiicere, si concionatoris, nó autem commentatoris munus exequeremur. Quare vnum tantùm vel alterum subiiciam verbum. Quorum primum est Bernardi dicentis. Vestium curiositas deformitatis mentium ac morum indicium est. Et alibi. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tanto curaretur corporis cultus, nisi priùs neglecta fuisset, & mens inculta virtutibus. Aliud est illud Cæsaris in Suetonio. Vestis insignis & mollis vexillum superbię est.

Ber. 3. de cõsideratione ad Eugeniũ.

Idẽ Apolog. ad Gulielmum Abbatem.

Sueton. c. 57.

12. *Abbas autem*, &c. Profusæ atque oblongæ vestes pompam vanitatis, & quidem Pharisaicam, ostentant: quoniam Pharisæi erant qui phylacteria sua dilatabant, & magnificabant fimbrias. Quare vt isti à Christo reprobati sunt, reprobandi omnino venient Monachi latiores productioresque vestes circumferentes. Breuior item in Ecclesiasticis habitus indecorus est. Vnde vt Hanon seruis Dauid ludibrium faceret, vestes eorum præcidit. Cùm igitur dedecerant Monachos profusæ simul ac decurtatę vestes, precipit D. Pater, vt penes Abbatem sit ius modificandi eas. Vnde in Clementina citata de statu Monachorum dicitur. Sit vestis nec longitudine nimia, nec breuitate notanda.

Matth. 23. 5.

2. Reg. 10. 4.

Clem. Ne in agro. cap. 1.

13. *Accipientes noua*, &c. Sacrum salubreque institutum hoc est. Tum ne obiiciatur nobis id quod epuloni diuiti, vtique micas mensæ quas Lazarus cupiebat, non illi dedisse. Tum vt iuxta Christi mandatum colligamus fragmenta, ne pereant. Tum vt animo perpendamus abiecta nobis, esse pretiosa aliis. Tum demum quod superfluis nostris possumus comparare essentialia nobis, vtique mercedem illam de qua Christus: *Quicumque potum dederit aquæ frigidæ in nomine Domini, non perdet mercedem suam.* Hic enim pro tenui quolibet & facili charitatis officio in pauperes exercito, æternum Christi pollicetur regnum. Conuenienter igitur Monachi accipientes noua, vetera propter pauperes reddunt. Vnde infrà idem de pedulibus præcipitur, atque de omni re vetusta, quam Monachi exuunt.

Luce 16. 21.

Ioan. 6. 12.

Matt. 11. 42.

14. *Sufficit enim Monacho*, &c. Certè si prudens illa prouidaque in omnibus fœmina non habuit quod in domesticis suis timeret niuium frigora, eo quod omnes illi duplicibus vestiti essent: consequens est, vt D. Patris domesticis sufficiens sit duplex amictus, tunica scilicet & cucculla. Est etiam necessarius ob decentem omnibus munditiam, & maximè Monachis. Sanè Ecclesiasticus dixit: *Omni tempore sint vestimenta tua candida*, hoc est,

Prou. 31. 21.

Ambr. orat. de fide Resurr.

est, munda, iuxta Ambrosium, Hieronymũ & Gregoriũ. Vnde de Bernardo refertur. In vestibus ei paupertas semper placuit, nũquam sordes. Nimirum animi fere indices aiebat, aut negligentis, aut inaniter apud se gloriantis. Et quidem quî mundities Monachis non expediet, cùm illis etiam in diabolum arma sint? Sanè expendens Hieronymus epistola ad Augustinum, quæ est inter Augustini epistolas, quod Dauid non tantùm assumpsit lapides contra Goliath, sed lapides de torrente, & proindé puros & lotos, obseruauit, quod ipsa mundities etiam contra hostem influeret. A quo sanè alienum non est illud Christi Domini monitum:

Hier. cap. 3. & 4. Zachar. Gregor lib. 9. mor. cap. 19. alias 18.

Lib. 3. cap. 2. vita Bern.

Aug. epist. 11.

Matth. 17. *Tu autem cùm ieiunas, faciem tuam laua.* Ieiunium enim bellum etiam contra hostes est, vtique contra vitia, eo quod corporale ieiunium vitia comprimit.

15. *Femoralia*, &c. Primò hic datur intelligi, quod Monachi nisi extra Monasterium femoralibus non amiciebantur. Non enim de illis æquè ac de cuculla & tunica dicitur, quod egressuris de Monasterio meliora solitis tribuantur, sed absolutè dicitur quod dirigendis in viam conferãtur de vestiario, & quod reuertentes lota ibi restituant. Nec propterea indecenter incederent Monachi, quoniam femoralia non sunt omne succinctorij genus, præsertim illud quod Plinius vocat ventrale, alij verò semicinctium, à semis, quod est medium, & cinctium, quia corporis cingit medietatem: alij autem perizomata, Latinè lineos minores pannos: sed est genus succinctorij à renibus demissi ad crura, vt sic vestiantur femora & honestentur: vnde femoralia ipsa traxerunt nomen. Hoc autem indumenti genus viris qui equitare debent, aut etiam fimbriis succinctis pedites iter facere, incuitabile est, aliis autem non sic; licet iam decentiæ gratia omnibus concedatur, & sit prorsus in vsu.

Plinius lib. 18. cap 40.

16. Secundò subindicatur, non oportere Monachos extra Monasteria prodire non tantùm lacera aut vili veste amictos, verùm nec ordinaria, sed alia meliori. Quod certè monitum è cælo est. Tum quoniam si (vt obseruarunt Irenæus, Chrysostomus & D. Thomas) Christus illam arctam viuendi viam Ioannis omnino dimisit, vt cum hominibus conuersaretur: conuenienter Monachi procedentes de Monasterio, ad conuersandum cum aliquo, aliquibusve hominibus, Christi potiùs, quàm Ioannis debent exemplũ sequi. Tum quia in Ecclesiasticis siue laicis, siue regularibus, publicè tamen procedentibus, & laicorum sese aspectibus obiicientibus, nimiùm contemptibiles vestes non leuem aliquibus solent hypocrisis odorem afflare. Omnis autem hypocrisis species toto cælo fugienda est. Quare qui contemptibilibus intra Monasteriũ integumentis vtuntur, extra Monasterium commodè melioribus possunt vti.

Iren. lib. 4. cap. 51. Chrys. hom. 38. in Matt. D. Tho. 3. p. q. 40. art. 2.

17. *Stramenta autem lectorum*, &c. Quatuor hic D. Pater stramenta decernit

decernit ad lectulum. Primum est matta, hoc est, stramentum lineum palea infertum, vel è lana, quod vulgò *jergon, ò colchon* dicitur. Secundum sagum, hoc est, stragulum rude, quod mattæ prædictæ superponitur. Tertiũ lena, hoc est, lodix siue operimentum, vulgò *manta, ò cobertor.* Vnde leno & lena pro his qui aliorum turpia facta contegunt. Quartum capitale, hoc est, puluinar, quod capiti supponitur, vulgò *cabeçal, ò almohada.* Is autem stramẽtorum numerus pro temperatis potest, aut saltem pro calidioribus prouinciis, regionibusve sufficere, non autem pro frigidioribus & algentibus. Nisi quia vestiti Monachi dormire cùm debeant, vestimenta eis pro stramentis sunt. Vnde præcipitur quod à Prælatis frequenter ista scrutentur, ne aliquid subrepat, sub reatu disciplinæ grauissimæ. Et iure quidem, eo quod Monachi olim aut humi cubabant, aut in stratis iunceis, prout habet Hieron. in Hilarione: vel ciliciis, vt habet Hilar. Arelat. in vita S. Honorati: quod stramenti genus dicebatur matta. Vnde Greg. Turon. lib. de vita Patrum cap. 11. Nullum habens stratũ fœni, paleæque molimen, nisi tantum illud, quod intextis iunci virgulis fieri solet: quæ vulgò mattas vocant. Et Petrus Arbernus Venerab. lib. 3. epistola 20. Si palustria propè sunt loca, mattas, antiquum Monachorum opus, compone: super quas aut semper, aut sæpe dormias. Monachus igitur, cui vltra mattam, alia ad lectisternium stramenta conceduntur, præter antiquum Monachorum morem, iure corripiendus veniet, si citra necessitatem, & facultatem Abbatis in his exorbitauerit.

18. *Et vt hoc vitium,* &c. Inuiolabile vult D. Pater institutum hoc præmissum, tam erga indumentorum & calceamẽtorum, quàm etiam stramentorum numerum. Quod vt obtineat, præcipit Abbati, vt omnibus necessaria suppediter, hoc est, non tantùm prædicta, verùm & alia quæ vsui necessaria sunt, nimirum bracile, hoc est, iuxta Isidorum, redimiculum quod succinctorium nũcupamus, quod descendens per ceruicem, & à lateribus colli diuisum vtrarumque alarum sinus ambit, atque hinc inde succingit, vt constringens latitudinem, vestes ad corpus contrahat, atque coniungendo componat. Hoc vulgò bracile quasi brachiale dicunt, quamuis nunc non brachiorum, sed renum sit cingulum. Cultellum: graphium, vulgò *punçon*, mapulas tabulæ, hoc est, mapulas mensæ, & etiam illas quæ ad manus lauandas, sudoremque laboris tempore abstergendũ conducunt. Et mox subiicitur pro ratione istorum: *Vt omnis excusatio auferatur necessitatis.* Exquo enim Monachus necessariis non indiget, sub nullo prætextu potest aliquid latenter habere, aut procurare, & inscio Abbate retinere sibi: aliàs nõ ita. Quare præcipit D. Pater Abbati, vt semper ante oculos versetur verbum illud Act. *diuidebatur singulis prout cuique opus erat.* Vt enim habet Basil. est eius penes quem distribuendi munus est,

Isid. lib. 10. Etym. c. 33.

Act. 4. 35.

Basil. interrogat. 139. in breuibus.

illud exequi diligenter.

19. *Ita ergo Abbas*,&c.Scopus est vt Abbas attemperet se, & accommodet Monachorum singulorum necessitati: quoniam (vt August.monuit) non omnia æqualiter singulis sunt distribuenda, quia non æqualiter valent singuli, nec languent, nec calent, nec frigent. Vnde sicut varia & inæqualia corporis mẽbra variis & inæqualibus fomentis & indumentis munienda sunt, sic diuersorum necessitatibus, diuersis occurrendum remediis. Ad indigentium ergo necessitatem debet occurrere Abbas,non autem ad malam inuidentium voluntatem. Etenim vt frater prodigi inuidere cœpit munificentiam, quam pater in illum reducem impendit, adeò vt cũ liuore audiret symphoniã pietatis & chorum charitatis videret,sic etiam valentior aliquis inter fratres Monachos, fortè suoris zelo exardescere posset singularis pietatis officiis, quam in aliquem delicatum debilioremve fratrem Abbas exerceret. Huius igitur inuidentia præcipit D. Pater ne Abbatem commoueat, quominus egenti ministret quæ necessaria sunt.

Aug. epist. 109.

Luc.15.

In omnibus tamen, &c. Quia magnum Abbati pondus est tãtorum moribus inseruire,monet D. Pater vt diuinam retributionem semper attendat:illam vtique, de qua Christus Dominus: *Fidelis seruus & prudens,quem cõstituit Dominus super familiam suam,vt det illis cibum in tempore. Amen dico vobis quod super omnia bona sua constituet eum.* Id est, præficiet eum Dominus dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ,ita vt velut rerum omnium consortẽ habere dignetur, & propemodum æquetur suo domino,veluti Ioseph Pharaoni, iuxta id Gen. *Tu eris super domum meam,& ad imperium oris tui cũctus populus obediet, uno tantùm regni solio te præcedam.* Etenim qui fidelis in pauca inuentus fuerit,tandem supra multa constituendus est. Hæc igitur si attendit Abbas, suaue inueniet iugum sui muneris, & onus leue.

20.

Matt.24.45.

Gen.41.40.

De mensa Abbatis.

CAPVT LVI.

MENSA Abbatis cum hospitibus & peregrinis sit semper. Quotiens tamen minus sunt hospites,quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate. Seniorum tamen vnum aut duos semper cum fratribus dimittendos procuret propter disciplinam.

1. MENSA *Abbatis*,&c.Caput hoc quasi appendix est capitis 53. de hospitibus suscipiendis. Adeò enim illos magni D.Pater habuit, vt à cõmendatione illorũ non quiesceret,

ret, donec mensæ Abbatis eos accumbentes reliquerit. Nec mirum: quoniam hospitum peregrinorumque susceptio honoris simul & lucri amplissimis gaudet priuilegiis. Honoris quidem, quoniam ipsius mensæ decus & ornamentum sunt, dicente Ecclesiastico: *Transi hospes, & orna mensam.* Sunt etiam ornamentum domus & mundi, ne dicam cæli, saltem ob eximios illos, quibus à Deo honoribus decorantur. Scriptum quippe est: *Iuxta fidē defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes & salutātes, & confitētes quia hospites & peregrini sunt super terrā. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum.* Hoc dixit Paulus propter illud Exod. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Honor autē iste omnium summus est, dicente D. Thoma. Reputatur maximus honor, quando denominatur aliquis ab aliquo solemni officio, vel seruitio magni & excellentis domini, sicut Notarius Papæ, vel Cancellarius Regis. Maior autem honor est, quando ille magnus Dominus vult nominari ab his qui seruiunt ei: sic autem est de istis tribus Abraham, Isaac & Iacob: quorum Dominus Rex magnus super omnes Deos, specialiter vocat se Deum eorum. Quia igitur nimis à Deo honorificati sunt hospites, nimium susceptoribus suis possunt honorem tribuere. Vt certè tribuerunt Abrahamo, Lotho, Marthæ, Zachæo, & similibus.

Eccli. 29. 33.

Hebr. 11. 13.

Exodi 3.

D. Tho. sup. ad Heb. 11. 13.

2. Quid autem de commodo quod sibi exceptores ingenui hospitum & peregrinorum adquirunt? Certè multa & varia tum sacræ, tum profanæ literæ de eis passim habēt: sed ego pro omnibus vnum tantùm vel alterum subiiciam. Quorum primum est illud Iosue, vbi refertur quod diruta, igneque conflagrationis incēsa Iericho cum omnibus suis, sola Raab meretrix incolumis seruata est cum omnibus eius, & hoc hospitij gratia quod exploratoribus præstitit. Alterum est emolumētum illud, quod Apostoli in Emaus pergentes reportarunt hospitij gratia quod Domino obtulerūt. Cognouerūt siquidem illum in fractione panis. Circa quod Augustinus. Quid ergo significat quod Dominus se longiùs ire finxit? Nisi quia hospitalitatis officio ad suam cognitionē posse homines deuenire intimauit. Vt cùm longiùs ipse ab hominibus abscesserit supra omnes cælos, tamen ita cū eis sit, qui hæc exhibēt seruis eius: vt cùm dicere cœperint, Domine quando te vidimus esurientē, & aluimus? tanquā cū qui longè abscesserat, respondeat ille: Cùm vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

Ioſue 6. 22. *a*

Luc. 24. 30.

August. lib. 2. quæst. euang. c. 51.

Quotiens tamen, &c. Certè quoniam quotidiana perpetuáve intra claustra Monasterij cōuiuia, etiamsi sobria, ingentes sumptus pariunt, consultius videretur abstinere ab eis, quoties hospitum & peregrinorum cōcursus non vrget, & proinde domesticos fratres ad Abbatis mensam tunc temporis non accersiri: nihilominus quoniam charitatis mutuæ, pacis, amicitiæque bonum per ista conuiuia 3.

alitur, mutuaque beneuolentia nutritur, quæ inter Abbatem & Monachos essentialis est, conuenienter hoc decretum statuitur. Ob id enim filij Iob per singulos dies mutua inter se conuiuia agitabant. Neque multa intercedit in conuiuiis regulæ erogatio pecuniæ, cùm parsimonia monastica magnificas epulas nō permittat adhuc cum hospitibus, nedum cum domesticis fratribus. Cùm enim ob charitatem & necessitatem fiāt, non autem ob vanitatem, necessaria apponenda sunt, non superflua. Præsertim quod cùm hospites ob Christi amorem tanquam Christus ipse suscipiātur: consequens est, vt si Christus ipse vno tantùm parabili ferculo contentus erat, adeò vt multa sibi parari fercula taxauerit Martham, iuxta id Luc. *Martha, Martha solicita es & turbaris erga plurima, porrò vnum est necessarium.* Id est, vnus simplex cibus, prout Basilius, Cassianus & Theophylactus habēt. Si igitur Christo ipsi vnum tantùm ferculum parandum erat, consequens est, vt hospitibus suscipiendis vt Christus ciborū multitudine opus non sit. Quāuis non propterea strictè admodum aut parcè cum illis agendum iudicem, sed intra religionis limites liberaliter simul atque hilariter inseruiendum. Et idem est de fratribus ad Abbatis mensam ascitis: congruum quippe est vt specialis beneuolentiæ signa, etiam in aliqua refectionis supererogatione Abbas illis ostendat.

Iob. 1. 4.

Luc. 10. 42.

Basil. in Cōst. cap. 2. *Cassian. coll.* 1. *cap.* 8. & *coll.* 23. *c.* 3. *Theophyl. Luca* 10. 42.

4. Neque obsunt quæ de magno induximus sumptu. Quæ enim charitatis ergo donātur, augmēto quàm decremento potiùs viā sternunt. Quis enim confidit in Domino, & confusus est? Vnde Salomon: *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis.* & infra: *Qui dat pauperibus, nunquam egebit.* & Lucas; *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum.* & demum Paulus: *Qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Quæ sanè ipse non tantùm conscius, verùm & expertus induco: vtpote natus & altus à parentibus qui suarū facultatū augmētum eleemosynis distributis in pauperes præcipuè tribuebant: erant enim in pauperes summè benefici. Quid autem dicam de religionum Occidentalis Ecclesiæ matre, vtique Benedictina hac religione nostra? Certè vbi plus est dati pauperibus & egenis, ibi etiam longè plus est accepti: vt vel in vnico illo totius Christianitatis sacrario nomine Montserrat (vt interim alia sileam) videre contingit.

Prou. 19. 17. & *c.* 28. 27.

Luca 6. 36.

2. *Corinth.* 9. 6.

Seniores tamen, &c. Magni refert iuniores à seniorum latere non discedere. Est enim (vt dixit Ambrosius) pulchra seniorum & adolescentum copula. Ostendunt enim adolescētes eorum se imitatores esse, quibus adhærent, & ea conualescit opinio, quod ab his viuendi acceperint similitudinē, cum quibus conuersantur. Vnde cùm in antiquis sit sapientia, & in multo tempore prudentia, prout dixit Iob: consequens est, vt iuuenes

5.

Amb. lib. 2. *officiorum. cap.* 20.

Iob. 12.

iuuenes antiquioribus adhærẽtes multa documenta sapientiæ, prudentiæque experimẽta haurire possint. Cùm etiam seniorum corona sit sobrietas, conuenientissimum est, qũod adolescentes semper in præsentia seniorum reficiant, vt accipiant etiam sobriè reficiẽdi exemplum. Quod si forte ab illo desciuerint, protinus à senioribus cohibeantur, corripianturque. Seniorum enim authoritas maxima coram omnium oculis emicat. Vnde in Leuitico dicitur *Coram cano capite surge, & honora personam senis.* Et ex Zozimo Papa refertur. Decreta Patrum senectuti sanxerunt reuerentiam. Et Basilius ait. Fraternè tibi & ex intimo animi recessu loquor: etiam difficilibus ac morosis senibus aures libenter præbeto. Vnde quod Latinè est senior, Græcè est πρεσβύτερος. Presbyteris autẽ quod reuerentia maxima exhibenda sit, nemo nescit. Ad modestiam ergo & disciplinam inter prandendum seruandam, conuenienter senioribus adolescentes sociantur.

Leuit. 9. 31.

25. quæst. 5.

Basil. de abdicatione rerum ad Monachos.

De artificibus Monasterij.

CAPVT LVII.

ARTIFICES, si sunt in Monasterio, cum omni humilitate & reuerentia faciant ipsas artes: si tamen iusserit Abbas. Quod si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suæ, eo quod videatur aliquid conferre Monasterio, hic talis euellatur ab ipsa arte, & denuo per eam non transeat, nisi fortè humiliato ei iterum Abbas iubeat. Si quid verò ex operibus artificum venundandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sunt, ne aliquam fraudem præsumant inferre. Memorentur Ananiæ & Saphiræ, ne fortè mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti, vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus Monasterij fecerint, in anima patiantur. In ipsis autem pretiis non subrepat auaritiæ malum, sed semper aliquantulum viliùs detur, quàm ab alijs secularibus datur, vt in omnibus glorificetur Deus.

1. *ARtifices, si sunt,* &c. Mirũ valde est quod D. Pater acturus de artificibus Monasterij, quibus apprimè necessaria est suarum artium peritia, vt sic conuenienter illas, vtilitérque

exerceant, nihil omnino de hoc dicat, sed neque de assidua exercitatione illarum, sed tantùm de humilitate & animi submissione quibus exercendæ sunt, sermonem instituat. Non enim inquit; Artifices Monasterij omni cum dexteritate, item & assiduitate suas artes exerceant, vt Monasterio prosint, aliàs euellantur ab illis: sed, cum omni humilitate suas artes exerceant, si tamen iusserit Abbas. Quod si quis extollatur pro scientia artis suæ, euellatur ab ea. O mirabilem virum! Singularem enim vnius fratris virtutem non tantùm cõmuni, temporali tamen, commoditati præponit, sed huius omnino oblitus totus se conuertit ad illam. Indicans sanè per hoc elationem in Monacho acerrimum malum esse. Nec sanè mirum, siquidem (vt inquit Cyprianus) exaltatio. & inflatio, & arrogans animus non sunt de Christi magisterio, qui humilitatem docuit, sed de Antichristi, qui dixit, in cælum conscendam. Vnde sicut Deus superbis resistit, sic D. Pater elatis. Et adeò resistit, vt vel è suimet ministerio depulerit Monachum quemdam cuiusdam Deffensoris filiũ, eo quod interna quadam, & quidem tantùm interna, animi fuerat percitus elatione, prout Magnus Gregor. refert. Et de hebdomadario lectore præcipit, vt ingrediens post Missas & communionẽ petat ab omnibus pro se orari, vt auertat ab ipso Deus spiritum elationis, iuxta quæ cap. 38. vidimus.

Cypr. lib. 1. ep. 3.

Esaiæ 14. 13.

Greg. 2. dialog. cap. 20.

2. Itaque D. Pater mirum in modum auersatur elatos quomodolibet Monachos: & ideo Monasterij artifices hac sola capitis vertigine laborantes, à suarum artium officio remouendos iniungit. Quod si mechanica hæc mechanicæ artis elatio tantam promeretur repulsam: elatus Concionator aut Doctor, Præpositus & Prælatus, Oeconomus, Ostiarius, Cantor etiam, & similes, quantam qualemque (rogo) fœdam merebuntur & turpem, si vitio isto laborant? Etenim si artifices illi euellendi sunt, quia elati; isti quoniam effrenes, (quid dicam?) extirpandi erunt. Cum omni igitur humilitate nostra nos exerceamus munera, muniáque versemus, ne dignæ expulsionis reatum subire contingat.

3. *Si quid verò*, &c. Primò hic manualia quæque Monasteriorum opera, quod diuendi possint permittitur, vtique in Monasterij commodum & subsidiũ; exemplo nimirum Pauli qui sua manualia opera diuendebat sustentationis causa. Ipse enim dixit: *Ipsi scitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ,* Apostoli etiam suas locarunt operas in subsidia vitæ. Dixerũt enim apud Clementem Romanum. Etenim & nos verbo Euãgelij incumbimus, tamen exercere adminicula operis non dedignamur: partim enim nostrũm sunt piscatores, partim tabernaculorum opifices, partim agricolæ. Horum autem aliorumque similium exempla si Mendicantium aliqui amplecti voluissent, eorum sine numero numerus Christiano populo grauis

Act. 20. 34.

Clem. lib. 2. Constitut. Apost. c. vlt.

grauis adeò non esset, vt de moderando illo sæpe sæpius consultum fuisset. Certè si ex fructu laboris vitæ subsidia comparassent, non oneri, sed leuamini potiùs Reipublicæ essent, & nó tantùm in spiritualibus forent, prout re ipsa sunt, sed etiam in temporalibus emolumẽto & commodo.

4. Deinde subreptioni, quæ circa diuendita mercemonia esse potest, occurritur. Etenim cùm literis proditum habeamus; *A minori vsque ad maiorẽ omnes auaritiæ studẽt, & à Propheta vsque ad sacerdotem cunẽti faciunt dolum*: non mirum est si D. Pater fraudẽ aliquam in rebus istis pecuniariis timeat, & illis prouideat de remedio. Pecuniis enim, maximè si occurrunt, facilè quis se cõglutinat. Ob id enim Seneca dixit. Ad mercedem pij sumus, ad mercedẽ impij. Honesta, quando aliquã illis spes inest, sequimur, in contrarium transituri, si plus scelera promittãt. Teneris infusa cupiditas altiùs sedit, creuitque nobiscum. Totus populus in aliis discors, in hoc conuenit. Pauperras contempta diuitibus; inuisa pauperibus, probro omnibus est. Hactenus Seneca. Vnde non tãtùm dicitur; *Beatus ille qui post aurum non abijt, nec speranit in pecuniæ thesauris*, apud Ecclesiasticum; sed subiicitur. *Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Est enim rarus, & albo coruo rarior iste. Quare brocardicũ est; *Quod lydius lapis auro, id aurum est homini.* Vt enim lapis ille indicat quale sit aurum, sic aurum qualis sit homo. Qua propter monitũ est; *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*, vt pote quod diuitiæ impetum in cor hominis faciunt. Ob id etiam D. Pater hortatur eos, penes quos est cura artificiata vendendi, ne quidquam fraudẽt de illorũ pretio, memores Ananiæ & Saphiræ; ne fortè repentinus ingruat super eos interitus, vti propter similem cupiditatis fraudẽ ingruit in illos. *Act. 5. 5. & 10.*

Ierem. 6. 13.

Senec. ep. 115.

Eccli. 31. 8.

5. *In ipsis autem pretiis*, &c. Pretia iusta rerum triplicia sunt, vtique summa, media, infima. Qui cariùs vendunt summo, & qui viliùs emunt infimo, in culpa iniustitiæ sunt. Qui autem viliùs summo vendit, quando cæteri vendunt summo & rigoroso pretio, non solùm in laude est, verùm in laude omnium: ab omnibus propterea extollitur, & mirum in modum commendatur tanquam homo pecuniæ contemptor, aut saltem pecuniæ non auidus, sed pius & beneficus. Quod si hoc quãdo vendit minoris summo pretio; quid si mediocri aut infimo diuenderet merces, quãdo reliqui cariùs diuendunt? Tunc enim rectè sibi compararet nomen illud, de quo scriptum habemus; *Melius est nomen bonum quàm diuitiæ multæ.* Quod sanè D. Pater suis hic Monachis affectauit, vt Deus glorificaretur in illis, qui gloria re ipsa est virtutis eorum; & cui iucundus est homo qui miseretur & cõmodat, vt miserentur & commodant, qui moderato isto sua pretio mercimonia expendunt. Inde Bern. Siluest. in epist. prouidentiæ quæ apud Bernardũ fol. 1927. est. Vicinis minori pretio vende, etiam inimicis. *Prou. 22. 1.*

De disci

De disciplina suscipiendorum fratrum.

CAPVT. LVIII.

NOVITER veniens quis ad conuersionem, non ei facilis tribuatur ingressus; sed sicut ait Apostolus, probate spiritus si ex Deo sunt. Ergo si veniens perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias & difficultatẽ ingressus post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare, & persistere petitioni suæ, annuatur ei ingressus. Et sit in cella hospitum paucis diebus. Postea autem sit in cella nouitiorum, vbi meditetur, manducet, & dormiat. Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas: qui super eum omnino curiosè intendat, & solicitus sit, si verè Deum quærit, & si solicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei dura & aspera, per quæ itur ad Deum. Et si promiserit de stabilitate sua perseuerantiam, post duorum mensium circulum legatur ei hæc regula per ordinem, & dicatur ei. Ecce lex, sub qua militare vis: si potes obseruare, ingredere, si verò non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam nouitiorum, & iterum probetur in omni patientia. Et post sex mensium circulum relegatur ei regula, vt sciat ad quid ingreditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses iterum relegatur ei eadem regula. Et si habita secum deliberatione, promiserit se omnino custodire, & cuncta sibi imperata seruare, tunc suscipiatur in congregatione, sciens se sub lege regulæ constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de Monasterio, nec collum excutere de subiugo regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit recusare aut suscipere. Suscipiendus autem in Oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersionem morum suorum, & obedientiam coram Deo & sanctis eius, vt si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet. De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen sanctorum quorum reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsentis. Quam petitionem manu sua scribat,

aut

aut certè si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat, & ille nouitius signum faciat: & manu sua eam super altare ponat. Quam cùm posuerit, incipiat ipse nouitius mox hunc versum: Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea. Quem versum omnis congregatio tertiò respõdeat, adiungẽres, Gloria Patri. Tunc ipse frater nouitius prosternatur singulorũ pedibus, vt orent pro eo: & iam ex illa hora in congregatione reputetur. Res, si quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut facta solemniter donatione conferat Monasterio, nihil sibi reseruans ex omnibus: quippe qui ex illo die nec proprij corporis potestatem se habiturum sciat. Mox ergo in Oratorio exuatur rebus propriis, & induatur rebus Monasterij. Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in vestiario conseruanda: vt si aliquando suadente diabolo consenserit, vt egrediatur de Monasterio (quod absit) tunc exutus rebus Monasterij proiiciatur. Illam tamen petitionem eius, quam desuper altari Abbas tulit, non recipiat, sed in Monasterio reseruetur.

1. NOVITER *veniens*, &c. Scopus huius capitis est, Prælatos omnes corũque subditos premere, ne quos præposteros minúsq; conuenientes nouitios in Monasteriis admittant. Quoniam si ad suscipiendum famulum districto quiuis laicorum se munit examine, quid ad procreandum fratrem, imò & electione propria generandum filium religionis suæ debent tentare Monachi? Si homini daretur optio eligendi naturalem filium, hoc est, generandi, in quas non se verteret oras vt optimum sibi produceret? Quid ergo cùm datur facultas spiritualem procreandi? Inde Ecclesiastes inclamauit: *Detestatus sum omnem industriam meam, habiturus post me hæredem, quem ignoro; vtrum sapiens an stultus futurus sit.* Degeneres enim procreare filios adeò summa dolorum est, vt Patriarcha Iacob, qui etiam ab vtero multis fuerat incursionibus exagitatus, dyscolum illum, quem habuit, filium Ruben initium dolorum suorum esse dixerit; quasi grauissimis aliis, quos ab initio labores perpessus fuerat, initium laboris non essent comparatione huius.

Eccles. 2. 18.

Gen. 49.

Idcirco D. Pater hic sanxit nouiter ad conuersionem venientes non admittendos incunctanter. Cùm enim receptio illorum opus electionis sit, consequens omnino est, vt subitum aut extemporaneum esse non debeat, sed potiùs valde perpensum, atque ruminatum. Electio enim (inquit Diuus Thomas) est appetitus præconsiliati. Consi-

2.

D. Tho. 1. 2. q. 3. art. 2.

lium autem, vt prouidum maturúmque sit, diligentem inquisitionem atque discussionem requirit. Quod si hæc pro aliis; quid pro consilio isto, quo venientium spiritus, an sint ex Deo, necne, discutiendi veniunt? Sic enim in textu præcipitur, *probate spiritus si ex Deo sunt.* 1. *Ioan.* 4. 1. Quod verbum ex prima Canonica Ioannis D. Pater accepit. Ibi enim dicitur; *Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus si ex Deo sunt.* Ad conuersionem enim nouiter quis accedens, non aliter debet venire, quàm Simeon ille senex, iustus, & timoratus venit in templum, vtique in spiritu, nimirum in Spiritu sancto. Aliàs cùm litera monachalis occidat austeritate monastica; est enim nimiùm stricta: consequẽs est, quod nisi adsit Spiritus qui viuificet, facilè quiuis veniens corruet. Aut si perseuerauerit violentus, emerget tandem dyscolus. Nulli ergo venientium facilis est cõcedendus ingressus, ne facilè postea pœniteat: siquidem (vt ait Plinius) subitæ largitionis comes pœnitentia. *Plin. lib. 7. epist.*

3. *Ergo si veniens*, &c. His præscribitur modus & tempus probandi ab initio spiritus si ex Deo sint. Potissimum autem huius probationis argumentum ponitur perseuerantia in pulsando, & patientia in sustinendis iniuriis ob ingressus difficultatem illatis. Quod documentum desumptũ sanè videtur ab eo quod Christus cum Cananæa Syrophœnissa fecit. Etenim narrante Matthæo, cùm Cananæa mulier finibus suæ patriæ relictis, Christi misericordiam clamoribus *Matt.* 15. 22. imploraret, Christus non modò protinus illi non acquieuit, sed neque respondit verbum: quasi subnotando ac subindicando eá omni responso indignam. Quod sanè conuicij aliquam speciem præ se ferre videtur. Deinde quando rogatus à discipulis vt absolueret eam ac dimitteret, responsum quod illi præstitit tale tãmque acidum fuit, vt (notante Chrysostomo) magis responso quàm priùs silentio exulceratit. Dixit enim: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël.* Et (mirabile dictu!) cùm nec sic ipsa ab incepto desisteret, sed procidens ad Christi pedes feruentiùs deprecaretur, vt adiuuaret eam, durius ab ipso Christo responsum accepit. Dixit enim: *Non est bonum sumere panem filiorum & mittere canibus.* Quod sanè ea mente & consilio tam durũ Christus Dominus se Cananææ exhibuit, vt contra Pharisaicam perfidiam & extollentiam probaret, testatãmque faceret humilitatem, fidem & constantiam mulieris. Quibus sic illa enituit, vt (quod etiam notauit Chrysostomus) ab ipsis Christi verbis deprecatoriam orationem connectat. Dixit enim: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Quasi diceret, etsi canis sum, non propterea à pane filiorum prorsus aliena, siquidem & catelli edunt excidentes micas à mensis dominorũ suorum. Tunc enim videns Dominus mulieris constantiam, simul fidem atque prudentiam, quibus sic confirmauerat quæ Christus ei dixerat, *Chryss. hom. 10. in Matt.* *Chryss. vbi supra.*

xerat, vt ostenderet non impedire, quominus acciperet quod petebat, subdidit: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Ecce difficultatum & conuiciorum, quæ hic interceſſerunt, finis diuinitus intentus, & exequutioni mandatus. Hoc autem D. Pater in receptione nouitiorum præcipit æmulandum.

4. *Et sit in cella hospitum, &c.* Gradatim intromittendus præcipitur nouitius qui admissus est, vt Ezechiel introductus legitur gradatim in aquas dextram partem templi tenentes. Etenim, vti Propheta ipse de se testatur: *Ezech. 47.3.* *Qui habebat funiculum in manu sua, traduxit me per aquam vsque ad talos, deinde vsque ad genua, postea vsque ad renes: & tandem vsque ad torrentem qui non poterat transuadari.* Huius autem mysterij scopus est, palàm facere nobis & ostendere, quod sensim & pedetentim sacræ religionis aditus tentandus est: quoniam interiora eius profundiora sunt, & longè difficiliora. Hoc certè in præsenti conspicitur. Primò enim decernitur, vt nouiter ad conuersionem receptus in cella hospitum paucis diebus recipiatur. Secundò præcipitur, vt in nouitiorum cellam transferatur: & rursum quod meditetur ibi, manducet, & dormiat, quasi esset carcere incluſus. Infrà etiam additur, quod supra eum omnino curiosè intendatur: ac demum quod inquiratur quàm solicitus sit ad opus Dei, & quàm opportunus & aptus ad obedientiam exequendã, & ad patienter toleranda opprobria. Quæ sanè fluctus illi sunt, qui vix transuadari possunt. Non ergo temerè, nec properè, sed maturè admodum tantum pelagus tentandũ est, & in tantã voraginẽ ingrediẽdum.

5. *Et senior ei, &c.* Scitum illud Plutarchi, nimirum docendum esse hominem vt rectè sapiat, iustè agat, ac bene viuat, quoniã si canere discunt homines, saltare, literas, agriculturã, equo insidere, calceari, vestiri, pocula ministrare, & coquere, eo quod isthęc omnia nõ liceat præter disciplinam commodè agere: dementia esset credere, quod possit sine disciplina vita hominis institui. Vnde vt quærũtur nutrices quæ manibus corpus effingant, sic quæri pædagogi debẽt, qui mores componant. Si igitur ad hæc quorum semina nobis per naturam insitã, præceptore egemus, quid ad ea quæ supra naturam omnem, etiam angelicam, sunt? Nimirum supernа animæ æternaq; salus & virtus. Quare Christus Dominus non tantùm sciẽtia & conscientia conspicuos & illustres præceptores hominibus dedit, sed tales vt lumẽ mũdi vel ipse compellauerit eos, dicens: *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi.* Cuius gratia Paulus; *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti non litera, sed spiritu.* Vt sic nos per omnia & in omnibus ad æternam vitam spectantibus docere possent, aliàs cæcutiremus in cunctis, in periculisque versaremur. Scriptũ quippe est; *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent.* Id est, in idẽ simul præcipitium corruent.

Plutarch. lib. de docenda virtute.

Matth. 5. 14. *2. Cor. 3. 9.*

Matt. 15. 14.

6. Cùm igitur nouitius omnis Monasterio exceptus, planè im-

buendus sit documentis Apostolicæ perfectionis, ne dicam angelicæ virtutis, vtpote quia angelicum est, semper in Dei laudibus occupari, lectionibus & operibus sacris noctu diúque incumbere, prout notauit Ambrosius: consequens est, vt nouitiorum magister eximius in hac disciplina esse debeat. Huius etiã gratia decernitur vt sit senex. Est enim (vt Ecclesiasticus habet) speciosum canitiei iudicium, & speciosa veterani sapientia, atque intellectus glorioſus. Propterea vt signum amoris erga Salomonem fuit, quod Deus miserit eum in manu Nathan Prophetæ, vtpote qui poterat erudire illum: consequens est, argumentum & quidem eximium eximij amoris Diui Parentis esse erga nouiter ad religionem conuersos, illis de insigni magistro pædagogóque prouidere. Talis enim est magister idoneus & aptus ad lucrandas animas: & qui super eos omnino curiosè intendat & solicitus sit de reliquis in textu subiunctis, & iam explicatis.

Amb. ep. 82.

Eccli. 25. 6.

2. Reg. 12. 25.

7. *Pradicentur ei dura*, &c. Sanè cùm scriptum sit: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*; vtpote quod vel Christum ipsum pati oportuerit, & ita in gloriam suam intrare: consequens est, vt animarum lucrum inquirentibus salutis via proponenda sit, & proinde salebrosa multa quæ religiosi versant; nimirum abnegationem sui, suorúmque etiam bonorum, famem, sitim, carcerem, labores manuum, labiorum in choro laudes, silentium iuge, victum insipidum, vestitum humilem, duriorem lectulum, oculorum velamen, verbum asperum, & similia, quæ sunt cæli trames,, & per quæ (vt ait Hieronymus) cæleſtis regni aditus aperitur. Vt enim Bion ille Philosophus dixit; Facilis ad infernum via, clausis enim oculis itur: sic arctum vitæ iter. Vnde Matth. *Intrate per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via est que ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta est & via que ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.* Quapropter conuenienti accedens ad monachatum spiritu, id præmitti & præloqui debet, quod aliquando Paulus in Actis: *Nunc ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem, que in ea ventura sunt mihi ignorans* (nescit enim Monachus ad quæ tandem obstringendus sit) *nisi quod Spiritus sanctus, mihi protestatur dicens, quoniam vincula & tribulationes Ierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodo consummem cursum meum.*

Hieron. tom. 9. ep. ad Oceanum de ferendis opprobriis.

Matth. 7. 13.

Act. 20. 22.

Act. 14. 21.

Luca 24. 46.

8. *Et si promiserit*, &c. Tota hac longiori periodo duo notatu dignissima D. Pater constituit. Primum est, probandos esse nouitios per integrum circulum anni: quæ constitutio iam de iure communi est, vt patet in cap. Ad Apostolicam, de regularibus, & in cap. Gensaldus 17. quæstione 2. vbi palàm is nostræ regulæ textus exaratur. Seraphicus etiam Pater Franciscus idem probationis tempus præscripsit. Quod tãdem irreuocabiliter sacrum

Francisc. cap. 2. Reg.

Trident. sess. 25. cap. 15.

crum Concilium Tridentinum taxauit. Et est intelligendum versus paruitatem. Ad minus enim vnus probationi deputandus est annus, quo sufficienter probatio possit fieri. Versus magnitudinem autem cuique datur copia producendi terminum istum, vt patet in Religiosis clericis Societatis Iesu, qui ex approbatione Pontificum biennio probantur, & quiuis (protestatione præcedente) potest protendere probationis tempus quantum libuerit, absque eo quod professus etiam tacitus habeatur.

9. *Vtrùm annus probationis ad professionem requisitus debeat esse continuus, nec-ne*

Sed difficultas est, an probationis annum, aut etiam biennium oporteat esse continuum, nulla egressione interceptum, vel potius sufficiat esse interpolatum? Id est, vtrùm ad validitatem professionis debeat perseuerare nouitius intra septa Monasterij per annum, aut biennium integrum & completum; vel sufficiat partem in Monasterio, partem extra Monasterium mansisse?

10. Circa quod est primò notandum, quod non loquimur de nouitio illo qui per annum integrum vestem & habitum religionis legitimè susceptum detulit, & nutu aut obedientia Abbatis sui extra claustra Monasterij per aliquot menses vixit, causa, v.g. curádi propriam alienamve ægritudinem. Is enim taliter extra septa Monasterij graditur, ac si moraretur intra; prout Abbas ait. Et ita Nauarrus, Azor & alij probationem & professionem huius legitimas & validas asserunt. Sed loquimur de nouitio illo qui siue retento, siue reiecto habitu parte nouitiatus transacta religionem deserit, & postea pœnitentia ductus iterum rediens recipitur, & tamdiu in nouitiatu permanet, quamdiu opus est ad resarciendam partem illam temporis quo extra Monasterium mansit.

11. Ad hoc sanè aliqui, de quorum numero sunt D. Antoninus & Paludanus inter Theologos, & Archidiaconus, Alexander, & Misingerius inter Iurisperitos, asserunt ad legitimam probationem, & professionem etiam, sufficere annum discontinuatum. Et hoc probant ex eo quod vbi iura non distinguunt, nec nos debemus distinguere. Nullum autem inuenitur ius, quod talem continuitatem & anni cohærẽtiam requirat. Vnde Baldus defendit, Monachum, cui concessum est per Pontificem triennio vacare Iuri ciuili, posse interpolare triennium, & eo interpolato Iuri ciuili vacare: eo quod fauor religiosis exhibitus ampliãdus est. Quod si id pro religioso tantùm, quid pro religione ipsa? Ideo à parte ista sunt Archidiaconus, Bonifacius, & alij apud Thomã Sanchez in sua Summa.

12. Oppositum nihilominus asserendũ est cum Nauatro, Henriquez, Azor & aliis apud Thomam Sanchez in Summa. Et ratio est, quod quoties in decreto aliquo tẽpus determinatũ petitur, id necessariò debet esse continuum, vt tradunt Glossa in fine Rubricæ, ff. de diuersitate, & tẽporum præscriptione. Vnde Bartolus in *l. Interdum. §. Quoties. ff. de public.* apertè docet seruum dici veteranum quia anno continuo

Anton. 3. p. tit. 16.
Palud. in 4. dist. 38. q. 2.
Archid. cap. Non solum.
Alexander consil. 54.
Misinger. de tempore vtili. cap. 3. n. 9.

Archidiac. vbi suprà.
Bonif. Clementina finali de regul. n. 47.
Sanchez lib. 5. c. 4. n. 30.

Nauarr. lib. 3. consil. de regul. cons. 2. n. 2. & cons. 34. n. 2. & cons. 36. n. 1.
Henriquez lib. 3. de excommun. c. 40. n. 2.
Azor lib. 12. cap. 2. q. 8.
Thomas Sanchez lib. 5. cap. 4. n. 31.

Abbas in cap. Ex rescripto. de iureiurando.
Nauarrus consil. 5. de regularib. n. 3. & 4.
Azor lib. 12. cap. 3. q. 7.

tinuo seruiuit; nouitium verò, quia seruiuit ad annum non continuatum. Et Ioannes Andreas in cap. 1. de electione, in Sexto, ait. Cùm iura postulant annum, vel certum aliud tempus, intelligunt cõtinuum. Cùm igitur Concilium Trident. sess. 25. de regularibus, cap. 15. absolutè petat integrum nouitatus annum ad professionis valorem; consequens est, quod annus iste debeat esse continuus.

13. Ratio item est, quod is annus propterea præscribitur, vt nouitius integrè & perfectè grauiora & aspera instituti religiosi experiatur. Cùm igitur inter alia connumerandum sit hoc, quod est illa sine intermissione perferre: consequens est, vt ad huiusmodi probationem expediat vt sine intermissione fiat. Sanè sicut difficilius est quadraginta dierum continua perferre ieiunia, quàm totidem interpolata; sic etiam difficilius erit religionis onera per continuatum annum perferre, quàm per interruptum atque interpolatum.

14. Neque obstant fundamenta contraria, siquidem ex prædictis colligitur, Concilij Tridentini mentem respexisse continuitatem anni: vtpote quod aliter non sic probè & ritè probatio, quam prætendit, fieret. Præterquàm quod ex natura rei perfecta experientia requiritur, ad hoc vt aliquis subiiciat se oneri per totam vitam ferendo. Et fauor religionis potissimus est, ne tam sublimem statum temerè, hoc est, ante perfectam onerum & laborum experientiam, profiteatur nouitius.

15. Sed quid si contingat ante expletum continuum nouitiatus annum profiteri nouitium, & tamen intra quinquennium non reclamare? Numquid huius professio irrita, vel valida censenda? Ratio dubitandi est regula illa Iuris; *Quæ ab initio sunt irrita, non possunt tractu temporis valida fieri.* Cùm igitur talis professio ab initio fuerit irrita, vt patet ex numero præcedenti, consequens est, quod nullum tẽpus subsequens, etiamsi multum, possit illam validam reddere. Mihi autem pro constanti est, professionem illam (transacto à die professionis quinquennio, in quo reclamatum non est) validam & stabilem esse. Ducor ea ratione, quod Concilium Tridentinum decernit non audiendum regularem illum, qui transacto à die professionis quinquennio prætenderit professionem suam inualidam fuisse. Verba Concilij sunt. Quicumque regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis. Cùm igitur Concilium non posset interdicere ius absolutionis atque libertatis illi qui verè professus non esset; consequens est, quod exquo præcipit circa hæc non audiendum post quinquennium à die professionis exactum, ab illo die ratam & validam eius professionem asseruit, voluit, & habuit.

Concilium Trid. sess. 25. de regular. cap. 19.

16. Neque obstat argumentum

contra

contrarium: quoniam professionis nullitas ob temporis interruptionem cùm fuerit de iure politiuo; consequens est, vt Concilium Pontificis authoritate firmatum potuerit constitutionem istam in hac parte moderari, & pro tempore validæ professionis quinquennium integrum, in quo reclamatum non sit, omnino definire. Et adeò definiuit, vt apostatam esse declaret, & præcipiat puniendum esse vt apostatam, qui transacto prædicto quinquennio habitum sponte dimiserit. Signum ergo euidentissimum est, quod illum verè, saltem tacitum, professum voluit & sanxit. Verba Concilij sunt. Quod si habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquã apostata puniatur. Facit ad idem Glossa dicens. Compellatur expressè profiteri, nisi protestatio præcesserit: nam hæc est præsumptio iuris & de iure. Ita quod non admittitur probatio in contrarium, ex quo nulla protestatio præcessit. 27. dist. cap. Quod interrogasti.

Glossa cap. Ex parte lib. 3. de regul.

17. Secundum notatu dignum impræsentiarum est, nostri instituti regulam ter intra probationis annum nouitiis intimandam, ad literamque illis legendam, vt videant si arrideat eis, vt pares tanto oneri ac ponderi seipsos inueniant, ne postea de dolo causentur, & se debitæ admonitionis & intimationis defectu deceptos fuisse queantur. Præterquàm quod licet legibus religiosi instituti nouitius non teneatur, vt habent Siluester in summa, Tabiena, Armilla & Angelus, eo quod sicut catechumenus Ecclesiæ legibus non adstringitur, donec sit sacro baptismate renatus, ita nouitius suæ regulæ constitutionibus vsquedum sit professus. Similiter licet superiorum præcepta non obligent, neque ligent nouitium, vtpote qui nondum illis obedientiam sponderit, vt præfati authores apud Azor. sentiunt: quia tamen in probatione versatur, & aliter probari scitè & rectè non potest, ideo vt nouitij spiritus exploretur, & vires illius cognoscantur, opus est in regulæ præceptis & monitis illum exercere, & ea vel ad vnguem seruare: & interdum verbis præcepti speciem habentibus aliqua illi præcipere, vt sic nihil nouitium prætereat, & nihil ipse intentatum relinquat. Ad hæc autem quis non videt crebrò inculcanda oreque versanda esse institura regulæ? Quomodo enim seruari poterunt, nisi proponantur, audiantur, percipiantur, meditentur? Vnde Iosue 1. n. 8. *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo.* Et propterea Dauid prædicat beatum qui in lege Domini meditatur die ac nocte.

Siluester verb. religio, quæst. 5. n. 6. Tabiena verb. nouitius, quæst. 11. Armilla ibi n. 18. Angelus ibi quæst. 18.

Azor lib. 12. cap. 2. q. 10.

Iosue 1. 8.

Psal. 1. 2.

18. *Et si habita deliberatione*, &c. Hæc summa rei. Tunc enim poterit prudenter nouitius promittere omnia se custodire, cuncta imperata seruare, de Monasterio namquam exire, neque iugum regulæ excutere, quando

quando per anni cursum expletum hæc omnia strenuè compleuit, atque in exercitio illorũ sese assiduè versauit. Tunc enim expertus loquetur; vtpote periculo facto tam ponderis quàm roboris: tam iugi quàm humeri, tam literæ quàm spiritus, & tam legis quàm virium: & sic nec citò, nec temerè, sed maturè & prouidè deliberabit quod illi magis expediat, nimirum vel prosequendum, & insistendum cœptis; vel potiùs recedendum, & à cœptis desistendum. Librabit siquidem iudicij trutina, atque experimenti lance non modò substantiam rei, verùm & circumstantias ipsius: quarum explorata cognitio adeò ad deliberandum necessaria est, vt sæpe ignoratio vnius eneruet vel euertat iudicium. Vnde scriptũ est: *Qui non est tentatus, quid scit?* Eccli. 34.11. Et iterum: *Omnia probate, & quod melius est tenete.*

19. Quia verò eatenus deliberatio oculata, & non cæca est, quatenus est lenta, & non propera, dicente Liuio: Omnia non properanti clara certaque sunt, festinatio improuida est & cæca. Et Apuleio: Nulla res potest esse festinata simul & examinata. Quoniam, vt Græcus author Thucydides vidit; Aduersa rectę menti celeritas est. Quia igitur deliberatio eatenus prudens & oculata est, quatenus non propera, ideo D. Pater committit hanc deserendi vel profitendi monachismũ deliberationi morosæ, quæ omnium præstantissima est. Ob id enim ab Ammiano Marcellino vel ille Iulianus Imperator laudatur, quod simul prouidus & cunctator esset. Et opusculo de appartu belli laudauit idem Leonem Imperatorem consulentem filio, *Delibera tardè*. Hoc autem vt fiat, multo & opportuno tempore opus est: nam vt Iosephus ex Demosthene habet; Dum nauis est salua, promptè consulere & prouidere est ne euertatur, nam postquam fluctus exuperant, inane est studium.

Liuius lib.2. decad.4. *Apuleius de Deo Socratis.* *Thucydid. lib.3.* *Ammianus lib.16.* *Idem opusc. de app. belli.* *Ioseph. lib.2. de bell. Iud. cap.16.* *Demosth. Philip.3.*

20. *Suscipiendus autem*, &c. Hic iam forma professionis describitur pro his qui persistere in religione petunt. In qua illud scrupulum nec leuem ingerit, quod nihil de voto castitatis & paupertatis exprimitur: cùm tamen votum religionis non possit esse illud quod non continet paupertatis, castitatis obedientiæque promissionem. Sũt enim tria hæc de substantia religionis, hoc est, de essentia. Quare sicut quia de substantia & essentia baptismi est trium personarum diuinarum expressio, non potest esse verus baptismus qui omnes tres personas non exprimit: sic nec poterit esse vera religionis professio, in qua trium prædictorum votorum promissio non intercedat, prout Thomas Sanchez in Summa tangit, & ex professo tamquam de multorum pariterque grauissimorum doctorum mente prosequitur in libris de matrimonio.

Sanchez lib. 5.c.4.n.85. Idem de matrim. lib.7. disp. 25.n.9. & 21.

21. At cùm non solùm Benedictini nos, verùm & Carthusiani ipsi hãc profitendi normam tenoremque sequantur; stabilitatem siquidem, obedientiam, morumque conuersionem omnes ex æquo vouemus, nulla paupertatis,

pertatis,vel etiam castitatis mẽtione adhibita : verùm etiam Prædicatorum ordo, qui regulam Augustini seruans,castitatis nihilominus aut etiam paupertatis vota in professione non exprimit,quantumcunque professionis forma quæ secundum Augustinum est, continentiam perpetuam, & carentiam proprij,sicut & obedientiam exprimat, prout videre datur apud Azor. videtur consequens, non esse de substantia monasticæ professionis trium votorum expressionem.

Azor vbi supra c.4.q.2.

22. Et quidem ita res se habet: quoniã licet de substantia & essentia monasticæ professionis sit paupertatis,castitatis & obediẽtiæ promissio in religione approbata: prout cum D. Thoma constituunt Theologi; non tamen promissio explicita & formalis,sed sufficit virtualis & tacita, qualis est promissio & votum status monastici, seu religiosæ vitæ. Cùm enim idem sit religiosam vitam promittere, atque tria illa prædicta vota nuncupare,idem etiam erit profiteri statum secundum regulam approbatam, atque profiteri illa tria. Vnde in Decretalibus præcipitur, quod elapso probationis anno, profiteatur nouitius regulam secundum formam ordinis. Et Innocentius asserit verè professum esse illum qui iunctis manibus superiori regulari se dedit in Monachum, licet fortè non expresserit formam professionis, quæ habetur 20. q.1.cap.Vidua.Indè fit,quod licet professionis forma hoc tantùm tenore fieret,Promitto cõ-

Th.2.2.q. 6. art.3.4. 5.

Decretal.tit. 1. de regul. cap.Ex parte 4.

Innocentius 3.cap. Porrexit.

uersionem morum meorum secundum regulam Sancti Benedicti, Augustini, aut Francisci, aut similium, dummodo in manibus competentis Prælati fieret,de quó infrà, non minus rata esset & valida, quàm si tria supernumerata vota exprimeret.

Ex his soluitur casus quæstionis & nodus argumenti. Verum enim est, quod de substantia & essentia monasticæ professionis est nuncupatio & promissio trium prædictorum votorum : at non expressa & formalis, sed virtualis tantùm, aut etiam tacita, qualis hic inuenitur. Tacita enim professio eamdem atque expressa obligationem parit,vt habetur in Iure. Et ideo si necessitas postularet,professus tacitus posset compelli,vt professionẽ emitteret expressè, vt est videre apud Thomam Sanchez. Et certè si ad tacitè profitendum satis est (seruatis omnibus aliis ad expressam professionem requisitis) facere aliqua quæ sunt professis propria, v.g. deferre habitum, vel exercere officium sponte sua, quo soli professi vtuntur, & alia de quibus Sanchez vbi suprà, & Azor : consequens est, quod ad licitè virtualiterque profitendas castitatem & paupertatem, satis sit palàm spondere stabilitatem, & morum conuersionem, atque obedientiam secũdum regulam religionis approbatæ. Illa enim continentur in istis.

23.

Cap. Vidua. & cap. Ad nostram, de Regular. in Sexto, & ibi cap.vnico de voto, & cap. 2. de Regul. Sanchez vbi suprà cap. 3. n.6. Sanchez ibi n.19. & 20. Azor vbi supra c.4.q.3.

Etenim stabilitatis nomine status cum permanentia intelligitur. Quocirca stabilitas secundum regulam approbatam, idem est ac status religiosus.

24.

Conuersio item morum secundum regulam approbatam, idem est quod conformatio in genere morum, & in materia morum cum præscripto regulæ, & proinde cum debito castitatis perpetuæ & paupertatis, vtpote quod duo ista substantialia sunt religioni. Ratio est, quod abstractio eorum per quæ homo verè impeditur, ne totaliter in Dei seruitium feratur, essentialis est illi statui, qui consistit in traditione hominis & in mancipatione illius ad seruitium Dei, prout D. Thomas ostendit. Cõstat autem primò quod rerum mundanarum possessio, atque etiam cupido valde distrahunt, & auellunt animum à Christi sequela: vt videre licet in adolescente illo, qui audito Christi Domini verbo, *Vende quæ habes, & sequere me*, discessit tristis. Vnde Augustinus epistola ad Paulinum dixit. Vnde iuuenis ille discessit tristis, nisi quia diuitias habebat? Et D. Thomas ait quod ad perfectionem charitatis primum fundamentum est voluntaria paupertas, dicente Domino vbi suprà; *Si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus.* Constat deinde carnales affectus & effectus vehemẽter perfectioni obstare. Cuius gratia Paulus dixit: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus.* & D. Petrus: *Obsecro vos tanquam aduenas & peregrinos abstinere à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.* & alibi; *Efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem.* Et proinde constabit votum castitatis & paupertatis substantialiter prærequiri ad statum religionis: atque adeò necessariò seruari debere, vtpote nuncupatum Deo.

D. Tho. vbi suprà art. 3.

Matth. 19.

Augustin. epist. 43.

D. Tho. vbi suprà.

2. Cor. 7.

1. Pet. 2. 11.

2. Pet. 1. 4.

Vt si aliquando aliter fecerit, &c. Grauis imminet aduersus votorum violatores condemnatio. Scriptum quippe est: *Vouete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera. Terribili, & ei qui aufert spiritum Principum, terribili apud Reges terræ,* vtique nisi Deo promissa reddant. Vnde Ambrosius. Quàm grauia vincula promittere Deo, & non soluere! Maior est contractus fidei quàm pecuniæ. Redde promissum, dum in hoc corpore es, priusquàm veniat exactor & mittat te in carcerem. Inde Ecclesiastes: *Siquid vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim Deo infidelis & stulta promissio.* Cùm enim fidelis sit Deus in omnibus verbis suis, vtpote semper & per omnia verax, adeò vt quæ procedunt de labiis eius non fiant irrita, & potiùs cælum & terra transeant quàm verba illius, grauis illi & molestus est omnis illusor. Illusor enim & quasi irrisor est, qui cùm possit adimplere promissa tanto Domino facta, tamen non implet. Præterquàm quod (vt explicat D. Thomas) ad fidelitatem hominis pertinet, vt soluat id quod promisit. Vnde secundum Augustinum fides dicitur ex hoc quod fiunt dicta. Maximè autem debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominij, tum etiam ratione beneficij suscepti: & ideo maximè obligatur homo ad hoc quod impleat vota Deo facta.

25.

Psal. 75. 12.

Ambr. lib. 5. in Luc. c. 20.

Eccles. 5. 3.

Psal. 144. 13.

Rom. 3. 4.

Psal. 88. 35.

D. Th. 2. 2. q. 88. art. 3.

Aug. hom. 4. de mendacio. cap. 20. & t. 2. epist. 19.

facta. Hoc enim pertinet ad fidelitatem quam homo debet Deo. Violatio autem voti est quædam infidelitatis species. Vnde Salomon rationem assignans quare sint vota reddenda, ait, *quia displicet Deo infidelis promissio.*

26. Vnde apud Ecclesiastem subiicitur: *Quodcumque voueris redde, multo melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.* Quod mente assequens Prophèta regius non tantùm solicitum sedulumque votorum suorum se exhibuit, dicens; *Reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea:* sed publicum solutorem, dicens; *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius.* Idipsum etiam D. Pater considerans tantus fuit in prædicanda nouitiis morosa deliberatione ad profitendum: vtpote quod multo melius est non vouere, quàm post votum non reddere promissa, vt iam vidimus. Qui etiam ad idem eo loci subdidit: *Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam.* Id est, ne sis in vouendo leuis aut facilis, ne tibi ansam peccandi præbeas; quia licet spiritus videatur prõptus, sæpe caro inuenitur infirma. Cuius gratia Christus agens de spiritali castratione dixit: *Non omnes capiunt verbum istud,* (vtique verbum cœlibatus; quoniam donum est singulare, & quidem diuinum: quia diuinum est post carnis concupiscentias non ire, & illibatam vitam posse fortiter sustinere) *sed qui potest capere, capiat.* Hoc est, cui data est ad cœlibatum propensio, cœlibem se custodiat, & habebit retributionem magnam apud Deum.

Ecclesi. 5. 3. — *Psal. 65. 14.* — *Psal. 115. 6.* — *Matth. 19. 11. & 12.* — *Ecclesi. 5. 3.*

27. *De qua promissione*, &c. Sanctorum intercessione (aiunt Episcopi Europæ ad Leonem Imperatorem, Epistola quæ extat post Conciliũ Chalcedonense) Deum misericordem ac propitium habere postulamus; vti sanè postulauit Salomon orans, *Ne auertas faciem Christi tui, memento misericordiæ Dauid serui tui.* Vti Augustus Cæsar, qui (teste Plutarcho) captam Alexandriam extremam expectantem cladem, indemnem reliquit propter conditorem illius Alexandrum. Vnde in gratiam Sanctorum qui præcesserunt, & propter illorum merita, licet non de cõdigno, sed de congruo prior Christi aduẽtus asseritur à Theologis cum D. Thoma; de quo Alensis. Et fauet Scripura referens verbũ illud Dei ad Abrahã: *Quia fecisti rem magnam hanc, in semine tuo benedicentur omnes gẽtes.* Semen autem hoc erat Christus, prout docuit nos Paulus. Itaque Sanctorum intercessione Deum nobis propitium & gratũ conciliamus. Inter omnes autẽ Sanctos illi maximè de nobis sunt meriti, quorum non tãtùm animas, verùm & corpora veneramur, & religionis cultũ sacris eorum reliquiis piè deferimus: ideo congruenter nos eorũ intercessioni cõmittimus, & maximè in maximo isto sacrificio professionis monasticæ, vt sic acceptabile fiat & placeat Domino nostro. Vnde (ad Dei gloriam hoc refero) dum in celeberrimo illo Sancto Dominico Silensi sacro (in quo integrum eiusdem Sancti Dominici corpus asser-

27. — *Paralip. 6. 42.* — *Theologi 3. p. q. 2. art. 1.* — *Alen. 3. p. q. 8. m. 3. art. 1.* — *Gen. 22. 18.* — *ad Galat. 3. 16.*

uatur) cœnobio vermiculus ipſe profeſſioné ſatis puer emitterē, (Deus ſcit) lacrymis Diuum illū (cuius ab vtero patrocinium expertus fueram, vtpote ad preces illius cōceptus, natus & enutritus, & iam ad maturā ætatē euectus) mei turelarē & protectorē deprecatus ſum. Quod ſi ego id adhuc per ætatem ignarus: quid cæteri per omnia docti, & ſciētia ſalutis imbuti? maximè attendentes quod D. Pater præcipit, eorum profeſſionem fieri ad Sanctorum nomina, quorum reliquiæ ibi ſunt: vtique vt ad preces eorum gratiùs fœliciúſque profeſſio Deo facta ſuccedat.

28. *Et Abbatis præſentis.* Breuis hæc litera & ſimul clara eſt; eſt etiam neceſſaria. Cùm enim ad profeſſionis valorem non ſufficiat ſola profitentis traditio, niſi adſit perſona habens poteſtatē acceptandi nomine religionis traditionem ipſam, & obligandi religionem eamdem profitenti: neceſſum eſt, vt Prælatus interſit, & proinde apud nos Abbas, aut qui Abbatis iuriſdictione & poteſtate gaudeat. Etenim cùm profeſſio quidam cōtractus oneroſus ſit, vltrò citroq; obligatorius, quo profeſſus fidē ſuā obſtringit Deo, obligaturq; religioni: & quo religio etiam ipſa obligatur religioſo ad retinendū eum & alendum, & tractandum iuxta religionis inſtitutum, neceſſum eſt, vt ſicut aliæ reciprocæ obligationes non poſſunt in vnius conſenſu conſiſtere, ſed indigēt duplici perſona poteſtatē obligandi habente; ita in iſta.

29. Sed difficultas eſt, an ſolius Abbatis ſit ex parte conuentus admittere ad profeſſionem, an etiam ipſe cōuentus debeat admittere illam, vt ſit rata? Ratio dubitandi ex vna parte eſt: tum quod, vt in præſenti textu præcipitur, vt profeſſio fiat in præſentia Abbatis, ſic etiam paulo antè decernitur, vt coram omnibus fiat, vtique corā omnibus fratribus. Videtur enim per hæc ſignificari nō minus requiri cōuentus cōſenſum quàm Prælati. Tum quod cùm non ſolus Prælatus, ſed etiam conuentus obligetur profitenti: conſequens etiā eſt, quod non ſolius Prælati, ſed etiam conuentus ſit nouitios ad profeſſionem admittere. Ex alia verò parte eſt, quod textus in cap. Nullus 18. q. 2. dicit de Abbate; *Ad quem tota poteſtas pertinere conuenit.* Vbi Gloſſa ſuper ly *tota*, ait. Explicatur ita pertinere ad Abbatem tota poteſtas, vt ad Monachos non pertineat. Et in cap. Ad Apoſtolicam, de regularibus, idem innuitur, dum dicitur; Abbate per ſe, vel per alium recipiente. Exquo Panormitanus infert quod de iure ad ſolum Abbatem pertinet Monachos recipere.

18. q. 2. cap. Nullus.

Cap. Ad Apoſtolicā, de regularibus.

Panorm. in cap. Ad Apoſtolicam.

30. Pro deciſione tamen dicendū primò cum Panormitano, Silueſtro, Angelo, & cum aliis, ſtandū eſſe in hoc conſuetudini præſcriptionis legitimæ, vel priuilegiis ordinis, vel conſtitutionibus eius Apoſtolica authoritate firmatis, vt inſinuatur cap. vltim. de regularibus in Sexto. Quare vbi ex conſuetudine, vel priuilegio, vel cōſtitutione authētica ſolus Abbas, vel is quem ipſe ad hoc munus deputat, habet profeſſionē admittere, penes ſolum Abbatem

Idem ibi. Silueſt. verb. Religio. q. 3. n. 13. Angel. verb. Profeſſio n. 1.

Abbatem est potestas admittendi illam: vbi autem penes Abbatem simul & conuentum, non potest solus Abbas admittere professionem, adeò vt sic admissa irrita & inanis talis professio foret.

31. Dicendum secundò, quod stando in iure regulæ, apud nos solius Abbatis est Monachos ad professionem admittere, adhibito tamen suorum consilio Monachorum. Ratio est, quoniam regula sancta decernit suprà c. 3. *Quoties aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, conuocet Abbas omnem congregationem, & dicat ipse vnde agitur, & audiens consilium fratrum tractet apud se, & quod vtilius iudicauerit, faciat.* Ecce qualiter præcipua Monasterij arbitrio Abbatis committuntur, adhibito tamen consilio fratrum suorum.

32. Sed numquid tenebitur Abbas sequi consilium congregationis suæ? Quidam apud Azor. negant: quia Abbas nullo iure compellitur ad sequendum consilium fratrum suorum. Et quia vbi non consensus aliorum, sed consilium requiritur, satis est expectare consilium, non expectato consensu. Alij apud Sanchez affirmant: eo quod consilium quod ad hæc Abbas expectare tenetur, est consilium fratrum, penes quos est facultas erga res Monasterij. Est autem in Iure receptum quod quando consilium petitur à collega vel à participe officij, non tantùm est audiendum, sed obsequendum etiam.

Azor vbi supra q. 5. ar. 3.

Thom. Sanchez vbi supra n. 65.

33. Tertiò, ad idem dicendum, iure ipso regulæ tantùm teneri Abbates ad petendum cõsilium, non tamen ad sequendum. Ratio est, quoniam vbi præcipit D. Pater, (vtique cap. 3. citato) *quoties aliqua præcipua agenda sunt, conuocet Abbas omnem congregationem*; ibi etiam subiungit, *& audiens consilium fratrum, tractet apud se, & quod vtilius iudicauerit faciat.* Si igitur iudicio Abbatis relinquitur resolutio eorum quæ præcipua sunt, consequens est, vt penes Abbatem sit absoluta authoritas & potestas creãdi Monachos, illósque ad professionem admittendi: quoniam id inter præcipua Monasterij connumerandum est. Si autem vt id legitimè fieret, sufficeret consuetudo legitima, vt patet ex primo dicto: cur non sufficiet etiam canon tam sanctæ, támque à Pontificibus confirmatæ regulæ?

34. Dicendum quartò: iure communi, & iuxta priuilegia ordinis nostri, & secundum constitutiones statas, & sanctiones vsu receptas, penes Abbatem simul & conuentum est creare Monachos, & nouitios ad professionem admittere: adeò vt professio data ab Abbate in solidum reclamante maiori parte conuentus, irrita prorsus fieret. Hoc patet ad sensum inspectis Bullariis & codicibus ordinationũ nostræ congregationis Hispanicæ: eltque rationi conueniens. Æquum siquidem est, vt quod omnes tangit ab omnibus debeat approbari. Quare sicut qui professionem emittit, toti se cõgregationi obligat, & vltrò ac sponte se obligat; sic etiam tota cõgregatio sponte & vltrò debet

se obligare ei, & non solùm Abbas, vt contractus legitimè fiat, nimirum vltrò citroq; æqualis. Et idem de Religionibus aliis sentiũt Nauarrus, Emanuel Rodriguez, Thomas Sanchez, & alij apud eum, dicentes, quod Episcopo iubente recipi Monialem ad Monasterium sibi subiectum, non est recipienda contradicente maiori parte cõuentus. Vnde Ioannes Monachus, Archidiaconus, Ioannes Andreas, Geminianus, & alij apud Ioannem Azor. pro constanti asserunt, Monachorum creationem & acceptationem legitimam professionis illorum pertinere ad Abbatem simul & cõuentum; & hoc iure communi. Quod probant ex cap. vltim. de regularibus in Sexto; & ex cap. Ea noscitur, de his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.

Nauarr. lib. 1. cõsil. tract. de constit cõsil. 9.

Emanuel Rod. tom. 3. qq. regular. q. 17. art. 7.

Sanchez vbi suprà c. 1. n. 65.

Azor vbi supra cap. 5. q. 3.

35. *Quam petitionem*, &c. Requisitum professionis scribendæ essentiale non est: siquidem professio tacita est verè professio, quæ tamen scripto non traditur. Imò (vt Thomas Sanchez notauit) professio etiã expressa nullis verbis indiget, sed potest nutibus fieri: quia nullibi reperitur verba esse necessaria. Quare mutus à natura potest profiteri, sicut & vxorem ducere. Quod si verbum non èst necessarium, consequens est, quod nec scriptura; siquidem tam scriptum quàm prolatum verbum est. Nihilominus quod professio scripto fiat præcipitur non tantùm hic, verùm & in Iure, & ibi Glossa, Siluester, Tabiena & Armilla in suis summis verb. religio, vel Monachus. Expedit enim visibile aliquod extare testimonium authenticum, quo (si opus fuerit) possit in posterum de tali professione constare. Quapropter professus tacitè potest compelli vt expressè profiteatur in scriptis, ad hoc vt in posterum valeat eius professio probari. Cùm enim iam sit religioni adstrictus, potest ab ipsa compelli ad præstandum ea, quæ Ius præstanda præscribit.

Sãchez tom. 2. Summa lib. 5. c. 3. n. 2.

20. q. 1. c. fin. Glossa ibi. Siluest. verb. religio 3. q. 1.

36. Itaque vt D. Pater paulo antè constituit professionem fieri in Oratorio, (non quasi non posset vbique fieri; siquidem contrarium nullibi prohibitum legimus, prout habent Glossa, Abbas, Henrriquez, Angelus, Armilla & alij: sed quia sacrificium Deo cùm sit, sacrum requirit locum: & ideo statuitur vt professionem emittens manu sua illam super altare ponat; vtique quoniam scriptum est; *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos*:) sic sancitur professionem scripto tradẽdam, non quasi sit de substantia eius, vt vidimus; sed quia tam profitenti Monacho quàm Monasterio conuenit habere signum authenticum, quo mutuus & reciprocus possit extare contractus. Præsertim cùm nemo possit esse Prælatus, nisi sit expressè professus, vt patet cap. Nullus, de electione in Sexto, & docent Abbas & Gregorius Lopez.

Gloss. in cap. Porrectum de regularib. Abbas ibi. num. 7. Henrriq. c. fin. n. 5. Angel. verb. Professio nu. 3. Armilla il. n. 2. Psal. 50. n. vlt.

Abbas cap. Cùm causam. n. 7 & 8. de elect. Greg. Lopez c. 12 l. 7. p. 1.

37. *Quam cùm posuerit*, &c. Versus iste toties repetendus, est 136. psalmi 118. ante quem, vtique num. 134. dixerat Dauid; *Adiutor & susceptor meus es tu, & in verbum tuum superspraui.* Propter

Aug. ad ps. 118.

pter quod (ait Augustinus) subiecit psalmista versum istum; *Suscipe me Domine*, &c. Apud

Esaiæ 42. 1.

Esaiam etiam dicitur; *Ecce seruus meus, suscipiam eum.* Vnde cùm professionem emittens in Dei se seruitium mancipet, conuenienter orat, vt illum suscipiat Deus, vt in domus suæ contubernalem & habitatorem admittat. Vnde Bernardus explicás

Bern. Ser. 2. in psal. 90.

id psalmi 90. *Dicet Domino, Susceptor meus es tu,* inquit. Possunt omnes dicere, Creator meus es tu: & animalia dicere, Pastor meus es tu: possunt omnes homines dicere, Redemptor meus es tu: at verò susceptor meus es tu, tantùm dicere potest, qui habitat in adiutorio Altissimi. Vnde & addit, Deus meus. Cur non Deus noster? Quia in creatione, in redemptione, cæterísque cõmunibus beneficiis est Deus omnium; sed in tentationibus suis tanquam proprium eum habent singuli electorum. Sic enim paratus est suscipere cadentem, & eripere fugientem, vt videri possit relictis omnibus aliis ei operam dare.

38.

Ambros. 15. octonario in psal. 118.

Diuus etiam Ambrosius explicans hunc eumdem versum ita inquit satis ad rem. Si viuit qui in sinu est Patriarchæ Abrahæ, vt ille Lazarus pauper, quanto magis viuit qui suscipitur à Christo? Quomodo enim potest non in æternum viuere quem æterna vita suscepit, quem totus sibi Christus assumpsit, qui totus verbi est, cuius vita abscondita est in Christo Iesu? Et subdidit. Intoleranda præsumptio videretur dicere Deo, suscipe me, nisi promissum eius adiungeretur, hoc est, vt hoc audere-mus, ipse fecisti, tuo te chirographo conuenimus: quoniam nostrum chirographum sustulisti. Nos fecimus chirographũ mortis, tu scripsisti chirographum vitæ. Ergo non confundas ab expectatione sua seruulum tuũ, quia in te sperat; spes enim non confundit. Et si tribulamur, patientiam subministra, vt ferre possimus. Conuenienter igitur versiculus iste tunc profertur, & toties inculcatur tam à professente quàm à conuentu. Vt autem humiliter possimus dicere Deo, *suscipe me*, præcepit D. Pater vt exquo nouitius professionem emisit, pedibus singulorum sese prouoluat, suppliciter petẽs ab eis, vt orent pro eo. Iniungit etiam, vt qui sic vouit, ex illa die iam in congregatione reputetur: sanè vt sic professionis conatus secundentur, & expleãtur, vtique habitare in domo Domini omnibus diebus vitæ suæ, quia melior est dies vna in atriis eius super millia; & eligibilius est habitare in domo Domini, quàm habitare in tabernaculis peccatorum, quia scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua Domine.*

39.

Res si quas habet, &c. Abundè rem istam discussimus suo loco, vtique ad caput 33. cuius titulus est, An Monachi debeant habere proprium quid. Ad quod negatiuè prorsus responsum est, & semper respondendum: quoniam (vt habent D. Thomas & Bonauentura) primum religionis fundamentum est vera paupertas. Et vt habet Gregor. XIII. in Extrauag. *Ascendente Domino*,

D Tho. 2. 2. q. 183. art. 3. Bonau. tom. 1. opuscul. in breui colloquio. p. 5 c. 6. & tract de reficit. mentis. c. vlt.

pauper

paupertas est religionis murus & propugnaculũ. Vnde Bonauentura ipse & Dionysius Carthusianus. Præcipua causa ob quam religio incipit à suo feruore deficere, est paupertatis relaxatio. Ratio autẽ est, quoniã (vt Cassianus inquit) nulli vilis despectúsque videatur hic morbus, qui sicut potest perfacilè declinari, ita si quemquam possederit, ad sanitatis remedia vix cõcedit peruenire. Receptaculum namque est vitiorum, dicente Apost. Radix malorum omnium est philargyria, id est, amor pecuniæ. Hæc igitur cùm remissam tepidámq; possederit Monachi mẽtem, primitus eum in exigua solicitans, tanquam cui in Monasterio sufficientia non dantur, ad maiora summáque sensim protrahit. Vnde Basil. Pietatis cultor nisi ab omni priuata rerũ possessione liber sit, exactã disciplinã priuata possessione corrumpet.

Idem epist. ad Prouinciales.

Cassian. lib. 7. institut. c. 6. & 7.

1. ad Tim. 6. 10.

40. *Mox ergo in Oratorio*, &c. His cõstat, nouitios olim nullo monachali habitu amictos insignitosve esse, sed suo tantùm seculari indutos vsque ad professionem emissam. Cuius gratia habitus qui nunc dicitur religionis, olim professionis vocabatur: vt patet in Iure, vbi præcipitur, quod militaribus viris festinantibus in Monasterio annumerari, non concedatur habitus monasticus, nisi per triennium in suo habitu probentur. Et alibi dicitur: Siquis incognitus Monasterium ingredi voluerit, ante trieniium Monachi habitus nõ præstetur. Et de Regularibus dicitur: Si ante susceptum huiusmodi habitũ in probatione posiri recedere voluerint, secũdum Regulam Sancti Benedicti non sunt prohibendi ad priorem statum redire; vt in eadem veste in qua venerant, reuertantur.

D. 55. c. Legem.

17. q. 2. c. 3.

cap. Super eo. de Regularibus.

Illa autem vestimenta, &c. Videtur hoc pugnare cum illo superiùs dicto; *Ex die illa non liceat de Monasterio egredi, nec collum excutere de subiugo regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit recusare.* Re tamẽ ipsa non pugnat, quoniam illic de exitu, hic de proiectione agitur. Exquo enim quis professionem emisit, adstrictus manet perpetuæ inclusionis iugo, nisi de licentia Prælati pedẽ extra Monasterij limina mouere detur. Exquo autem contumaciæ morbo & vitio incorrigibilitatis laborat, abscisionis ferro præscindendus est, iuxta superiùs dicta c. 28. ne vna ouis morbida totum gregem contaminet. Et ita vestimenta seculi seruari conuenienter præcipitur, quibus expulsionis tempore talis incorrigibilis vestiatur, vtpote prorsus indignus monastico indumento. 41.

Quia tamen repulsæ istæ iam rarissimæ sunt, vtpote quod incorrigibiles quique perpetuis recipiũtur carceribus (nisi ad aliud necessitas obliget, vt obligat aliquando iustus contagionis metus: vtpote quod animarum pestis non minus, sed longè magis quàm corporum pestis fugienda est, & proinde pestifer toto cælo amouendus,) ideo cõstitutio ista intra annum probationis & pro illo in viridi est. 42.

Illam tamen peritionẽ, &c. Causam huius assignauimus suprà num. 35. & 36. 43.

De filiis

De filiis nobilium & pauperum, qui offeruntur.

CAPVT LIX.

SI quis fortè de nobilibus offert filium suum Deo in Monasterio, si ipse puer minori ætate est, parentes eius faciant petitionem, quam suprà diximus; & cum oblatione ipsam petitionem & manum pueri inuoluant in palla altaris, & sic eum offerant. De rebus autem suis, aut in præsenti petitione promittant sub iureiurando, quia nunquam per se, nunquam per suspectam personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi. Vel certè si hoc facere noluerint, & aliquid Monasterio offerre voluerint in eleemosynam pro mercede sua, faciant ex rebus quas dare volunt Monasterio donationem, reseruato sibi, si ita voluerint, vsufructuario. Atque ita omnia obstruantur, vt nulla suspicio remaneat puero, per quam deceptus perire possit (quod absit) quod experimento didicimus. Similiter autem & pauperiores faciant. Qui verò ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerãt filium suum coram testibus.

1. ANTEQVAM ad textus explicationem accedã, operæpretium duxi inscriptionem capitis aperire. In eo enim quod nobiles contraponit pauperibus D. Pater, sufficiẽter innuit quod nobilium nomine non intelligat eos qui sunt genere illustres, sed diuitiis præditi & præclari. Constat autem nobilitatem generis cum paupertate non pugnare, sed cohærere posse: siquidem Dauid nobilissimus pariter (vtpote ex tribu Iuda) atque mẽdicus fuit, dicente ipso; *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* & alibi: *Ego autem mendicus sum & pauper.* Religiosi etiã generis claritatem cùm retineãt, paupertate premuntur. Baldus enim, Iason, & alij admittunt per ingressum religionis nobilitatem non amitti. Ratio autem est, quoniam, vt habetur in *l. Ius agnationis. ff. de pace.* nobilitas est ius sanguinis quod est incommutabile. Et licet alibi apud Tiraquellum dicatur, quod per ingressum religionis amittitur nobilitas, id tamen intelligendum venit, non quoad sanguinem, sed quoad iura. Quod autem paupertas premat Monachos, adeò cuidens est, vt capite præcedenti

Psal. 87. 16.

Psal. 39. 18.

Bald. c. Cùm in Magistrũ. Iason in leg. Præscriptione. 27. q. 2. cap. Scripsit.

Tiraquel. de nobilitate c. 26.

dixerit D. Pater, quod nec proprij corporis professus Monachus habet potestatem.

2. Nomine igitur nobilium intelligendi veniũt in præsenti diuites: non quasi nobilitas sit annexa diuitiis, vel ecõtrà, sed quia opinione vulgi illi reputantur nobiles, qui iudicantur diuites, dicente Horatio,

Horat lib. 1. epist. *Et genus & formam regina pecunia donat.*

Idem 2. Ser. Satyr 2. & alibi,

Omnis enim res
Diuitiis paret, quas qui contraxerit, ille
Clarus erit fortis, iustus, sapiens, etiam & Rex.

Euripid. in Æolo. Et Euripides ait. Nobilitatis mẽtionem ne mihi feceris, hæc in pecuniis sita est. Et Theophilus *Theoph. lib. 3. Paschali.* Alexãdrinus. Diuitiæ nobis hominibus antiquam donãt familiam. Inde prouenit vt sacræ literæ pro eodem accipiant honestare atque ditare, honestatem & opes. Sap. 10. dicitur: *Honestauit illum in laboribus.* & c. 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* Ratio autem est, quia honestare idem est quod honorare. Diuitiæ autẽ sunt causa honoris, quia pecuniæ obediũt omnia, vt habetur Eccles. 10. 19. *Psal. 113.* Cuius gratia Dauid dixit: *Simulachra gentium argentum & aurũ.* Vnde diues (ait Barro) à diuo, & diuitiæ à diuinitate. Diuitiæ itẽ reddũt homines claros & notos, & proinde nobiles, hoc est, planè palámq; cognoscibiles. Vnde *Iob. 24. 21.* Iob agens de patre moribundo inquit; *Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget.* Id est, siue cognitus digni, vel indigni adhuc tunc tẽporis non cognoscet. Hæc igitur ratio cur honestare etiam apud sacras literas idem sit quod locupletare, vt etiam apud profanos authores Vlpianum & Asconium.

Vlpian. l. 52. ff. de furto. Ascon. orat. 3. in Verrem.

3. Et licet generis claritas non parum commendet Monachos, vt perspicuum est tam in Diuo Parente, quàm etiã in primæuis illis Placido & Mauro, aliisque similibus numero infinitis eiusdem Parentis filiis: adhuc tamen attributum hoc in regula neque exprimitur, neque requiritur, sed neque insinuatur. Fortè quoniã (vt Isidorus habet) ad huius sanctæ militiæ propositum veniunt non solùm liberi, sed plerumq; ex conditione seruuli. Veniunt quippe ex vita rustica, & ex opificum exercitatione, & ex plebeio labore, tanto vtique fœliciùs, quanto fortiùs educati. Quod si non admittantur, graue delictum est. Multi enim ex eo numero verè magni imitandíq; extiterunt: nam propterea infirma mundi elegit Deus, vt confunderet fortia; & stulta mundi, vt confunderet sapiẽtes; & ignobilia mundi, & ea quæ nõ sunt, vt ea quæ sunt euacuarentur, & non glorietur omnis caro corã Deo. Ob id D. Pater c. 2. admittit ad monachatum tam seruos quàm ingenuos, dicens, & indicens Abbati; *Non ab eo persona in Monasterio discernatur, non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi alia rationabilis causa existat.* Iam ad textus explicationem accedamus.

Isid lib. 2. de Ecclesiasticis officiis c. 16.

4. *Si quis fortè*, &c. Supponit hic D. Pater quod D. Thom. in quæstionem

D. Tho. 2. 2. q. 189. art. 5.

stionẽ vertit; rogat enim vtrùm pueri sint recipiendi in religione? Et respondet affirmatiuè. Primò, quia scriptum legimus: *Bonum est viro cùm portauerit iugum ab adolescentia sua.* Secundò, quia communi consuetudine pueri applicantur illis officiis, vel artibus in quibus sunt vitam acturi Huius ratio esse potest, quod nulla ætas docilior (præcipuè ad perfecta & inclyta) puerili est; adeò vt Aristoteles dixerit: Primum hominis institutum à pueritia est. Vnde Basilius. Animus dum tener est adhùc, ritu ceræ impressas in se quascumque formas recipit facillimè, mollissimè cedit, confestim ab ipso initio omnium rerum bonarum imbui propterea exercitatione debet: quò videlicet vbi postea rationis vsus accesserit, & habitum illum rerum diiudicandarum ætas maior attulerit, pietati iam ab ineunte ætate assuetus nullo impedimento cursu vtatur faciliori, cùm & ratio quid expediat admoneat, & ad assequendam fœlicitatẽ id præbeat consuetudo. Quo sanè tempore admittenda est virginitatis professio, tanquam firma iam, & eiusmodi, quæ à proprio consilio iudicióque proficiscatur, ratione iam probè adulta. Ob id etiam Plato monet super omnia puerorum memoriam exercendam, & consuescendam; eo quod minor ætas mollior sit ad disciplinas omnes, præsertim ad illas quæ mores componunt, firmántque.

Thren. 3. 26.

Arist. lib. de morib c. 3. *Basil. reg.* 15. *ex fusis.*

Plato lib. de liberis educandis.

5. Huius bonæ indolis primum fundamentum est, quod pueri non tantùm humiles, verùm humilitatis exemplum maioribus sunt, dicente Christo: *Quicumque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum.* Secundum est, natiua mansuetudo eorum humilitatis semper individuus comes: adeò vt Christus ipse vtramque de se prædicauerit dicens: *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Tertium est, innocentia & simplicitas coæua pueris; vnde Paulus: *Malitia paruuli estote.* Ex quo fundamento tertio consurgit quartum, vtique promptitudo ad obsequendum, pueris agnata omnino. Vnde Ambrosius notauit, quod Abrahamum penè centenarium Deus appellauit puerum, quia pueritiæ innocentiam & obsequium deferebat. Cùm igitur omnia hæc ad institutionem honesti non solùm conducibilia, verùm essentialia sint; conuenienter pueri religioni traduntur, atque religiosis viris, vt sic faciliùs paritérque fœliciùs bonis imbuantur moribus. Quocirca Bernardus expendens quod in apparitione priori Christus puer à Magis inuentus est, iuxta illud Matth. *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius*, notat verbo apparitionis huius subindicatum esse, quod initio conuersionis nostræ nulla magis virtus necessaria est quàm simplicitas humilis (designata à puero & per puerum, nam pueris simplicitas naturalis est,) & grauitas verecunda in matre virgine denotata, quia virginibus cognata verecundia est.

Matth. 11. 29.

Matth. 11. 29.

1. Cor. 14. 20.

Ambr. lib. 1. de Abrahã c. 6.

Bern. Serm. 3. Epiphan.

Matth. 2.

6. Ob idem dicebat Plato. Con-

Plato in dialogo Euthyphron.

sentaneum est primam de ipsis iuuenibus curam suscipere, vt quàm optimi euadant; sicut decet agricolam nouellarum plantarum primam curam gerere. Et *Ambros. Ser. 19. in ps. 118.* Ambrosius. Qui à iuuentute iugum portauerit, & habenis maturi moderaminis teneriora volens colla subdiderit, sedebit singulariter remotus à strepitu interpellantium passionum, & quietus silebit: cui necessum est iam non iurgari cum corpore, decertare cum variis cupiditatibus; quia tulit iugum verbi, anima quæ quærit Deum, quæ captiuas sibi fecit omnes blanditias iuuentutis. Allusit hic Doctor egregius ad illud citatum iam Esaiæ verbum; *Bonum est viro cùm portauerit iugum ab adolescentia sua.* *Thren. 3. 26.* Christus denique ipse: *Sinite paruulos venire ad me; talium enim est regnum cælorum.* *Marc. 10. 14.* Conuenienter ergo pueri in religione admittuntur.

7. *Extra. de regularibus & transitu ad relig.* Obiicit tamen Diuus Thomas, quod extra. de regularibus & transitu ad religionem dicitur; *Nullus tondeatur, nisi legitima ætate & spontanea voluntate.* Sed pueri non videntur habere neque legitimam ætatem, nec spontaneam voluntatem, quia non habent perfectum rationis vsum. Igitur videtur quod non sint in religione admittendi. Et respondet, quod ante annos pubertatis non est legitima ætas, neque spontanea voluntas, ad hoc vt in religione solemniter profiteantur, bene tamen vt enutriantur. Quod sanè responsum consonat non solùm decreto in argumento præmisso, sed etiam quàm pluribus aliis, de quibus in cap. Significatum, & in cap. Ad nostram de regularibus, & omnibus illis quibus olim decernebatur annus quartus decimus viris, fœminis autem duodecimus, ad validè in religionibus profitendum: vtique cap. 1. de regularibus in Sexto, & 20. quæstione 2. cap. 1. Istis etiam quibus denuo tá pro fœminis quàm pro viris emissuris professionem annus decimus sextus expletus assignatur, vtique decreto sacri Concilij Tridentini. *Conc. Trid. sess. 25. de regularibus c. 15.*

S.

Cæterùm hæc valde absona sunt literæ huius capitis, quæ planè procedit de professione monastica scripto facta, & solemniter oblata subtus pallam altaris; & cui mirum in modum fauet Conc. Tolet. quartum sub Bonifacio IV. & Rege Vindemiro: etenim sic inibi habetur. Monachum aut paterna deuotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit, alligatũ tenebit. Proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditũ, & omnem ad seculum interdicimus regressum. Fauet etiam Concil. Vermocense relatum in Iure, quod habet. Audistis quod si pater aut mater filium, aut filiam intra septa Monasterij in infantiæ annis sub regulari tradiderint disciplina, verùm liceat eis postquam pubertatis annos impleuerint egredi, & matrimonio copulari? Hoc omnino deuitamus, quia nefas est vt oblatis à parentibus Deo filiis voluptatis fræna laxentur. Fauet deniq; exemplum quod apud D. Bern. iteris consignatũ habemus. Refert. n. ibi mellifluus Pater, quod *Conc. Tolet. 4. can. 48.* *20. q. 1 cap. Audistis.* *Bern. ep. 1. ad Robertũ nepotem suum.*

cùm

cùm Robertus puer primùm à patre suo fuisset Monasterio Cluniacensi oblatus, deinde ipse regrediens, & in seculo manens Cistercium petierit, ibique à Bernardo per annum probatus Cistercien sem religionem solẽniter professus fuerit, & postea demandatus à Cluniacensibus, Pontifex summus sententiâ pro Cluniaco pronuntiauit, & ita Robertus ad Cluniacense Monasterium reductus fuit. Signum ergo est, quod puerorũ oblatio facta à parentibus pro regulari obseruantia rata secundum iura sit. Fauet etiam ratio, siquidem pueri in Baptismo fide parentũ obligantur, vt habetur de consecratione ex Cypriano desumptum, & (vt notauit Isidorus relatus cap. Quicumque) Anna Samuẽlem puerum natum & ablactatum Deo obtulit pro cunctis diebus vitæ eius. Cùm igitur in susceptione Baptismi intercedat votum, & quidem solemne religionis Christianæ, quo adstringimur perpetuam tenere & profiteri Catholicã fidem: consequens est, vt parentes possint vouere pro filiis perpetuam disciplinæ monasticæ & religionis vitam.

De consec. dist. 4. cap. Baptismi vicem.

Cypr. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas c. 34.

20. q. 1. cap. Quicũmque.

1. Reg. 1.

9. Quid igitur iuris inter tot dissidentia secum & pugnantia iura? Numquid recurrendum est ad asylum & commune brocardicum, distingue tempora, & concordabis iura? Recurrendum sanè. Sed citra confugium hoc aliud tutissimum est, vt non pugnãtia prædicta iudicemus iura: scitum enim est filios impuberes sub dominatiua parentum potestate esse, nisi aliud iura decernant. Quapropter iure parentum impuberes filij olim Monasteriis addicebantur, vt sub regulari disciplina continerentur, prout Doctores hauriunt ex cap. Puella, & planè habetur in Concilio Vormacien si, relato cap. Audistis, habetque Concilium Toletanum decimum. Et adeò firma huiusmodi traditio erat, vt durante infantiæ ac pueritatis ætate impuberi, non liceret filio citra parentum arbitrium & placitum à Monasterio discedere, magis quàm à sponsalibus quæ parentum pactione inierat: ita sanè, vt licet liberum pueris esset à Monasterio discedere, aut etiam à conuentione sponsalium, quibus ipsi sponte se iniecerant, non tamen quando de obedientia parentum eis se implicauerant, prout expressè habetur in cap. Significatũ, aliisque similibus apud Thomam Sanchez in Summa. Annis tamen pubertatis expletis, integrum pueris erat, pro libito manere, aut recedere, quantumcumque à parentibus fuissent Monasterio addicti, aut sponsalibus subiugati; prout videre licet cap. Firma.

20. q. 1. cap. Puella.

Con. Vorm. cap. 22.

20. q. 1. cap. Audistis.

Concilium Toletan. 10. cap. 6.

Sanchez lib. 4. Summ. cap. 18. n. 9.

20. q. 1. cap. Firma.

10. Rata ergo & optima D. Patris doctrina est, quam planè depromptsit ex illa Basilij magni quæ inter regulas fusiores sic habet. Cùm Dominus dicat; Sinite parulos venire ad me: & Apostolus cum laudet, qui ab infantia sacras literas didicisset, idémque alio in loco præcipiat educandos esse filios in disciplina & correctione Domini: prorsus ad eos, qui ad nos accedant, admittendos, nullum non

Basil. regul. 15.

ætatis tempus idoneum esse iudicamus, vel ipsius adeò teneræ atque ineuntis, vt videlicet qui orbati parentibus sint, eos nostrapte spõte ipsi assumamus, & exemplo Iob parentes pupillorũ simus. Qui autem sub parẽtibus sunt, eos ab ipsis ad nos adductos, multis adhibitis testibus recipiamus; vt non demus occasionem his qui volunt occasionem; sed obtrectatoribus nostris maledicendi causa omnis in hac parte præcisa sit. Hæc Basilius.

11. *De rebus autem suis*, &c. Cùm multi sint in auro casus, prout Ecclesiasticus dixit, & in specie illius sit perditio: vtpote quod opes (etiam reconditæ intra viscera terræ) timentur vt irritamenta malorum; præcipit D. Pater quod pueris Deo in Monasterio oblatis, atque illi deditis desperata sit omnis spes habendi quidquam opum, etiam à parentibus suis, quantumuis locupletibus. Et iure quidem: nam si robustissimi iuuenes & valentiores viri, vt expediti ambulent religionis viam, quæ ducit ad patriam, ab omnibus istis abstinent, & voto paupertatis se adstringunt; vt pueri minoris ætatis possint in eadem via gradum expeditè facere, & sic currere, vt comprehendant, numquid opus illis non erit immunes omnino fieri ab onere isto, quinimò & ab vmbra eius? Certè si dixit Seneca: Magnus est ille qui in diuitiis pauper est; sed securior qui caret diuitiis: meritò dicemus & nos, fœliciſſimus qui opibus caret, vtpote quod eius cursus facilior, promptior, velociorq; erit, ac tandẽ sic fœlicior.

Eccli. 31.8.

Seneca epist. 20.

Vel certè si hoc facere noluerint, &c. Etiam in hoc D. Pater æmulatus videtur Basilium, qui cùm inquisiisset, numquid pro his qui traditi fratribus sunt, à propinquis eorum, si dare aliquid velint, accipiendum sit? tale responsum præstitit. Huius rei cura arbitriumque esto penes Antistitem. Verumtamen in hoc, si mea etiam sententia exquiritur, existimo magis consultum iri offensioni multitudinis, & ad ædificationem fidei fore commodius, si repudientur huiusce-modi munera. Siquidem ex illorum susceptione primum illud incommodum nascitur, quod sæpenumero ob eam rem malè audit fratrum respublica. Deinde illud etiam, quod ad sustollendos animos propinquorum illorum, vnde allata illa sunt, causam dant. Adhæc, quod secundum id quod dictum est ab Apostolo de his qui in communi loco priuatas escas haberent, & potiones, & quod illud consequitur, confunditis eos qui non habent, & huiusmodi pleraque. Quare cùm ex ea re tot simul caulæ ad peccatum nascãtur, rectum est, si quæ sunt huiusmodi, ea non accipiantur: & Antistiti facultas detur, vt statuat ipse à quibus sumi, & quæ sumpta sunt, quomodo distribui conueniat. 12.

Basil. interrogatione 304. ex breuibus.

1. *Cor.* 11.

Per hæc tamen vt improbanda non est parentum propinquorumve pietas, qua munifici volunt esse erga Monasterium illud, cui filium nepotemve puerum dedicarunt, sic nec vitio danda est conniuentia Monachorum in admittendis rebus 13.

quæ

quæ eleemosynæ titulo eorum Monasteriis donantur. Vt enim in illis pietas illa est charitas, in istis conniuentia est humilitas. Præterquàm quod si qui altari seruiunt, de altari edunt: cur qui diuitum filiis ministrant, de parentum reliquiis superfluisve nō edent? Procul igitur omni philargyria pulsa, hoc est, auaritia postposita, non dedecet Monachos sponte oblata Monasterio munera recipere.

14. *Similiter autem*, &c Cùm æqua sit pauperis diuitisque (ad ea quę sunt Dei) conditio, idem offerendi modus vtrisque designatur, videlicet petitione facta ad nomen Sanctorum quorum reliquiæ ibi sunt, & ad præsentiam Abbatis, & scripta manu ipsius pueri offerendi, & simul cum manu illius subtus altaris pallam inuoluenda: vt patet ex cōtextu præsentis præcedentisq; capitis. Vnum autem in pauperū oblatione præscribitur, quod pro alia non efflagitatur, vtique fieri coram testibus. Sed præterquàm quod pro vtraque & ad vtramque debet oblationem intelligi requisitum hoc, vt patet ex Basilij fonte, ex quo caput desumptum notaui suprà num. 10. ibi enim legimus; Qui autem sub parentibus sunt, eos ad nos adductos multis adhibitis testibus recipiamus. Adhuc ratio specialis occurrit in oblatione pauperum: vtique necessitas occurrendi calumniis obtrectatorum, quibus (nisi testium authoritas & fides obstarent) nullo nobis negotio obiicerent, quod pauperum filios ingenio præstantes, per fraudem, aut vim ad nostrum institutū pertraheremus.

De Sacerdotibus qui voluerint in Monasterio habitare.

CAPVT LX.

SI quis de ordine Sacerdotum in Monasterio se suscipi rogauerit, non quidem ei citiùs assentiatur: tamen si omnino perstiterit in hac supplicatione, sciat se omnem disciplinæ regulam seruaturum, neque aliquid ei relaxabitur, vt sit sicut scriptum est: Amice ad quid venisti? Concedatur ei tamen post Abbatem stare & benedicere, aut Missas tenere, si tamen iusserit ei Abbas. Sin aliàs nullatenus aliqua præsumat, sciens se disciplinæ regulari subditum, & magis humilitatis exempla omnibus det. Si fortè ordinationis aut alicuius rei causa fuerit in Monasterio, illum locum attendat, quando ingressus est Monasterium, non illum qui ei pro reuerentia sacerdotij concessus est. Clericorum autem si quis eodem desiderio Monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocetur, & ipse tamen si promitit de obseruatione regulæ, vel propria stabilitate.

1. SI *quis de ordine Sacerdotum*, &c. Etsi Sacerdotum status maximè disciplinæ monasticæ eiusque conatibus congruat: vtpote quod (teste Augustino) sicut Reges à regendo dicuntur, ita Sacerdotes à sacrificando: nihilominus D.Pater abnuit illis facilem ingressum ad monachatum concedi, vt etiam cap. §8. abnuerat concedendum laicis, donec probarentur eorum spiritus an ex Deo sint, & experimentum fieret patientiæ pariter & perseuerantiæ illorum. Quæ simul cum aliis eo loci præscriptis ad maturiùs deliberandam intra vel extra missionē nouitij, puncto temporis, sed neque paruo tempore fieri repugnant. Sanè cùm prudentia sit singularium cognoscitiua, & hæc experientiæ sit filia alumnaque: prudentiam enim vsus generat, & non sola natura; experientia autem, ne fallax incertaue sit, non mediocri tempore indiget. Cùm igitur hæc ita sint, planè conuincitur quod ad prudentem repulsam, vel receptionem nouitij opus est tempore congruo & diuturno, quo prædicta tentari & explorari possint. Potissimum autem religiosi affectus indicium adhuc in Sacerdotibus ipsis pulsandi rogandique perseuerantia describitur. Vnde in textu sequitur.

Aug. in psal. 44.

22.q.47.art. 3.

2. *Tamen si omnino perstiterit*, &c. Hoc est, perspecta Sacerdotis perseuerantia in pulsando, & constantia erga implorandum toto corde ingressum, annuatur ei: sic tamen vt renuncietur illi, omnem disciplinam regulæ ad vnguem instar cæterorum seruaturum; & hoc illi ratum compertumque esse debere: siquidem id est quod agitur & geritur in Monasteriis, & ipse ad hoc venerat.

3. Hoc sanè verbo D.Pater præcludit (ni fallor) aditum ad immunitates omnes & priuilegia in regulam, atque in disciplinam monasticam: siquidem Sacerdotibus ipsis omnino denegat ea. Cuius collationis vim vt assequamur, obseruandum est primò, quod, vt ex Gratiano habemus, ex historia Ecclesiastica constat quod vsque ad tempus Eusebij, Zozimi, & Syrici non fiebant Monachi clerici, sed à clericis secularibus Sacramentorum administrationem recipiebant: adeò vt Epiphanius ad instantiam Monachorum quēdam presbyterum ordinauerit, qui Monachis Sacramenta conficeret: vt patet ex epistola Epiphanij ad Ieroſolymitanum Episcopum; in cuius diœcesi illi Monachi erant, & habetur apud Hieronymum. Quare Hieronymus de se, vt de Monacho, dixit ad Heliodorum. Clerici pascūt oues, ego pascor, vtique Sacramentis, prout habet Glossa. Secundò, obseruandum est, quod sine presbyterorum consilio nihil Monachis agere licebat; vt habet Hieronymus Rustico Monacho scribens, & refertur cap. Ecclesiæ, inducendo ad idem quod Roboam filius Salomonis ideo perdidit Regnum, quia noluit audire presbyteros suos. Verbum autem Hieronymi explicat Gratianus non quidem de presbytero seculari, sed de regulari

Gratianus 16. q.1. cap. Hinc est.

Hieron t.2. epist.60.

Idem epist.1. relata cap. alia causa. 16.q.1.

Idem epist.3. relata ibi. cap. Ecclesia.

2.Reg.14.

Gratianus 16. q 1. cap. Ecclesia.

lari tantùm qui debet à consiliis esse.

4. Si igitur Sacerdotes à quibus spiritalia potissimè, & per quos temporalia expectantur, omni immunitatis genere D.Pater priuat in regulam; quosnam (rogo) exemptos & immunes volet in illam? Numquid est altior alius, conducibiliorq; nunc, aut etiam in Monasterio magis necessarius gradus gradu sacerdotali pro tunc? Si igitur aduersus tenorem monasticæ disciplinæ illis tunc temporis D.Pater negauit priuilegium, quibusnam concessum permissumque volet nunc? Peccant ergo in regulam, qui priuilegiis gaudent aduersus illam. Priuilegia autem sunt omnia illa, & solùm illa, quæ personarum acceptio meritò dici possunt: non autem illa, quæ infirmitatum, laborum, occupationũ, similiumque sunt (prout alibi D. Pater insinuat) consideratio. Qui enim ob publica commoda, v.g. legendi ad docendum è cathedra, assiduè vtiliterque ad populum concionandi, substantiámve Monasterij diu noctuque gerendi, curandi infirmos, hospites comitandi, aliáque monastica officia cum chori, v.g. assiduitate pugnantia, à chori residentia eximuntur, non chori dispensatione, sed laboris commutatione in quid durius grauiusque fruũtur; si tamen, prout opus est, in istorum exercitio occupantur: aliàs iniquè eximuntur, & cum cæterorum scandalo relaxantur, & graui omnium stomacho.

5. *Concedatur eis*, &c. Hieronymi elogium est. Illius Monachi vita laudanda est, quæ veneratione habet Sacerdotes Christi, & non detrahit gradui per quẽ Christianus factus est. Quare D. Pater, vrpote non tantùm Monachus virtute inclytus, sed Monachorum huiusmodi princeps & Pater, adeò Sacerdotes sibi etiam subditos veneratus est, vt primum post Abbatem locum illis concedat: item de licentia Abbatis officium sacerdotale exequi, nimirum benedicere, solemniterque celebrare, quæ in Monasteriis omnibus magnæ authoritatis sunt. Sed fortassis quantum ad hæc obiiciet aliquis, non satis reuerenter cum illis actum esse. Primò, quoniam Romana Synodus sub Zacharia Papa relata cap. A subdiacono, dixit. Pontifici presbyter, presbytero diaconus, diacono subdiaconus, subdiacono acolythus, acolytho exorcista, exorcistæ lector, lectori ostiarius, ostiario Abbas, Abbati Monachus in omni loco repræsentet obsequium siue in publico, siue in gremio Ecclesiæ. Igitur potiùs post Sacerdotes Abbas, quàm post Abbatem Sacerdotes stare deberent. Secundò, quia vt habet Hierony. relatus cap. Alia causa, agẽs de vita solitaria. Alia causa est Monachorũ, alia clericorum. Clerici pascunt oues, ego pascor. Illi de altari viuunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem. Illis, si peccauero, licet me tradere Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini Iesu. Hæc autem dum Grossa exponit, inquit. Heliodorus Episcopus quæsiuit à Hieronymo, quis

Synodus Romana can. 4. 93. dist. cap. A subdiacono.

Epist. 1. ad Heliodorum relatus 16. q.1. cap. Alia causa.

Glossa. in cap. Alia causa.

Hieron. t. 1. epist. 10.

quis sit máior,clericalis ordo an monachalis? Et respondet quod clericalis;& hoc probat quatuor rationibus. Prima, quia Monachi à clericis Sacramenta suscipiunt. Secunda, quia Monachi mortui sunt mundo,clerici verò de altari viuũt. Tertia,quia Monacho ante presbyterum sedere non licet. Quarta,quia Monachi à clericis excommunicantur.

6. At præterquàm quod alia habenda est ratio Sacerdotis exẽpti,de quo inducti canones,alia verò subditi & Monachi , de quo litera nostri textus procedit, tanquam de Sacerdote, per omnia sicut cæteri Monachi Abbati vt proprio capitĩ & moderatori subdito , & disciplinæ regulari subiecto ; & proinde inferiori Abbati, ciusq; obediẽtiæ ac directioni adstricto. Igitur præter hoc , atque etiã præterquàm quod Glossa in cap. A subdiacono, dicit quod in allegato elogio Zachariæ Papæ in Romana Synodo verè nulla mẽtio inuenitur de Abbate & Monacho in correctioribus editionibus illius Synodi ; ex quo sequitur quod de industria(ne dicã de malitia) alicuius obrepsit, vt monachali statui detraheret & illum in hac parte deprimeret: Abbates enim & Monachos non solùm Episcopis & presbyteris,verùm etiã acolythis,exorcistis , ostiariis & lectoribus postponere,multum illos deprimere & à gradu deiicere est:cùm Dionysius Areopagita dicat. Porrò initiandorum omnium excellentior ac sublimior ordo Monachorum est.

Dionys. de Eccles. hierarchia.parte 1.cap.1.

7. Igitur præter hæc, illud pro comperto & constanti habendũ est, quod Monachorum Abbas regularis debet esse Sacerdos. Primò, quoniam (vt Gratianus obseruat,Abbas iuxta præscriptũ regulæ cap. 11.) debet benedictionem impendere non tãtùm ingrediẽtibus,& egredientibus à suis officiis fratribus, verùm etiã lectiones in choro recitaturis. Benedicendi autem munus,præsertim solemne & publicum, & maximè in choro , & ad ea quæ concernunt chorum & officium diuinum,quis vnquam dixit Sacerdotum nõ esse?Secundò,quia (vt Hieron.dixit) sine presbyterorum consilio nihil Monachis agere licet. Quis autẽ somniauit aliquando quod conuentus de licentia Abbatis nõ possit quidquã exequi? Debuit ergo Abbas esse presbyter. Tertiò,quia aliàs non daretur ei Abbatia in titulum,sed in commendam, cap. 3. de ætate & qualitate ordinãdorum. Quartò , quia si cap. Alia causa,ex Hieronymo dicitur ; Si munus ad altare nõ defero,ante presbyterum sedere non licet: consequens est, quod si deferre munus ad altare,sit idẽ quod Sacerdotis officium obire , debeat Sacerdos fieri,cui Sacerdotes tenentur submittere caput , loco cedere , & agendorum ordinem modumque ab eius directione expectare:vtique Abbas.Dicitur enim in textu:*Sin aliàs,nullatenus presumat aliqua, sciens se disciplinæ regulari subditum;& magis humilitatis exempla omnibus det.* Id est , nec benedicere , nec missas canere,neque quiduis aliud sine Abbatis iussu tentare , aut prætendere audeat.Quod si quilibet regularis

Grat. 16.q.1.cap.15 sanctum est.

Hieron.ep.1. ad Rusticum Monachum.

16.q.1.cap. Alia causa.

regularis Abbas debet esse Sacerdos; quid (breuiter hoc dico) Abbatum Abbas Benedictus Pater? Hoc breuiter ego intulerim in vnũ quemdam vel alterũ, qui nescio quo ducti sydere Patriarchæ nostro sacerdotium negare tentarunt. Cõtra quos venit legendus doctissimus & selectissimus ille rerum Benedictinarũ Chronologus (quondã Apostolicus mihi apud Salmanticenses Præsul, post vice versa, vel potiùs euersa, apud eosdẽ Salmantinos primò, deinde apud Vallisoletanos humilis subditus, & vbique virtutum omnium moralium & intellectualium genere clarus) vtique Magister sapientissimus Antonius de Yepes, qui doctè pariter & subtiliter rem istam vt cuncta prosequitur, & absoluit scientificè. Et per hoc sit satis priori argumento.

Fr. Antonius de Yepes t. 1. Chronicorũ S. Domini.

8. Ad secundum autem respondetur, tantùm probare quod cæteris paribus, officium presbyteri præstet officio Monachi: quia, vt Hier. habet, relatus cap. Monach. Monachus non docentis, sed plangentis habet officium. Vnde Eugenius Papa relatus cap. Placuit, dixit. Monachus sedeat & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem viuit. Et Leo Papa scribens Theodorito Episcopo Cypri, relatus in Iure ait. Statuimus vt præter Domini Sacerdotes nullus audeat prædicare, siue laicus, siue Monachus ille sit, qui cuiuslibet scientiæ nomine glorietur. Et licet postea cócessum sit dignioribus Monachis sacris omnibus initiari, vt patet ex Gelasio Papa, imò longè antè ex Syricio Papa, Monachis quibuscumque: illis tamẽ prohibebatur Sacerdotũ munia exequi extra Monasteria sua, vt patet ex 16. q. 1. per multa capita. Cæterùm postea Monachis indultum plenissimè est officia Clericorum per omnia exequi, Bulla Gregorij magni & Bonifacij, de quibus eadem causa & quæstione, cap. Ex authoritate, & cap. Sunt nõnulli. Rationem autem Gratianus inducit, quia scilicet in cõsecratione Monachorum nihil minus dicitur quàm in consecratione clericorum, & nihil magis conceditur istis quàm illis. Vnde æqualis potestas conceditur, aut negatur; vtriusque enim facultas conceditur offerendi tam pro viuis quàm pro defunctis; & vtriusque Spiritus sanctus datur, vt quorum peccata dimiserint, aut retinuerint, dimissa aut retenta sint, quæ dicitur potestas ordinis, & vtriusque huius potestatis exequutio interdicitur absque Episcoporum licentia. Quare Monachi iam dudum presbyteris in dignitate Sacerdotali æquiparantur; & illos in perfectione monasticæ disciplinæ multum excedunt. In scientia autem quid?

Hier. ad Ripariũ presb. 16. q. 1. cap. Monach.

Leo epist. 61. aliàs 63.

16 q. 1. cap. 19.

Gelasius relatus 16 q. 1. cap. Siquis. Syricius relatus ibi. cap. Monachos.

16. q. 1. cap. Interdicimus. cap. Iuxta Chalcedonens. & cap. Placuit.

Gratianus sup. cap. Generaliter. 16 q. 1. §. Ecce.

9. *Si fortè ordinationis*, &c. Humillimos D. Pater sui Monasterij Monachos Sacerdotes vult præcipit siquidẽ illis, ne de loci eminentia tumeant, sed potiùs quod præ oculis habeant, ac mẽte semper euoluant infimum & nouissimũ, qui illis tanquã nouissimis debebatur, locum, obliti prorsus illius qui pro sacerdotali dignitate illas conceditur. Etenim lapis excultus quãtumuis in sublime euectus, semper

deorsum propendet, suumque in centrum collimat, animaque separata in corpus suum etiam incineratum respicit: sic vult D. Pater vt Sacerdos Monachus, nouissimè in Monasterio receptus, quamtumuis prope Abbatem assideat, mente tamen euoluat infimum, qui debebatur illi ratione monachatus, locũ. Quasi diceret: ne Sacerdos Monachus efferatur ratione eminentioris loci, quem occupat, quia illi nõ propter personam, sed propter officium datur; quod sanè humiliationis potiùs debet esse argumentum, quàm elationis. Veluti cùm D. Thomas explicans illud, *expauescit virgo de lumine*, inquit. Ex hoc ipso quod homo supra seipsum eleuatur, pars eius inferior debilitatur, ex quo perturbatio prouenit, sicut etiam calore naturali ad interiora reducto exteriora tremunt. Quare timendum est in sublimia euectis, ne inferiorum, etiam connaturalium obliuiscantur.

D.Th. 3. p. q. 30. art. 3. ad 3.

Luca 1.

10. *Clericorum autem*, &c. Clericorum nomine iura intelligunt omnes Ecclesiasticos viros, qui sunt de sorte Domini à maiori vsque ad minimum gradum, vtique Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sacerdotes, Diaconos & Subdiaconos, & reliquos initiatos vsque ad nouissimum gradum Ecclesiæ, prout videre licet apud Concilium Colonienſe tertium ex Diuo Hieronymo, & in Concilio Aquisgranensi primo sub Ludouico Imperatore, vbi ex Isidoro dicitur. Omnes qui in Ecclesiastici ministerij gradibus sunt ordinati, generaliter cleri nominantur. Cleros autem vel clericos appellatos Doctores nostri dicunt, quia Mathias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum: sic & omnes, quos illis temporibus Ecclesiarum principes ordinabant, sorte eligebant. Nam cleros sors interpretatur. Vnde & hæreditas Græcè cleronomia appellatur, & hæres cleronomos. Proinde ergo clericos vocari dicunt, eo quod in sorte hereditatis Domini dãtur; vel pro eo quod ipse Dominus sors eorum sit: sicut eis dictum est loquente Domino, ego hæreditas eorum. Hic tamen D. Pater sub nomine clericorum illos dumtaxat comprehendit ordines, qui sub presbyteratu sunt: vt patet ex eo quod Sacerdoti concedit primum post Abbatem gradum, his autem clericis non nisi moderatum aut mediocrem, honorabilem tamen: nam etiam hi honorantur à Deo, dicente ipso de Leuitis; *Ego tuli Leuitas de filiis Israël pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filiis Israël, eruntque Leuitæ mei.* De his igitur atque cum his fieri decernit, quæ cum omnibus aliis ad conuersionem monasticam venientibus fieri decreuerat, vt prudenter & non temerè admittantur.

Concilium Aquisgran. cap. 99. Isidor. lib. 2. de officiis.

Num. 18.

Num. 2.

Conc. Colonien. parte 2. cap. 1. & 2. Hier. epist. ad Nepotianũ.

De

De Monachis peregrinis.

CAPVT LXI.

SI quis Monachus peregrinus de longinquis prouinciis superuenerit, si pro hospite voluerit habitare in Monasterio, & contentus fuerit consuetudine loci quam inuenerit, & non fortè superfluitate sua perturbat Monasterium, sed simpliciter contentus est quod inuenerit, suscipiatur quanto tempore cupit. Si qua tamen rationabiliter, & cum humilitate charitatis reprehendit, aut ostendit, tractet Abbas prudenter, ne fortè propter hoc ipsum Dominus direxerit. Si verò postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas, & maximè quia tempore hospitalitatis potuit eius vita dignosci. Quod si superbus, aut vitiosus inuentus fuerit tempore hospitalitatis, non solùm non debet sociari corpori Monasterij, verùm etiam dicatur ei honestè vt discedat, ne eius miseria etiam alij vitientur. Quod si non fuerit talis, qui mereatur proiici, non solùm si petierit, suscipiatur congregationi sociandus, verùm etiam suadeatur vt stet, vt eius exemplo alij erudiantur; & quia in omni loco vni Domino seruitur, & vni Regi militatur. Quem etiam si talem esse perspexerit Abbas, liceat eum in superiori aliquantulum constituere loco. Non solùm autem Monachum, sed etiam de supradictis gradibus Sacerdotum, vel clericorum, stabilire potest Abbas in maiori, quàm ingrediatur loco, si eius talem prospexerit esse vitam. Caueat autem Abbas, ne aliquando de alio noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat, sine consensu Abbatis eius, aut literis commendatitiis, quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

1. *Si quis Monachus*, &c. Haud dubium quin appareat alicui niniæ charitatis insigne, peregrinum Monachum prorsus ignotum inquilinum Monasterij admittere, & hospitem habitualem creare, & tamen ob id solùm quod id ei ita placuerit. Etenim cùm scriptum sit; *Filij alieni mentiti sunt mihi.* & Salomon dicat; *Secretum exteriori noli reuelare.* &, *Coram extraneo non* *Psal.* 17.46. *Prou* 15.9. *Eccli.* 8.20.

facias consilium, nescis enim quid pariet. & Esaias: *Non sit in vobis alienus.* & Ioël; *Alieni non transibunt per eam.* Cùm igitur hæc scripta sint, videtur quod non tã facilis esset extraneo ignotóque Monacho concedendus Monasterij incolatus. Præsertim quod de sentẽtia Basilij, Monachi Monasteria murantes vitandi sunt. Et pro ratione inquit, mutabilitatem istam diabolicum esse cõmentum ad omnem religiosę vitæ ordinem labefactandũ: econtráque sedatam animi quietem requietámque constitutionem virtutis esse argumentum certissimum; & proindeamplectendá nobis maxima ex parte quietem, ita vt quisque in loco sibi assignato viuat, & constanter quiescat, vt sic animi sui stabilitatem statam faciat & scitam.

Esaiæ.43.17. *Ioël 3.17.* *Basil. in cõst. monast.c.8.*

2. Neque argumento sit satis huius capitis verbis vltimis, quibus Diuus Pater constituit, ne Monachus vnius Monasterij admittatur ad habitandum in alio sine consensu Abbatis sui, aut etiam commendatitiis literis. Contrà enim est quod id tantùm decernitur de Monasterio noto. Dicitur enim; *Caueat Abbas ne aliquando de alio noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat, sine consensu Abbatis sui aut literis commendatitiis.* At in his plus periculi imminet quàm in aliis, vrpote minus notis.

3. Cæterùm cùm incolatus iste non magis diuturnus sit, quàm sit diuturna Monachi boni concepta spes: siquidem in textu subiicitur; *Et non fortè superfluitate sua perturbat Monasterium, sed simpliciter contentus est quod inuenerit:* nihil discriminis timendum occurrit in receptione eius, neque quidpiam temeritatis in admittendo illo: quippe quod in fauorem Monachi præsumendum est, nec indignè de illo iudicandum, quamdiu malignitas eius non eruperit: vtpote quod professione religiosus specie bonus est, & quem humana fragilitas improbum non nouit, probum debet iudicare.

4. Neque obstant argumenta Scripturæ, quoniam illis tantùm conuincitur arcana committenda non esse ignotis, aut exteris, neque multum spondendum pro illis, non verò quod nihil. Illud enim temeritatis esset, hoc autem malignitatis. Certè si Dagonis idolum exquo truncatis brachiis & capite inuentum est, admitti potuit in templo coram Dei arca: consequens est, vt Monachus quantumuis ignotus, quinimò & dyscolus, admitti in Monasterio possit, dummodo iam supplex & humilis morigerúsque inueniatur. Vnde Dauid: *Mihi alienigenæ amici facti sunt.* & Esaias; *Ecce nomen Domini venit de longinquo, & claritas eius replet orbem terrarum.* Non igitur omnia extera repudiãda sunt, aliquod enim eorum pretium procul & de vltimis finibus.

1.Reg.5.4. *Psal. 59.10.* *Esaiæ 30.*

5. Neque similiter obstant quæ de Basilio induximus: quoniam Basilius non loquitur nisi de illis Monachis, qui quouis visendorum prætextu à Monasterio egrediuntur; vt prima illius capitis verba habent. Quod adeò verum

Basil. vbi suprà.

verum est ; vt post medium capitis scripserit. Neque verò tamen propterea perpetuò est tanquam in custodia permanendum, sed quandocumque & res poscit, & conscientia non reprehendit, liberè est fidentétque prodeundum: & de fratribus probatissimi quique inuisendi, & ex fructuoso congressu illorum virtutum exempla capienda. Ita tamen vt in prodeundo modus teneatur, & praua omnis suspicio euitetur.

6 *Si qua tamen*, &c. Ecce qualiter Diuus Pater bonam de Monacho prorsus ignoto existimationem concepit, siquidem reprehensionem ab illo ex charitate simul & humilitate profectam venerandam iudicat, & adeò magni pendendam, vt existimet dignam. quæ à Domino sit directa. Sanè vt peregrinus Dominus discipulos in Emaus pergentes de stultitia simul atque de duritia cordis reprehendit Lucæ 24. sic facto repugnans non est, vt peregrinum ad Monasterium Dominus Monachum aliquando dirigat, vt cùm Monasterij minus digna taxat, Monachi eius ad meliorem se frugem cóuertant. Testatum monumentis legimus, & propria in domo picturis delineatum conspicimus, quod dum iniuria Principis exul à Monasterio Diui Æmiliani Sanctus Dominicus Silensis in Cœnobium Sancti Sebastiani appulisset, & tempore quo conuentus maiori (quod aiunt) Missæ intererat, & Diaconus Euangelij recitationem iam iam finiret, fortè Dominicus ipse exul omnino & exterus, Monachus tamen, per Ecclesiam intraret: tunc Sacerdos finito Euangelio cùm ad populum se conuertisset, vt (quod moris & iuris est) *Dominus vobiscum* intonaret, loco huius repentè intonuit: *Ecce reparator huius domus*, cui etiam ex tempore respondit conuentus è choro; & *Dominus misit eum.* Et verè misit: nam vt eius acta referunt, claritate miraculorum quæ per seruum suum Dominicum operabatur Dominus, tam celebris factus est locus ille (sterilis aliàs & infrequens) vt eo tempore per Hispaniam nullus magis: Cœnobiúmque in augustiorem formam erectum magno etiam Monachorum numero coaluit, Regibus ac populis multa illi certatim offerentibus. Inde colligitur Diuum Patrem tanquam diuinitus edoctum subolfeciſſe exteros aliquando & ignotos Monachos ad aliena Monasteria migrantes magno illis vsui esse posse. Vnde in textu sequitur.

Historia Sancti Dominici de Silos.

7 *Si verò postea*, &c. Sensus est, hospes iste & exterus Monachus qui morigerus hospitij tempore & probus inuentus est, si permanere voluerit, & stabilitatem suam in illo Monasterio firmare, non tantùm non denegetur ei, verùm (si opus fuerit) offeratur & suadeatur in exemplum & commodum aliorum: si verò dyscolus, non concedatur ei, sed cito citiùs vt honestè discedat, procuretur, ne miseria illius vitientur alij. Certè, vt ait Dauid; *Cum sancto sanctus eris,* *Psal 17.1.*

& cum

& cum electo electus eris, ita etiã, *cum peruerso peruerteris*. Bonis enim sociari, in idem recidit atque beneficiis perfundi, vt accidit Labano propter Iacob, iuxta
Gen.30.29. id Gen. *Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc dines effectus es, benedixitque tibi Dominus ad introitum meum.* Accidit etiam idem Ægyptio propter contubernium Ioseph, iuxta id
Gen.39.5. Gen. *Benedixit Dominus domui Ægyptij propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus quàm in agris cunctam eius substantiam.*
1 Reg.19. Accidit etiam Saüli, qui inter Prophetas prophetauit. Accidítque omnibus illis qui in naui
Act.17. comitabantur Paulum. Refertur enim quod sæuiente procella in mari, omnes qui in naui erant, occasione Pauli salui facti sunt.

8. Malorum contuberniũ econtrà etiam bonis & optimis exitio est: scriptum quippe habe-
Eccli.13.1. mus apud Ecclesiasticum; *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint confringetur.* Vnde
Exod.16.26. Moyses ad populum Israël: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involuamini in peccatis eorum.* & Petrus: *Saluamini*
Act.2.40. *à generatione ista prava.* & Paulus
2. Cor. 6. ex Isai.52.12. ex Esaia: *Recedite, recedite, exite inde: pollutum nolite tangere, exite de*
Gen.39.12. *medio eius.* Idcirco Ioseph castissimus pallium in manu turpissimæ dimisit fœminæ, quia (vt
Ambr.lib.de Ioseph.c.5. notauit Ambrosius) contactus impurissimæ manus contagione
2.Petr.2.7. pestilenti pollutum esset. Et Petrus pro ingenti beneficio retulit quod iustum Loth Deus de medio impiorum eduxerit, etiãsi per exilium, & hoc festinum & properum. Et Nazianzenus quærens cur agnus Paschalis festinè edẽdus esset, iuxta id Exodi; *comedetis festinantes*, respondet, ne in eam culpam incidamus, à qua diuino interdicto Loth auocabatur: nimirum à sodalitio & contubernio malorũ. Huius gratia prudentissimus Seneca. Ante circumspiciendũ est cum quibus edas & bibas, quàm quid edas & bibas. Quod apprimè illi Pauli elogio arridet; *Ne commisceamini fornicarijs, & cum huiusmodi nec cibum sumite. An nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit?* & mox: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Igitur vt admittendi & rogandi, quinimò & trahendi ad sodalitatem Monachorum boni, sic declinandi totóque cælo fugiendi ac repellendi sunt improbi.

Naz.in Orat.2.de Pascha. *Exod.12.11.* *Senec.ep.19.* *1.Cor.15.33.*

Quem etiam si talem, &c. Cùm 9.
honor sit præmium virtutis, vt ex Aristotele D. Thomas nos- *D.Tho.2.2. q.63.a.3.*
docuit, & sublimior locus honoris gradus habeatur, dicente Domino: *Amice, ascende superiùs.* *Luc.14.10.* *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus*; iure eminentioris virtutis Monacho eminentior locus designatur. Quod si nimietati ab aliquibus detur cuiectio ista in Monasteriis, in quibus humilitas præstat multis aliis virtutibus, aduertẽdum est quod ratione virtutis eminentioris conceditur, & concedenda venit etiam in Monasteriis: nam etiam in Monasteriis, imò maxiimè in Monasteriis locum haber

habet illud psal. *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Nec propterea elationis vanitas in huiusmodi ob virtutem euectis timenda est: quoniam, vt mox subiicitur, *nimis confortatus est principatus eorum*, hoc est, satellitio virtutum. *Psal.* 138. 18.

10. *Caueat autem Abbas*, &c. Hoc ipsum sancitum legimus in Agathensi Concilio sub Cæsareo Episcopo Arelatensi anno 506. & refertur cap. Monachum. Ibi enim præcipitur quod Monachus migrans de vno Monasterio ad aliud sine licentia sui Abbatis, Abbati suo authoritate canonum reuocetur. Et quidem conuenientissimè: quoniam præterquàm quod si inciuile, inurbanúmque prorsus etiam apud laicos ducitur, quod vnius seruum admittat alius sine licentia prioris domini, quid fratrem? Adhuc in Monachis vrget peculiaris inconuenientis ratio: vtique quoniam aliàs Monachi distraherentur, & dilaberentur facillimè in maximum religionis dispendium; quod vel auditu horridum, & dictu nefarium est. Quocirca sanctionibus congregationis nostræ sæpe cautum est, ne vel Generalis ipse congregationis Pater de vno in aliud Monasterium transferat Monachos, nisi de consensu & placito Abbatum suorum, nisi grauis aliàs necessitas vrgeat. *21. q. 4. cap. Monachum.*

De Sacerdotibus Monasterij.

CAPVT LXII.

SI quis Abbas presbyterum sibi vel diaconum ordinari petierit, de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi. Ordinatus autem caueat elationem aut superbiam, nec quidquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multo magis disciplinæ regulari subditum. Nec occasione sacerdotij obliuiscatur regulæ obedientiam & disciplinam, sed magis ac magis in Domino proficiat. Locum verò illum semper attendat, quo ingressus est Monasterium, præter officium altaris, si fortè electio congregationis, & voluntas Abbatis pro vitæ merito eum promouere voluerit. Qui tamen regulam à decanis, vel præpositis constitutam sibi seruandam sciat. Quod si aliter præsumpserit, non vt Sacerdos, sed vt rebellis iudicetur. Et sæpe admonitus si non correxerit, etiam Episcopus adhibeatur in testimonium. Quod si nec sic emendauerit, claresccntibus culpis, proiiciatur de Monasterio: si tamen talis fuerit eius contumacia, vt subdi, aut obedire regulæ nolit.

1. SI quis *Abbas*, &c. Hinc liquidò cóstat, tempore Diui Patris vsum iam obtinuisse, vt sacris Monachi initiarentur & Sacerdotes fierent. Quod sanè conuenientissimum erat: nam si presbyter debet esse irreprehensibilis vitæ, & vxoris expers, prout Basilius habet, integer virtutibus & immaculatus, prout habet Cyprianus ad Stephanum: & non tantùm gradioribus quidem, sed neque minoribus tinctus imperfectionibus, vt habet Ambrosius: & tandem virtutum omnium, præcipuè pudicitiæ & continentiæ thesaurus, iuxta id Hieronymi. Pudicitia sacerdotalis postulat, vt non solùm ab opere se immundo abstineat, sed etiam à iactu oculi & cogitationis. Et iuxta illud Ambrosij: Rectè comparantur apibus Sacerdotes, quia sicut apes castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cælestis exhibent, aculeum legis exercent, puri sunt ad sanctificationem, suaues ad refectionem, securi ad vltionem. Quos magis (rogo) sacerdotium concernet quàm Monachos, quos horum omnium commendat integritas, & quidem non tantùm explacito, sed ex voto, & non in actu tantùm qui intermittitur, sed in habitu etiam atque statu? Vnde optimè Ambr. Religionis insignia sunt arma Sacerdotis.

Basil. ad c. 3. Esaiæ.
Cypr. lib. 2. epist. 1. ad Steph.
Ambros. lib. 10 ep. 82.
Hier. sup. ad Titum 1.
Ambr. Serm. 83.
Ambr. lib. 7. in Lucam.

2. Quod si roges, cur ergo Monachi à sacris se olim continebant ordinibus, & maximè à sacerdotali? In promptu causa est; vtpotè quod humillimi erant, & quod Monachorum status plangentis est, (prout Hieronymus dixit) non docentis: cùm tamen, vt Malachias dixit, *labia Sacerdotis custodiant scientiam, & legem requirant ex ore eius*, vtpote quod Sacerdos aliorum doctor est & debet esse. Vnde Hieronymus. Angelus dicitur Dei Sacerdos, quia Dei nunciat voluntatem ad populum: & idcirco in Sacerdotis pectore rationale est, & in rationali doctrina & veritas ponitur, vt discamus Sacerdotem doctum esse debere, & præconem Dominicæ veritatis. Idcirco cùm Monachi tantam literarum sacrarum peritiam primitus non profiterentur, à sacerdotio se abdicarunt, & sacerdotio indignos sese dicebant; animo perpendentes quantis non solùm moralibus, sed intellectualibus virtutibus oporteret Sacerdotes micare. Ob id enim Paulus potuit commonere Timotheum; *Manus citò ne imposueris*: & Gregorius magnus dicere. Decet Sacerdotem moribus & vita clarescere, quatenus in eo tanquam in speculo plebs videat, quod sequatur, vel corrigat.

Malach. 2. 7.
Hieron. sup. Malach. 2.
ad Timot. 5. 22.
lib. 7. ep. 33. indic. 1.

3. Nec mirum sanè, quoniam vt Clemens Romanus habet; Constituite presbyteros & diaconos homines pios & iustos, mites, non cupidos, veritatis studiosos, probatos, sanctos, non acceptores personarum, qui valeant docere sermonem veritatis, rectè prouidentes in placitis Domini. Et in Iure ex Concilio Nannetensi præcipitur quod ante ordinationem initiandorum Episcopi eligant viros prudentes, qui vitam & mores ordinandorum perquirant. Et in c. Episco

Clem. lib. 7. constitut. c. 32.
24. d c. Quãdo Episcopus.
Hier. ep. ad Ripariam.

Ibi cap. Episcopus.

Episcopus, sic habetur. Episcopus sine consilio clericorũ suorũ, clericos non ordinet, ita vt ciuiũ conniuentiam & testimonium quærat. Quod est decretũ Conc. Carthag. quarti. Quibus per omnia Augustini illa, vel potiùs Cypriani, consonant. Altario placere debent, qui de altario viuunt. Cuius gratia hic D. Pater non disponit, vt Abbas presbyterum aut diaconum ordinet qualemcumque, sed illum tantùm, qui dignus sacerdotali statu inuentus fuerit. Innuens per hæc, non satis esse Monacho monachatum ad presbyterij dignitatem, nisi monachatus illius virtute resplendeat. Vnde Hieronymus ad Rusticum. Ita age & viue in Monasterio, vt clericus esse merearis. Ecce causas, ob quas prudẽter Monachi olim seipsos à sacerdotio abdicabant.

Concil. Carthag. 4. cap. 22.

Cypr. tract. de singular. cleric.

Hieron. ep. 4. ad Rusticũ.

4. *Ordinatus autẽ*, &c. Cùm adeò sublimis sit sacerdotalis gradus, vt in presbyterorum commẽdationem subiiciat Clemens; Vos verò presbyteros honorate vt patres, vt dominos, vt beneficos, vt bene viuendi authores: & sacræ literæ sic eos magnificẽt, vt apud Malachiá nuncupẽtur Angeli Domini exercituũ; & in Genesi Sacerdotes Dei altissimi, inumbrati in Melchisedec, vtpote initiati secundum ordinem eius. Quocirca Chrysost. Sacerdotum principatus est ipso regno quid venerabilius ac maius. Cùm igitur hæc ita sint, simul cum illis Cassiod. Familiare est hominib. extolli, cùm bona de se cognouerint æstimari. & cũ illis Bern. In alto positus, non altũ sapere difficile est; prudẽter D. Pater hortatur Monachos ad sacerdotalem gradũ euectos, ne tanto successu tumeant; sed potiùs ꝙ ipso facto magis seipsos prosternãt, tanquã magis disciplinæ regulæ, ac monasticæ perfectioni deuinctos.

Clem. vbi suprà.

Malach. 2. 7.

Gen. 14. 18.

Chrys. hom. 5. in Esaiam.

Cassiod.

Bern. in epist. ols.

5. *Locum verò illũ semper attẽdat*, &c. Vt humilitatis debitæ memor sit semper Monachus ad Sacerdotis gradum gratis euectus, præcipit hic D. Pater, vt locum, qui debetur ei secundũ tempus monachatus sui, semper & vbiq; retineat, præterquã dũ celebrat, quia tunc sublimior cũctis & altior esse debet; vtiq; in altari in quo sacrificium operandũ est: & nisi de congregationis cõsensu, & arbitrio Abbatis altior illi ob vitæ merita designetur locus. Mirabile dictu: c. 60. sanciuit D. Pater, vt si aliquis de ordine Sacerdotum in Monasterio se suscipi rogauerit, & semel susceptus fuerit, continuò concedatur ei post Abbatem stare, in præsenti autem præcipit vt Monachus qui de cõsensu Abbatis Sacerdos creatus fuerit, tanquã sacerdotio dignus, altiorem nõ occupet locũ, perinde ac si sacris initiatus non fuisset, nisi de cõgregationis cõsensu, & arbitrio Abbatis promouendus deliberetur ob vitæ merita singularia, quasi qui sacerdotio est dignus, altiori nõ sit dignus loco. Sed fundamento non caret canon & decretũ hoc; vtiq; ne fortè intuitu tenẽdi altiorem & occupandi locũ, Monachi sacerdotium ambirẽt. Quod tamẽ inconueniens non tenet in illis qui Sacerdotes priusquàm Monachi fuerũt, nec in illis qui post sacerdotium non vanitati, sed virtuti tãtùm solidissimæ studẽt.

6. *Qui tamen regulam*, &c. Monitos D. Pater hic vult Monachos ad ſacerdotium euectos, quod eminentia ſtatus illos non reddit immunes ab obedientia regulæ, & ab omnibus Monaſterij miniſtris, vtique decanis, præpoſitis, & ſimilibus: adeò vt contra hæc obluctantes nõ tam in numero Sacerdotum, quàm rebellium collocandi veniant, & contumaciter inſiſtentes à Monaſterio ſint amandandi. Quod ſanè apparet difficile: quoniam, vt Cardinalis inquit, iure communi Monachus ob nullum crimen poteſt à Monaſterio eiici, etiamſi contumax ſit, & obedire noluerit. Et colligit ex cap. Impudicas 27.q.1. & ex cap. Ne Religioſi, de regularibus. Contrarium tamen pro comperto eſt, non tantùm apud nos hic, & c. 29. verùm & apud Auguſtinum, & D. Thomam, qui quodlibeto 12. dicit. Quoniam ſecundũ Apoſtolum malum eſt auferendum, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat; ideo Monachus ſi corrigi & emendari noluerit, cùm contumax eſt meritò repellitur. Et demũ apud D. Bonauenturam, & alios, de quibus Ioannes Azor. Et iure quidem: nam ratio naturalis ſuadet putrida membra reſecanda eſſe, ne alia inficere valeant. Vnde Deus ipſe protruſit, proiecítque è cælo ipſo Angelos rebelles illi, & penitus contumaces. Sacerdotes autem Angeli cùm dicantur & ſint, eo ipſo quod incorrigibiles inueniuntur, iure à Cœnobio amandantur tanquam dæmones. Angelus enim qui dignus à domo Dei repulſa dignoſcitur, quid niſi diabolus eſt? Neque Cardinalis fundamenta vrgent contra ingruentem luem & peſtem infenſi omnibus Monachi, vt neque clericorum immunitas contra clericum incorrigibiliter criminoſum: in necem enim aut remiges traditur à Iudicibus.

Bonauent in quæſtionibus contra regulam Sancti Franciſci. Azor t.2.lib. 12.c.16 q.2.

Card.in Clement. Ne in agro. §. Quia verò.

Aug.cap.99. Regula. D.Th.quodlib.12.q.vlt.

De ordine congregationis.

CAPVT LXIII.

ORDINES ſuos in Monaſterio ita conſeruent, vt conuerſionis tempus & vitæ meritum diſcernit, vel vt Abbas conſtituerit. Qui Abbas non conturbet gregem ſibi commiſſum: nec quaſi libera vtens poteſtate, iniuſtè diſponat aliquid, ſed cogitet ſemper quod de omnibus iudiciis & operibus ſuis redditurus eſt Deo rationem. Ergo ſecundum ordines ſuos, quos conſtituerit, vel quos habuerint ipſi fratres, ſic accedant ad pacem, ad communionem, ad pſalmum imponendum, in choro ſtandum. Et in omnibus omnino locis ætas non diſcernatur in ordine, nec præiudicet: quia Samuel & Daniel pueri presbyteros iudicauerunt.

uerunt.Ergo exceptis his,quos(vt diximus)altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradauerit certis ex causis, reliqui omnes,vt conuertuntur,ita sint.Vt,verbi gratia,qui secunda diei hora venerit,in Monasterio iuniorem se nouerit illius esse qui prima diei hora venit , cuiuslibet ætatis aut dignitatis sit. Pueris verò per omnia ab omnibus disciplina teneatur.Iuniores ergo priores suos honorent ; priores iuniores suos diligant. In ipsa autem appellatione nominum nulli liceat alium puro appellare nomine , sed priores iuniores suos fratres nominent, iuniores autem priores suos domnos vocent , quod intelligitur paterna reuerentia. Abbas autem , quia vices Christi agere videtur , domnus & Abbas vocetur,non sua assumptione, sed honore & amore Christi. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, vt dignus sit tali honore.Vbicumque autem sibi obuiant fratres , iunior à priore benedictionem petat. Transeunte maiore iunior surgat , & det ei locum sedendi : neque præsumat iunior consedere , nisi ei præcipiat senior suus , vt fiat quod scriptum est;hònore inuicem præuenientes. Pueri, vel adolescentes in Oratorio , vel ad mensam cum disciplina ordines suos consequantur : foris autem, vel vbiuis custodiam habeant & disciplinam , vsque dum ad intelligibilem ætatem perueniant.

I. *Basil. Ser. de abdicatione rerum.*

ORDINES *suos*, &c. Monachorum vita similis valde est vitæ militum; decẽte Basilio.Etsi præclarè sint leges, quas Reges præscribunt suis populis: augustiores tamen & digniores sunt quas militibus condunt. Quorum altera est,nõ ædificiis,mercimoniis,negotiisque vacare: quia nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus. Alimenta miles habet à Rege : nihil est quod in his inquirendis se occupet. Vita in bello laboriosa, eadem tamen illustris virtutis, illi præmia honoresque præstò sunt. Hæc Basilius de militibus secularibus per ordinem ad monachales, & in illorum encomium. Inde vt milites tonso crine & rescissa barba incedunt.Vnde illud Poëtæ Alexis ; *Si quem rescissa barba fortè videris,mihi videtur militare velle.* Vtique quoniam hæc tonsura olim erat signum volentis militare ; quia militaturi crines barbasque tondebant , ne vllas ad capiendum hostibus ansulas præberent : vt de Alexandri militibus specialiter annotauit Plutarchus. Ob hãc igitur rem cùm militibus dum in castris sunt & in acie, non minus essentialis sit

Plutarchus in Theseo.

ordo quàm robur & fortitudo, vtpote quod ista ab illo pendent, iuxta illud Canticorum; *Terribilis vt castrorum acies ordinata:* D.Pater disponit & distribuit Monachis gradus quos in conuentu teneant, nimirum illos, qui vel secundum conuersionis tempus, vitæ meritum, vel Abbatis decretum illos concernant.

Cant.6.3.& 9.

2. Certè cùm qui prior est tempore, potior sit iure, vt habetur de regulis iuris in Sexto, & in *l. Quoties.* conuenienter prioritas monachatus assignatur pro priori potissimáque præcedentiæ regula in Monachis. Vnde districtissimè hæc apud nos, imò infallibiliter (nisi ingens ad oppositum vrgeat ratio) seruatur: vt etiã seruatur in Cõciliis Episcoporũ, in Capitulis, comitiis & congregationibus tã Ecclesiasticis quàm secularib. Singuli enim secũdum tẽpus muneris, officij, dignitatis, aut status stant, consistunt, loquuntur, & similia peragunt. Antiquioribus enim, cæteris paribus, priores debentur atque dantur accubitus. Vnde Daniel. *Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit.*

Daniel.7.

3. Deinde cùm qualitas sæpe omni quantitati præponderet atque pluris fiat, conuenienter pro secunda regula, vel (si malis) pro præcedentis regulæ exceptione ponitur vitæ meritum; ob id enim homo, vltimo aliàs loco creatus, loco præcedit omnes terreas creaturas. Item Dei genitrix Virgo fœmina cùm sit, quia tamen gratia plena, & cum illa, & in illa, & ab illa Dominus, super choros Angelorum exaltata est. Christus item vt homo, eo quod in eo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt, atque in eo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Quia item factus est obediens vsque ad mortem crucis, exaltatum est nomen eius super omne nomen, ita vt omne genu flectatur ante illum. Angeli etiam quo gratia præstantiores, eo eminentiores choro atque hierarchia sunt, qui tamen militia cæli militesque Dei sunt, habẽtes Michaëlem signiferum, Deũ autem Imperatorem, qui est Dominus exercituũ. Vnde sicut in castris ciuilibus aliquando miles nouitius altiorem gradum occupat, eo quod in bello fortior & pugnacior inuentus fuit, sic in regulari militia.

4. Demum si Abbati committitur creare Monasterij ministros, v.g. Præpositos, Decanos, Ostiarios. Oeconomos, siue Cellerarios, ac similes, quorum aliqui congregationis sunt velut oculi, aliqui velut aures, aliqui velut manus, & proinde oculorum, aurium, manuumque locũ in congregatione occupantes: quia Monasterij corpus mysticum est, constans heterogeneis partibus, hoc est, dissimilaribus, ad formam humani corporis: cur non etiam penes Abbatem erit, iuniores inter seniores, si aliquando expedierit, posse collocare?

5. *Qui Abbas*, &c. Prævidens D.Pater mala & incommoda illa, quæ pullulare possent ex indebita ordinatione graduum, vtpote

pote seditiones domesticas; inquietudines & conturbationes, precipit vt prudẽter Abbas hanc dispositionem præfiniat, cogitãs apud se, ac mente perpetuò volues, quod de omnibus operibus suis rationẽ Deo redditurus est; & proinde quod debet cauere, ne iniuria aliquis à suo deiiciatur gradu, vt alteri citra fas & ius condonetur. Etenim licet Monachos omnes paratos esse conueniat ad omnem obedientiæ auditum hilariter excipiendũ, & obsequendum: tamen quia naturaliter nullus spoliari vult, sed superuestiri potiùs, & naturaliter mẽbra à propria sede diuulsa corpus vehementer cruciant & laniant, Monachi autẽ sunt corporis monastici membra; consequens est quod valde teneatur Abbas maturè his rebus consulere, ne ordinatione sua fratres mœrore frangat. Licet enim prę pudore aut prudentia clamare non audeant, nedum reclamare & obsistere, vtpote qui vt oues duci se patiuntur ad victimam compressis labiis: vnde tamen locus quod taciti intrinsecíque non crucientur, & mœrore non consternãtur? Igitur nisi ob causas iustissimas, rationesque vrgẽtissimas nemo à propria sede amouendus, & alius subrogandus est, sed quisque in suo ordine collocandus & conseruãdus, vt sic iure ordinatus conuenienterque dispositus castrorũ chorus fortior & instructior euadat, & conuenienter procedat ad ea, quæ D. Pater hic sanxit, vtique ad pacem, ad communionem, ad imponendum psalmum, ad standum in choro per ordinem.

Et in omnibus locis, &c. Magna senectutis dignitas, & proinde multum colẽda. Scriptum quippe est; *Coram cano capite surge, & honora personam senis.* Et canonica iura ex Zozimo Papa referunt: Decreta Patrum senectuti sanxerunt reuerentiã, nam senectus iuuentuti anteponenda est. Ambrosius item. Bona iuuentus, sed melior senectus. Plato similiter. Constat seniores imperare debere, iuniores verò subesse. Aristo. Naturaliter seniores iunioribus præsunt. Et Valerius Maximus de antiquis Ethnicis refert. Inuitati ad cœnam diligenter quærebant, quinam conuiuio illi essent interfuturi, ne senioris aduentum discubiti præcurrerent. Et tandem Callistratus relatus in hac parte, & commendatus à Iurisperitis, dixit. Semper in ciuitate nostra penè idem honor sembus qui Magistratibus tributus est. Magna ergo seniorũ dignitas apud omnes. Nihilominus D. Pater cauet, & hic expressè prohibet, graduum & sedium distributionem secundum illam fieri: quia non semper senior dignior iunioribus est, sed aliquãdo iunior senioribus præstat, vt patet in Samuele & Daniele. Consideret igitur nunc quisq; apud se, quãtus qualisq; virtutũ splendor & cumulus requiratur ex præscripto regulæ in Monacho, ad hoc vt prudenter Abbas efferat & subleuet illũ vltra propriũ gradũ & locũ, quando veneranda senectus ad id, iuxta D. Patrẽ, digna & sufficiẽs nõ est. Vnde vult pro prima & potissima regula haberi in omnibus suis Monachis

6.

Leuitici 19. 32.

25. q. 5. cap. Decreta.

Ambr. in ps. 36.

Plato lib. 3. de leg. & lib. 5. de Repub. Arist. 7. Polit. cap. 14. Valer. lib. 2. cap. 1.

Iurisperiti ad leg. Semper, de iure immunitatis.

mona

monachatus antiquitatem, & monachatus prioritatem, quantumuis minimam, & tantùm pro exceptione virtutum sublimitatem, & prudentem & rectam voluntatem Abbatis.

7. *Pueris verò ab omnibus.* Cùm puerorum ætas viribus infirma sit, ingenio inualida, & immatura consilio, prout vidit Ambrosius, necessum est pueros semper attollere, excitare, munire, & erudire, vt ait Quintilianus, & sacris illos studiis initiare. Vnde D.Pater prudẽter pueros sub omnium Monachorum disciplina subduxit, vt ab omnibus prospicerentur, manuducerentur, corriperentur, & illustrarentur, tanquam discipuli à præceptoribus atque magistris. Ex quo sequitur quod illos infra omnes collocauit vsque ad intelligibilem ætatem: quoniam iure naturæ discipuli magistris cedere & subesse debent, non præire.

Ambr. lib.8. in Lucam.

Quintil. lib. de Orator. cap 3.

8. *Iuniores ergo*, &c. Iuniorum in primis est seniores colere reuerentia, obedientia, & obsequio. Dixit enim Petrus: *Adolescentes subditi estote senioribus.* Ecclesiasticus similiter: *Adolescẽs in medio magnatorum loqui non præsumas, & vbi sunt senes non multum loquaris, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Et Sanctus Cyprianus. Qualiter adolescens in senectute imperabit, qui in adolescentia senioribus obedire contemnit? Sicut ergo in senibus sobrietas, & morum perfectio requiritur, ita etiam in adolescentibus obsequium. Ambrosius. Bonorum adolescẽtum est deferre parentibus honorem, habere senioribus reuerentiam. Et demũ Marcus Tullius. Est adolescentis maiores natu vereri. Et in Lælio. Eum qui nos ætate anteit tanquam superiorẽ colere debemus. Hoc igitur est quod erga seniores debent adolescentes, vt illis honorem debitum & reuerentiam exhibeant. Vicem autem quam seniores tenentur rependere illis, paternus amor & beneuolentia est: vtpote quod priores velut parentes sunt, magistrique iuniorum, rectores, pastores, duces.

2.Petr.5.5.

Eccli.32.13.

Cypr. lib. de abusionibus seculi.

Tull.1. Officiorum.

9. In his autem nihil amore erga suos inferiores præstantius. Quos enim diligunt, corrigunt, erudiunt, docent, ac muniunt. Vnde Chrysost. Initium sumendum à proximi dilectione. Vnde Petro dicebat Christus; *Pasce oues meas.* Christum enim diligens, & gregem illius vtique diligit. Et Moysem tunc primùm super populum Iudæorum posuit, quando qua esset in illum beneuolentia reipsa iam declarauerat. Dauid etiam suscepit regni gubernationem postquam apparuerat, quàm amico esset in populũ affectu. Et Samuel quoque amator populi erat, & Paulus multo plus omnibus ardebat erga subditos. Et Christus dixit: *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Est enim amor beneuolus, placabilis, gratus, humilis. Bernardus etiam ad id Canticorum; *Vox turturis audita est in terra nostra*, inquit. Non principatum sonat vox ista, sed consortium, sed familiaritatem. Tanquam sponsus hoc dixit, nõ tanquam dominus. Quid? Conditor

Chrys. hom. 25. super ad Romanos.

Bern Ser.29. in Cant. Cant.2.

Ambr.1. offic.cap.17.

ditor est, & consortem se reputat, Amor loquitur qui dominum nescit. Et post pauca. Vides amori cedere maiestatem? Ita est, fratres, neminem suscipit amor, sed nec despicit quidem. Idcirco dum maiores diligunt inferiores suos, consequens est, vt placidè omnia & amicè agãt. His consonat illud Plauti. *Pacem largitur amor hominibus, mari tranquillitatem, ventis requiem, cubile viuentibus securum, rusticitatem amouet, homines conciliat, cœtus congregat, dux præsidet, mansuetudinem porrigit, feritatem exterminat, fel quod est amarum, id mel dulce facit, & hominem ex tristi lepidum atque lenem.*

Plaut. in Assina.

10. *In ipsa autem appellatione*, &c. Singulare proculdubio videtur decretum hoc: quoniam vocare aliquem suo, & non alieno communique nomine, honoris pariter & amoris argumentum est: & videri potest in illo Domini Esaiæ 43. ad Israëlem: *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, meus es tu.* & cap. 49. *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.* Vnde pastoris boni attributum est, proprias oues vocare nomine proprio. Et quidem adeò gratum inferioribus est, proprio se accersiri nomine à superioribus suis, vt me præsente firmauerit iuramẽto solemnique sacramento quidam ciuicus, & senio maturus miles nomine Petrus de Leon Methymnensis, quod Argelina illa nimiùm infœlici inuasione, quam, licet prudenter & piè, infaustè tamen Carolus Quintus Imperator Rex olim atque Dominus noster tentauit, madidus ille miles & vsque ad renes obsessus cinctusque lacunis & riuulis hinc inde fluentibus, ob nimium, qui pro tunc è cælo ingruerat imbrem; cùm audisset Imperatoris vocem accersentem se, ac dicentem, eia Petre de Leon, non tantùm resumpsit vires, verùm adeò acres vt tota Africa illi pro vno culice esset, debilisque & imbellis vel illi soli appareret. Dicebat enim Hispanicè; *Toda la berberia me parecia poca.* Ecce quanti referat inferiores à maioribus suis propriis nominibus nuncũpari. Quo ergo sydere ductus D. Pater id omnino prohibuit?

Esaiæ 43. 1.

cap 49. 1. & num 10.

11. Dicam quod hic ego coniicio: vtique Diuum Patrem proprij nominis appellationem alterutrum non prohibuisse, sed neque prohibere somniasse, aliàs quomodo vnus inter tot Monachos dum vocaretur posset discerni? sed nudam meramque proprij nominis appellationem suis Monachis cauisse; vtique illam, quæ in vsu apud laicos est, & maximè apud dominos respectu seruorum suorum. Eos enim Petros, v.g. Antonios, aut quid simile, iuxta eorum nomenclaturam vocitant, absque honoris aliqua vel amoris nota. Mens tamen Diui Patris est, vt alterutrum nos amanter, reuerenterque nuncupemus: vtique frater, vel Pater, N. Hoc enim est quod inquit; *Priores iuniores suos fratres nominent, iuniores autem Priores suos domnos vocent.* Is enim appellandi

modus reuerentiam pariter & beneuolentiam redolet.

12. *Abbas autem*, &c. Cùm solus Abbas potestatem reguninis in suo Monasterio habeat. 18. q 2. cap. Nullam : adeò vt sine consensu illius Monachus vouere non possit. 20. q. 4. cap. Monachi ; sed neque aliquid habere aut recipere ; nedum dare. 12. q. 1. cap. Non dicatis, conuenienter domnus à suis Monachis appellatur. Quia item illorum pater est, vtpote qui per professionis acceptationem & emissionem generat eos, & regimine pascit & instruit, meritò Abbas nuncupatur. Etenim Abbas Græcè, idem est quod pater Latinè. Domnus autem Abbas, idem quod vulgari sermone : *Señor Padre.* Quæ sanè nomenclatura simplicior quidem, cæterùm dignior Monachis & ipso Abbate est: nõ secus atque illa qua summus Ecclesiæ vertex nominatur Papa : cuius primitiua origo à pueris balbutientibus est, patres suos papa blandè compellantibus. Horum enim quasi exemplum priores illi æmulati Christiani, pro illa sua sancta simplicitate & modestia, vtpote quasi tunc geniti infantes primò quécumque spiritalem patrem, post summum Ecclesiæ Pastorem Papam nominauerunt : de quo Card. Bellarminus. Quare qui domnus Abbas nuncupatur, grãdi nomẽclatura effertur, & ideo præcipitur ei, ne sese tanto nomine exhibeat indignum.

Bellar. lib. 2. de Rom. Põt. cap. 31.

13. *Vbicunque autem*, &c. Testatum legimus in Paulo ; *Sine vlla contradictione quod minus est à maiori benedicitur.* Ex quo capite ibi intulit Paulus Melchisedecum maiorẽ Abrahamo & omni posteritate eius extitisse, propterea quod benedixit istum & illam : & ex consequenti sacerdotium Melchisedec præstare sacerdotio Aaronis. Minor ergò à maiore debet benedici, & proinde minor à maiori benedictionem petere. Quod si obiiciamus ; Episcopos consecrare Archiepiscopos, & Ostiensem Episcopum Papam, si fortè Episcopus, presbyterve non est. Respõdet D. Thomas, Episcopos consecrare istum, vel illum hominem, non autem Archiepiscopos, vel Papam.

D. Tho. sup. ad Hebr. 7.

Transeuntes, &c. Comitas & vrbanitas hic Monachis iniungutur ; omni bene instituto viro apprimè necessariæ, sed præsertim Ecclesiastico & Monacho. Vnde Concilium Laodicenum decernit. Non oportet diaconum coram presbytero sedere, sed iussione presbyteri sedeat. Similiter & diacono honor habeatur ab obsequentibus, id est, à subdiaconis & omnibus clericis. Idem cõstituit Concilium Agathense, & Aquisgranense primũ. Videndi super id Gratianus & Petrus Crespetius. Quod si hæc clerici respectu maiorum suorum, quid Monachi?

14.

Concil. Laodicen. can. 20. relatum dist. 93. cap. Non oportet.

Concil. Agathen. can. 65. Aquisgran. cap. 77. Grat. d. 65. cap. Nõ oportet. Crespet. verb. clericus.

Pueri paruuli, &c. Hic quasi prima & maxima paruulorum cura commendatur, dum vsque ad discretionis tempus sub disciplina pædagogi coërceri præcipitur ; quod sanè eximium in pretio est : vtpote dicente Chrysost. Quid maius quàm animis moderari, & adolescentulorum fingere mores? Omni certè pictore,

15.

Chrys. hom. 11. in Matt.

ctore, omni statuario, cæterisque huiusmodi omnibus excellētiorem duco illum, qui iuuenum animos fingere non ignorat. Plutarcho item. Postquam pædagogo committi possunt pueri, omnis diligentia ab eo adhibenda est, quoniam à præceptoris doctrina illorum pendent mores.

Plut de liberis educan.

De ordinando Abbate.

Caput LXIV.

IN Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio secundum timorem Dei, siue etiam pars quamuis parua congregationis, saniori consilio elegerit. Vitæ autem merito, & sapientiæ doctrina eligatur qui ordinandus est, etiamsi vltimus fuerit in ordine congregationis. Quod si etiam omnis congregatio vitiis suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenus in notitiam Episcopi (ad cuius Diœcesim pertinet ille locus) vel Abbatibus, aut vicinis Christianis claruerint, prohibeant prauorum prævalere consensum, & domui Dei dignum constituant dispensatorem: scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud castè & zelo Dei faciant: sicut è diuerso peccatum si negligant. Ordinatus autem Abbas cogitet semper quale onus suscepit, & cui redditurus est rationem villicationis suæ. Sciatque sibi oportere prodesse magis, quàm præesse. Oportet ergo eum esse doctum lege diuina, vt sciat vnde proferat noua & vetera. Castum, sobrium, misericordē, & semper superexaltantem misericordiam iudicio, vt idem ipse consequatur. Oderit vitia, diligat fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis: ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur vas. Suamque fragilitatem semper suspectus sit: memineritque calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia, sed prudenter & cum charitate ea amputet, prout viderit cuique expedire, sicut iā diximus, & studeat plus amari, quàm timeri, non sit turbulentus & anxius, nō sit nimius & obstinatus, non sit zelotypus & nimis suspiciosus, quia nun-

quam requieſcet. In ipſis imperiis ſuis ſit prouidus & conſideratus, ſiue ſecundum Deum, ſiue ſecundum ſeculum ſint. Opera quæ iniungit, diſcernat & temperet, cogitans diſcretionem Sancti Iacob dicentis: Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti vna die. Hęc ergo aliáque teſtimonia diſcretionis matris virtutum ſumens, ſic omnia temperet, vt & fortes ſint qui cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipuè, vt præſentem regulam in omnibus conſeruet, vt dum bene miniſtrauerit, audiat à Domino, quod ſeruus bonus qui erogauit triticum conſeruis ſuis in tempore ſuo, Amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

1. IN *Abbatis ordinatione*, &c. Ordinare accipitur hic pro eo quod eſt eligere: agitur enim de electione Abbatis. Sed D. Pater conſultò iſto nomine abſtinuit; quoniam electio in Iure idem eſt quod electio canonica, hoc eſt, electio quæ fit cum maiore parte Capituli: cùm tamen hic ad legitimam creationem Abbatis tantùm ſuffragiorum concurſus minimè requiratur; ſed (vt ex contextu patet) ſanior, licet minor pars, ſufficiat, quando ſuffragiis omnium Abbas non aſſumitur. Quare qui poteſtate fungitur præſidendi creationi Abbatis, & reuelandi ſcrutinium, poteſt ſecundum ius regulæ, illum in Abbatem pronunciare, in quem ſanior ſuffragiorum pars, etiamſi minima fuerit inclinata, maiori parte ſpreta. Ob id ergo Abbatis promotio non dicitur hic electio, ſed ordinatio, quia ordinatio requiritur, non electio. Vnde etiam Greg. magnus relatus cap. Abbatem, & Pelagius ibidem relatus, hoc modo de creatione Abbatum loquuntur, vtpote quod tunc is creandi Abbates mos increbuerat.

Greg. lib. 4. Regiſt. ep. 41. 18. q. 2. cap. Abbatem. Pelag. epiſt. ad Melitũ.

2. At quoniã nouiora iura omnino decreuerunt, illum tantùm Abbatem pronunciari, qui maiorem ſuffragiorum partem legitimè tulerit, canon iſte regulę obliteratus eſt, præterquàm dum indignus aſſumitur & promouetur. Tunc enim licet irruat in eum tota ſuffragiorum moles, poteſt & tenetur ille, penes quẽ viget facultas confirmandi electum, repellere illum, & electionem illius irritam declarare; eo quod indigno iura, quantumuis fortia, ſuffragari non valent; & propterea decretum hoc regulę integrum in hac parte relinquitur; vtique in illa quæ ſanxit, ne prauorum conſenſus obtineat, ſed potiùs quod domui Dei dignus adhibeatur miniſter. Quod ſi deuoluta iterum atque iterum electione ad conuentum, prout iura conſtituunt, adhuc indignus crearetur; teneretur qui præeſt iterum atque iterum electionẽ illam quaſſare, & de competẽti

Abbate

Abbate congregationi prouidere. Hoc enim iuris naturæ cùm sit, prorsus irreuocabile est.

3. Hæc dixerim de electionibus pertinentibus secundum regulã ad ipsos conuentus. Quas sanè bonas, iuridicásque & plausibiles aliàs, inuisas & ingratas reddidit congregationi nostræ experimentum malorũ ab extrinseco irruentiũ in eas. Sæpe enim scandalis patent, simultatibus, odiis & aliis, quæ cum disciplina monastica ex diametro pugnãt, & illam fœdè pessiméque labefactant. Quare cùm in religionibus nihil sit, aut esse possit religione præstantius, & proinde neque optabilius, ná cætera minus sunt; maiores nostri totos intenderunt neruos, vt à Romana Sede impetrarent alium eligendi Abbates, vel ordinandi modũ: vtique in Capitulis generalibus ad suffragia Reuerendissimi Generalis & Patrum Diffinitorum: vt iam diu (fulti patrocinio Regis Catholici nostrę congregationis Hispanicæ Patroni augustissimi) fœliciter obtinuerunt. Quo sic grauioribus est verè occursum incommodis, aduersus religionis substantiam finémque grassantibus. Ipsis libenter ad hæc conuentibus annuentibus, & zelo instituti sui ingenuè assensum præstantibus, renunciantibúsque proprio iuri; vtpote qui Dominicũ illud probè monitum caperent; *Si autem pes tuus, vel manus tua scandalizat te, abscinde eum, & proyce abs te.* *Matth.* 18.

4. Scio non propterea formam eligendi nouiorem immunem ab inconuenientibus esse: cùm sit electio ab hominibus, humanis (vt cæteri) obnoxiis cupiditatibus, propriíque commodi affectibus: vt vel in me vno (qui huiusmodi electionibus toties interfui) experientia dudum potuit ostendere. At præterquàm quod periculo isto meo cæteri sapient, si qui tamen sunt, qui sic sapere indigeant: inconuenientia quæ fluunt ex alio modo eligendi, spiritualia potissimum, & contra potissimum finem monachatus sunt; vtique contra salutem & incolumitatem animarum, media pacis intrinsecæ, extrinsecæque cum fratribus & amicis iactura, fraternæque charitatis dispendio, excidióque obtinendum. Etenim quia *bonum & iocundum est habitare fratres in vnum, sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron*; ad Monasteria confugimus & conuolamus, vt Augustinus dixit. Et quoniam in omnibus nostris requiem inquirimus, in hæreditate Domini incluſi & clausi moramur: quod per se notum est. Quæ autem concordiæ poterit, aut pacis species vigere, ne dicam spes, vbi contentionum & æmulationum seminarium, vtique suffragiorum supellex, vniuersis Monachis suffragatoribus intra septa Monasterij aperitur, & coram toto vitæ tempore habetur, & quotidie illius sermo repetitur & inculcatur? Et cùm non arrideat illis, quod placet in hac parte istis, ecce factionũ occasio, certaminúmq; scaturigo. Vbi autem zelus & contentio, ibi (secundũ mentẽ Pauli) *Aug. in psal.* 132.

homines carnales sumus, non spirituales Monachi, laici, non Ecclesiastici, milites belli, non templi, & ambitiosi omnino, non religiosi. Quod tamen dixerim tantùm in eos qui scaturigine illa potantur, & ob illos qui in procinctu sunt, vt ex illa potentur: reliquos enim Dei munere saluos agnosco, laudo & veneror; sæpe enim reseruat Deus aliquos, qui non curuent genua sua ante Baal.

5. Inconuenientia igitur quæ fluunt ex antiquo illo eligendi modo, spiritualia sunt: quæ verò procedunt ex isto recẽtiori modo eligendi, temporalia sunt, aduersus temporales conatus progressúsque aliquorum ad summum: quos (vt laxem querimoniis habenas) assumpsisse, & aliis prætulisse oporteret, cùm tamẽ econtrà res ob vitium acceptãdi personas, non rarò contingat. Vtpote quod ille, qui amicis in diffinitorio eminet, ne dicam assectis, instrumentis & seruis adscriptitiis, omnia pro arbitratu distribuit, & velut religionis tyrannus cuncta in suam potestatem conuertit. Quocirca relictis dignioribus (quod summum malum est) alios ad officia assumit, è quibus scandala pariter disturbiáque tam apud laicos, quàm etiam apud ipsos Monachos, conuentúsque proserpunt, quinimò & effusè fluunt, cum magna proculdubio iactura authoritatis monasticæ, atque etiam cum diminutione, ne dicam detrimento & excidio regularis disciplinæ: per quod etiã temporalia incõmoda spiritualia fiunt, siquidem tandem tandẽ est corpus quale suum caput, & populus qualis Sacerdos. Hæc summa malorum, potiorum saltem, à nouiori isto modo eligendi nascentium.

Cæterùm quis non videt, quod isthæc omnia mala æquo pede currunt in vtroque eligẽdi modo? vtpote in conuentu non minus quàm in diffinitorio, qui plures suffragatores sub se habet, omnia sibi vendicat, & proinde tyrannicè agit, si hoc tyrannicum est, & authoritati religionis, eiúsque profectibus spiritualibus derogat, si hæc annexa sunt illis. Etenim cæteris paribus, minus malum est vnus in vna religione tyrannus, quàm in singulis Cœnobiis singuli. Ille enim aliquando, vtique semel in quadriennio, triennióve, nimirum tempore Capituli generalis; isti verò semper in exercitio sunt; aut saltem in actu proximo, vtpote quod semper Monasteriis hærent, & insunt. Et (vt vidit Seneca) melius est quod semel cadit, quàm quod semper impendet.

7. Cùm igitur temporalia incommoda, personalia præsertim, pro nihilo à bonis Monachis ducenda sint in comparatione ad spiritualia, quoties ista non erumpunt ex illis, vt erumpit obseruantiæ defectus ex defectu abundantiæ, & regularis disciplinæ carentia ex creatione Abbatis commendatitij profani: æquũ est, vt Monachi æquanimiter ferant carentiam suffragiorum in ordinatione Abbatis, ne conuincantur audire quod præferunt paci dissidium, honori Dei conuicium proprium, & bonis

bonis animæ mala corporis. Talia enim iudico vel ipsa maxima bona & oblectamenta externa, cùm Monachi victoria potiuntur contentione aduersus fratres obtenta, præsertim si contra digniores. Vanitas enim sunt & afflictio spiritus, grauedóque corporis illa: saltem quoniam vsu venit, vt quos sic iam in altum duximus, inde in nos irruãt, vt sæuiant; Deo sic prouidente, vt patiamur vulnera telis effecta nostris, & de peccato nostro tandem in nos erumpat supplicium. Itaque ex recentiori isto eligendi modo temporalia potissimùm procedunt incommoda, spiritualia autem non sic, sed indirectè multum & aliqualiter: ex illo autem antiquiori spiritualia potissimè, & secundum quid temporalia, licet non ex natura electionis, sed ex malitia temporum & ætatum, quibus experti sumus illa, vt modò mutuam continuámque inter fratres charitatem & pacem, quæ superant omnem sensum, & quę corda nostra custodiunt, & intelligentias nostras, vt econtrà simultates corrumpunt.

8. *Greg. in Past. p. 3. admon. 3.* Inde Gregorius Magnus. Discordes admonendi sunt, vt certissimè sciant, quia quantislibet virtutibus polleant, spirituales nullatenus fieri possunt, si vniri per concordiam proximis negligant. Scriptum quippe est; *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax.* Qui ergo seruare pacem non curat, ferre fructum spiritus recusat. Hinc *ad Gal. 5. 22.* Paulus ait: *Cùm sit inter vos zelus & contentio nonne carnales estis?* *1. Cor. 3. 3.* & iterum: *Pacem sequimini cum* *Heb. 12. 14.* *omnibus & sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum.* & rursum: *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ.* Igitur fraternæ paci incumbendum est, si modò beati saluíque esse volumus, non autem miserrimi: quoniam scriptum est: *Contritio & infœlicitas in viis eorum, & viã pacis non cognouerunt.* Et verè infœlicitas: quoniam (vt Cassianus habet) vt carnales & imbecilles patres ob vilem terrenámque substantiam citò inimicus ille disiungit: ita etiam inter spirituales gignit pro intellectuum diuersitate discordiam. Ex qua sine dubio contentiones & rixæ, inuidiæ & odia; quoniam (vt Salomon dixit) odium suscitat contentio. Si igitur nouitio isto eligendi genere pax vera tenetur, & retinetur, vt nullus poterit humanus sensus negare: illo verò amittitur, & è manibus etiam inuitis sæpissime elabitur, vt nullus non sensus vidit, quis suæ mentis compos illud isti nõ præferet, non amplexabitur, ratúmque & firmum habebit? Est enim (vt ille alius dixit) *Pax vna triumphis innumeris potior.* Tantum autem bonum licet aliquo detrimẽto corporis adquiratur, nota dignum & cẽsura non est, sed potiùs commendatione & laude.

Cassian. collat. 16. c. 8.

Silius Italicus lib. 11.

9. Quod si aliquis obiiciat nobis huius capitis canonem, qui irrefragabilis sanè authoritatis est, & cunctis esse debet, nedum nobis, suo se mucrone iugulabit. Tum quoniam D. Pater non de triennalibus, quadriennalibúque,

búsque, aut similibus temporaneis loquitur Abbatiis, quas antiqua iura ignorauerunt, sed de perpetuis: quas tamen ob grauissima incommoda diu est quod religio reiecit, approbante Romana Sede, & omni religione annuente. Tum quia secundum hunc canonem minor pars congregationis, dummodo sanior à Præside iudicetur, maiori in hac parte prævalet & prævalere præcipitur: quod tamen, etsi regulæ canon, extra vsum est: non obstante quod conuenientiùs posset in praxi esse, siquidem salubrius foret suffragia ponderari, quàm numerari; & inglorium est multitudine vincere eum, qui ratione superari non potest. Sed iam ad institutum nostrum conuertamur.

10. *Ordinatus autem*, &c. Vtraque ista pars canonis huius diu multúmque mente coquenda est, & alta consideratione lustranda. Prima quidem, quoniam (vt Bernardus dixit) Prælatorum munus vel ipsis Angelicis humeris formidandum est: dicente Seneca, licet aliquando remissum habeant animum, nunquam tamen solutum, vt omnes tam pro se quàm supra se esse sciant. Magnum igitur regiminis pondus; saltem quoniam præesse subesse est, vt vel Centurio ille insinuauit, cùm dixit; *Homo sum sub potestate constitutus.* Quod sub aliis verbis suprà à nobis inductis explicauit Iob dicens; *Gigantes gemunt sub aquis*, vtique (iuxta Gregorium ibi etiam allatum) sub populis, sub conuentibus, subditisque, quibus præsunt. Vnde Bernardus. Prælati sunt qui descendunt in mare facientes operationem in aquis multis, vtique velut remiges. Et quidem in remigatione quid durius quàm sudore & sanguine proprio, non propriis, sed alienis commodis, & necessitatibus, & interdum voluptatibus inseruire? cùm veri pastoris sit animam suam ponere pro ouibus suis, & veri Principis propriis renunciare commoditatibus, vt alienis indulgeat, dicente Xenophonte. Magistratus eligitur non vt sese molliter curet; sed vt per ipsum ij qui elegerũt, bene beatéque agant. Et Hadrianus ait apud Spart. Scire debet Princeps rem populi se esse, non suam. Nec mirum sanè, quoniam mercenarius est, & fugillatur pastor, qui de suis tantùm curat compendiis, dicente Basilio. Mercenarij sunt, qui non vt prosint, præsunt: qui non veritatis, sed quæstus sui gratia pascendi potestatem vsurpant, qui vano prætextu precationibus instant, vt panem comedant viduarum, & orphanorũ. Mercenarij sunt, qui proprium compendium curant, & nunc mercenarij multi sunt. Idcirco in Prælatis ardens erga subditos amor requiritur, vt sic non propriis, sed subditorum commodis inuigilent, ne in hoc grauentur. Vt enim Augustinus inquit; non recusatur labor, si adest amor, etenim qui amat, non laborat. Nullus enim labor amantibus grauis est. Si enim tantos labores portat cupiditas, quid non charitas?

Ioan. 10. 11.

Xenophon in memoriali Socratis lib. 3.

Basil. hom. 16. in Mamamtẽ Martyrem.

Aug. tract. 48. in Ioan.

11. Secunda etiam pars non minus, sed fortè magis quàm prior mente euoluenda est. Quoniam, vt scri-

Bern. Ser. 2. de ascẽsione.

Senec. de cõs. ad Polybiũ.

Matth. 8.

Suprà c. 2. n. 59.

Bern. Ser. de trib. ordin.

3.Reg.20. vt ſcriptum habemus 3.Reg.20. *Cuſtodi virũ iſtum; qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* & apud Ieremiam: *Vbi eſt grex qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum? Quid dices cùm viſitauerit te? Tu enim docuiſti eos aduerſum te, & erudiſti in caput tuũ.* Ezech.3.18. & apud Ezechielem: *Impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram.*

Ieremi.13.20.

Aug ep.148. de doctrina Chriſt. c.13. Ob hanc rem Auguſtinus relatus cap. Ante omnia, de præfecturis dicit; Nihil in hac vita difficilius, laborioſius, & periculoſius. Et alibi agens de propenſione quam homines ad præfecturas habent, inquit. Talis dilectio meliùs odium vocatur. Vtique odium ſui, quoniam Præfectus de alienis etiam cogitur culpis rationem Deo reddere. Vnde de Prælatis Paulus; *Ipſi peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.*

Heb.13.17.

12. Bern.ep.42. *Sciátque*, &c. Optimè quidem, quoniam (vt Bernardus habet) præeſſe non tanta fœlicitas, quãta infœlicitas non prodeſſe. Certè vt ſedere ad clauum in naui non tam glorioſum, quàm inglorium periclitari, vel optatum portũ non tenere naucleri inertia aut deſidia. Auguſtinus item: Habemus duo; vnũ, quod Chriſtiani ſumus; alterum, quod præpoſiti, illud propter nos, hoc propter alios. In eo enim quod Chriſtiani ſumus, attenditur vtilitas noſtra: in eo autem quod præpoſiti, non niſi aliena. Caſſiodorus etiam. Sumus nos pro remedio dati cunctorum. Et demũ Bern. Cui prælatus es, debes cuſtodiam & diſciplinam: cuſtodiam, vt caueat peccatum; diſciplinam, vt ſi non cauet, non maneat impunitum. Inde canone iſto non cõmonetur Abbas placere, ſed prodeſſe potiùs quàm præeſſe. Qui enim talentũ quod accepit in ſudario repoſuit, vel in foueam recluſit, verè talento præfuit; periit tamen, quia non profuit. His ſubiiciamus illud Senecæ. Illius principis magnitudo ſtabilis eſt, quã omnes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe ſciunt: cuius curam incubare pro ſalute ſingulorum quotidie experiuntur. Circa quæ commentator ipſius (Lipſius) diſſertatiuncula ad Principem Flandriæ. O monitum eximium! O in duobus verbis incluſum finem, munúſque principatuum, non præeſſe ſolùm, ſed prodeſſe! Si Sol non ſemper lucet, fouet tamen ſemper ac vegetat. Moderatori Reipublicæ (ait Cicero) beata ciuium vita propoſita eſt, vt ea ſit opibus ampla, virtute inſtructa. Magna fortuna (ait quidam) magna ſeruitus eſt. Vnde Philippus Macedo reiiciens fœminam quæ illũ alloquutura adierat, audiuit ab ea; Noli ergo imperare.

Matth.25.

Seneca 1. de clementia. c.3.

Aug. lib. de paſtoribus c.1. Cassiod.lib.1. ep.17. Bern. Ser. 3. Aduentus.

13. Sap.6.23. *Oportet ergo*, &c. Hoc ipſa nos docuit ſacra pagina dicens: *Diligite lumen ſapientiæ, omnes qui præeſtis populis. Multitudo autem ſapientum ſanitas eſt orbis terrarum; & Rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt.* Hoc enim adeò neceſſarium ducitur, vt oppoſitum deploretur. Dicit enim Eſaias; *Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam.* & Ierem. *Sacerdotes*

Eſaia 55.11. Ierem.2.8.

non dixerunt, vbi est Dominus? & tenentes legem ignorauerunt me. Vnde Gregorius in Pastorali dixit, magnam esse temeritatem imperitos pastores assumere, pro eo quod est ars artium regimen animarum. Et Gelasius Papa relatus cap. Illiteratos, sic ob hanc rem constituit. Literis carens sacris non potest esse aptus officiis; nimirum Ecclesiasticis præfecturis. Et idem definiuit Zozimus Papa relatus ibidem cap. 2.

Greg. Past. p. 1. adm. 1.

Gelas. ep. ad Episcopos. 36. q. 2, c. Illiteratos.

14. Circa hæc Gratianus noster multus pariter & mirabilis est. Ex multis enim sacræ Scripturæ verbis ostendit necessitatem peritiæ & scientiæ literarum sacrarum in Prælatis. Primò, ex hoc quod Exod. 28. Sacerdos antiquæ legis præferebat in pectore rationale patens, in quo doctrina & veritas exaratæ continebantur. Secundò, quia, vt habetur Exod. 25. arca Testamenti semper prompta & parata erat ad iter arripiendum celeriter, in signum quod gubernatores Ecclesiæ prompti debent esse & expediti ad docendum quidquid etiam subitò ab illis subditi inquirant, & non expectare tempus, vt nouiter illud addiscant. Tertiò, quoniam, vt constat 1. Reg. 5. & 3. Reg. 3. priùs Deus Dauidem & Salomonem creauit sapientes quàm Reges. Quartò, quia priùs dicitur Ieremiæ 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo,* & postea subditur; *Ecce constitui te super gentes, & super regna.* Quintò, quia Malachiæ 2. scriptum habemus; *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* Sextò, quoniam Christus priùs consedit in medio Doctorum audiens illos, & interrogans eos, quàm doceret gentes: quia, vt habetur apud Ecclesiastem, prius est tempus tacendi quàm tempus loquendi, quia veritas priùs tacendo discitur, & postea docetur. Septimò, quia Christus priùs docuit Apostolos, & postea ad prædicãdum misit. Et postquam resurrexit, priùs Scripturarum sensum aperuit eis, & postea dixit; *Prædicate Euangelium omni creaturæ*: & priùs fregit Christus in deserto panem, & postea dedit discipulis, vt distribuerent eum. Octauò, quoniam, vt Petrus dixit, *parati simus reddere rationem eius quæ in nobis est fides.* & Paulus; *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* Ex his Gratianus infert liquidò colligi, quod Prælatis non sufficiat bona conuersatio, nisi addatur scientia & doctrina. Vnde Sacerdotes tabernaculum ingressuri priùs lauabantur in labro æneo de speculis mulierum, Exod. 38. & sponsæ oculi, id est, Ecclesiæ Prælati assimilantur columbis quæ residunt iuxta fluenta aquarũ, Cant. 5. Nec mirum quod tam multus hic Gratianus noster emerserit; quoniã, vt Bernardus noster habet, Prælati indocti pestis in Ecclesia sunt. Vnde bestiarum nomine deuruntur, dum apud Esaiam dicitur; *Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum.* Imperiti siquidem Prælati quid aliud quàm deuorare, aut deuastare scient? vtpote qui & loqui, & vocem edere opportunam ignorant. Quare de illis dicitur esse canes mutos non

Gratian ibi. c. Qui Ecclesiasticis.

1. Reg. 5. & 3. Reg. 3.

Ierem. 1.

Malach. 2. 7.

Luc. 2. 7.

Ecclesiast. 9.

Matth. 10.

Marc. 16.

Ioan. 6.

1. Petri 3.

1. ad Tim. 4.

Bern lib. de ordine vitæ.

Esaiæ 56. 9.

non valentes latrare. Inde argumentum, nec leue peritiæ & sapientiæ eximiæ Diui Parentis est: nam qui in quolibet Præfecto & Abbate tantam scientiam & peritiam sacrarum literarum requirit, qualem (rogo) ipse Abbatum omnium Patriarcha & Princeps haberet?

15. *Castum.* Hoc præcedenti affine & cohærens est; quoniam (vt Ruffinus ex Nazianzeno refert) castitas & scientia sorores sunt. Verius dixisset, mater & filia: quoniam (vt Augustinus habet) castitas mundas reddit mentes. Vnde, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quapropter vt in maleuolam animam non intrat sapientia, neque habitat in corpore subdito peccatis, & proinde neque in illis qui castitatis virtutem repulerũt; vtpote quod qui fornicatur in corpus suum peccat: ita econtrà cum castitate venit scientia, & quidem diuina. Et ideo Hieronymus dicit quod Deus Sibyllas Gentilium prophetissas fecit, quia virginitate claruerunt. Cicero etiam noluit esse bigamus, hoc est, secundam vxorem ducere, vt melius philosopharetur. Repudiata enim Terentia, cùm rogatus fuisset ob quam rem aliam non duceret, respondit, Non possum simul philosophari, & vxori dare operam. Vnde Paulus; *Te ipsum castum custodi.* Est ergo castitas sapientiæ parens, & sapientia castitatis alumna filiáque. Ob idque Theophylact. Ioannes mundo corde, vtique virgo erat, vnde amplius notitiæ Dei donum ei concreditum est, mysteriisque plerisque incognitis ipse dedicatus est. Beati enim (inquit) mundo corde, quoniã ipsi Deum videbunt.

Ruffin. in apolog.
Augustſ. Ser. 149. de tempore.
Matth. 5. 8.
Sap. 1. 4.
1. Cor. 6. 8.
Hier. 1. cõtra Iouinian.
1. ad Tim. 5. 22.
Theoph. prologo in Ioan.
Matth. 5.

16. Sed quidquid sit de hoc, attributũ castitatis Abbatibus est ornamentum maximum; quinimò & singulis Monachis: siquidem Cassianus in eis sex castimoniæ gradus recenset, paritérque requirit. Ita enim habet. Primus castitatis gradus est, ne vigilãs impugnatione carnali Monachus elidatur. Secundus, ne mens illius voluptuariis cogitationibus immoretur. Tertius, ne fœmineo nec tenuiter ad concupiscentiam moueatur aspectu. Quartus, ne vigilans nec simplicem perferat carnis motum. Quintus, ne cùm necessitas lectionis se ingesserit, subtilissimus voluptatis assensus mentem perstringat. Sextus, ne illecebrosis phantasmatibus fœminarum vel dormiens illudatur. Licet enim hanc lũdificationem peccato esse obnoxiam non credamus, concupiscentię tamẽ adhuc medullitus latitantis indicium est. Ioannes etiam Climacus tres castitatis gradus distinguit, & requirit in Monacho, quos vocat initium, medium & finem: in quibus tamen sex præcedentes comprehenduntur; quoniã initium castitatis dicit consistere in eo, quod est cogitationibus sordidis non acquiescere; medium in eo quod est naturalibus motibus non inquietari: finem autem in eo quod est mortificare corpus. Qui enim his trib. viget, omni castitatis gradu præeminet.

Cassian. collat. 12. c. 7.

17. *Sobrium.* Ratio est, quoniam iuxta Augustſ. Sobrietas castitas est mentis & sensus. Ebrietas

Augustſ. t. 9. tract. 17. de sobrietate.

naufragium castitatis. Vt experientia comprobatum legimus Genesis 19. in Patriarcha Loth, atque etiam in putidis illis nefandísque Sodomitis, de quibus Ezechiel; *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, saturitas panis & abundantia.* Vnde Bonauentura. Castitas est sobrietatis filia, & nutritur ab ea. Cicero etiam: Temperantia est rationis in libidinem, & in alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio. Et Ambrosius dicit de sobrietate, quod informat mentem & habenas restringit corporalis ferocitatis. Vnde postquam D. Pater castitatem commendauit Abbatibus, sobrietatem commendat monasticæ gubernationi apprimè requisitam: quoniã scriptũ est, *Ve terræ cuius Principes mane comedunt*, hoc est, intẽpestiuè, vt helluones, nõ verò sobriè & parcè, vt prudẽtes viri.

Ezech. 16. 49.
Bonau. t. 7. de perfectione Religiosorum cap. 52.
Cic. lib. 2. de inuentute.
Ambr. lib. de finibus. c. 2.
Eccli. 10.

18. *Misericordem.* Nescio quo obtinendi vigore, qui castitatis pariter & sobrietatis virtutibus eminent, rigidioris in suos proximos censuræ notantur: fortè quoniam sæui in seipsos rigidíque cùm sint, propriam macerando & cohibendo carnem, in alios mites & lenes esse plerumque nesciunt. Quare post duas illas castitatis & sobrietatis virtutes attexuit D. Pater misericordiam, vt quantumcumque Abbates casti sobriíque dignoscantur, misericordiæ in proximos, sibíque subditos Monachos zelum & affectũ retineant. Hæc enim virtus non modò Christiana est, verùm & ipsiusmet Christi, cuius vice funguntur Prælati. Vnde Bonauentura. Misericordia est prima Christi compassio, prima Christi lectio, & prima Christi vnctio. Primũ, quia priùs posuit animam quàm corpus. Vnde Ioan. Christus pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Secundum, quia (vt dixit Ambros.) propterea Christus Dominus in hac lectione præ cæteris examinabit scholares suos in die Iudicij, dicens; Esuriui, & dedistis mihi manducare. Tertium, quia (vt Bernardus habet) bonum vnguentum contritionis, melius deuotionis, optimum commiserationis. Hæc Bonauentura.

1. Ioan. 1.
Matth. 25.
Bern. Ser. 15 Cant.

19. *Humilem.* Ingentis pretij virtus ista Abbatibus est, & vniuersis Præfectis: scriptum quippe habemus in Ecclesiastico; *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi vnus ex illis.* & in Matt. *Qui maior est in vobis, erit minister vester.* & alibi: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Quod verbũ subiecit Christus, postquam dixit: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Vnde Basilius. Humilis est similis Deo, quia licet vilissimus habitis virtutibus glorioſus est. Et Bern. explicans idipsum Matthæi, ait in persona Christi. Inuiderũt mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, Angelus & fœmina, illæ potentiæ, ista scientiæ: vos autẽ æmulamini charismata meliora, discentes à me, quia mitis sum & humilis corde, non alta sapiẽtes; sed humilibus cõsentientes, vt Dauid, qui dicebat; Non ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus super me. Magis ergo humilitas nos Deo commendat, quàm

Eccli. 32.
Matt. 16. 10.
Matth. 11.
Basil. in admonit. ad filium spirituale.
Bernar. in ep. ad Episcopũ Senonen.
Rom. 12.
Psal. 130.

quã sciẽtia quælibet, aut potẽtia.

20. *Et semper superexaltet*, &c. Certè vt lãx vna grauata superexaltat alterã quæ leuior in trutina est: sic D. Pater insinuare videtur quod iudicium misericordiam exaltat, vtique iudicium prudens; quia quãdo misericors iudex tandẽ tandẽ sumit de aliquo seueram sonte mulctam, cõuincitur quod amore iustitiæ desumit illam, non autem vindictæ affectu, aut zelo indignationis & iræ. Cui etiam sensui alium subnectere possumus: videlicet quod semper Abbas mitis ad supplicia sit, exemplo proculdubio Dei, de quo D. Thom. habet, quod punit citra condignum. Per quod tamen castigatio culparum nec tollitur, nec impeditur, aut etiam laxatur, cùm Paulus dicat; *Increpa illos durè*, vt verè increpauit Sadducæos & Pharisæos, imò & ipsũ Herodem Regẽ Baptista; Christus item aduersarios suos, emẽtes & vendentes è templo impacto flagello exturbauit. Itaque castigatio culparum canone isto non impeditur, moderatur tamen, ita vt misericordia adhuc in seueriori iudicio semper emineat, vt oleum supra omnem liquorem: nos ipsos in hoc attẽdentes & considerantes, quoniam scriptum est; *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini.*

D. Thom. 1. p. q. 21. a. 3. ad 2.

Ad Tit. 13.

Matth. 3. & Marci 6.

Matth. 12. & 23.

21. *Oderit vitia, diligat fratres.* Vtrumque hoc medicorum est respectu languorum & languentium: sæuiunt enim in illum, mitescùnt autem in istos. Præ languoris siquidem odio irruũt in partem affectam, sed præ languentiũ amore mitiori quo possunt more sese gerũt in eos. Prælatorum quidẽ munus medicorum est: propter quod qui detrectauit præfecturæ onus, respondit; *Non sum medicus*. Etenim vt medici modò blanditiis, modò duritiis, modò amaris, modò dulcibus potionibus, modò igne, modò ferro in febricitãtes procedunt: sic Prælati in delinquentes subditos, & Principes in vasallos rebelles. Deus item odio habet peccatũ & peccatorem vt sic: nam scriptũ est; *Odio sunt Deo impius & impietas eius*, attamen amat hominẽ; nã diligit omnia quæ sunt, adeò vt nihil oderit eorum quæ fecit. Quare qui in proximis odio habet iniquitatẽ, & humanitatẽ amat, Deo se similẽ gerit. Vnde Dauid: *Iniquos odio habui & legem tuam dilexi.* & alibi: *Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.* Deus enim odit peccatores vt sic, diligit tamen creaturas vt sic, vt expressè habet D. Thomas.

Exaie 3. 7.

Sapientiæ 14. 9.

Sapietiæ 10. 15.

Psal. 118. 13.

Psal. 138. 22.

D. Thom. 1. p. q. 20. a 2. ad 4. & q. 22. art. 3 ad 1.

22. *In ipsa autem correptione*, &c. Hoc est Bernardi illud. Castigatio debet esse moderata, quia secundum Ambrosium, leuiter castigatus exhibet reuerentiam castiganti; qui verò crudeliter castigatur, vel increpatur, nec increpationem suscipit, nec salutẽ. Blanda pietate sunt portãdi, qui pro sua infirmitate non possunt increpari. Hinc Salomon in vasis templi imagines leonis, bouis & Cherubin opere sculptorio pingi fecit, quia Prælati Ecclesiæ aliquando rigide, vt leones, aliquando patienter, vt boues, aliquando sapiẽter, vt Cherubin, aliquando verbis, aliquãdo flagellis suos subditos debent

Bern. Ser. 8. de modo viuendi.

corrigere. Et demum ex Diuo Isidoro confirmat,& ex Gregorio magno.Is enim ait.Correpti mens ad odium repentè proruit, si immoderatè increpatur. Quapropter prudentia maxima ad increpandum aliquem opus in Abbatibus est, vt increpatio illorum proficua sit. Vnde Augustinus. Si amore tuo corripis eum qui in te peccauit, nihil facis,si amore illius, optimè facis. Quasi diceret, si gratia curandi fratrem illum corripis, correptio tua magni momenti erit, si verò gratia & liuore vindicandi teipsum, iniquè & inutiliter agis. Magnam ergo prudentiam quæuis correptio requirit, præsertim illa quæ grauis esse debet.

Gregor. 2. p. Past. adm. 10. & lib. 10. moral. cap. 15.

Aug. Ser. 16. de verb. Domini.

23. *Suam fragilitatem.* &c. Hoc est illud Pauli ad Galat. *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis,instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans temetipsum, ne & tu tenteris.* Circa quod notauit D.Thomas,quod Paulus non dixit,corripite, sed instruite, propterea quod omnis peccans est ignorans,iuxta illud Salomonis, *errant qui operantur malum.* Consultò etiam dixit Paulus, *considerans temetipsum*,quoniam scriptum habemus; *Ex teipso intelliges quæ sunt proximi tui.* Et quamuis in plurali dicatur, *vos instruite*, applicatur tamen in singulari, *considerans temetipsum.* Cuius ratio est, quod de tota congregatione non est timendus lapsus, bene tamen de quolibet singulari,etiam Præposito. Huius autem consideratio magni refert, ne quassatus calamus

ad Gal. 6. 1.

Eccli. 31.

confringatur, quod est Esaiæ verbum. De quo Hieronymus, Procopius & Cyrillus,cum Hilario & Chrysostomo dicunt, significare mores, infirmitates & proximorum vitia patienter esse ferenda, vt Christus ea tulit adhuc in truculentioribus aduersariis suis: adeò enim mansuetus & mitis fuit, vt quassatum calamum & linum fumigans, in quibus aliquid roboris luminisve inuenirct, non abiecerit, non oppresserit, nec clamosè increpauerit, sed toleraverit potiùs, fouerit, sanauerit, & accenderit. Quod sanè planè regium atque diuinum est. Siquidem, vt Iustinianus Imp. dicit, nihil aliud tam peculiare Imperiali maiestati est quàm clementia & humanitas, per quam solam Dei seruatur imitatio. Et Plinius. Principis est beneficiis potiùs quàm remediis ingenia nostra experiri. Et Seneca. In apibus videmus regem sine aculeo esse: noluit enim illum natura sæuum esse, nec vltionem magno constituram petere; telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplum hoc magnis Regibus ingens est.Inde Augustinus. Magis est de correctione quàm de subuersione cogitandum. Et Deus ipse; *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Ratio est,quoniam salutaris correctio,præsertim monastica,medicamentum est:ait enim Galenus; Turpis calamitas,ægrotum medicamento perire.

Esaiæ 42. 3.

Cod. de donatione inter vir. & uxor. l. vlt.

Plinius in Paneg. Traiani.

Seneca de Clem lib. 1.

Aug. lib. contra Epist. fundam.

Ezech. 33. 11.

24. *In quibus non dicimus.* &c. Hoc est illud Gregorij in Pastorali, nimirum in Testamenti arca virgam,

Gregor. 3. p. past. adm. 2.

virgam, legem, & manna olim
Heb.9.2. inclusa fuisse, vt Hebr.9. habetur: virgam, propter castigationem: legem, propter prudẽtiam: manna, propter suauitatem. Est
Aug. de correp.& gratia cap.15.10.7. etiam illud Augustini. Corripiãtur à Præpositis subditi correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diuersitate diuersis, vel minoribus, vel amplioribus. Est denique illud In-
Innocen.dist. 83.cap.5. nocentij. Consentire videtur erranti, qui ad resecanda quæ corrigi debent, non occurrit. Et il-
Gregor. 2. p. Past. adm.2. lud Gregorij. Episcopus qui crimina non corrigit, magis dicendus est canis impudicus quàm
Inno.dist.83. cap.3. Episcopus. Et rursum ex Innocentio. Error qui non corrigitur, approbatur, & veritas cùm minimè defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cùm possis deturbare peruersos, nihil aliud est quàm fouere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.

25. *Studeat plus amari quàm timeri.* Monito certè hoc D. Patris cætera comprehenduntur; quoniam Prælatus eatenus subditorum amore dignus efficietur, quatenus inuenitur ab eis doctus, castus, sobrius, misericors, prudens, pius, humilis, odio habens vitia, & amore prosequens fratres. Cùm enim amor erga bonum sit, bonum autem non consurgat nisi ex integra causa, catenus se reddet amabilem Abbas, quatenus se suis numeris absolutum ostenderit. Vnde Augu-
Aug.cap.43. Regula. stinus. Ipse qui præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente fœlicem: honori coram vobis Prælatus sit vobis, timore coram Deo subditus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum: corripiat inquietos, consoletur pusillamines, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. Disciplinam libens habeat, metuendus imponat. Et quamuis vtrumque sit necessarium, tamen plus à vobis amari appetat quàm timeri, semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Refert etiam multum ad bonum disciplinæ monasticæ, Abbatem à subditis diligi, & amore prosequi, quoniam cùm amor obsequiosus sit, & officiosus, qui Abbatem diligit, sermonem obseruabit Abbatis; vt econtrà qui non diligit eum, eius non obseruabit mandata: siquidem vel Christus ipse dixit; *Siquis diligit me, sermonem meum seruabit. Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Scio vocem illam Regiã, odetint dum metuant: sed scio vocem esse Neronis, dum grassaretur in populos, & proinde non tam Principis, quàm carnificis vocem esse. Licet enim timor cõducibilis sit propter hostes, non tamen propter subditos. Vnde Tacitus de Principe. Amorem apud populares, metum apud hostes quærat. Preterquàm quod subditorum amore præfecturæ firmantur, dicente Liuio; firmissimum illud imperium quo obedientes gaudent. Seneca verò econtrà. Inuisa nemo imperia retinuit diu. Vt igitur quisque studet suum magistratum firmum & stabilem reddere; sic studere oportet amabilem fieri. Quod enim amamus, perire (si possumus) non permit-

Ioan. 14.15.

Tacitus lib. 11. annal.

Liuius lib. 8.

timus,

timus, & si adhuc inuitis nobis periclitatur, dolemus.

26. *Non sit turbulentus*, &c. Postquam Esaias dixit ; *Calamum quassatum non conteret*, vtique Christus, subiecit, *non erit tristis, neque turbulentus* : id est, (prout interpretatur Hieronymus) nullum vultus sui tristitia deterrebit, vtique qui numquam tetricus, tristis, demissoque vultu, sed erecto potiùs, hilari & sereno incedet. Vultus enim hilaritas in Principe, hilares reddit subditos, iuxta id Prouerb. *In hilaritate vultus Regis vita*; & illud psalm. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo* : obnubilata autem & tetrica facies tristes nimiúmque mœrentes. Vnde Gregorius magnus pro encomio D. Patris retulit quod erat vultu placido: & de Christo Domino Dauid, quod erat speciosus forma præ filiis hominum, & Scriptura de Moyse, quod ex consortio sermonis cum Deo prodiit sereno pariter ac splendenti vultu. Et licet D. Pater tantam in Abbatis vultu hilaritatem non requirat ; quis enim (etiamsi volet) semper poterit habere eam? monet tamen ne tristitiam præferat, neque turbulentiam : nam hic denigratus vultus velut cælum est nubibus minacibus horridum, fœdum & rigidum, niuem, glaciem, grandinem, tonitrua, fulgura, fulminaue iaculans. Vultus enim Abbatis sic nubilus, cui grauis ad videndum non erit ? Quem Monachum nõ terrefaciet, & formidine conteret ? Hunc ergo fucum longè à se propellere omnis tenetur Abbas, quinimò & omnis Monachus : quoniam tetricus vultus non Monachi, sed machinantis malum est.

Esaiæ 42. 3.

Prouerb. 16. 15.
Psal. 15. 11.
Gregor. lib. 2. dial. cap. 1.
Psalm. 44. 2
Exod. 34. 29.

27. Quia item nomen hoc *turbo* idem est ac vehemẽs atque vorticosus ventus obuia quæque disturbans & prosternẽs, ex quo Esaiæ illud ; *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem*: estque etiam genus quoddam instrumenti lusorij, quod à pueris scurica in gyrum circumagitur, Hispanè *trompicò*, ideo turbulentus homo non solùm idem est quod turbidus, sed etiã quod violentus, inquietus, plenúsque contentione, quasi vertigine actus. Quæ omnia quãtum cum tranquillitate & grauitate Abbatiali pugnent, nullus non videt.

Esaiæ 25.

Quia verò turbulentia hæc angoris & pressuræ cordis effectus est; eatenus siquidem aliquis circumagitur & turbulentus incedit, quatenus corde premitur & arctatur, ideo subiicitur in textu, vt Abbas non sit anxius: anxietas enim vrget, impellitque ad pressuram & nimiam festinationem. Vnde psalmus ille 101. in quo celerrima auxilia efflagitantur à Deo, cùm dicitur ; *In quacumque die inuocauero te ; velociter exaudi me*, is igitur psalmus habet pro inscriptione & titulo, *Oratio pauperis cùm anxius fuerit*. Anxietas enim instabit vel ipsi Deo. Etiam ex pressura cordis resultat nimietas in appetendo & circumagendo, & proinde durities & obstinatio, nam qui multum appetit, inhiat, suique sensus tenacior, refractiorque inuenitur. Vnde omnis damnatur nimietas, Scriptura dicente : *Noli nimis*

Psal. 101.

Eccli. 31, 20.

minùs esse ; ne fortè offendas. &
Eccles.7.17. alibi : *Noli esse iustus multùm, neque plus sapias quàm necesse est.*

28. *Non sit zelotypus.* Non taxatur religionis in Abbatibus zelus, nec taxari potest, vtique quia conducibilis multùm ad perfectionem monasticam, ad quam perfectiora charismata æmulanda sunt. Idcirco seipsum commẽdauit Da-
Psal.68.10. uid, & in sua persona Christum, ex eo quod zelus domus Dei comederit illum. Comederit, inquam, quoniam zelus ignis cùm sit, edax multùm est, & proinde quos semel corripit, in se ipsum velut ignis conuertit. Cuius gratia
Psal.118.139. iterum Dauid ; *Tabescere me fecit Zelus meus.* Elias etiam zelum commendauit suum di-
3.Reg.19.10. 1.Machab.2. 26. cens ; *Zelo zelatus sum pro Domino exercituum.* Et Mathathias ille clamauit, vt omnis qui zelum haberet legis, exiret post se. Imò Deus ipse zelotes dicitur, vt etiam appel-
Exodi 20.5. latur ignis. Est enim zelus vehemens quidam affectus cordis, quo impellimur ad incolumitatem eorum quos verè
Deut. 4.24. diligimus. Non igitur taxatur hic religionis in Abbatibus zelus, sed Abbas zelotypus: quoniam sicut zelotypia, idem est quod indiscreta & nimiùm feruens ira, aliàs furor; sic zelotypus, idem quod ira percitus, & cogitationibus præceps. Vnde subiicitur : *& nimis suspicios us, quia numquam requiescet.* Id enim est quasi definitio zelotypi ; zelotypus enim idem est quod semper inquietus, perpetuisque suspicionibus semper interturbatus. Cùm huiusmodi autem quis spiritum ducet, etiam sub ratione amici, nedum subditi ? Vide Augustinus. Cauendi sunt instabiles & suspicioſi amici, quia cùm fructus amicitiæ sit securitas, quomodo credendum amico, qui omni circumfertur vento, qui molli comparatur luto omnium formas in se suscipienti ? Quid etiam magis competit amicitiæ quàm pax & tranquillitas cordis ? cuius semper expers suspicioſus est, numquam enim requiescit. Et Bernardus etiam. Suspicio impedit cum proximis vnitatem. Cùm igitur Prælati & subditi vnum mysticum conficiant corpus, cuius caput Prælatus est, consequens fit, vt non possit esse Prælatus qui suspicioſus inuenitur, vtpote qui non potest cum congregationis corpore vnitatem efficere.

Aug. lib. de amicitia cap. 14. tomo 4.

Ber. Ser. de assumpt.

29. *In ipsis imperijs*, &c. Abbas discretionis expers mala crux subditis est, præsertim si præceps sit, aut minus quàm par est consultus in præceptis ferendis. Id enim iniquitatis tantam speciem præ se fert, vt
Psal.93.20. Deo ipsi dicat Dauid : *Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto* ? hoc est, cùm nulla te iniquitatis mica intingat, quomodo præcepta laboriosa condis? Hoc enim videtur solius improbita-

tis esse opus, quæ tamen procul est à te. Præceptorum enim insuauitas adeò extra leges atque mores est, vt propter hoc vnum dicatur lex antiqua, vtique ceremonialis illa & iudicialis, non bona, iuxta illud; *Ego dedi eis legem non bonam*, hoc est, non placidam, suauem, lenem, sed duram, laboriosam, & grauem. Quapropter dixit Petrus: *Act.* 15. 10. *Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus?* Quo contrà Christus nouam Euangelij legem suauem adeò condidit, vt ipse dixerit; *Matth.* 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Et Apostoli ipsi: *Act.* 15. 28. *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris quàm hæc necessaria.*

30. *Cassian. collat.* 2. *Hæc ergo*, &c. Discretionem matrem esse virtutum tam pro validis quàm pro debilibus Cassiani doctrina est, dicentis ex vniuersorum Patrum, & maximè Antonij magni sententia. In hac sapientia, in hac intellectus sensusque consistit, sine quibus nec interior nostra ædificari domus, nec spiritales poterunt diuitiæ congregari; secundum illud Prouerb. (iuxta Septuaginta Interpretes) *Prouerb.* 24. Cum sapientia ædificatur domus, & cum intellectu iterum erigitur; cum sensu implentur cellaria omnibus diuitiis pretiosis & bonis. Hæc inquam est solidus cibus, qui nisi à perfectis tantùm & robustis sumi potest, secundum illud Pauli; *Heb.* 5. Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habẽt sensus ad discretionem boni & mali. Quæ in tantum vtilis nobis ac necessaria comprobatur, vt etiam verbo Dei, cuiusque virtutibus coaptetur, secundum illud Pauli: Viuus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & discretor cogitationum, & intentionum cordis. Quibus manifestè declaratur, nullam sine Dei gratia perfectè posse vel perfici, vel stare virtutem. Et ita tam B. Antonij quàm vniuersorum sententia diffinitum est, discretionem esse quæ fixo gradu intrepidum Monachum perducat ad Deum, prædictasque virtutes conseruet illæsas, & sine qua multi etiam propensiùs laborantes, perfectionis nequiuerũt culmen attingere. Omnium nãque virtutum generatrix, custos, moderatrixque discretio est. Discretione igitur omnia temperabit Abbas, & omnibus consulet. *Heb.* 4.

31. *Et præcipuè*, &c. Etenim cùm hæc regula sit Monachorũ via, à qua declinandum non est, & cuius auctor est Abbas tam verbo quàm exemplo, opus est illimente retinere eam, meditari die ac nocte, cordique imprimere & abscondere, vt nec ipse peccet Deo, neque alios peccare permittat, deflectendo à via, quam directè insequi tenentur. *Prou.* 6. 20. Vnde licet omnes tangat Prou. illud: *Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, liga eam in corde tuo iugiter.* & illud Psalm. *Beatus vir qui in lege Domini meditatur die ac nocte:* specialiter tamen respiciũt *Psal.* 1. 1.

Abba

Eccli. 19.1. Abbates illa verba; *Labia tua custodiant disciplinam*, vtpotę quod subditi ab ore eorum legem requirunt,& ad illos pertinet subditos cõmonere dicendo Esaiæ illud: *Hæc est via, ambulate in ea, & non declinabitis ab ea, neque ad dextram, neque ad sinistrã*; aliàs taxabitur Abbas quod sit canis mutus qui latrare non valet, Esaiæ 56.10.

Esaiæ 30.21.

32. *Vt dum bene ministrauerit*,&c. Non infœliciter Abbatibus administratio cessisset, si tantum reciperent, quantum æquè & bene administrassent; sicut boni talentorum administratores totidem talenta receperunt, quot domino suo comparárunt: vtique talenta quinque, qui comparauit quinque; & duo, qui comparauit duo, iuxta Matthæi parabolam. Nec leuis remuneratio esset illis si centũ pro vno reciperent, vt recipient omnes qui reliquerint domum, vel patrem, aut matrem, aut vxorem propter nomen Christi. Sed adhuc magnificentior ostenditur Christus in prudentibus fidelibúsque congregationum administratoribus: siquidem, vt habet textus præsentis capitis ex verbo Domini, *super omnia bona sua constituet eum Dominus*. Certè quoniã Christi vices egerunt, Christi sunt remuneratione donandi: Christo autem omnia subiecta leguntur in psalmo. Vnde in eius nomine omne genu flectitur cælestium, terrestrium & infernorum. Ingens ergo Prælatorum onus, sed remuneratio eximior.

Matth. 19.

Matt. 25.

De Præposito Monasterij.

CAPVT LXV.

SÆPIVS quidem contingit, vt per ordinationem Præpositi scandala grauia in Monasteriis oriantur: dum sint aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, qui æstimantes se secundos Abbates esse, assumentes sibi tyrannidem scandala nutriunt, & dissensiones in Congregatione faciunt,& maximè in illis locis, vbi ab eodem Sacerdote,vel ab iisdem Abbatibus qui Abbatem ordinant,ab ipsis etiam & Præpositus ordinatur. Quod quàm sit absurdum, facile aduertitur: quia ab ipso initio ordinationis materia ei datur superbiendi dum ei suggeritur à cogitationibus suis, exutum eum esse à potestate Abbatis sui, quia ab ipsis est ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc suscitantur inuidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, exordinatio-

nes. Et dum contraria sibi inuicem Abbas Præpositusque sentiunt, & ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari. Et ij qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cuius periculi malum illos respicit in capite, qui talis inordinationis se fecerũt authores.

Ideoque nos præuidemus expedire propter pacis charitatisque custodiam, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monasterij sui. Et si potest fieri, per Decanos ordinetur (vt antea disposuimus) omnis vtilitas Monasterij, prout Abbas dispoſuerit: vt dum pluribus committitur, vnus non superbiat. Quòd si aut locus expetit, aut Congregatio petierit, rationabiliter cum humilitate, & Abbas iudicauerit expedire, quemcunque elegerit Abbas, cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum. Qui tamen Præpositus illa agat cum reuerentia quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint, nihil contra Abbatis voluntatem, aut ordinationem faciens: quia quantò prælatus est cæteris, tantò eum oportet solicitiùs obseruare præcepta Regulæ. Qui Præpositus, si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbiæ, aut contemptor S.Regulæ fuerit comprobatus, admoneatur verbis, vsque quater: si non emendauerit, adhibeatur ei correctio disciplinæ regularis. Quòd si neque sic correxerit, tunc deiiciatur de ordine Præposituræ: & alius qui dignus est, in loco eius subrogetur. Quòd si & postea in Congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de Monasterio expellatur. Cogitet tamen Abbas se de omnibus iudiciis suis Deo redditurum rationem; ne fortè inuidiæ aut zeli flamma vrat animam suam.

1. SÆPIVS *quidem*, &c. Præpositorum in congregatione necessitas perspicua mihi est: si quidem Abbate in alias curas abducto, atque occupationibus distracto, vt sæpe necessariò distrahitur, & vel inuitus distenditur, opus est præside aliquo, qui congregationi emineat, & authoritate polleat intra Monasterij claustra, & ad spiritualia munia, regendi eam, ne corpus Cœnobij mysticum in conuentuali officio acephalum videatur. Quis hoc non videt? At nisi Præpositus sit omnino Abbati substratus, ac

per

per omnia conſonus & ſubiectus, non tam neceſſarius quàm nefarius Monaſterio erit: vtpote quod factionibus tunc, ſimultatibus & contentionibus cuncti patebunt, vel tota congregatio cõtemnet odióque habebit vel Præpoſitum, vel Abbatem, dicente Domino; *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, aut enim vnum odio habebit, & alterũ diliget.* Duo autem domini dicuntur, quando vnus alteri non ſubordinatur. Tunc enim ſunt verè duo, vtpote diuiſi aut diuerſi. Quando autem vnanimes inueniuntur, ita vt vnus alterius ductum placitúmque expectet, & ſequatur, pro vnó eodémque habentur. Vnde Chryſoſtomus explicans prædictum Domini verbum dicit, quod duorum dominorum nomine intelligendi veniunt illi, qui contraria imperant, quoniam aliàs duo non eſſent: nam & illorũ qui in Chriſtum crediderunt, erat cor vnum & anima vna, vtpote quod concordia vnum facit ex pluribus. Eadémque Theophylactus habet, & ipſe D. Pater infrà ſignificat. Idem etiam eſt dicendum de his qui diuerſa, etiamſi non aduerſa præcipiunt: nam etiam diuerſitas diuiſionem facit, non vnionem. Quapropter licet vnus dominus plures poſſit ſeruos habere ad diuerſas functiones, at non vnus ſeruus plures dominos.

Luc. 16. 13.

Chryſ. hom. 22. in Matt.

Act. 4.

2. Huius gratia monarchicum regimen, hoc eſt, præfectura vnius, cui cæteri, tam Præfecti quàm ſubditi per omnia ſubordinantur, perfectiſſimum eſt: cæteta autem regimina, vtique ariſtocratia, hoc eſt, optimatum, & dimocratia, id eſt, populare, non ita: de quo nos plura in Pentateucho fidei, tractatu de Romano Pontifice. Vnde Tacitus. Ea eſt imperandi ratio, vt non aliter cõſtet, quàm ſi vni reddatur. Cùm igitur inter monſtra naturæ, quantumuis horrifica, nullum deformius illo quod biceps eſſet, hoc eſt, duplicis capitis: ſic inter monſtra morum & Rerumpub. Quare de Præpoſitis qui ſe ſommiant ſecundos Abbates, inquit hic D. Pater, quod tyrannidem ſibi aſſumunt, quod ſcandala nutriunt, & diſſenſiones in congregatione faciunt. Quid autem in Monaſteriis turpius, nocentius, & execrabilius? Oportet igitur Præpoſitos Abbatibus ſubordinari, non minus quàm legatus leganti, miniſter Principi, & inſtrumẽtum cauſæ.

Tacitus lib. 1. annal.

Et maximè in illis locis, &c. 3. Huius autem deformitatis potiſſimam cauſam adſcribit hic D. Pater electioni, qua tunc temporis in aliquibus Monaſteriis alterius inſtituti creabatur Præpoſitus: vtique non ad mentem Abbatis, neque de ſententia illius, ſed ad ſuffragia illorum quibus ipſe ordinabatur Abbas. Cũ enim non per portam paſtoris, ſed aliunde obreperet & intraret Præpoſitus, independentem ſe ab Abbate conſiderabat, tam in conſeruari, quàm in fieri, & proinde indemnem ſe ſommiabat, etiamſi vexillum contra Abbatem in Monaſterio erigeret, & claſſicum cãneret, Cœnobiúmque ſeditionibus, tumultibúſque

búsque impleret. Vnde D.Pater hic: *Hinc suscitantur inuidiæ, iræ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, exordinationes. Et dū contraria sibi Abbas Præpositūsq; sentiunt, & ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari.* Hāc ob rem nos etiamsi à Capitulis generalibus nostros accipiamus Abbates; non tamen Præpositos, sed quilibet Abbas sibi Præpositum eligit. Et licet de consilio fratrum assumat eum, at non de præscripto: quia suffragia fratrum ad hoc consultiua tantùm, non decisiua sunt, vt sic Præpositus videns omnino se pendere ab Abbate, in fieri scilicet & conseruari, morigerum se præbeat ei, & non refractarium, vt sic ædificetur conuentus.

4. *Ideo nos præuidemus*, &c. Causa præcauendi prædicta mala, & cōseruandi pacis & charitatis in conuentu bona; decernit Diuus Pater (perculsus sanè atque perterritus nociua experiētia oppositi) quod penes Abbatem sit ordinare non tantùm Præpositum Monasterij, sed Monasterium ipsum, hoc est, omnes Monasterij ministros, vt scilicet cùm omnes pendeant à voluntate Abbatis, omnes illam exequi, eique subesse studeant. Sanè exquo summo Deo dixerūt homines; *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*, continuò subdiderunt; *Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.* Hoc est, eius addicti placito & præscripto more ouium, quæ etiamsi ducantur ad victimam, vocem non edunt. Econtrà autem qui dixerunt; *Labia nostra à nobis sunt*, id est, in dictione nostra, consequenter addiderunt; *Quis noster Dominus est?* Idcirco Christus dixit: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*, vtique conseruationem omnium quæ semel creata sunt, ne intereant, & in nihilū abeāt; vt sic intelligant homines quod dependent à Deo, & proinde gratum illi impendant obsequiū. Si igitur ad hoc vt homines recognoscant Deum, & subdantur illi, oportet quod dependeānt ab eo non solùm in fieri, sed & in conseruari, quid vt aliis subsint hominibus?

Psal. 93.3.

Ioan. 5.17.

5. *Et si potest fieri*, &c. Aristotelicum monitum & documentum est; *Communis custodia Principatus neminem vnum magnum facit.* Quod tamen intelligēdum est, quamdiu ad oppositum necessitas non impellat. Vnde D. Pater in præsenti cōstituit quod si Monasterij regimē potest per Decanos fieri, Præpositi ordinatio excusetur, ne in Monasterio vnus magnus fiat. Periculosum enim est priuati hominis nomē non solùm supra (vt aiebat Tacitus) verùm iuxta nomen Principis attolli. At si congregatio Præposito indiget, (vt ferè semper indiget) annuit D. Pater, vt de consensu fratrum creetur, ordineturve ab ipso Abbate, talis tamen vt sit morigerus ei, & per omnia addictus, vtpote qui regulæ monitorum debet esse obseruantior.

Aristot. 1. Polit. c. 11.

Tacitus in Agricola.

6. *Qui Præpositus*, &c. Vti sublimiores paritérque delicatiores humani corporis partes, dum ægrotant & languent, diu fortiúsque tolerantur, fomentísque vali

validioribus obliniuntur, antequam euellantur, vel amputentur; ſic Præpoſitus peccati labe correptus, magis ac magis eſt exhortandus, præcæteríſq; monendus, antequam ad acerrimũ priuationis ab officio ſuppliciũ, vel ad extremum abiectionis diſpendium, & à religione exterminium in eum procedatur. Vnde Ariſtoteles de illo qui ad honores aſſumptus, procaciter tandem ſuperbiit, & ob id fit dignus repulſa; Oportet (inquit) circumductione quadam, & per ambages moráſque id facere: vtique corrigendo illum toties quoties, non autem ſubitò deturbando, aut detrahendo; & cùm deponendus ſit, vel etiam exturbandus, leniter & prudenter id fieri oportet.

Ariſtot. vbi ſuprà.

7. *Cogitet tamen Abbas*, &c. Notabile dictu. Nullum (ſi aduertiſtis) verbum in commendationẽ Præpoſiti D. Pater inſerdit, præter monitionem iſtam, qua commonefecit Abbatem, ne inuidiæ vel zeli ardore in Præpoſitum ſæuiat. Bone Deus! quid hoc? Scio exhortationem iſtam apprimè Chriſtianam neceſſariámque eſſe: tum quoniam cæcus adeò inuidiæ zelus eſt, & adeò præceps liuor, vt dum alteri nocet, ſui damni prorſus ſit negligens: prout de ira nobis Seneca dixit. Tum quia horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis, & extremè iudicantis. Sed numquid Præpoſiti munus adeò cõtemptibile eſt, vt meritò D. Pater mentionem illius præterierit? Certè qui Cellerarij, Oſtiariique Monaſterij partes deſcripſit, & muneris operæpretia ſingulariter deſignauit, etiã poſſet Præpoſiti partes officiúmque deſcribere. Quid igitur dicendum? Numquid conſultò id feciſſe, ad oſtendendam rigidam, quam de Præpoſitis Monaſterij opinionem habebat, quaſi Præpoſitus fuiſſet, qui illi venena propinauit? Abſit. Nam licet Præpoſitorum officium excuſari voluerit, quoties per Decanos poſſet conuenienter ſuppleri; at inſtanti neceſſitate in cõgregatione Præpoſiti, annuit vt creetur: quod tamen non permiſiſſet, ſi præpoſteram de Præpoſitis Monaſterij opinionem haberet. Quid ergo? Exiſtimo quod cùm Præpoſitus ſit vicarius Abbatis, ſuppreſſit de Præpoſito dicere, contentus abundè dixiſſe requiſita ad Abbatem, & requirenda ab eo, vtique cap. 2. & 64. Quare vitio D. Pater in Præpoſito vertit, quod ſe ſecundum Abbatem ſomniet, non autem quod Abbatem: quia cum Abbate Præpoſitus non ponit in numero, ſed eſt coadiutor Abbatis; & vicarius illius. Vnde ſicut coadiutor Canonici proprietarij, & Canonicus ipſe proprietarius non ſunt duo, ſed vnus Canonicus, & pro vno tantùm in ſuis Eccleſiis habentur; ſic Abbas & Præpoſitus in Monaſteriis pro vno Prælato computantur, vicem Abbatis Præpoſitò (in abſentia Abbatis) gerente. Quare eadem ornamenta virtutum, quæ ad dignè ordinandum Abbatem, & cætera quæ ab illo iam ordinato (ad dignam muneris ſui functionẽ) prærequiruntur, pro ordinando

Senec. lib. 1. de ira. c. 1.

Præpo

Præpoſito, & ab illo iam ordinato requirenda eſſe, pro conſtanti compertóque relinquitur.

De Oſtiarijs Monaſterij.

CAPVT LXVI.

AD portam Monaſterij ponatur ſenex ſapiens, qui ſciat accipere reſponſum & reddere: cuius maturitas cum non ſinat vagari. Qui Portarius Cellam debet habere iuxta portam: vt venientes ſemper præſentem inueniant, à quo reſponſum accipiant. Et mox vt aliquis pulſauerit, aut pauper clamauerit, Deo gratias reſpõdeat, aut benedicat: & cum omni manſuetudine timoris Dei, reddat reſponſum feſtinanter cum feruore charitatis. Qui Portarius ſi indiget ſolatio, iuniorem fratrem accipiat. Monaſterium autem (ſi poſſit fieri) ita debet conſtrui, vt omnia neceſſaria, id eſt, aquæ, Molendinum, Hortus, Piſtrinum, vel artes diuerſæ, intra Monaſterium exerceantur: vt non ſit neceſſitas Monachis vagandi foras; quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem Regulam ſæpius volumus in congregatione legi: ne quis fratrum de ignorantia ſe excuſet.

1. AD *portam*, &c. Vult D. Pater oſtium Monaſteriorum ſuorum eſſe circumſtantię oſtiũ, vel potiùs circumſtantiarũ: vult enim oſtiarium ſenem, ſapientem, & ſcientem reſponſa dare & accipere, ac tandem maturum moribus, ne dilabatur, incertúſque huc inde erret, ſed quietus conſideat. Iure autem Oſtiarius Monaſterij requiritur tot virtutibus exornatus: quoniam (vt Ambroſius habet) bona quippe domus in ipſo veſtibulo debet agnoſci. Monaſteriorum autem domus, etiam humillimæ ac deſpicatiſſimæ fabricæ, bonæ ſemper & optimæ ſunt, ob bonos & optimos, quos incolas continẽt: vt eſt bonus ſaccus etiam pertuſus, qui diuitiis plenus eſt. Oportet ergo dignoſci excellentiam & præſtantiam Monaſteriorũ in ipſorum limine, hoc eſt, in Ianitore ipſo ianuæ aſſidenti: vt ſic introitus dignificetur, vt olim dignificabatur introitus ciuitatum, ad quarum limina Iudices aſſidebant, iuxta Prouerbiorum illud; *Nobilis in portis vir eius.* *Ambr. lib. 1. in Lucam.* *Prou. 23. 33.*

Item Monaſteria cùm ſint 2.
quaſi

quasi arces, castellaq; sacra, præsidiáque munitissima castrorum Dei, opus prudentissimo Ianitore habent, qui sciat & valeat obstruere aditum, vel etiam reserare occurrentibus, quando scilicet & quomodo illum obstruere vel reserare oportet. Vn-
Conc. Aquisgr. ex Isidoro Hispalensi de Ostiariis Ecclesiæ inquit. Ostiarij sunt qui in veteri Testamento Ianitores vocabantur, qui præerant portis Ierusalem. Hi inter sanctum & iniquũ discernentes, eos tantùm in Ecclesia qui sunt fideles recipiunt. Intrare enim templum nisi per hos, non possumus. Habẽt enim potestatem tam bonos recipiendi, quàm reiiciendi indignos.
Conc. etiam Carthag. IV. (cui D. August. interfuit,) relatum c. Ostiarius, decernit vt Ostiario, cùm ordinatur, dicatur; Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur. Magni ergo refert ad Monasterij custodiam, Ostiarium Monasterij excubare ad ianuam peritè pariter & sapienter, & proinde Ostiarium ipsum sapientem esse, atque adeò senẽ:
quoniam (vt habet Iob) *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* His autem duobus comitibus maturus emerget moribus noster Ianitor, nam temperamento sapientiæ & senectutis morum maturitas coalescit.

Qui portarius, &c. Esther 2. legimus; *Qui Ianitores erant, in primo palatij limine præsidebant.* Iure item antiquo Ianitores ad ostiũ ligabantur, dicente Brisonio. Ianitores & Ostiarij more antiquo in catena erant, iuxta Suetonium, & iuxta id Ouidij,

Ianitor indigne dura religante catena,
Difficilem moto cardine pandeforem.

& iuxta id Columellæ. An putẽ fortunatius, à catenato Ianitore repulsum sæpè nocte sera foribus ingratis adiacere? Huius consiliũ proculdubio erat, ne Ianitores distraherentur, sed pulsantibus opportunum & promptum responsum darent, eo quod cũctis omnis cunctatio gravis est, sed maximè festinantibus. Itaque Ostiarij ad ianuas religabantur. Vnde & nos attexere quodammodo possumus, quod cæli Ianitor Petrus catenis innexus tenebatur, & festum catenarum illius in Ecclesia colitur, vtique in Ianitoris obsequium.

Et mox vt aliquis, &c. Scitum est illud Pauli verbum; *Minor sine vlla contradictione à maiori benedicitur*: ex quo ipse intulit Melchisedecum maiorem dignitate fuisse Abrahamo, cùm illum benedixerit. Igitur cùm Ostiarius quantumcumque senex sapiénsque, & etiam maturus moribus, non semper præsumatur melior omni occurrenti & pulsanti, difficultatem facit quod debeat benedicere illum. Sed præterquàm quod domestici Dei iure incolatus possunt benedicere alios, iuxta id psalmi; *Benedeximus vobis de domo Domini*: & quod ingenuitatis vrbanitatísque est, minores salutare maiores, vt resalutentur ab illis. Vnde cùm dixisset Dauid; *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi*

Suet. de claris Rhetor. Ouid. 1. Amorũ, Eleg. 6.

Columella in præfatione lib. de re rustica.

4. *Heb. 7. 7.*

Psal. 117. 25.

Psal. 133. 1.

Ostiarius.
Conc. Aquisg. c. 2.
Isid. 2. de offic. c. 14.
Concil. Carthag. 4. can. 23. cap. Ostiarius.
3. *Esther 2. 21.*
Brison. lib. 2. Iure civil. c. 9.
Psal. 12. 12.

Domini, qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri, subiecit illicò; *Benedicat tibi Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram.* Igitur præter hæc sciendum est, quod licet minores non possint authoritatiuè maiores, melioréſq; benedicere, bene tamen affectiuè, & quasi laudatoriè. Hoc enim modo homines nos pusilli & nulli non solùm benedicimus Sanctos, qui apud Deum sunt, verùm & Deum ipsum. Quod benedicendi genus laudatorium est, non autem deprecatorium, vtpote quod illi iam extra aleā sunt. Eorum tamen aliqua bona extrinseca affectiuè simul & laudatoriè benedicimus, v.g. Ecclesiam, cui pacem & prosperitatē benedicendo precamur. Ostiarius ergo quantūuis minimus & indignus, occurrentem & pulsantem ad fores benedicere poterit, non quidem authoritatiuè semper, sed laudatoriè saltem. Præterquàm quod benedictio ista potiùs est gratiarū actio, quæ refertur ad Deum pro occursu & accursu pulsantis, iuxta quod satis exprimitur priori verbo quod habet, *Deo gratias.* Vnde cùm subiicitur, *aut benedicat*, intelligendum est quod benedicat Deo, eo quod Monasterium talem hospitem vidit suas fores pulsantem. Hospites enim quod vt Christus suscipiendi sint cap. 53. sancitum reliquimus.

5. *Qui portarius*, &c. Si portarius ex vna parte debet esse senex, & ex alia immixus puer, consequens est quod semper adminiculo egeat, quod discurrat per domum, superáque & infera lustret, annunciando petita Monachis. Si autem semper isto solatio & adiutorio indiget, videtur quod Diuus Pater incongruenter id sub conditione concesserit. Sed est casus, quod cùm Monasteria ipsius non tam in vrbibus, quàm in locis à turba remotis ædificanda conspiceret, & si mul videret quod in secessu à turbis rarus poterat timeri confluxus, ideo sub conditione solatium, vel adiutorium Ostiario concessit. In vrbibus autem ferè inexcusabile est.

6. *Monasterium*, &c. Duo hic attexuntur, pro quorum primo facit Eugenius Papa relatus cap. Placuit, dicens. Placuit communi nostro Concilio, vt nullus Monachorum pro lucro terreno de Monasterio exire nefandissimo ausu præsumat. Facit etiam illud Pauli; *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* Pro secundo similiter facit idem Eugenius subiiciens ibidem. Sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine Monasterio Monachus. Hieronymúsq; Paulino scribens, relatus 16. quæst. 2. cap. 5. Si cupis esse quod diceris, Monachus, id est, solus, quid facis in vrbibus? In illis enim commiscemur inter gentes, & sic opera eorum addiscimus. Vnde Iuuenalis:

16. q. 2. cap. Placuit.

Hier. ep. 3.

Iuuen. Sat. 1.

Dabit hæc contagio lábem,
Vnáque contacta inorem ducit ab vna.
Adspice quid faciant commercia.

7. *Hanc autem regulam*, &c. Bone Deus! quid hoc? Numquid omnes Monasterij Monachi futuri sunt portarij, aut rationem à portario sumpturi, quia sic com

compelluntur audire & crebrò legere obligationes illius? Minimè gentium. Sed sensus legitimus est, non quidem quod præsens caput crebrò in congregatione legatur, sed quod totum volumen Regulæ legatur & relegatur assiduè. Vult enim D. Pater totius Regulæ paginam iugiter recitari, & in congregatione audiri: vt sic omnes illam in numerato habeant, fixámque & impressam cordi retineant, vt adimpleant eam; veluti cùm de lege scripta præceptum est; *Non recedet volumen legis huius ab ore tuo. sed meditaberis in eo die ac nocte, vt custodias & facias ea quæ scripta sunt in eo.* & Salomon: *Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis, custodi legem; atque consilium, & erit via animæ tuæ, & gratia faucibus tuis; tunc ambulabis fiduciáliter in vijs tuis, & pes tuus non impinget.* Etenim iugis relectio legísque meditatio, omnem quę prætẽdi posset insciti æ, vel ignorantiæ excusationem extrudunt, & ideo conuenienter præcipitur vt lex crebrò legatur. *Iosue* 1.8. *Prou.* 3.21.

De fratribus in viam directis.

CAPVT LXVII.

DIRIGENDI fratres in via, omnium fratrum vel Abbatis orationi se commendent: & semper ad orationem vltimam operis Dei commemoratio omnium absentium fiat. Reuertentes autem de via fratres, ipso die quo redeunt, per omnes Canonicas horas dum expletur opus Dei prostrati solo oratorij, ab omnibus petant orationem propter excessus: ne quid fortè subripuerit in via visus, aut auditus malæ rei, aut otiosi sermonis. Nec præsumat quisquam aliis referre, quæcumque extra Monasterium viderit, aut audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit vindictæ regulari subiaceat. Similiter & qui præsumpserit claustra Monasterij egredi, vel quocunque ire, vel quippiam, quamuis paruum, sine Abbatis iussione facere.

1. *Orig. hom. 4. & 6. in Mat. Hilar. can. 7. & 14. in Matth. Clem. lib. 5. Stromatum.*

DIRIGENDI *fratres*, &c. Obseruatio multorum Patrum atque Doctorum est (præsertim Origenis, Hilarij, & Clementis Alexandrini) mundum istum turbulentum mare atque procellosum esse, & proinde naufragiis peruium & procliue. Vnde Ioan. *Mundus totus in maligno positus est.* Ratio esse potest, quoniam (vt Ambrosius habet) mundus locus & causa tenebrarum est. 1. *Ioan.* 5.19. *Ambr. lib.* 1. *Exam. c.* 9.

Qui autem in tenebris ambulat (prout Christus dixit) nescit quò vadit, sed in lubrico & procinctu potiùs ad lapsum est. Item Ambrosius super id Pauli, *Mortui estis ab elementis mundi*, ait. Mundum dicens, errorem carnis significat. Vnde Apostolus, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo.* Bernardus etiam. Quàm nequam in omnibus præsens seculum! quàm nequiter aduersus animam secularia desideria militare cognoscuntur! Sunt & principes mundi huius, & tenebrarum harum spirituales nequitiæ, aëreæ potestates, & inter eas callidior cunctis animantibus serpens.

Idem sup. ad Coloss. 3.

1. Ioan. 2.

Bern. Ser. 16. in psal. Qui habitat.

2. Itaque mundus mare infidum est: prædo autem qui depopulatur in eo & piratam agit, diabolus. Quare timendus est Monachis exitus & accessus ad illum, ne fortè arripiantur à dæmone mundi nequam tyranno. Vt igitur qui se mari committere decernunt, priùs Sacramentis se muniunt, vt tutiores euadant, & contra quæ timentur pericula sese diuinitus sepiant: sic D. Pater præcipit quod egressuri extra Monasterium Monachi orationibus fratrum seipsos commendent, & quod semper ad orationem vltimam operis Dei, hoc est, officij diuini, commemoratio omniũ absentium fiat; vt re ipsa fit. Cùm enim ad calcem officij diuini Romano more dicimus; *Diuinum auxilium maneat semper nobiscum*, illicò respondẽtes monastico modo subiicimus; *Et cum fratribus nostris absentibus, Amen.* Oratione siquidem diabolus huius mundi tyrannus longè pellitur, dicente Chrysost. Si dæmones conspexerint deprecatione communitos illicò resiliunt, non aliter ac prædones & facinorosi, vbi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari.

Chrys. sup. Matth. 13.

Reuertentes, &c. Certè cùm impossibile sit quin visis tangamur, prout Augustinus dixit, eo quod tangentes picem, inquinantur ab ea, & communicantes superbo, induunt superbiam, & ideo septies in die cadit iustus, & tangentes morticinum immundi erant, Leuitici 11. Et ob id precabatur Dauid; *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* & Ezechiel monebat; *Vnusquisque offensionem oculorum suorum abijciat*, vtpote quod *oculus depredatur animam.* Ideo regredientes è mundi laqueis Monachi, vt pedibus prouoluantur cunctorum, tanquam sontes & noxij, iubentur vt ab omnibus pro eis oretur: eo quod vnus orationis fructus est peccata diluere. Vnde in oratione Dominica postulamus; *Dimitte nobis debita nostra.*

Leuit. 11. 24.
Ps. 118. 37.
Ezech. 20. 7.
Thren. 3. 51.

Nec præsumat quisquam, &c. 4. Simile quid Pachomius capite 49. regul. & Iure, habet. Naturale est scienti res nouas tristes, vel placidas illicò nuntiare sociis, quibus etiam naturale est vt grati & auidi auscultent illas. Vnde Ecclesiasticus; *Qui nauigant mare, enarrant pericula eius, & nos mirantes audimus.* His tamen non obstantibus Diuus Pater vtrumque suis interdicit Monachis, quia plurima destructio est. Licet enim segniùs irritent animos demissa per aures, quàm

Eccli. 43. 23.

quæ

quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, vt lyricus poëta dixit; irritant tamen, eo quod (vt Iſidorus dixit) per ſenſus carnis morbus irrepit mentis. Neque enim aliũde peccamus, niſi videndo, audiendo, attrectãdo, guſtãdo, atq; tangendo. Vnde & aliàs dicitur; Intrabit mors per feneſtras noſtras. Et eadem Gregorius habet. Quapropter ſicut precabatur Dauid; *Auerte oculos meos, ne videant vanitatẽ*, auerte manus, aures, viſum, nares, &c. eo quod ſenſus omnes feneſtræ ad malũ ſunt, niſi prepediat Deus. Ob hãc rem Bernardus propter corporis ſenſus dixit Eſaiæ illud; *A planta pedis vſque ad verticem capitis, non eſt in me ſanitas*, & gratia explicationis ſubiecit. Fauces aſſignatæ ſunt voluptati, pedes curioſitati, vanitati aures & linguæ deſeruiunt. Ideo in Geneſi dicitur; *Senſus & cogitatio hominis intenta eſt ad malum omni tempore.*

Iſid. 2. ſententt. cap. 28.

Ierem. 9. 21.

Greg. 11. moral. cap. 2.

Pſal. 118. 37.

Ber. de conuerſ. ad Cleric. Ser. 8.

Eſaiæ 1.

Quod ſiquis, &c. Videtur quod inæqualibus & longè impari-
5 bus culpis parem definiat pœnam D. Pater, dum violanti monitum de minimè nunciandis illis, quæ extra Monaſterium vidit, aut de non aggredienda re aliqua ſine Abbatis licentia, (quæ videntur minoris notæ) regularem indicit pœnam, ac Monaſterij clauſtra ſeptaque tranſgredienti, & (quod dici ſolet) ſaltanti. Quod maxima apud Monachos iniquitas eſt. At cùm regularis pœna pro inæqualitate culparum inæqualis ſit, ex hoc ipſo quod peccata iſta regulari ſunt pœna mulctanda, innuitur, inæquali prorſus eſſe pœna afficienda. De hoc Dorotheus Sermones 9. Ioannes Climacus gradu 4.

Si Monacho impoßibilia iniungantur.

CAPVT LXVIII.

SI cui fratri aliqua fortè grauia aut impoſſibilia iniunguntur, ſuſcipiat quidem iubentis imperium cum omni manſuetudine & obedientia. Quod ſi omnino virium ſuarum menſuram viderit pondus excedere: impoſſibilitatis ſuæ cauſas ei qui ſibi præeſt patienter & opportunè ſuggerat, non ſuperbiendo aut reſiſtendo vel contradicendo. Quòd ſi poſt ſuggeſtionem ſuam in ſua ſententia Prioris imperium perdurauerit, ſciat iunior ita ſibi expedire, & ex charitate confidens de adiutorio Dei obediat.

1. DVRVM & grauiſſimum ſanè videri poterit caput hoc, & indignum diſcretione Euangelica, cuius ſuaue iugum eſt, atque onus leue. Et quidem ſi mandata Dei grauia nó ſunt, *Matt. 11. 21.*

1. Ioan. 5. 3. vt habet Ioannes: cur ſerui Dei mandata grauiſſima, ne dum impoſſibilia erunt? Item ſi Petrus *Act. 15. 10.* acriter inſurrexit in eos qui tentarunt imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque ipſi, neque patres ipſorum portare potuerunt: quinimò ſi *Matth. 23. 4.* Chriſtus Dominus obiurgauit ſeuerè Doctores & præceptores, qui grauia alligabant onera ſuper humeros diſcipulorum; quo iure non ſolùm grauia, verùm & impoſſibilia imponit D. Pater onera ſuper Monachorum ceruices?

2. Cæterùm aliud eſt loqui de præceptis & mandatis communibus quæ concernunt omnes; aliud verò de particularibus & extraordinariis, quæ extraordinariè particularibus imponuntur perſonis. Et licet priora illa grauia eſſe non debeant, vtpote quod lex communis omnium etiam debilium debet eſſe viribus temperata; at poſteriora iſta duriſſimà & acerbiſſima eſſe poſſunt, nimirum pro excelſa virtutis præſtantia, quæ in priuata perſona vel præſupponitur, vel tentatur, vel procuratur. *Gen. 22. 2.* Quale proculdubio fuit præceptum Abrahamo impoſitum de *Act. 10. 13.* victimando filio, & Apoſtolo Petro de mactandis & comedendis reptilibus, ſerpentibus & beſtiis terræ. Et talia ſunt præcepta de quibus hic D. Pater.

3. Præterquàm quod Diuus Pater non præcipit vt alicui talia præcepta imponantur, hoc eſt, vt impoſſibilia imperentur, ſed tãtùm conſtituit quod in caſu, & data hypotheſi quod imperentur, non repugnetur. Quaſi dicet, dato per poſſibile, vel impoſſibile, quod Monacho impoſſibilia iniungantur, volumus & decernimus vt Monachus nõ repugnet, neque procaciter abnuat, ſed quod demiſsè ãdinodum & humiliter ſuam imbecillitatem aperiat Abbati: cui adhuc perſiſtenti in tenore mãdati obediat quoad eius fieri poterit. Et certè ſicut duo illa præcepta impoſita Patriarchę Abrahamo, & Apoſtolo Petro ad exitum vſque perducta nõ ſunt, & hoc ex decreto Dei, vtpote cuius mens tantùm erat experiri fidem, virtutem, & obedientiam Abrahami, & Diuum Petrum docere qualiter ad Euangelij gratiam Gentiles, ſicut Iudæos deberet admittere: ſic credendum eſt quod Abbas impoſſibilia præcipiens nullatenus cogitat de opere, ſed de obſequio; non de effectu, ſed de affectu; non de exitu, ſed de conatu ad ſic explorandã tardam vel promptam obedientiam Monachi: qua ſemel explorata à cauſa ipſe ſponte cadet, nec vltrà contendet, dicens, ne extendas manum ſuper hoc. Vti reuera dixit Abbas prudentiſſimus ille, qui apud Caſſianum præcepit Monacho, *Caſſian. lib. 4. inſtit. c. 23.* vt per anni ſpatium quotidie rigaret bis virgultum quoddam exciſum, & omnino aridum vſque dum radices ageret, ac reuireſceret. Quod cùm Monachus per annum integrum feciſſet, tandem ab Abbate accepit, vt deinceps rigare deſineret.

4. Sed demus quod mandata vrgeret Abbas impoſſibilia præcipiens, nihilominus collum ſubmittendum eſt, & fœliciſſimus

simus exitus expectandus; vt expectauit, & vidit Monachus ille de quo suprà Cassianus, qui teste eodem eo loci Cassiano, ad finem anni vidit virgultũ illud, quod ipse irrigabat, radices egisse, & virorem vigoremque ostétasse. Alij etiam viderunt, atque expectarunt in similibus rebus Monachi illi, de quibus multa miraculis plena propter obedientiæ meritum & obsequium Seuerus Sulpicius agens de virtutibus orientalium Monachorum.

Seuer. Sulp. dialog. 1. de virtutib. Monach. orient.

5. Demus item quod nullus bonus expectetur successus in obedientia impossibilium; adhuc tamen res sic imperata vrgenda est, & quoad eius fieri poterit tentanda, vt tentauit Monachus ille, (de quo Cassianus) qui accepto ab Abbate suo mandato aduoluendi saxũ immane, quod multæ hominum turbæ mouere non possent, protinus applicata ceruice, toto pectore, tantoque nisu & conatu prouoluere contendit, vt sudore membrorum suorum non solùm totum infunderet, humectaretque vestimẽtum, sed etiam saxum ipsum. Quod tamen licet immobile reliquisset, ipse tamen Monachus in exemplum obedientiæ deinceps propositus est. Idcirco de huiusmodi Monachis Cassianus ipse refert. Sic vniuersa complere, quæcumque fuerint à Præposito præcepta, tanquam si à Deo sint cælitùs edita, sine vlla discussione festinent, vt nonnumquam impossibilia sibimet imperata ea fide ac deuotione suscipiant, vt tota virtute ac sine vlla cordis hæsitatione, perficere ea aut cõsummare nitantur; & ne impossibilitatem quidem præcepti, pro seniotis sui reuerentia metiantur. Quæ sanè Cassianus retulit in exemplum nostri, vt obseruantia summa nostris subdamur Præpositis.

Cassian. vbi suprà c. 26.

Cassian. ibi. cap. 10.

6. Ratio, quæ ad id nos compellit, non vna, sed multiplex est. Prima, quod (vt ait Bernardus) perfecta obedientia legẽ nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod iniungitur, spontanea liberalitate extenditur. Hæc est illa, de qua signanter Apostolus Petrus, castificantes corda vestra in obediẽtia charitatis. Hæc iusti illius, cui lex posita nõ est, propria est. Quamquam nec ista regula ipsa tacuerit, vbi monet, si fratri impossibilia iniungãtur, vt confidens de adiutorio Dei, obediat ex charitate. Secunda est, obseruantia quæ Prælatis omnibus, & maximè religiosorum deferenda est, vti cùm 19. d. cap. 3. ex capitulis Caroli Imperatoris præcipitur quod pia deuotione toleremus iugum, etiamsi vix ferendum, quod à Sancta Romana Sede nobis impositum fuerit; & hoc pro reuerentia & obseruantia, qua Romanam tenemur venerari Ecclesiam. Igitur obseruantiæ ratione obtemperandum est Prælatis, etiam grauiora iuga imponentibus. Tertia est, præscriptus & quasi in consuetudinem ductus mos patienter intra Ecclesiam ferendi etiam inique facta, iuxta illud Gregorij relatum cap. Cõtra morem, dicentis. Contra morem

Ber. de præcep. & dispens.

1 Petr. 1. 22.

Gregor. lib. 2. epist. 54. 100. dist. cap. Contra morem.

morem Ecclesiasticum est, si non patienter toleratur etiam iniusta correctio. Quarta est, quia Christus Dominus licet increpauerit eos, qui sedentes super cathedram Moysi imponebant onera grauia & importabilia, tamen monuit dicens; *Quæcunque dixerint vobis, facite.* Et Petrus; *Serui, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis; sed etiam dyscolis.* Quinta, nam etiam in Euangelio sunt aliqua grauia & acerrima, v.g. *Siquis te percussit in sinistra præbe illi dextram.* & rursum: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Sexta, quia (vt Matthæus habet) *omnia possibilia sunt credenti*; possibilitate vtique secundum Deum, quamuis non secundum hominem. Septima, vt imbecillitatẽ nostrã agnoscamus, & sic efflagitemus, vt Spiritus adiuuet infirmitatem nostram. Ob id enim lex illa vetus grauissima iudicialis & ceremonialis impósita fuit, Augustino dicente. Vtilitas legis est, vt hominem de sua imbecillitate conuincat. Inde Paulus; *Per legem cognitio peccati.* & rursum: *Peccatum non cognoui nisi per legem*; vtique quoniam per legẽ agnoscimus fragilitatẽ, qua ruimus & dilabimur, nisi subsidiis gratiæ reparemur. Octaua, quoniã D. Pater præcepit Mauro Monacho, vt extraheret puerum Placidum maligna gurgitis vnda arreptum: etiamsi Maurus ad id præstandum deberet super aquas currere & ambulare.

Matth. 23. 2. *2. Petr.* 2. 8. *Matth.* 5. 39. *Marci* 9. 23. *Augustin. 200.* *Rom.* 3. 20.

Vt in Monasterio non præsumat alter alterum defendere.

CAPVT LXIX.

SVMMOPERE præcauendum est, ne quauis occasione præsumat alter alterum defendere Monachum in Monasterio, aut quasi tueri: etiam si qualibet consanguinitatis propinquitate iungantur. Nec quolibet modo id à Monachis præsumatur: quia exinde grauissima occasio scandalorum oriri potest. Quòd si quis hæc transgressus fuerit, acriùs coërceatur.

1. SINGVLA huius capitis verba statera ponderanda sunt, maximè tamen ista quatuor: quorum primum est ly *summopere*; secundum ly, *ne quauis occasione*; tertium ly *præsumat*; & quartum ly, *etiamsi qualibet propinquitate consanguinitatis iungantur.* Hæc enim adeò magna sunt, vt ad obstruendum aditum vel ipsi hæreticæ prauitati,

tati, maiora excogitari non possint. Sed quid mirum, si (vt hic profertur) grauissima scandalorum occasio hinc oriri potest? Quod vt perspiciatur, aduertendum est, peccatum primorum parentum superbiam fuisse, iuxta Augustinum, Scholasticos Doctores, & D. Thomam, & patet ex illo Eccli. *Initium omnis peccati superbia.* Rogans autem D. Tho. ad id Pauli, *mulier seducta est in præuaricatione*; vndenã superbiæ initium Heuæ? respondit quod ad verba serpentis fuit elata, propterea quod viderit alium de ea solicitum. Si igitur malorum omnium ianua patentissima fuit defensorem habere audacem: consequens est, vt ex defensione minus cauta, vel irreligiosa, possint in religione scandala maxima oriri. Inde vbi nos in psalmo legimus; *vt destruas inimicum & vltorem*, Augustinus & alij legunt, *inimicum & defensorem*, quia inconsideratus, atque minus prudens defensor pro hoste habendus est.

Aug. t. 3. lib. 11. de Genesi ad literam. cap. 5. 30. & 42. & 14. de ciuit cap. 11. & 13. Scholast. in 2. dist. 21. & 22. D. Th. 2. 2. q. 163. art. 1. Eccli. 10. D Tho. sup. 1. Corint. 10.

Psal. 8. 3.

2. Scio durissimum cuique & grauissimũ esse, quod videns fratrem, amicũ, vel consanguineum dicto, vel facto proscindi, vel etiã diuexari, contineat se à tutela & defensione illius: siquidẽ vel ipse mitissimus Moses cùm vidit Hebræum vnũ iniquè opprimentem alium, mox dolore cõmotus in eius defensionẽ prosiliit; imò quando vidit Ægyptiũ percutientem Hebræũ, protinus pro defensione percussi grauiter in percutientẽ sæuiit. Quod licet Scriptura referens non probauerit, tamẽ nec damnauit. Durissimũ igitur cuique est videre fratrem patientẽ, & tamen non posse subuenire illi. Nihilominus licet id sit arduũ, non tamen est prohibitum, sed potiùs secũdum Domini monitũ dicentis; *Siquis te percusserit in vna maxilla præbe illi alterã*: atq; etiã secũdum eiusdẽ exemplum, quoniã scriptum de illo habemus, quod dum malè tractaretur, nõ aperuit os suũ, sed potiùs quod tanquam agnus corã tondente se obmutuit. Est etiã secundũ illud monitũ Pauli; *Non vosmetipsos defendẽtes, sed date locũ iræ.* Si igitur id in propriã defensionem, quid in proximi? Vnde Sathanicę suggestioni attributa est defensio, quã vxor Pilati tentauit pro Christo.

Exod. 2. 6.

Matth. 5.

Esaiæ 53.

Rom. 12. 19.

Matt. 27. 19.

Est tamẽ notandũ, defensionẽ quam D. Pater hic reprobat, nõ esse illã, qua per modũ humilis rationabilisve excusationis, vel etiam deprecationis studet quis propriã, vel proximi mulctam & castigationem depellere. Hæc enim nullius scãdali, sed exempli potiùs, & quidẽ religiosissimi causa est. Siquidẽ more isto etiã apud ipsum Deũ defensionẽ procurare contingit, vt procurauit Dauid quando dixit; *Domine non est exaltatũ cor meum.* Sed esse eã, qua per modum repugnantiæ & contradictionis cõtendit aliquis indemnẽ & inultũ seruare sese, vel aliũ aduersus superioris decretũ. Hoc enim violẽtæ & quasi forinsecæ defensionis genus innumera parere & profundere mala potest, quibus monasticum omne regimen conturbetur, & Cœnobia ipsa in partes factionesq; subitò distrahãtur. Cùm. n. sit Sathanica defensio, necessũ est innumera pariter & grauissima

produce re mala. Et ideo prorsus à Monasteriis eliminanda est, etiamsi ad exterminiũ eius grauissima acerbissimaque flagella requirantur, impinganturque: vt etiam Christus comminatione perterruit Petrum gladio pugnantem pro sui defensione Magistri, aliàs innocentissimi & sanctissimi. *Matt.* 26.52.

Vt non præsumat quisquam aliquem passim cædere, aut excommunicare.

CAPVT LXX.

VT vitetur in Monasterio omnis præsumptionis occasio, ordinamus atque constituimus, vt nulli liceat quenquam fratrum suorum excommunicare aut cædere: nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur: vt cæteri metum habeant. Infantibus verò vsque ad quintum decimum annum ætatis, disciplinæ diligentia sit, & custodia adhibeatur ab omnibus. Sed & hoc cum omni mensura & ratione. Nam in fortiori ætate qui præsumpserit aliquatenus sine præcepto Abbatis, vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit, disciplinæ regulari subiaceat: quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris.

1. VT *vitetur*, &c. Si cunctis prohibitum est, alienũ iudicare seruum, iuxta id Pauli, *Tu quis es qui iudicas alienum seruum*? quanto magis erit prohibitum, Monachum authoritate propria aliũ cædere, vel etiam excommunicatione ferire, & violenter tangere? Est autem notandum cum D.Thoma, quod iudicium hominis intantum est licitum, inquantum procedit ad illud authoritate diuina: scriptum quippe est; *Audite illos, & quod iustum est iudicate, quia Dei iudicium est:* hoc est, à diuina authoritate profectum, per quam Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Et quoniam posset aliquis dicere, quod quamuis homo ex se non habeat iudiciariam potestatem, potest tamen intromittere se in iudicio alterius propter damnum, vel fructum qui inde prouenit, subiicit vbi suprà Apost. *Domino suo stat, aut cadit.* Quasi diceret, siue cadat, siue non cadat, siue stet, siue non stet, vtrumque ad Deũ spectat, non ad hominem, nisi ex commissione Dei. Huius gratia debemus nos proximorum iudicia relinquere, nisi iudicandi potestas supernè sit nobis illata. Hæc summatim ex D.Thoma, & aliis.

Rom. 14.13.

D. Tho. sup. ad ad Rom. 14.

Deut. 1,16.

Prou. 8.15.

& aliis. Vnde D. Pater hic prohibet, vt nullus præsumat alium in Monasterio cædere, aut excommunicare, nisi cui data fuerit à Prælato potestas, vt id faciat. Ob hanc rem Christus Dominus Petro dixit; *Matt. 26. 52.* *Mitte gladium tuum in vaginam: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*: hoc est, omnes qui authoritate priuata, & non legitima id tentauerint, peribunt. Legitima autem authoritas tribus constat, vtique potestate publica, iusta causa, & iuris ordine: quorum priori Diuus tunc Petrus carebat, eo quod nemo illi vsum gladij donauerat, vtpote nec Deus, nec homo. Et quidem si barbitonsor, v. g. nequit tondere barbam, nisi à Magistratu approbetur, cur alius poterit citra authoritatem publicam euellere illam?

2. *Peccantes coram omnibus*, &c. Non prohibet D. Pater peccata puniri, cùm potiùs velit palàm pro rostrisque castigari, quando publica sunt. Vt enim authoritas publica ad puniendum semper requiritur, & prorsus necessaria est; sic etiam ad corrigendum peccata publica. Quod autem D. Pater sermonem de his habeat, constat ex eo quod prohibet peccata puniri ab aliis quàm ab illis, qui authoritate publica pollent. Constat autem prohibitionem istam superfluã esse, nisi peccatá in aliorum cognitionem notitiamque deuenissent. Peccata huiusmodi publica publicè corripienda esse, monitum est D. Pauli dicentis; *1. ad Tim. 5.* *Peccantes coram omnibus argue:* hoc est, peccata publica publicè reprehende. Illa autem propriè loquendo publica peccata dicũtur, quæ semel in iudicio forensi deducta sunt, vel quæ per facti euidentiam, vel etiam per publicam famam, ad pluriũ aures notitiamque peruenerint. Reliqua autem omnino celãda sunt, priuatimque corripienda, quoniam scriptum est; *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* *Matth. 18.* Vnde D. Thomas adnotat, suscitasse Christum filiã Archisynagogi illam, de qua ipse dixerat; Non est mortua puella, sed dormit, suscitasse inquam illam clanculum, eiiciẽdo turbam à cubiculo in quo decũbebat; filium autem viduæ (de quo Lucæ 7.) coram omni plebe ciuitatis Naim ad vitam reuocasse; eo quod occultus peccator (cuius typum gessit Archisynagogi filia) clãculum secretóq; est arguendus: publicus autem (cuius typus erat filius viduæ) palàm & pro rostris increpãdus. *D. Th. sup. 1. ad Timot. cap. 5.* *Matth. 9. 24.*

3. *Infantibus*, &c. Limitat D. Pater suprà dictam regulam pro infantibus: qui cùm omnium discipuli sint, sub ferula omnium esse debent, vt vbique & semper proficiant: iuxta quæ cap. 59. notauimus. Pro illis autem qui infantiæ terminos excesserunt, etiamsi virilitatem nondum attigerint, indispensabilem prorsus & absque exceptione relinquit: propterea quod illi adultæ iam ætatis cùm sint, consequens est, vt vsu rationis gaudeant; quo omnis qui viget, naturaliter vult ne fiat secum, quod nullus rationabiliter vult fieri sibi.

Vt obedientes sint sibi inuicem fratres.

CAPVT LXXI.

OBEDIENTIÆ bonum non solum Abbati exhibendum est ab omnibus: sed etiam sibi inuicem ita obediant fratres, scientes se per hãc obedientiæ viã ituros ad Deũ. Præmisso ergo Abbatis, aut Præpositorum qui ab eo constituuntur imperio, (cui non permittimus priuata imperia præponi) de cætero omnes iuniores prioribus suis omni charitate & sollicitudine obediant. Quòd si quis contentiosus reperitur, corripiatur. Si quis autem frater pro quauis minima causa, ab Abbate vel à quocumque Priore suo corripiatur quolibet modo, vel si leuiter senserit animum Prioris cuiuscumque contra se iratum, vel commotum quamuis modicè; mox sine mora tandiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, vsque dum benedictione sanetur illa commotio. Quod si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subiaceat; aut si contumax fuerit, de Monasterio expellatur.

1. BEDIENTIÆ *bonum*, &c. Fidelis sermo & tanto Parente dignus. Consonat enim monito illi Diui Petri dicentis; *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore simplici ex corde inuicem diligite attentiùs.* Id est, perfecta & ampla vestra obedientia sit, ita vt non certis coarctetur limitibus, qualis est illa quæ tantùm Prælatos respicit; & præpositorum præcepta considerat, sed quæ latitudinem charitatis attendit, omnium rationabiles voluntates exequens, & illis sese sponte subiiciens. Est enim obedientia perfecta, talaris illa polymita tunica Patriarchæ Ioseph (ait Bernardus) qua inter fratres eminebat. Fraternitatis siquidem obedientia eximium cuique ornamentum est, quod iure inuidorum oculos potest perstringere; tantùm abest, vt vile vel abiectum sit, quamuis aliàs humillimum. Sanè si qui maior est in nobis, debet esse sicut iunior, & qui præcessor est, tanquam ministrator, respectu vtique inferiorum suorum, iuxta verbum Domini: cur inferiores ipsi ad inuicem non sibi parebunt? Eo vel maximè quod Monasteria incolentes

1. *Petr.* 1. 22.

Ber. Ser. 2. in Cœna Domini.

Gen 37. 3.

Luc. 22. 26.

vnum

vnum myſticum corpus efficiũt. Vt igitur in corpore humano membra ſibi inuicem ſeruiunt, & ad nutum per ſympathiam parent, niſi malignus aliquis obſtet torpor, conſequens eſt quod id etiam in corpore myſtico fieri debeat, ni duritia cordis obſiſtat, vel peruicacia mentis.

2. Vt igitur manus manũ fricat, etiãſi manus in manũ primatũ nõ exerceat, nec dominationem habeat: ſic viciſſim fratres ſeruitia ſibi inuicem debent impendere, præſertim iuniores ſenioribus, etiamſi præſulatũ erga illos non ſubeant. Præſertim quod cùm obedientia præſtantior ex affectu charitatis ſit, prout ex Gregorio D. Tho. inducit: charitas autem tam proximos quàm Prælatos reſpiciat: conſequens eſt, vt quorum eſt charitate feruere, inuicem ſibi debeant obedire. Vnde infrà præcepit Diuus Pater, vt iuniores cum omni charitate prioribus ſuis obediant.

Greg. lib. vlt. mor. c. 14. D. Tho. 2.2. q. 104. art. 3.

3. *Præmiſſo ergo*, &c. Si ex charitate procedit obedientia perfecta, vt iam ex Gregorio vidimus; conſequens eſt, vt ſicut in charitate eſt ordo, de quo D. Thom. ſic & in obedientia. Vnde illa quæ ad fratres eſt, debet cedere illi quæ ad Patres & Prælatos vices gerentes Dei; ob quas qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Ob quam rem D. Pater c. 5. *Mox vt à maiori imperatum fuerit, ac ſi diuinitus imperetur, moram pati neſciant in faciendo.* Cuius ſimile eſt illud Caſſiani dicentis de ſuis Monachis. Tanta obſeruantia obedientiæ cuſtoditur, vt iuniores abſque ſuperioris ſui permiſſu non ſolùm non audeant cellam progredi, ſed nec ipſi quidem communi ac naturali neceſſitati ſatisfacere ſua auctoritate præſumant: ſicque vniuerſa complere quæcunque fuerint ab eo præcepta, tanquam ſi à Deo ſint cælitus edita.

D Tho. 2.2. q. 23. per totam.

Rom. 13. 8.

Caſſian lib. 4. inſtitut. c. 10.

4. Idcirco vt probro datum atque peccato eſt, quod Phariſæi & Scribæ tranſgrederentur præcepta Dei propter traditiones hominum: ſic vitio verti debet & culpæ, quod prætermiſſo Abbatis alteriúſque Præpoſiti imperio, vel etiam poſthabito, alterius expectetur voluntas, vel etiam præponatur. Clamo tamen iſto non obſtante non ſolùm præcipit D. Pater, vt iuniores obediant ſenioribus, verùm vt & cum omni charitate & ſolicitudine id faciant, præcipítque corripi reluctantes.

Matth. 15. 2.

5. Sciendum tamen eſt, non propterea ſeniores gaudere deſpotica authoritate in iuniores fratres, ſed religioſa tantùm & fraterna: quæ non propterea ſegnior aut remiſſior erit, ſed vrgentior ſæpiſſimè & potentior; nam etiam Prælatis ipſis interdum congruentior eſt. Dixit enim Paulus ad Philemonem; *Multam fiduciam habens in Chriſto imperandi tibi, quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obſecro.* Rogando enim imperat, & vrgentiùs imperat; qui rogat potentior: nam obſecratio ſæpe mandato fortiùs vrget. Quod ſi Prælatis ipſis conſultius ſæpe eſt, precibus quàm præceptis agere; quid de non Prælatis dicemus?

ad Philemonem.

6. *Si quis autem*, &c. Certè si Domini monitum atque institutio est, vt irato fratri reconciliemur quàm citò, iuxta id Matth. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*: consequens est, quod irato Prælato cito citiùs reconciliarí teneamur; siquidem, cæteris paribus, vrgẽtior ista, quàm illa reconciliatio est. Et proinde si currendum ad illam, prout Chrysostomus habet, quia reconciliatio fratrum Deo sacrificium est: conuolandum erit ad istam, quæ holocaustum videtur, vtpote animi simul & corporis prosternatione obtinenda: & adeò Monachis necessaria, vt contumaces ad illam, iure à Monasteriis eiici præcipiantur. Iure inquam: quoniam si non patitur Deus, vt prope altare consistat, qui deferẽs munus ad altare, reminiscénsq; fraternę offensæ nõ priùs reconciliatur offenso: quî D. Pater intra Monasterium manere patietur illum Monachum, qui contumaciter renuit irato satisfacere Abbati, & submissè ab illo precari veniam? Quare vt Christus illud præcepit fieri, vt irrefutabilem reconciliationis necessitatem imponeret, prout Chrysostomus dixit; sic Diuus Pater ob eamdem omnino causam hanc in contumaces repulsam præfinivit.

Matth. 5.23.

Chrys. hom. 16. in Matt.

De Zelo bono quem debent habere Monachi.

CAPVT LXXII.

SICVT est zelus amaritudinis malus, qui separat à Deo, & ducit ad infernum; ita est zelus bonus qui separat à vitiis, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum feruentissimo amore exerceant Monachi, id est, vt honore se inuicem præueniant. Infirmitates suas siue corporum, siue morum patientissimè tolerent, obedientiam sibi certatim impendant. Nullus quod sibi vtile iudicat, sequatur, sed quod magis alij. Charitatem fraternitatis casto impendant amore. Deum timeant. Abbatem suum sincera & humili charitate diligant. Christo omnino nihil præponant; qui nos pariter ad æternam vitam perducat. Amẽn.

1. SICVT *est zelus*, &c. Esse zelum amaritudinis malum exosum Deo & inuisum, vel illud Pauli verbum ostendit, *paternarium* ad Gal. 1. 14.

ternarum mearum traditionũ amplius amulator existens, id est, æmulator ardentior, nimius, & dirus. Græca enim habẽt ζηλωτὴς, pro quo Vulgatus vertit *æmulator*. Item & illud Iacobi, *occiditis & zelatis*. & illud Esai. *Videant & confundantur zelantes populi, & ignis hostes tuos deuoret*. Demum & illud Ioan. *Venit hora in qua omnis qui occidit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo*, vtique quasi Deo inuisos, & eius religioni aduersos. Et quidẽ inuidiæ malum quid aliud quàm zelus est, & is malignus? Cuius (vt Cassianus dixit) nulla curatio est: ait enim quod cùm inuidi non culpa, sed prosperitate illorum quibus liuent, crucientur, erubescentes prodere veritatem, quasdam ineptas causas inquirunt ad offensionem. Quarum ideo vana curatio est, quia morbiferum quod nolunt prodere, latet in medullis: de quibus Salomon: Si mordeat serpens non in sibillo, (ita Septuaginta, vbi Vulgatus, in silentio) non est abundãtia incantatori. Isti enim sunt taciti morsus, quibus solis sapientum medicina non subuenit.

Iacobi 4.2. Esaiæ 26.21. Ioan. 16.2. Cassian. coll. 18.c.17. Eccles. 10.11.

2. Quod etiam sit zelus bonus Deo gratus, ostendit nobis ille quò efferbuit Christus, quando flagello impacto eiecit de templo omnes ementes & vendentes, mensasque numulariorum euertit: qui protinus induxit pro se illud psal. *Zelus domus tuæ comedit me*. Ardens enim, quo flagrabat, amor in Deum impulit eum ad hæc, vt alios ad similia cómoueret similis zelus. Vt enim Gregorius dixit, in columba & igne Spiritus sanctus apparuit: quia quos replet, simplices facit, & ardentes: simplices puritate, & ardentes æmulatione.

Ioan. 2.14. Psal. 68. 10. Gregor. hom. 30. in Euãg.

Inde priori illo procul abiecto zelo, vult Diuus Pater, vt isto ad amorem mutuum succendamur: vt sic nos alterutrum honoremus, & quisque de sui fratris bono solicitum ac studiosum se præbeat. Sic enim omnis æmulatio præpostera, inuidia, liuor, murmúrque procul fient, & fraterna charitas altiùs arctiúsque sedebit; & omnes cor vnum erimus & anima vna, iuxta vótum Christi precantis ad Patrem: *Rogo pro his qui credituri sunt in me, vt omnes vnum sint sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint*. 3.

Ioan. 17.21.

Infirmitates, &c. Cùm zelus bonus idem quod amor bonus sit: consequens est, vt zelo isto feruentes aliorum infirmitates proprias æstiment, vt Paulus æstimauit cùm dixit; *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* & rursum: *Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem*. Hoc est (ait Augustinus ad Hieronymum) non per simulationem, sed per compassionem & affectum, quo etiam Iudæis Iudæus, & seruis seruus fiebat, ac tandem omnia omnibus, vt omnes lucrifaceret. Inde etiam ipse; *Qui diligit proximum legem impleuit*, vtique legem spectantem ad proximum. Quare subiicitur; *Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi* 4.

2. Cor. 11.29. 1. Cor. 9.22. Aug. epist. 9. Rom. 13.8.

malum non operatur. Plenitudo legis est dilectio: nimirum illa quæ ex charitate est. Vnde Bernardus de charitate asserit quod attingit à fine vsque ad finem fortiter. Et alibi. Charitas vitalis legis vena est, atque reliquarum virtutum. Vnde nulla satis magna amoris officia perhorrescit. Et iure quidem, siquidem (authore Augustino) qui amat, non laborat. Et iuxta eumdem, qui dum explicaret illud Ioan. *Præcepta eius grauia non sunt*, ait. Aut enim quisque non diligit, & ideo graue est præceptum, aut diligit, & graue esse non potest. Et iterum Bernard. Magna operatur amor si est, si verò non operatur, amor nó est.

Ber. Ser. 46. in Cant.

Idem ibi. Ser. 49.

Axg. tract. 48. in Ioan

Idem de natura & gratia c. 69.

1. Ioan. 5.

Bern. de modo viu. Serm. 51.

5.

Nullus quod sibi, &c. Hoc est illud encomium Pauli; *Non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis*. Hoc est (prout D. Thom. explicat) quod mihi tantùm vtile est, sed quod multis; quia hic est optimus modus placẽdi omnibus, si omnium vtilitas, non priuatum commodum procuretur. Vnde iterum Paulus; *Per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis*. Et hoc ideo, quia *charitas non quærit quæ sua sunt*; aliàs enim *omnes quæ sua sunt quærunt*.

1. Cor. 10. 23.

D. Thomas ibid. lect. 7.

1. Cor. 11. 33.

1. Cor. 13. 6.

ad Philipp. 2. 21.

6.

Deum timeant. Diuinum sanè monitum, vtpote scriptum; *Misericordia autem Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum*. Et; *Timor Domini apponit dies*: vtique quoniam velut amara potio (ait Theodoretus) & purgatiua noxios humores extrahit; noxios vtique humores peccati, quia timor Domini expellit peccatum. Euulsis autem morbidis qualitatibus, vitã salutarem produci in aperto est. Vnde Salomon; *Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur absque visitatione pessima*.

Psalm. 102. 17.

Prou. 10. 27.

Theod. lib. 1. de curatione Græcarum affectionum.

Prou. 19. 23.

7.

Abbatem suum, &c. Duo hic nobis præcipit D. Pater. Primũ, vt Prælatos nostros verè atque ex animo diligamus, hoc est, nó apparẽter & fictè: ait enim Paulus; *Dilectio sine simulatione*, hoc est, non hypocrita, fictitia & simulata, sed vera, syncera & candida. & Ioan. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*. Vnde in psalmo arguuntur illi qui ore suo & lingua diligũt, cor autem eorum longè à dilectione est. Secundum, vt non diligamus eos tanquam amicos & æquales, sed humili charitate velut parentes, superiores & capita nostra, quibus inferiora membra se per omnia debent submittere, & honorem humillimè præstare. Vnde Malach. *Si ego pater, vbi honor meus?*

Rom. 12. 9.

1. Ioan. 1. 3.

Psal. 77. 36.

Malachiæ 1. 6.

8.

Christo omnino, &c. De hoc plura cap. 4. instrum. 21. Nunc breuiter recolenda illa Christi Domini eloquia; *Qui amat patrem, aut matrem, plusquàm me, non est me dignus, & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus*. & ; *Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, & qui perdiderit animam suã propter me, saluam faciet illam*: vtique in vitam æternam, quam Christus ipse donat, iuxta id Ioan. *Ego vitam æternam do eis*; dẽtque nobis, Amen. Hactenus enim sancta Regula, & eius scopus & finis, vtique vita æterna, qua fruamur omnes. Amen.

Matth. 10. 17.

Luc. 9. 24.

Ioan. 10. 28.

De eo

De eo quod non omnis obseruatio iustitiæ in hac sit Regula constituta.

CAPVT LXXIII.

REGVLAM autem hanc descripsimus, vt eam obseruantes in Monasteriis, aliquatenus vel honestatem morum aut initium conuersationis nos demonstremus habere. Cæterum ad perfectionem qui festinãt, sunt doctrinæ sanctorum Patrum: quarum obseruatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo diuinæ authoritatis veteris ac noui Testamenti, non est rectissima norma vitæ humanæ? Aut quis liber Sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat, vt recto cursu perueniamus ad Creatorem nostrum? Nec non & collationes Patrum, & instituta & vitæ eorum; sed & Regula S. Patris nostri Basilij, quid aliud sunt, nisi bene viuentium & obedientium Monachorum exempla & instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis & malè viuentibus atque negligentibus, rubor confusionis est. Quisquis ergo ad patriam cœlestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adiuuante Christo perfice; & tunc demum ad maiora, quæ supra commemorauimus, doctrinæ virtutumque culmina Deo protegente peruenies. Facientibus hæc regna patebũt superna. Amen.

1 REGVLAM *hanc*, &c. Caput hoc D. Pater attexuit, non tanquam regulam, sed tanquam regulæ appendicem, quo suam aperiat nobis & propalet animi sententiam. Etenim vt in cunctis capitulis sanctæ regulæ suam patefecit prudentiam, sic in appendice isto suam humilitatem detexit. Siquidem postquam absoluit regulam discretione præcipuam (verba sunt Gregorij magni) sermone luculentam, & quæ miros poterat, imò & potuit edere Sanctos & Sanctas numeri expertes, tandem humillimum illi aptauit nomen, videlicet, minimam inchoationis regulam & conuersationis initium: imitatus tanquam verè sapiens & prudẽs sapientiæ & prudentiæ abyssum Christum Dominum, qui productis propalatisque legis Euangelicæ monitis præceptisq; præstantissimis, tandem mandata

minima nuncupauit. Dixit enim; *Qui ſoluerit vnum de mãdatis iſtis minimis.* Et quidẽ ſi (vt obſeruauit Baſil.) poſtquã Paulo mũdus crucifixus eſt, & ipſe mundo, dixit ad Philippenſes; *Fratres, nondum arbitror me cõprehendiſſe, ſed ad ea quæ futura ſunt, extendo me ipſum:* quaſi tunc aggrederetur curſum & iniret viã; quid mirũ ſi D. Pater non comprehẽſorem omnimodæ perfectionis in ſua ſe regula iudicauerit, ſed inceptorem dixerit, qui conuerſationis monaſticæ fundamẽta iecit?

Matth. 5. 19.
Baſil. in regula cap. 56. enterrogat. 3.
ad Philip. 2. 12.

2.

Nec tantùm ſe D. Pater hac humilitate demiſit, ſed omnes ſuos Monachos, quantumuis religione præſtantes ſolo verbo iſto æquauit: nam ſi regula non continet omnem perfectionis viam, ſed minimam inchoationem; conſequens eſt, vt potiſſimi obſeruatores illius, rigidique cuſtodes non poſſint de perfectione monaſtica gloriari, ſed nec commendari ab aliis, ſed potiùs iactare debeant, quæ Chriſtus ſuos monuit Apoſtolos dicẽs: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus.* Et quod Antonius magnus & Arſenius apud Athanaſium dicebant; vtique illud pſal. *Dixi, nunc cœpi.*

Luc. 17.
Athanaſ. in vita Antonij.
Pſal. 76. 11.

3.

Sed quidquid ſit de hoc, certo certius eſt, quod (vt D. Thomas habet) ſtatus religionis via ad perfectionem eſt, dicẽte Domino; *Si vis perfectus eſſe, vende quæ habes, & ſequere me.* Circa quod ipſe D. Thomas inducit Abbatem Moyſem dicentem in collationibus Patrum, vbi agit de religioſis: Ieiuniorũ inediã, vigilias, labores corporis, meditationem, lectionem, cæteraſque virtutes debere nos ſuſcipere nouerimus, vt ad perfectionem charitatis iſtis gradibus aſcẽdamus. Quare cùm omnia abundè in hac regula vigeant; conſequẽs eſt, vt obſeruatio illius omnis perfectionis ſit compos. Diuus tamen Pater pro ſumma qua humilitate nitebat, perfectionis celſitudinẽ potiùs in obſeruatione doctrinæ aliorum Patrũ, Doctorumq; collocauit, quaſi quã ipſe tradiderat, aliunde manaſſet.

D. Thom. Matth. 19.
Matth. 19.
D. Th. 2. 2. q. 186. art. 1. collatione 1.

4.

Quæ enim pagina, &c. Sacram hic D. Pater lectionem extollit, prout etiam alibi fecit, vtique cap. 38. 41. & 42. regulæ. Et iure quidẽ, nam (vt Caſſianus habet) lectio Scripturarum ſacrarum non ad illam, quæ inflat, ſed ad eam, quæ illuminat, ſcientiam charitatis conſummatione perducit. Vnde admonet; Aſſiduum te, aut potiùs iugem ſacræ lectioni præbeas, donec continua meditatio imbuat mentẽ tuam. Quorum ſimilia monuit Hieronymus dicens. Omni ſtudio legendæ nobis Scripturæ ſunt, & in lege Domini meditãdum die ac nocte; vt probati trapezitæ ſciamus, quis numus probus ſit, quis adulter.

Caſſian. lib. 14. collat. cap. 10.
Hier. ſup. ad Galat. 5.

5.

Aut quis liber, &c. Reiicit nos D. Pater ad doctrinam ſanctorũ, vtpote qui lumen & robur ad honeſta quæque miniſtrãt; ſiquidem poſt Apoſtolos, Prophetas, & Euangeliſtas credimus conſtitutos eos paſtores Doctoreſque in Eccleſia, vt tanquam Spiritus ſancti ſelectiſſima organa nos doceant & inſtruant ad cõſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationẽ corporis

corporis Christi, vt iam fluctuãtes non simus, prout nos Paulus docuit. Instructio autem ista medio magisterio doctrinæ facta fuit, & erit, quam in monumentis clarissimis literarum sacrarũ testatam reliquerunt. Vnde Adamãtius Origenes inũbratos esse dixit Doctores Ecclesiæ lignis quadratis arcæ Noë. Explicans enim illud; *Facies tibi arcam ex lignis quadratis*, ita inquit. Quadratum est quod nulla vacillat ex parte, sed quocumque verteris fida & solida stabilitate consistit. Ista sunt ligna, quæ omne pondus ferũt; quos ego arbitror Doctores esse in Ecclesia & magistros, qui & populos doctrinę gratia consolantur, & impugnãtibus virtute verbi ac sapientia rationis obsistunt. Et rursus idem exponens illud; *Capite nobis vulpes paruas, quæ demoliũtur vineas*, ait. Sancti quique Doctores & magistri Ecclesiæ sicut acceperunt potestatẽm calcandi supra serpentes & scorpiones, ita accipiunt potestatem capiẽdi vulpes: data est enim illis potestas supra omnem virtutem inimici. Virtus autem inimici cùm sit omnis vitiorum & peccatorum sentina, Christianæ virtuti aduersa, contra illam eorum scripta grassantur.

ad Ephes 4.

Orig. t. 1. hom. 6. in Genesim.

Gen. 6.

Origen. hom. expositionis secundæ in Cantica.

6. *Nec non & collationes Patrum*, &c. Remittit nos etiam D. Pater ad collationes Patrum, quibus Monachorum priscorum exẽpla referuntur, & angelicæ vitæ narrantur. Similes sanè illi quam de se D. Hieronymus apud Surium retulit, inquiens. O quoties ipse in Eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta Solis ardore horridum Monachis præstabat habitaculum, putabam Romanis me interesse deliciis. Gloriabatur enim vt alter Paulus in tribulationibus, & illas oblectamentum ducebat comparatione ad ærumnas, quas eisdem locis alios perpeti considerabat. Subiicit enim illicò. Horrebant sacro membra deformia, quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, & quando somnus obrepebat nudâ humo ossa hærentia collidebant. Hæc autem cuius cor, etiam durissimum, non emollient, & ad vitæ austeritatem inducent?

Surius in vita Hieron.

7. Specialiter autem meminit Basilij magni, & eius sacratissimæ regulæ: tum quia hæc in Oriente mirum in modum radiabat; tũ quia Basilius ipse vbique terrarum fulgebat. Quem Gregorius Nazianz. propterea præclarum fidei testem, lucemq; micantem Christicolis dixit. Illi etiam dixit: *Viuebas minimum mundo, namque omnia Christo obtuleras, animam, corpora, verba, manus. Gloria magna Dei Basili. Tu petra sacrati ordinis, & firmamentum multifidæ nunc maxime veritatis.* Et iterum: *Sermo tuus fulmen, vitaque fulgur habet.*

Nazianz. Carmine Epitymid. in Basilium.

8. *Nobis autem desidiosis*, &c. Brocardicum Ecclesiastici habet; *Pondus supra se habet, qui honestiori se communicat.* Ratio est, quod iustus accusator est improbi condemnatorque, non quidẽ verbo, exemplo tamen. Ob id enim dictũ est aduersus Iudæos; *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cũ generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* Condemnabũt

Eccli. 13. 2.

Matt. 12. 41.

vtique eam sibi collatam, non iudicandi potestate, sed comparationis exemplo. Veluti cùm dixit Paulus; *Iudicabit id quod secũdum naturam est præputium, legem cõsummans, te qui per circumcisionem̃ præuaricator es legis.* Vnde Seuerus Sulpicius. Probus improbo veluti improbator obuiat. *Rom.* 2. 27.

9. Ob id enim impij aduersus iustum succlamauerunt; *Factus est nobis in traductionem̃ cogitationum nostrarum, grauissimus est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, tanquã migaces; æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris, tanquam ab immunditiis.* Similiter ob probitatis agnitæ & improbitatis discrimen Cain in Abel insurrexit, Genes. 4. Ismaël in Isaac, Genes. 21. Esau in Iacob, Gen. 25. Nero etiam in Senatorem optimum. Vt enim refert Tacitus, non valens Nero ferre venerabilem speciem Traseæ Senatoris optimi, eum de medio sustulit. Vt igitur bonorum consortio improbi marcent, boni meliorum sodalitio studiosè rubent: vt luminare minus suffunditur cùm maius emicat. Quare D. Pater hic dixit; *Nobis desidiosis & malè viuentibus, atque negligentibus rubor & confusio est.* Nobis (inquit) vt etiam se ipsum accuset, quoniam *iustus prior accusator est sui.* *Sap.* 2. 15. *Tacitus* 16. *ann.* *Prou.* 18. 17.

10. *Quisquis ergo*, &c. Quantumcumque verbis depresserit D. Pater suæ regulæ celsitudinem, humilliméque ac demisse de eius excellentia senserit, tamen difiteri non potuit gratiæ Christi necessitatem ad obseruationem illius, saltem propter celsitudinẽ finis, ad quem destinata est, vtique vitam æternam. Vt enim ad hoc mortuus est & resurrexit Christus, vt nos rectè viuamus & agamus, æternúmque tandem tandem glorificemur: sic ad viuendum & agendum rectè gloriamque perpetuam impetrandam, gratia collata nobis per Christũ necessaria est, iuxta quæ cum Augustino Patres Africani Concilij decreuerunt. Vnde ait ad Galatas Paulus, quod *Christus nos liberauit de maledicto legis*, vtique quatenus meritis suis obtinuit nobis Spiritum ad seruã. dam legem. Hac enim seruata, ab omni maledictione omnis & cuiuslibet legis penitus liberabimur. Vnde enumeratis fructibus diuini Spiritus ait Paulus; *Aduersus huiusmodi non est lex*, id est, nulla comminatio est legis. Exinde benedictio, quam nobis legislator indulget, ea tãdem est, quod si adiuuante Domino minimam hanc regulam sacram, prout opus est, obseruemus, ad summum virtutis culmen sensim conscendemus, vt euntes de virtute in virtutem tandem videamus Deum Deorum in Sion. Amen. *August. epist.* 90. & 93. *ad Galat.* 3. *ad Gal.* 5. 23.

Laus Deo.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC LIBRO adducuntur, & explicantur.

In quo tt. Titulum Regulæ. Pro. Prologum significat: numerus verò illium qui in margine correspondet. Vbi autem duo sunt distincti numeri, primus caput Regulæ, secundus numerum Commentarij super ipsum caput denotat.

Ex libro Genesis.

Cap. 1. BENEDIXIT *eis dicens, crescite, &c. tt.21.*

cap. 2. *Immisit Deus soporem in Adam.55.1.*

cap.3.5. *Scit Deus quod in quocumque die comederitis. &c. Pro. 60.*

17. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti.4.128.*

19. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.48.3.*

21. *Fecit Dominus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas.4.67.*

cap. 8. 21. *Sensus & cogitatio hominis in malum prona. 4.249. & 67.4.*

cap. 9. 6. *Quicumque fuderit humanum sanguinem, &c.4.14.*

23. *At verò Sem & Iaphet pallium imposuerunt. &c.4.248.*

cap. 12. 1. *Egredere de terra tua.54.1.*

6. *Nec poterat eos capere terra.tt.22.*

15. *Omnem terram quam conspicis tibi dabo.tt.17.*

cap. 15.2. *Domine Deus quid dabis mihi, &c. 4.261.*

cap.13.11. *Erant autem ambo senes.4.195.*

17. *Num celare potero Abraham, &c. 7.64.*

cap.22,18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes.58.28.*

cap.25.23. *Duæ gentes sunt in vtero tuo.7.16.*

cap. 27.4. *Fac mihi inde fulmentum.35.3.*

cap.28.11. *Tulit de lapidibus qui iacebant. 22.1.*

cap.31.42. *Nisi Deus patris mei Abraham & timor Isaac, &c.Pro.65.*

cap. 37.4. *Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.4.230.*

cap. 45.8. *Non vestro consilio. sed Dei voluntate huc missus sum.4.163.*

cap.47.29 *Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo.*

meo.4.76.
cap.48.15 *Benedixit Iacob filiis Ioseph, &c.* 4.247.
cap.50.5. *In sepulchro meo sepelies me.* 4. 76.

Ex libro Exodi.

cap.3.2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis.4.246.*
14. *Ego sum qui sum.11.15.*
16. *Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi.* 4.245.
cap.14.15. *Extende manum tuam super mare.Pro.53.11.52.5.*
cap.16.2. *Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israël contra Moysen.4.152.*
8. *Nec contra nos est murmur vestrum,&c.4.153.*
26. *Sabbatum est Domini.61.8.*
cap.15.25. *At ille clamauit ad Dominum,&c.* 4.152.
cap.18.14. *Quid est hoc quod facis in plebe? Cur solus sedes,&c.31.16.*
cap.20.17. *Non concupisces domum proximi tui.4.34.*
18. *Cunctus populus videbat voces & lampades.4.37.*
cap.21.12. *Qui percusserit hominem, morte moriatur.4.14.*
cap.22.18. *Maleficos non patieris viuere.* 23. 13.
cap.23.1. *Non suscipies vocem mendacij,&c.* 4.37.
cap.32.6. *Cras solemnitas Domini est.4.141.*
cap.33.19. *Ego ostendam omne bonum tibi.* 4. 172.
23. *Faciem meam videre non poteris.* 4.10.

Ex libro Leuitici.

cap.4.20. *Rogante pro eis Sacerdote propitius erit eis Dominus.* 4.202.
cap.17.16. *Quod si non lauerit vestimenta,& corpus,portabit iniquit atẽ.* 1.4.
cap.19.11. *Non facietis furtum, non mentiemini,&c.4.27.*
13. *Non facies calumniam proximo tuo.2.36.4.38.*
15. *Non considerabis personam pauperis,&c.53.21.*
18. *Non quæras vltionem,&c.* 4.37.
29. *Ne prostituas filiam tuam.4.23.*
32. *Coram cano capite consurge, &c.* 4.244.63.6.
cap.24.17. *Qui occiderit hominem, morte moriatur.4.14.*
19. *Qui irrogauerit maculam,sicut fecit,fiet ei.4.15.*
cap.26.23. *Quod si nec volueritis recipere disciplinam.2.18.*

Ex libro Numerorum.

cap.11.1. *Ortum est murmur populi quasi dolentium præ dolore, &c.* 4. 153.
12. *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem,&c.1.3.31.4.*
13. *Vnde mihi carnes, vt dem tantæ multitudini?31.4.*
15. *Obsecro vt interficias me, ne tantis afficiar malis.3.6.*
33. *Adhuc carnes erant in ore ipsorum,&c.4.142.*
cap.14.1. *Vociferans omnis turba fleuit.* 4. 151.
2. *Murmurati sunt contra Moysem & Aaron,&c.23.12.*
20. *Dimisi iuxta verbum tuum.4.151.* 44.2.
23. *Non videbunt terram pro qua iurauit patribus eorum.4.151.*
cap.19.15. *Vas quod non habuerit operculum, immundum erit.6.5.*
cap.24.1. *Cumque vidisset Balaam quod placeret Domino,&c.4.152.*
cap.32.17. *Nos autem ipsi armati & accincti pergemus,&c.Prol.69.*

Ex libro Deuteronomij.

cap. 1.17. *Non accipietis cuiusſiam perſonam.2.36.*
cap.4.2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor,&c.2.7.*
7. *Nec eſt alia natio tam grandis,&c. Prol.66.*
cap. 5.17. *Terra quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.4.37.*
32. *Interroga de diebus antiquis, &c. 4.224.*
cap. 10.12. *Quid Dominus Deus Iſraël petit niſi vt timeas,&c.4.260.*
cap.11.26. *En propono in conſpectu veſtro benedictionem.5.28.*
cap-12.18. *Coram Domino Deo tuo comedes ea,&c.4.65.*
cap.17.12. *Qui autem ſuperbierit nolens obedire,&c.5.1.*
cap.21.17. *Filium odioſæ agnoſcet primogenitum,&c.23.12.*
20. *Filius hic proteruus & contumax, &c.4.142.*
cap.23.19. *Non fœneraberis fratri tuo, &c. 4.28.*
17. *Non peruertes iudicium aduenæ. 4.23.*
cap.25.13. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera.4.27.*
16. *Auerſatur Deus omnem iniuſtitiam.11.7.*
cap.27.19. *Maledictus qui peruerterit iudicium. 4.38.*
cap.31.22. *Scripſit Moyſes canticum, &c. 4. 178.*
cap.31.12. *Dominus dux eius ſolus fuit, &c. 4.117.*
15. *Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit,&c.4.141.*

Ex libro Ioſue.

cap.1.8. *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo.66.7.*
18. *Qui contradixerit ori tuo, moriatur.23.6.*
cap.7.1. *Filij Iſraël prauaricati ſunt mandatum.32.2.*
19. *Fili mi da gloriam Domino Deo. 7.48.47.2.*

Ex libro Iudicum.

cap.18.10. *Intrabimus ad ſecuros,&c. 4.172.*
cap.20.26 *Ieiunauerunt que die illo,&c. 41.6.*

Ex libris Regum.

I.

cap. 1. 12. *Cùm illa multiplicaret preces, Heli obſeruaret,&c.41.6.*
18. *Vultus illius non ſunt amplius in diuerſa mutati. 20.10.*
cap.2.3. *Nolite multiplicare ſublimia loqui, &c.7.64.*
13. *Porrò filij Heli neſcientes officium Sacerdotum.4.174.*
20. *Reddat tibi Dominus ſemen, &c. 4.166.*
30. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum.4.40.*
cap.3.9. *Ecce ego quia vocaſti me,&c.52.3.*
cap.8.7. *Non te abiecerunt ſed me.5.30.*
cap.10.27. *Num ſaluare nos poterit iſte? 5. 28.*
cap. 16.7. *Dominus intuetur cor.4.178.*
cap.25.13. *Accingatur vnuſquiſque gladio ſuo, &c.5.2.*

II.

cap.2.4. *Vnxerunt Dauid vt regnaret, &c. 4.75.*
cap. 6.22. *Ero humilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus loquuta es glorioſior apparebo.7.69.*
cap. 7.14. *Ego ero ei in patrem,& ipſe mihi in filium.2.49.*
cap.12.25. *Vocauit nomen eius amabilis Domino.58.6.*
cap.20. *Qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius.64.11.*

III.

cap.18.46. *Manus Domini facta est super Heliam,&c.Prol.69.*
19.10. *Zelo zelatus sum pro Domino exercituum.64.28.*

IV.

cap. 4.29. *Accinge lumbos tuos,&c. Pro.69.*
37. *Venit illa , & corruit ad pedes eius , & adorauit super terram,&c.35.2.*
cap.18.21. *An speras in baculo arundineo,&c. 4.157.*

Ex libris Paralipomenon.

I.

cap.22.19. *Prabete corda vestra , & animas vestras,&c.4.52.*
cap. 6.18. *Si cali calorum non te capiunt,&c. 50. 2.*
42. *Domine Deus ne auertas faciem Christi tui,&c.58.28.*
cap. 16.9. *Oculi Domini contemplantur vniuersam terram.4.178.*

Ex libris Esdræ.

II.

cap.7.2. *Ipse quasi vir verax & timens Deum,&c.Prol.86.*

Ex libro Tobiæ.

cap. 1.20. *Esurientes alebat,&c.4.67.*
cap. 2.22. *Manifestè vana facta est spes tua. 4.195.*
cap.4.3. *Honorem habebis matritus,&c.4. 75.& 76.*
12. *Fiducia magna erit coram Deo eleemosyna.4.80.*
14. *Superbiam in tuo sensu non dominari permittas.7.1.*
16. *Quod ab alio oderis fieri tibi,alteri ne facias.4.48.*
19. *Consilium à sapiente perquire. 5. 16.4.185.*
23. *Multa bona habebimus si timuerimus Deum.Prol.61.49.4.*
cap.5.25. *Sufficiebat nobis paupertas nostra, &c.2.68.*
cap.12.11. *Manifesto ergo vobis veritatem, &c.35.1.*
12. *Benedic Dominum saculorum , ut readificet,&c.4.75.*

Ex libro Esther.

cap. 2.21. *In primo palatij limine prasidebant.66.3.*

Ex libro Iob.

cap.3.3. *Pereat dies in qua natus sum,&c. 24.2.*
cap.4.2. *Conceptum sermonem tenere quis potest? 6.6.*
4. *Vacillantes confirmauerunt sermones tui.4.84.*
11. *Ad me dictum est verbum absconditum,&c.4.80.*
18. *Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles,&c.23.2.*
cap.5.2. *Parvulum occidit inuidia.4.236.*
cap. 6.29. *Id quod iustum est iudicate.4.239.*
cap.7.1. *Militia est vita hominis super terram.Pro.58.*
cap.8.5. *Si diluculo consurrexeris ad Deum, &c.4.147.*
cap.9.3. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere,&c.4.181.*
24. *Terra data est in manus impy. 4. 167.*
18. *Non concedit requiescere spiritum meum,&c.2.10.*
cap.10.21. *Antequam vadam, & non reuertar , ad terram tenebrosam, &c.4.171.*
cap.11.2. *Vir verbosus iustificabitur. 4. 190.*

12. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur.* 5.28.
cap.12.12. *In antiquis eſt ſapientia.* 4. 185. 56.4.
cap.13.15. *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* 23.1.
16. *Non veniet in conſpectu eius omnis hypocrita.* 4.221.
cap. 14.1. *Homo natus de muliere repletur multis miſeriis.* Prol.57.
5. *Breues dies hominis ſunt.* Prol.74.
cap. 17.2. *Non peccaui, & in amaritudinibus, &c.* 24.2.
3. *Libera me Domine, & pone me iuxta te.* Prol 66.
11. *Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt torquentes, &c.* 4.182.
13. *Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt, &c.* 22.6.
cap.20.23. *Vtinam impleatur vter eius, &c.* 39.2.
cap. 21.5. *Supponite digitum ori veſtro.* 2.62.
cap.22.14. *Nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat.* 7.23.55.7.
29. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* 7.7.
cap.29.24 *Si quando ridebam ad eos, non credebant.* 7.63.
cap.31.14. *Quid faciam cùm ſurrexerit ad iudicandum Deus?* 2.10.4.168.
4. *Nonne ipſe conſiderat vias meas?* 4.178.
cap.36.11. *Si audierint & obſeruauerint, complebunt dies ſuos in bono.* 1.18.
cap. 38.7. *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina.* 12.1.
cap. 41.4. *Quis reuelabit faciem indumenti eius, &c.* 2.55.
20. *Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum.* 4.178.
cap. 42.1. *Scis quia omnia potes: & nulla te latet cogitatio.* 4.178.

Ex Pſalmis.

Pſal.1.3. *Et erit tanquam lignum quod ſtatutum eſt, &c.* 20.1.
2.5. *Tunc loquetur ad eos in ira ſua, &c.* Prol.114.
11. *Seruite Domino in timore, & exultate ei, &c.* 18.1.
10. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, &c.* 4.171.11.7.& 9.
4.5. *Iraſcimini, & nolite peccare, &c.* 4.93.
5.5. *Neque habitabit iuxta te malignus.* 4.163.
7. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Prol.59.4.37.195.
8. *Virum ſanguinum & dolоſum abominabitur Dominus.* 4.37.
10. *Quoniam non eſt in ore eorum veritas.* 4.195.
11. *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.* 4.37.
6.1. *Domine ne in furore tuo arguas me.* 2.49.
7. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum.* 4.205.
9.6. *Increpaſti gentes, & periit impius, &c.* 2.46.
11. *Quoniam non dereliquiſti quærentes te.* 4.256.
34. *Vides quoniam tu laborem & dolorem, &c.* 7.23.
10.6. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* 4.171.
11.1. *Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus, &c.* 7.12.
5. *Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt?* 7.58.
8. *Tu Domine ſeruabis nos, & cuſtodies, &c.* 2.8.
12.3. *Reſpice & exaudi me Domine Deus meus.* 3.3.
13.2. *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum.* Prol.54.
3. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt.* Prol.54.
14.3. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo.* 4.236.
16.15. *Ego autem in iuſtitia apparebo,*

&c.Prol.83.4.132.
17.1. *Dominus fortitudo mea, Dominus firmamentium meum.61.7.*
28. *Tu populum humilem saluum facies.4.134.*
30. *In te eripiar à tentatione. Prol. 117.*
40. *Præcinxisti me virtute ad bellum. 61.1.*
46. *Filij alieni mẽtiti sunt mihi.4.218.*
47. *Exaltetur Deus salutis meæ.4.218.*
18.8. *Lex Domini immaculata.28.5.*
13. *Delicta quis intelligit?2.11.*
20.10. *Pones eos vt clibanum ignis. 4. 171.*
22.3. *Deduxit me super semitas iustitiæ. 2.21.*
14. *Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis.2.46.*
24.1. *Ad te Domine leuaui animam meam.4.157.*
8. *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit.Prol.129.*
7. *Delicta iuuentutis meæ ne memineris.4.249.*
16. *Vnicus & pauper sum ego.59.1.*
25.2. *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos.Prol.103.*
26.5. *Abscondit me in tabernaculo suo, &c.Prol.77.*
6. *Exaltauit me super inimicos meos. 4.263.*
14. *Expecta Dominum, & viriliter age.7.38.*
28.5. *Vox Domini confiingentis cedros. 4.171.*
29.7. *Ego dixi, in abundantia mea non mouebor in æternum.4.162.*
11. *Dominus factus est adiutor meus. 2.8.*
30.1. *In te Domine speraui, non confundar in æternum.4.157.*
7. *Odisti obseruantes vanitates. 4. 157.*
20. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine.Prol.130.*
25. *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum.5.28.4.260.*
31. *Nolite fieri sicut equus & mulus. 2.55.*
6. *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tẽpore opportuno.4.223.*
32.1. *Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio.4.260.*
11. *Consilium Domini in æternum manet.3.2.*
33.15. *Diuerte à malo, & fac bonũ.49.4.*
34.3. *Dic animæ meæ, salus tua ego sum. 4.128.*
35.5. *Iniquitatem meditatus est in cubili suo.4.257.*
10. *Quoniam apud te est fons vitæ, &c.7.21.*
36.7. *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua.7.21.*
25. *Non vidi iustum derelictum.2.67.*
37.4. *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ,&c.Prol.64.*
10. *Domine ante te omne desiderium meum.7.22.*
13. *Et qui iuxta me erant, de longè steterunt.4.195.*
7. *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem.7.71.*
38.1. *Dixi: custodiam vias meas,vt non delinquam in lingua mea. 6.5.*
3. *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis.6.6.*
11. *Obmutui, & non aperui os meum. 2.51.*
39.5. *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius.4.159.*
40.1. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.36.7.*
4. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius.4.71.*
41.1. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.4.173.*
14. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.4.205.*
43.10. *Nunc autem repulisti & confudisti nos. 2.21.*

Auertisti

11. *Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros,&c.*4.89.
44.10. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato.*4.40.
13. *Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur.*54.1.
46.6. *Ascendit Deus in iubilo.*45.2.
8. *Quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite.*38.15.
47.1. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis.*11.9.
48.3. *Quique terrigenæ & filij hominum,&c.*4.41.
49.15. *Eruam te, & honorificabis me.*4. 40.& 202.
16. *Quare tu enarras iustitias meas?* 2.25.
17. *Tu verò odisti disciplinam, &c.* 2.27.
21. *Existimasti inique, quod ero tui similis.*2.49.
23. *Sacrificium laudis honorificabit me.*9.18.
50.10. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam.*28.1.& 5.
12. *Cor mundum crea in me Deus.* tt. 17.
19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.*4.205.
21. *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ,oblationes,&c.*58.36.
51.6. *Dilexisti omnia verba præcipitationis.*4.157.
7. *Propterea Deus destruet te in finem.*4.193.
8. *Videbunt iusti,& timebunt.*4.193.
54.4. *Quoniam declinauerunt in me iniquitates.Prol.*106.
13. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi,&c.*4.105.
22. *Molliti sunt sermones eius super oleum.*6.11.7.62.
56.9. *Exurge gloria mea, exurge psalterium.*27.2.
58.10. *Fortitudinem meam ad te custodiam,quia Deus susceptor meus es.*4.160.
59.9. *Ephraim fortitudo capitis mei.* 4. 205.
60.9. *Reddam vota mea de die in diem.* 9.17.
61.9. *Sperate in eo omnis congregatio populi.*4.256.
11. *Nolite sperare in iniquitate.* 4. 193.
62.2. *Sitiuit in te anima mea.*4.173.
64.12. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.*tt.22.
14. *Valles abundabunt frumento:etenim hymnum dicent.*4.65.
65.13. *Introibo in domum tuam in holocaustis.*4.263.
14. *Reddam tibi vota mea, &c.* 58. 27.
18. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.*20.3.
67.3. *Sicut deficit fumus,deficiant; sicut fluit cera à facie ignis,sic pereãt peccatores.*4.128.& 142.
4. *Et iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei.*4.65.
15. *Dum discernit cælestis reges super eam, niue dealbabuntur in Selmon.*35.8.
29. *Confirma hoc Deus quod operatus es.*4.226.
68.2. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.*4.77.
6. *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.*41.18.
10. *Quoniam zelus domus tuæ comedit me.*72.2.
26. *Fiat habitatio eorum deserta.* 4. 85.
71.12. *Quia liberabit pauperem à potente.*58.25.
72.4. *Quia non est respectus morti eorum.*4.177.
18. *Deiecisti eos dum allenarentur.* 4.41.

25. *Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* 4.261.

27. *Qui elongant se à te, peribunt.* 4.163.

73.17. *Tu fecisti omnes terminos terræ.* 10.3.

74.3. *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* 2.8.

79.8. *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* 11.7.

10. *Plantasti radices eius, & implexit terram.* 33.2.

80.7. *Manus eius in cophino seruierunt.* 35.3.

83.1. *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* 4.172.

11. *Melior est dies vna in atriis tuis super millia.* 11.15.

87.16. *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* 59.1.

90.12. *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* 53.13.

92.1. *Dominus regnauit, decorem indutus est, induitus est Dominus fortitudinẽ, & præcinxit se virtute.* 27.2.

93.3. *Vsquequò peccatores Domine, vsquequò peccatores gloriabuntur?* 4.180.65.4.

4. *Effabuntur & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur iniustitiam?* 4.180.

5. *Populum tuum Domine humiliauerunt, & hæreditatem tuam vexauerunt.* 4.180.

6. *Viduam & aduenam interfecerunt, & pupillos occiderunt.* 4.180.

7. *Et dixerunt non videbit Dominus, neq; intelliget Deus Iacob.* 4.180.

8. *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.* 4.180.

9. *Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?* 4.180.

10. *Qui corripit gentes non arguet, qui docet hominem scientiam?* 4. 180. & 247.

11. *Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt.* 4.180.

21. *Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt.* Prol.129. & cap.64.29.

94.4. *Quia in manu eius sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipsius sunt.* 4.40.

96.8. *Adorate eum omnes Angeli eius.* 24.1.

97.1. *Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit.* 4.226.

100.7. *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum.* 4. 135. & 187.

102.5. *Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* 4.261.

8. *Miserator & misericors Dominus, longanimis & multum misericors.* 7.12.

11. *Secundum altitudinem cœli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se.* 12.3.

13. *Quomodo miseretur pater filiorũ, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* 2.48.

17. *Misericordia Domini ab æterno super timentes eum.* 72.6.

103.9. *Terminum posuisti, quem non trãsgredientur, neque conuertentur operire terram.* 4.158.

11. *Potabunt omnes bestiæ agri, expectabunt onagri in siti sua.* 38.4.

15. *Vinum lætificet cor hominis.* 38.4.

20. *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ agri.* Prol.47.

26. *Animalia pusilla cum magnis, illic naues pertranſibunt.* 8.1.

104.2. *Cantate ei, & psallite ei, narrate ei omnia mirabilia eius.* 4.245.

14. *Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges.* 2.51.

105.2. *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* 11.9.

23. *Disperderet eos, si non Moyses electus eius, stetisset in confractione in conspectu eius.* 52.4.

106.40. *Effusa est contemptio super principes; & errare eos fecit in inuio, & non in via.* 4.239.

107.1. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & psallam in gloria mea.* 5.28.

108.12. *Non sit illi adiutor.* 35.7.

19. *Fiat ei sicut vestimentum quo operitur.* Pro. 47.

29. *Induantur qui detrahunt mihi pudore.* 4.155.

109.2. *Potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur.* 4. 158.

4. *Exortum est in tenebris lumen rectis.* 4.110.

111.7. *In memoria æterna erit iustus.* Pro. 82.

113.4. *Montes exultauerunt vt arietes.* 18. 4.

116.1. *Laudate Dominum omnes gentes.* 12.3.

117.13. *Impulsus euersus sum vt caderem, & Dominus suscepit me.* 4.162.

25. *O Domine saluum me fac, ô Domine bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini.* 66.4.

118.6. *Tunc non confundar cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.* 4.226.

11. *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* 7.16.

15. *In mandatis tuis exercebor, & considerabo vias tuas.* Prol. 119.

20. *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* 4.173.

28. *Dormitauit anima mea pre tedio, confirma me in verbis tuis.* 38. 4.53.15.

32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Pro. 50. & 129.

37. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem, in via tua viuifica me.* 67.3.

40. *Ecce concupiui mandata tua, in æquitate tua viuifica me.* 6.6.

43. *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque &c.* Pro. 130.

60. *Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.* 5.28.

69. *Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.* 7.71.

76. *Fiat misericordia tua vt consoletur me secundùm eloquium tuum seruo tuo.* 4.83.

104. *A mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.* 11.5. Prol. 51. cap. 28.5.

112. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* 4. 173. 5.8.

113. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* 4.233.

132. *Aspice in me, & miserere mei.* 4. 72.

134. *Redime me à calumnijs hominum, vt custodiam mandata tua.* 58. 57.

139. *Tabescere me fecit zelus meus.* 64. 23.

147. *Præueni in maturitate & clamaui.* 41.1.

162. *Lætabor ego super eloquia tua.* 38.4.

164. *Septies in die laudem dixi tibi.* 2.1.

165. *Pax multa diligẽtibus legem tuam, & non est illis scandalũ.4.103.*

119.1. *Ad Dominum cùm tribularer clamaui.7.68.*

123.2. *Cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutissent nos.Pro. 84.*

124.1. *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.4.159.7.41.*

125.6. *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua.9.31.*

126.1. *Nisi Dominus ædificauerit domũ, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.4.161.9.3.*

3. *Ecce hæreditas Domini filij, merces fructus ventris.53.15.*

130.2. *Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam.64.19.*

131.11. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.4.118.*

132.1. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. 4.104.22.3.*

133.1. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini.66.4.*

2. *Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri, in noctibus extollite, &c.52.4.*

136.8. *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.24.1.*

9. *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram. Prol.55. 4.cap.4.182.24.1.*

137.2. *In conspectu Angelorum psallam tibi.45.1.*

138.5. *Ecce tu Domine cognouisti omnia nouissima & antiqua, tu formasti me, &c.4.178.*

7. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?18.2.*

22. *Perfecto odio oderam illos. 4. 17. 64.21.*

139.6. *Absconderunt superbi laqueum mihi. 53.13.*

12. *Vir linguosus non dirigetur in terra: virum iniustum mala capient in interitu. Prol.55.cap.4.187.*

140.3. *Pone Domine custodiam ori meo. 6.5.7.62.*

141.4. *In via hac qua ambulabam absconderunt superbi laqueum mihi. 53.13.*

142.2. *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.2.10.4.168.*

143.8. *Quorum os loquutum est vanitatem, dextera eorum, dextera iniquitatis.4.43.*

144.15. *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno.41.1.*

148.14. *Hymnus omnibus Sanctis eius: filijs Israël, populo appropinquanti sibi.4.257.14.3.*

149.1. *Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Ecclesia Sanctorum.4.223.11.9.*

Ex Proucrbiis.

cap. 1.33. *Qui me audierit, absque timore requiescet.5.29.*

cap.3.1. *Fili mi ne obliniscaris legis meæ. 4.2.& 25.*

3. *Misericordia & veritas non te deserant.6.1.*

7. *Ne sis sapiens apud temetipsum: time Deum, &c.11.5.cap.6.1.*

21. *Custodi legem atque consiliũ.66.7.*

cap. 4.11. *Ducam te per semitas æquitatis. Prol.126.*

24. *Remoue à te os prauum.4.156.*

cap. 5.20. *Quare seduceris ab aliena, &c. 4.180.*

cap. 6.6. *Vade ad formicam piger.4.149.*

9. *Vsquequò piger dormies?4.148.*

20. *Conserua fili mi præcepta patris tui.64.31.*

23. *Mandatum lucerna est, & lex lux. Prol.*

Pro.71.cap.4.23.& 2.25.cap. 24.1.

27. *Numquid potest homo abscondere ignem in corde suo,vt vestimenta illius non ardeant?6.6.*

p. 8.10. *Accipite disciplinam meam. Prol. 131.*

12. *Ego sapientia habito in consilio. 3.1.*

13. *Timor Domini odit malum, arrogantiam & superbiam, & os bilingue ego detestor.5.5.23.4.*

p.10.3. *Non affliget Dominus fame animam iusti.2.67.*

8. *Stultus cadituur labijs.2.56.*

12. *Odium suscitat rixas, & vniuersa delicta operit charitas.20.4.*

19. *In multiloquio non deerit peccatum.6.2.*

21. *Labia iusti eruduunt plurimos.6.1.*

26. *Sicut acetum dentibus, sic piger his qui miserunt eum.4.199.*

ap.11.1. *Statera dolosa abominatio est apud Dominum.4.27.*

2. *Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia:vbi autem humilitas,ibi sapientia.7.9.*

4. *Non proderunt diuitiæ in die vltionis:iustitia autem liberabit à morte.4.193.*

28. *Qui confidunt in diuitijs corruent: iusti autem quasi virens folium germinabunt.4.193.*

ap.12.2. *Qui bonus est,hauriet grãtiam à Domino,&c.4.156.*

22. *Abominatio est Domino labia mẽdacia.4.38.*

25. *Mœror in corde viri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur.42.1.*

ap. 13.4. *Vult & non vult piger, &c. 4. 150.*

10. *Qui agunt cum consilio, reguntur sapientia.3.1.*

11. *Substantia festinata minuetur. 4. 147.*

13. *Qui detrahit alicui ipse se insurum obligat.4.103.*

19. *Desiderium si compleatur,delectat, &c.6.8.*

cap.14.13. *Risus dolore miscebitur.4.196.*

17. *Vir versutus odiosus est.4.231.*

18. *Possidebũt parvuli stultitiam.30.1.*

cap. 15.3. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. 4.177.*

7. *Labia sapientum disseminabunt scientiam.4.21.*

23. *Sermo opportunus est optimus.42.1.*

27. *Qui odit munera,viuet.54.3.*

28. *Os impiorum redundat malis. 5.5.*

cap.16.1. *Domini est gubernare linguam. 6.7.*

5. *Abominatio Domini est omnis arrogans.4.221.*

4. *Malus obedit linguæ iniquæ. 4.38.*

cap.17.27. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est: & pretiosi spiritus vir eruditus. 4.190.27. 62.*

cap. 18.3. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum,contemnit.23.2.*

6. *Labia stulti miscent se rixis. 4. 38.*

8. *Verba bilinguis quasi simplicia,&c. 4.148.*

9. *Qui mollis & dissolutus est in opere suo,frater est sua opera dissipantis.35.7.*

17. *Iustus prior est accusator sui.Prol. 55.cap.4.187.*

21. *Mors & vita in manu linguæ.Pro. 56.*

22. *Qui inuenit mulierem bonam,inuenit bonum.4.187.*

cap.19.15. *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.4.10.*

16. *Qui custodit mandatum, custodit animam suum.2.51.4.149.*

23. *Timor Domini ad vitam.72.6.*

24. *Abscondit piger manum suam. 4. 148.*

cap.20.4.

cap. 20.4. *Propter frigus piger arare noluit.* 10.3.
5. *Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri.7.62.*
9. *Mundum est cor meum, liber sum à peccato.4.101.*
13. *Noli diligere somnum,ne te egestas opprimat.Prol.59.cap.4.147.*
15. *Vas pretiosum labia scientiæ.* 31. 13.
28. *Misericordia & veritas custodiunt Regem.5.28.*
cap. 21.5. *Cogitationes robusti semper in abūdantia, omnis piger in egestate est.4.148.43.1.*
17. *Qui diligit epulas, in egestate erit. 4.141.*
23. *Ciuitatem fortium ascendit sapiens, & destruxit robur fiduciæ eius. Pro.56.cap.4.148.6.1.*
cap.22.15. *Stultitia colligata est in corde pueri.23.14.*
23. *Non conteras egenum in porta,quia iudicabit Dominus causam eius. 18.1.*
cap. 23.4. *Noli laborare vt diteris.49.8.*
14. *Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis. 2.57.*
20. *Noli esse in conuiuijs potatorum.4. 142.*
30. *Cui suffusio oculorum? Nonne his qui cōmorantur in vino? 4.139.*
33. *Oculi tui videbunt extraneas,& os tuum loquetur peruersa. 60.1.*
cap. 24.6. *Erit salus vbi multa consilia sunt. 3.2.23.1.*
12. *Qui inspector est cordis, ipse intelligit.4.167.*
24. *Qui dicunt impio, iustus es, maledicent eis populi.4.38.*
30. *Per agrum viri pigri transiui, & per vineam stulti,& ecce totum repleuerant vrticæ. 43.1.*
cap. 25.9. *Causam tuam tracta cum amico tuo.61.1.*
18. *Iaculum & gladius,& sagitta acuta,homo qui loquitur contra proximum.4.37.*
23. *Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.Pro.92.*
28. *Sicut vrbs patens, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.6.5.*
cap.26.14. *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.4.148.*
24. *Labijs suis intelligitur inimicus. 4. 100.*
cap.28.13. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur;qui autem confessus fuerit, misericordiam consequetur. 7.48.47.4.*
25. *Qui se iactat, iurgia concitat. 4. 243.*
26. *Qui confidit in corde suo, stultus est.4.157.*
27. *Qui dat pauperi, non indigebit. 56.4.*
cap.29.15. *Virga tribuit sapiētiam.&c. 2.47.*
19. *Seruus verbis non potest erudiri. 2.56.*
20. *Vidisti hominem velocem ad loquendum:stultitia magis speranda est.4.190.*
cap.30.19. *Tria sunt difficilia mihi, & quartū penitus ignoro : viam aquilæ in cælo,viam colubri super terram, viam maris in medio mari, & viam viri in adolescentia. 4. 249.*
cap. 31.4. *Noli Regibus dare vinum. 4.139.*
30. *Fallax gratia & vana est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur.4.195.*

Ex Ecclesiaste.

cap. 1.18. *In multa sapientia multa est indignatio.2.47.*
cap.2.1. *Vadam & affluam deliciis & fruar bonis.7.18.*

3. *Cogitaui in corde meo abstrahere a vino.4.196.*
18. *Detestatus sum omnem industriã meam,habiturus hæredem,quem ignoro.54.4.581.*

cap.3.1. *Omnia tempus habent.41.1.*
7. *Tempus scindendi,& tempus consuendi.7.16.*

cap.7.4. *Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.4.196.*
7. *Considerans reperi & aliam vanitatem sub Sole.4.198.*
9. *Melius est duos esse simul. quàm vnum.5.5.*

cap.9.7. *Vade & comede in lætitia panem tuum.4.65.*
8. *Omni tempore sint vestimenta tua candida.4.260.55.15.*

cap.10.12. *Labia insipientis præcipitabunt eum.Prol.55.*
14. *Stultus verba multiplicat.2.51.*
17. *Beata terra cuius Rex nobilis est. 4.66.*

cap.12.13. *Deum time, & mandata eius obserua.5.5.*

Ex Canticis.

cap.1.7. *Si ignoras te ô pulcherrima. 1.16.*
12. *Vox turturis audita est in terra nostra.63.9.*
14. *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.47.7.*
15. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.Prol.96.*

cap.4.2. *Dentes tui sicut greges tonsarum, &c.9.29.49.6.*
13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.7.62.*

cap.5.16. *Guttur illius suauissimum.7.62.*

cap.6.3. *Terribilis vt castrorum acies ordinata.63.1.*
8. *Vna est columba mea perfecta mea. 11.15.*

cap.8.7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.4.109.*

Ex libro Sapientiæ.

cap.1.4. *In maleuolam animam non introibit sapientia.64.15.*
8. *Qui loquitur iniqua,non potest latere.4.167.*
11. *Custodite vos à murmuratione quæ nihil prodest.Prol.55.cap.23.5. cap.437.& 187.*

cap.2.7. *Vino pretioso & vnguentis nos repleamus.4.142.*
15. *Grauis est nobis ad videndũ.73.10.*

cap.3.3. *Quod à nobis est iter, exterminium,illi autem sunt in pace. 4. 103.*
11. *Disciplinam qui abiicit, infælix. est.18.1.*

cap.4.1. *Pulchra est casta generatio cum claritate.4.227.*
8. *Senectus venerabilis est non diuturna.4.186.*
9. *Ætas senectutis vita immaculata. 4.233.*

cap.5.1. *Stabunt iusti in magna constantia.4.257.*
8. *Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia?4.193.*
15. *Spes impij tamquam lanugo est. 4. 147.*

cap.6.6. *Iudicium durissimum his qui præsunt fiet.3.19.4.171.*
7. *Exiguo conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.3.19.*
19. *Dilectio custodia legum illius est, &c.4.225.*
20. *Incorruptio facit esse proximum Deo.4.229.*
23. *Diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis.64.13.*

cap.10.11. *In fraude circumuenientium illum, affuit illi.Prol.66.*
15. *Hæc populum iustum liberauit à nationibus.64.21.*

Ex Ecclesiastico.

cap.1.33. *Fili concupiscens sapientiam, obserua iustitiam.tt.6.*

cap.2.12. *Quis enim permansit in mandatis eius,& oblitus est?4.51.& 157.*

18. *Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius.55.*

cap.3.4. *Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis,& continebit se ab illis. 4.202.*

32. *Sapiens cor abstinebit se à peccatis.Prol.61.*

cap.4.10. *In iudicando esto pupillis misericors.3.57.*

cap.5.15. *Honor & gloria in sermone sensati.4.187.421.*

cap.7.2. *Discede ab iniquo,& deficient mala abs te.28.10.*

4. *Noli quærere à Domino ducatum. 7.13.*

5. *Non te iustifices ante Deum, & penes Regem noli videri sapiens. 4.84.*

19. *Humilia spiritum tuum,&c. 2.52.*

28. *Honora patrem tuum.4.84.*

39. *Non te pigeat visitare infirmum. 4.73.*

40. *Memorare nouissima tua, &c.2.2.*

cap.8.7. *Ne sternas hominem in senectute sua.23.10.*

15. *Noli fœnerari homini fortiori te. 23.4.*

20. *Cum fatuis consilium non habeas. 3.5.61.1.*

cap.9.12. *Cum aliena muliere ne sedeas omnino.Prol.74.cap.4.175.*

23. *In sensu sit tibi cogitatus Dei,&c. Prol.55.*

cap.10.10. *Nihil est iniquius quàm amare pecuniam.33.7.*

12. *Breuem languorem præcidit medicus,&c.4.187.*

15. *Initium peccati superbia.69.1.*

23. *Semen hominum honorabitur hoc quod timet Dominum.4.41.*

28. *Vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus.4.41.*

cap.12.14. *Vna hora tecum permanebit, &c. 2.9.*

cap.13.1. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.28.10.61.8.*

2. *Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat.73.9.*

4. *Pauper lapsus tacebit.7.58.*

8. *Confundet te in cibis suis.4.193.*

cap.14.1. *Beatus vir qui non est lapsus verbo.6.8.*

12. *Memor esto quoniam mors non tardat.4.172.*

17. *Ante obitum tuum operare iustitiam.Prol.112.*

cap.15.1. *Qui timet Deum faciet bona. 5.5.*

9. *Non est spetiosa laus in ore peccatoris.11.9.*

cap.16.30. *Deus in terram respexit, & impleuit illam bonis suis.7.22.*

cap.17.1. *Deus creauit de terra hominem. 49.8.*

12. *Et mandauit vnicuique de proximo suo.4.257.*

cap.18.12. *Miseratio hominis circa proximum suum.4.257.*

19. *Ante iudicium para iustitiam tibi. Prol.112.*

cap.19.1. *Ebriosus non locupletabitur. Prol. 91.96.cap.43.3.64.32.*

2. *Vinum & mulieres apostatare faciunt.4.139.*

23. *Est qui nequiter humiliat se. 7. 56.*

28. *Est tacens & ipse prudens.4.190. 6.2.*

cap.20.7. *Homo sapiens tacebit vsque ad tempus.42.1.*

20. *Lapsus linguæ falsæ, quasi qui in pauimento cadens.4.39.*

cap.21.1. *Fili peccasti,non adiicias iterum. 4.148.*

2. *Quasi à facie colubri fuge peccata. 4.148.5.7.*

23. *Fatuus in risu exaltat vocem suam.4.198.*
29. *In ore fatuorum cor illorum,&c.4.187.*

cap.23.6. *Aufer à me ventris concupiscentias.4.142.*
13. *Si frustrauerit delictum illius super ipsum erit.2.53.*
20. *Assuetus in verbis improperij non erudietur.4.155.6.8.*

cap.25.2. *Concordia fratrum & amor proximorum.23.4.*
6. *Quàm speciosum canitiei iudicium.4.242.38.6.*
26. *Breuis omnis malitia super malitiam mulieris.4.185.*

cap.27.33. *Ira & furor execrabilia sunt. 4.93.*

cap.28.1. *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam.4.18.*
3. *Homo homini seruat iram, &c.4.98.*
22. *Multi ceciderunt in ore gladij,&c.4.184.*
29. *Aurum tuum & argentum conflа.4.156.*

cap.29.2. *Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis.4.80.*
29. *Melior est victus pauperis sub tegmine asserum,&c.1.14.*
31. *Vita nequam hospitandi de domo in domum.1.14.*

cap.30.12. *Curua cervicem eius in iuventute. Prol.125.28.6.*
26. *Zelus & iracundia minuunt dies. 4.94.*

cap.31.8. *Beatus dives qui inventus est sine macula.57.4.*
18. *Ne comprimaris in conuiuio. 57.4.*
19. *Viere quasi homo frugi his quæ tibi apponuntur.40.3.& 5.*
21. *Ne prior extendas manum tuam. 4.40.*
38. *Vinum multum potatum ruinas multas facit.4.139.*

cap.32.10. *Adolescens loquere in tua causa vix.6.7.42.1.*

cap.33.17. *In benedictione Dei ipse sperauit. 4.123.*
29. *Multam malitiam docuit otiositas.48.1.*

cap.34.11. *Qui tentatus non est, qualia scit? 58.18.*

cap.35.1. *Qui conseruat legem, multiplicat oblationem.4.104.*
11. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.4.198.*
21. *Oratio humiliantis se nubes penetrat.4.72.*

cap.37.3. *O præsumptio nequissima. 4.100.*
20. *Verbum verax præcedat te,& ante omnem actum consilium stabile.Prol.86.*
23. *Qui sophisticè loquitur,odibilis est. 4.231.*
32. *Noli auidus esse in omni epulatione.4.141.*
34. *Propter crapulam multi obierunt. 4.138.*

cap.38.1. *Honora medicum propter necessitatem.4.40.*
9. *In tua infirmitate ne despicias teipsum.4.202.*

cap.39.7. *Aperiet os suum in oratione.3.1.*
24. *Non est quidquam absconditum ab oculis eius.4.178.*
33. *Sunt spiritus qui ad vindictam creati sunt.56.1.*

cap.40.9. *Ad hæc mors, sanguis, contentio, &c.4.239.*

cap.42.25. *Omnia duplicia,vnũ contra vnum. 4.123.*

cap.45.1. *Dilectus Deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est.11.20.*

Ex Isaia.

cap.1.16. *Lauamini,mundi estote, &c. Prol. 60.*
19. *Si volueritis & audieritis me,bona*

terra comedetis.5.29.
20. Gladius deuorabit vos.4.98.
cap.2. 20. In die illa proiiciet homo idola argenti sui.4.166.
cap.3.5. Et irruet populus, vir ad virum. 7.46.
7. Non sum medicus,& in domo mea non est panis.64.21.
14. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui.4.246.
cap.5.4. Quid est quod vltrà debui facere vineæ meæ,& non feci? 2.16.
cap. 6.2. Seraphim stabant super illud, sex alæ vni,&c.9.26.
5. Væ mihi,quia tacui.2.15.
cap.7.14. Et erit vobis in lapidem offensionis,& in petrã scandali.4.182.
22. Ad terram intuebitur, & ecce tribulatio.4.87.
cap.9.3. Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam.4.65.
17. Omnis hypocrita est nequã.4.221.
cap.10.15. Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? Prol. 97.cap.31.6.
33. Sublimes humiliabuntur.4.134.
cap.11.5. Et erit iustitia cingulum lumborum eius.Prol.70.
cap. 13.6. Propè est dies Domini.4.166.
cap.14.13. In cœlum conscendam.7.1,
cap.22.13. Comedamus & bibamus,cras moriemur.4.177.
cap.24.2. Sicut populus, sic Sacerdos. 2.26.
17. Formido & fouea, & laqueus super te qui habitator es terræ. 4.87.
cap.25.8. Præcipitabit mortem in sempiternum.4.172.
4. Spiritus robustorum, quasi turbo impellens parietem.64.27.
cap.26.10. Misereamur impio, & non discet facere iustitiam.23.10.
21. Ecce Dominus egredietur de loco. suo.72.1.
cap.28.7. Nescierunt præ vino,& præ ebrietate errauerint.4.138.
19. Tantummodo vexatio intellectum dabit.2.47.28.2.
cap.30.15. Si reuertamini, & quiescatis, salui eritis:in silentio & spe erit fortitudo vestra.4.159.6.2.
21. Aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea.7.57.
cap.32.17. Et erit opus iustitiæ pax. Prol.64. cap.2.9.6.1.42.2.
18. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis.4.172.
cap.33.7. Ecce videntes clamabunt foris: angeli pacis amarè flebũt. 2.14.
14. Possedit timor hypocritas.10.3.
15. Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem.54.3.
cap.33.15. Domine vim patior, responde pro me:quid dicã,aut quid respondebit mihi cùm ipse fecerit? 4.205.
cap.40.6. Omnis caro fœnum.4.221.
31. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.4.159.
cap.41.29. Omnes iniusti, & vana opera eorum.4.195.
cap. 42.1. Ecce seruus meus, suscipiam eum. 58.37.
2. Non clamabit, neque accipiet personam.27.1.
3. Ego Dominus Deus tuus, sanctus Israël, saluator tuus.64.23.
cap.43.1. Noli timere, quia redemi te,& vocaui te.63.10.
cap. 45.4. Vocaui te nomine tuo.63.10.
cap.48.22 Non est pax impiis,dicit Dominus.Prol.64.
cap.49.4. In vacuum laborani. sine causa.& vanè fortitudinem meam consumpsi.63.10.
10. Non esurient, neque sitient amplius.4.172.
15. Numquid obliuisci potest mulier infantem suum? 57.3.
18. Omnibus his velut ornamento vestieris.14.2.
cap.50.6. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem

autem non contradico, retrorsum non abij.7.43.

4. *Dominus dedit mihi linguam eruditam.27.5.*

cap. 51.4. *Lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requiescet. 4.85.*

cap.52.11. *Recedite, pollutum nolite tangere. 31.10.*

cap.53.10. *Dominus voluit conterere eum in infirmitate: Si posuerit pro peccato, &c.2.5.*

cap.55.11. *Verbũ quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum. 64.13.*

cap. 57.4. *Numquid non vos filij scelesti, semen mendax? Prol.86.*

12. *Ego annuntiabo iustitiam tuam, & opera tua non proderunt tibi.2.9.*

cap. 58.1. *Annuntia populo meo scelera eorũ. Prol.53.*

3. *Quare ieiunauimus, & non aspexisti?7.17.*

7. *Frange esurienti panem tuum.467. & 69.*

8. *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & anteibit faciem tuam iustitia tua.52.2.*

cap.61.1. *Spiritus Domini super me, ad annuntiandum mansuetis misit me.4.85.*

cap. 63.1. *Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. 2. 9.*

cap. 64.4. *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.4.172.*

cap.65.24. *Et erit antequam clament, ego exaudiam. Prol.66. cap.4.202.*

Ex Ieremia.

cap. 2.19. *Arguet te malitia tua, &c.2.49.*

29. *Omnes dereliquistis me, dicit Dominus.35.2.*

cap. 4.22. *Conuertimini filij reuertentes, & sanabo contritiones vestras .4. 112.*

cap. 5.16. *Pharetra eius quasi sepulchrum patens.4.83.*

cap. 6.13. *A minori vsque ad maiorem omnes auaritiæ student.57.4.*

cap. 7.23. *Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus. 4.225.*

24. *Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem suam.4.216.*

26. *Peius operati sunt quàm patres eorum.4.216.*

cap. 8. 22. *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? 7.46.*

cap. 9. 21. *Ascendit mors per fenestras nostras.67.4.*

cap. 11.4. *Audite vocem meam, & facite omnia quæ præcipio vobis, & eritis in populum.5.28.*

10. *Reuersi sunt ad iniquitates patrum suorum, quia noluerunt audire verba mea.4.230.*

cap. 12.7. *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.289.*

cap.13.20. *Vbi est grex qui datus est tibi pecus inclytum tuum?64.11.*

cap.17.5. *Maledictus homo, qui confidit in homine.2.9.4.194.*

7. *Benedictus vir qui confidit in Domino.4.194.*

10. *Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.2.9.4.194.*

cap.20.9. *Non recordabor eius, neque loquar vltrà in nomine illius, & factus est in corde meo quasi ignis exæstuans.6.6.*

cap.23.23. *Putasne Deus è vicino ego sum: dicit Dominus.18.2.*

cap.31.18. *Castigasti me, & eruditus sum. 2. 47.*

cap.32.19. *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu, cuius oculi aperti sunt, &c.4.179.*

cap.39.18. *Eruens liberabo te, & gladio non cades.*

cades, quia in me habuisti fiduciam. 4.158.
cap.46.28 *Noli timere serue meus Iacob, quia ego tecum sum.* 24.2.
cap.49.16. *Cùm exaltaueris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te.* 4.134.
cap.50.32. *Cadet superbus, & corruet.* 4. 134.
cap.52.13. *Et incendit domum Domini, & domum Regis, & omnes domos Ierusalem igne combussit.* 4.141.

Ex Threnis.

cap. 1.12. *O vos omnes qui transitis per viã, attendite, &c.* 4.72.
13. *De excelso misit ignem in ossibus meis, & eruditit me, &c.* 2. 47.
cap. 2.22. *Quos educaui & enutriui, inimicus meus consumpsit eos.* 4.247.
cap. 3.26. *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.* 59.4. & 6.
51. *Oculus meus depradatus est animam meam.* 67.3.
cap.4.3. *Lamiæ nudauerunt mammas, lactauerunt catulos suos.* 7.19.
5. *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in vijs: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* 9.29.37.3.38.4.

Ex Ezechiele.

cap.3.18. *Impius in iniquitate sua morietur.* 64.11.
cap.16.49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, saturitas panis, & abundantia.* 4. 141.64.17.
cap.17.15. *Qui dissoluit pactum, numquid effugiet?* 4.209.
cap.18.4. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* 2.18.
9. *Si in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, vita viuet.* 4.260.
21. *Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet, & non morietur.* 4.258.
32. *Nolo mortem peccatoris.* 4.257.
cap. 20.7. *Vnusquisque offensiones oculorum suorum abijciat.* 6.7.3.
cap.22.12. *Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem.* 4.28. & 163.
cap. 28.7. *Idcirco ego adducam super te alienos, & nudabunt gladios suos, &c.* 4.241.
cap.33.11. *Conuertimini à vijs vestris pessimis.* 64.23.
cap.34.16. *Quod perierat, requiram, & quod abiectum erat, reducam.* 29.1.
cap.36.27. *Spiritum meum ponam in medio vestri, &c.* Pro.106.
cap. 47.3. *Traduxit me per aquam vsque ad talos.* 58.4.

Ex Daniele.

cap. 4.24. *Peccata tua eleemosynis redime.* 44.2.
cap. 5.20. *Quando elevatum est cor eius ad superbiam, depositus est de solio regni.* 4.241.
cap.7.9. *Throni positi sunt, & antiquus dierum sedit.* 63.2.
cap. 14.5. *Non videtur tibi Bel esse Deus viuens?* 4.141.
17. *Magnus es Bel, & non est apud te dolus quisquam.* 4.195.

Ex Osee.

cap. 4.9. *Et erit sicut populus, sic Sacerdos.* 23.6.
15. *Non iurauerit is, viuit Dominus.* 4. 111.
cap.7.5. *Cœperunt Principes furere à vino.* 4.139.
14. *Et non clamauerunt ad me in corde suo.* 52.5.
cap.10.6. *Confundetur Israël in voluntate sua.* 4.216.

cap.13.9. *Per*

cap.13.9. *Perditio tua Israël tantummodo in me auxilium tuum.*4.163.

Ex Ioële.

cap.1.12. *Confusum est gaudium à filiis hominum.*4.205.

cap.3.17. *Et alieni non transibunt per eam amplius.* 61.1.

Ex Amos.

cap. 5.13. *Prudens in tempore illo tacebit.* 4. 190.

15. *Odite malum, & diligite bonum.* 4.208.

18. *Væ desiderantibus diem Domini.* 4.167.

cap.6.4. *Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis.*7.17.

14. *Qui lætamini in nihilo.*7.17.

Ex Iona.

Cap.5.4. *Et stabit, & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini.*4.257.

Ex Michæa.

cap. 6.4. *Quid dignum offeram Domino? Curuabo genu Deo excelso.* 4. 134.

14. *Tu comedes, & non saturaberis, & humiliatio tua in medio tui.* 4. 134.

Ex Habacuc.

cap.1.11. *Tunc mutabitur spiritus & pertransibit, & corruet.*4.194.

Ex Sophonia.

cap. 1.12. *Scrutabor Ierusalem in lucernis.* 2.9.

cap. 3. *Timebis me abiciens disciplinam.* 18.1.

Ex Zacharia.

cap.5.3. *Hæc est maledictio quæ egredietur super faciem terræ, quia omnis fur iudicabitur, & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur.* 4. 111.

Ex Malachia.

cap.1.6. *Si ego Pater sum, vbi honor meus? & si Dominus sum, vbi timor meus?* tt.16.cap.72.7.

11. *In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* 50.2.& 11.

14. *Maledictus dolosus.*4.100.

Ex libris Machabæorum.

I I.

cap. 4.14. *Ita vt Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto templo festinarent participes fieri palæstræ.*2.52.

cap. 5.21. *Existimans præ superbia terram ad nauigandum pelagus verò ad iter agendum deducturum,* 4. 241.

Ex nouo Testamento.

Ex Matthæo.

Cap.5.5. *Beati qui lugent.*2.29.

8. *Beati mundo corde.*4.101.

10. *Beati qui persecutionem patiuntur.*4.130.

11. *Beati estis cùm maledixerint vobis.*4.127.

12. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis: sic enim persecuti sunt Prophetas.* 4.94.

13. *Vos estis sal terræ.*2. 23. 4. 83.

16. *Videant opera vestra bona.* 2.23.
19. *Qui soluerit vnum de mandatis istis mininnis, minimus vocabitur.* 2.23.
20. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum.* 2.29.
22. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* 5.7. 31.8. 4.16. 4. 94.
23. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus, &c.* 71.6.
27. *Audistis quia dictum est, non mœchaberis.* 4.24.
33. *Non periurabis: reddes Domino iuramenta tua.* 4.113.
34. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino.* 4.111. 4.233.
38. *Oculum pro oculo, & dentem pro dente.* 4.116.
44. *Diligite inimicos vestros, & orate pro persequentibus.* 4.233.

cap. 6.1. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* Prol. 82.2.24.
2. *Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.* 20.6.
13. *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* 4.202.
14. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester.* 5.26.
16. *Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* 4.221.
17. *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* 55. 15.
24. *Nemo potest duobus dominis seruire.* 65.1.
25. *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, &c.* 31.5.
31. *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus?* 2.55.31.5.
33. *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, &c.* 2.65.
34. *Nolite solliciti esse in crastinum.* 31.5.

cap. 7.7. *Petite, & dabitur vobis.* 4. 202. 20.2.
11. *Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare hominibus, &c.* 4. 224.
12. *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, facite illis.* 4.48.
18. *Non potest arbor bona malos fructus facere.* 7.17.
19. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur.* 4.148.
21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* 7.14.
24. *Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti qui ædificauit domum suam supra petram.* 4.109. 4.224.

cap. 8.8. *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.* 4.223.
12. *Filij regni ejcientur in tenebras exteriores.* 4.116. 4.171.

cap. 9.15. *Numquid possunt filij sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus?* 41.3.
24. *Non est mortua puella, sed dormit.* 70.2.

cap. 10.10. *Dignus est operarius cibo suo.* 5.30.
20. *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri.* 4.184.
29. *Nonne duo passeres asse væneunt, & vnus ex illis non cadet sine Patre vestro?* 4.44. 4.174.
37. *Qui amat patrem plus quam me, &c. non est me dignus.* 2.66. 4. 52.
40. *Qui recipit vos, me recipit.* 53.2.

cap. 11.12. *Regnum cælorum vim patitur.* 5. 27.
29. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis.*

humilis.2.35.5.1.64.19.

30. Iugum meum ſuaue eſt & onus meum leue.68.1.

cap.12.34. Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? Prol.87.

41. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio. 73.9.

cap.13.41. Sine parabolis non loquebatur eis. 4.10.

cap.15.8. Populus hic labiis me honorat, cor eorum longe eſt à me.7.16.

18, Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & hæc coinquinant hominem.4.101.4.181.

cap.16.18. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo, &c.4.223.

22. Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.4.10.

24. Siquis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum. 4. 12. 4. 51.7. 24.

25. Qui voluerit animam ſuam ſaluã facere perdet eam.5.29.

cap.17.20. Hoc genus non ejicitur niſi in oratione & ieiunio.30.3.

cap. 18.8. Si autem manus tua ſcandalizat te, erue eam & proiice abs te, &c.4.12.

10. Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis.30.2.

14. Non eſt voluntas ante patrem veſtrum, vt cadat vnus ex his puſillis.4.163.30.2.

16. Si te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos teſtes.2.51.

cap.19.12. Sunt eunuchi qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum.5.8.

17. Si vis ad vitam ingredi ſerua mãdata. Prol. 82. & 103. 4.173. & 60.

21. Vade & vende vniuerſa quæ habes, & da pauperibus.73.4.

29. Centuplum accipiet, &c.4.53.

cap.20.28. Filius hominis nõ venit miniſtrare, ſed miniſtrari, & dare animam ſuam.64.19.

cap.21.5. Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus.2.52.

19. Numquam ex te fructus naſcantur.4.128.

44. Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtũ confringetur.4.182.

cap.22.30. In reſurrectione neque nubent, neque nubentur.4.227.

cap.23.7. Amant primos accubitus in cœnis. 4.222.

10. Ne vocemini magiſtri, quia Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus. 64.19.

12. Qui ſe exaltauerit humiliabitur, & qui ſe humiliauerit exaltabitur. 4.134.

cap.24.13. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.7.38.

43. Si ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret.31.3.

45. Vt det illis cibum in tempore. 2. 60.

cap.25.34. Venite benedicti patris mei, &c. 53.2.

35. Eſuriui, & dediſtis mihi manducare.31.9.

36. Infirmus fui, & viſitaſtis me.4.73. 4.81.

40. Quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.53.4.

41. Diſcedite à me maledicti. 4.171.4. 202.

42. Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare.64.18.

cap.26.25. Numquid ego ſum Rabbi? 4.90.

26. Tu dixiſti. 4.90.

42. Fiat voluntas tua.20.5.

52. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.70.1.

cap.27.14. Et non reſpondit ei ad vllum verbum. Prol.74.

21. Quem vultis vobis de duobus dimitti? 4.202.

46. *Deus Deus meus vt quid dereliquisti me?* 2.48.
cap. 28.2. *Et ecce terræ motus factus est magnus ; Angelus enim Domini, &c.* 37.2.

Ex Marco.

cap. 7.21. *De corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, &c.* 4. 181.
cap. 9.36. *Qui me suscipit, suscipit eum qui me misit.* 37.3.
42. *Si scandalizauerit te manus tua, abscide illam.* 28.10.
cap.10.14. *Sinite paruulos venire ad me.* 37.3.
17. *Quid faciam vt vitam æternam percipiam?* 2.5.
cap.11.25. *Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis contra aliquem.* 9.26.
cap.14.36. *Abba Pater omnia tibi possibilia sunt.* 2.1.
60. *Non respondes quidquam ad ea quæ tibi obijciuntur.* 11.18.

Ex Luca.

cap. 1.44. *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* 11.6.
75. *In sanctitate & iustitia coram ipso. Pro.* 52.
79. *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Prol.* 8.3.
cap. 2.14. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus. Pro.* 64.
cap.5.8. *Exi à me, quia homo peccator ego sum.* 4.223.
24. *Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata.* 28.1.
cap. 6. 21. *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* 419.6.9.31.
28. *Benedicite maledicentibus vobis.* 4. 127.
36. *Estote misericordes.* 56.4.
cap. 7.25. *Qui in veste pretiosa sunt, in Regum domibus sunt.* 4.196.
cap. 8.12. *Venit diabolus & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant.* 7.16.
cap.9.5. *Puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium contra illos.* 2.17.
56. *Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* 4.257.
cap.10. 4. *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta.* 4.111.
5. *Pax huic domui.* 31.17.
16. *Qui vos audit, me audit.* 23.8.
41. *Martha sollicita es, & turbaris erga plurima.* 53.23.
cap. 11. 9. *Petite, & dabitur vobis. Prol.* 108.
13. *Si vos cùm sitis mali nostis bona data dare filijs vestris, &c.* 4. 202.
26. *Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* 4.209.
cap. 12.5. *Ostendam vobis quem timeatis.* 4. 171.
17. *Quid faciam quia non habeo quò congregem fructus meos?* 3.11.
21. *Qui sibi thesaurizat, non est in Deum dives.* 55.2.
47. *Seruus qui non facit voluntatem domini sui, vapulabit plagis multis.* 2.18.
48. *Cui multum datum est, multũ quæretur ab eo.* 2.64.
cap.13.5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.* 29.3.
cap.14.10. *Cùm vocatus fueris, recumbe in nouissimo loco.* 61.9.
11. *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* 7.1.7.8.
16. *Homo quidam fecit cœnam magnam & vocauit multos.* 4.216.
26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, non potest meus esse discipulus.* 4.52.4.232.

cap.15.13. *Dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.Pro.74.*

cap.16.24. *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum.2.48.*

25. *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua.31.17.*

cap.17.3. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum.2.45.*

10. *Cùm feceritis omnia quæ præceptæ sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.4.222.73.3.*

26. *Sicut factum est in diebus Noë, ita erit in diebus filij hominis.4.142.*

cap.18.1. *Oportet semper orare, & non deficere.2.5.*

14. *Descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.4. 243.7.57.*

18. *Quid faciens vitam æternam possidebo?2.5.*

cap.19.5. *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.53.8.*

14. *Nolumus hunc regnare super nos. 5.28.*

cap.21.15. *Ego dabo vobis os & sapientiam, &c.9.3.*

18. *Capillus de capite vestro non peribit.4.73.*

34. *Attendite ne fortè grauentur corda vestra crapula.4.142.*

cap.22.26. *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor.53.17.*

29. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.51.1.*

cap.23.9. *Interrogabat eum multis sermonibus.Prol.74.*

46. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.2.49.*

Ex Ioanne.

cap.1.3. *Omnia per ipsum facta sunt.72.7.*

cap.3.10. *Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?2.45.*

20. *Omnis qui malè agit, odit lucem. 4.172.*

21. *Qui facit veritatem venit ad lucem.Prol.86.*

34. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.5.30.*

cap.5.3. *In his iacebat multitudo languentium.5.4.*

14. *Ecce sanus factus es, iam noli peccare.4.209.*

17. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.65.4.*

cap.6.38. *Descendi de cælo non vt faciam voluntatem meam.5.26.*

44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eũ.53.3.*

45. *Et erũt omnes docibiles Dei.4.184.*

54. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.Prol.124.*

61. *Durus est hic sermo, &c. Prol. 124.*

68. *Numquid & vos vultis abire?Prol. 51.*

cap.7.4. *Si hæc facis, manifesta te ipsum. Prol.49.*

cap.8.12. *Ego sum lux mundi. 4.53.*

13. *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum nihil est.Prol. 51.*

34. *Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.4.165.*

44. *Vos ex patre diabolo estis.Prol.86. 1.13.4.39.*

46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?2.49.*

cap.9.4. *Venit nox in qua nemo potest operari.Prol.110.*

31. *Scimus quia peccatores Deus non audit.Prol.65.*

cap.10.11. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.64.10.*

18. *Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam.64.18.*

cap.12.24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuũ fuerit, ipsum solum manet.2.5.*

25. *Qui amat animam suam, perdet eam.4.216.*

35. *Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos cõprehendant.Prol. 48.*
cap.13.10. *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet.Prol.81.*
cap.14.10. *Pater in me manens ipse facit opera.Prol.51.*
13. *Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam.4.202. 64.25.*
16. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitũ dabit vobis. 4.81.20.2.*
23. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.4.225.5.4.7.29.*
26. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.4.81.*
cap.15.1. *Ego sum vitis vera,& Pater meus agricola est.Prol.109.*
2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. 4. 148.20.4.*
14. *Vos amici mei estis si feceritis quæ ego præcipio vobis.5.28.*
16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.4.81.*
22. *Si non venissem, & loquutus eis fuissem,peccatum non haberent. 3.11.*
24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit.4.330.*
cap.16.12. *Adhuc multa habeo vobis dicere. 72.1.*
18. *Nescimus quid loquitur.2.45.*
20. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.4.107.*

Ex Actibus Apostolorum.

cap. 2.23. *Hunc definito consilio & præscientia Dei traditum affligentes interemistis.4.164.*
40. *Saluamini à generatione ista prava.61.8.*
cap. 3.6. *Argentum & aurum non est mihi, quod habeo hoc tibi do,&c.4.80.*
cap. 4.12. *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus,&c.4.90.*
28. *Quæ manus tua, & cõsilium tuum decreuerunt fieri.4.164.*
32. *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.33.1.*
33. *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis.4. 255.*
34. *Quotquot possessores domorum aut agrorum erant, vendentes afferebant pretia ad pedes Apostolorum.4.255.*
cap.6.7. *Erit semen eius accola in terra aliena.35.5.*
cap. 7.56. *Quis te constituit principem & iudicem?4.180.*
cap. 8.12. *Cùm credidissent Philippo euangelizanti,baptizabantur. 4. 116.*
20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem.4.128.*
cap. 10. 4. *Orationes tuæ & eleemosynæ ascenderunt in conspectu Dei.51.1.*
34. *Non est personarũ acceptor Deus. 2.36.*
35. *Qui timet eum, & operatur iustitiam,acceptus est illi. Prol. 83.*
cap.14.21. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei. 58.7.*
22. *Cùm constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros. Prol.103.*
cap.15.10. *Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorũ, &c.64.29.*
28. *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria.64.29.*
32. *Verbo plurimo consolati sunt fratres,& confirmauerunt. 19.5.*
cap.20.20 *Quomodo nihil subtraxerim vtilium quominus annuntiarem vobis,& docerem vos.2.12.*
24. *Non facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum.4.208.*
26. *Mũdus sum à sanguine omniũ.2.15.*

34. *Ad ea quæ mihi opus erant, ministrauerunt manus istæ.* 4. 79. 48.3.
cap. 23.3. *Percutiet te Deus paries dealbate, & tu sedens iudicas me secundùm legem?* 7.43.
cap.26.22. *Auxilio adiutus Dei vsque in hodiernum diem sto.* 58.7.

Ex Epistola ad Romanos.

cap. 1.17. *Iustitia Dei in eo reuelatur ex fide in fidem.* 2,8.
30. *Detractores Deo odibiles.* 4.156. & 231.
32. *Qui cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte.* 2.11.4.231.
cap. 2.11. *Non est acceptio personarum apud Deum.* 2.36.
12. *Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* 4.219.
13. *Nec enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Prol. 84. 4. 224.
21. *Qui alium doces, te ipsum non doces.* 2.24.
cap. 3.4. *Est Deus verax. Omnis autem homo mendax.* Prol. 86.
20. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.* 68.6. & 7.
24. *Iustificati gratis per gratiã ipsius.* 4. 161.
cap. 4.13. *Non per legem promissio Abrahæ.* 4.178.
cap. 5.5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* 5.7. & 74.
8. *Commẽdat charitatem suam Deus in nobis.* 4.44.
cap. 6.6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati.* 7.28. & 39.
12. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* 4.34.
cap. 7.7. *Lex per peccatum est? Absit.* 68. 6.
15. *Quod enim operor non intelligo.* 4. 211.
22. *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem.* 4.32.
24. *Quis me liberabit à corpore mortis huius?* 4.211.
cap. 8. 7. *Sapientia carnis inimica est Deo.* 4.211.
13. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Prol. 126. 4.211.
17. *Si autem filij, & hæredes.* Prol. 103.
18. *Velle adiacet mihi perficere non inuenio.* Prol. 136.
20. *Vanitati creatura subdita est non volens.* 4.159.
23. *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.* Prol. 106.
35. *Quis ergo nos separabit à charitate Christi?* Prol. 93. 4. 90. 7.75.
38. *Certus sum enim quia neque mors, neque vita, &c.* 4.109.
cap. 9. 16. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* 4.160.
cap. 10.1. *Obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem.* 4.202.
14. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderint?* 18.1.20.4.
15. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* 4.103.
cap. 11.22. *Vide autem bonitatem Dei in te, si permanseris in bonitate.* 4. 208.
cap. 12.2. *Nolite conformari huic sæculo.* 4. 86.
5. *Multi vnũ corpus sumus in Christo.* 4.45.
9. *Non adulterabis, non occides, &c.* 4.18.49.4.
11. *Solicitudine non pigri, spiritu*

feruentes.4.159.7.41.
12. *Spe gaudentes,in tribulatione patientes,orationi instantes.* 4.80.
14. *Benedicite persequentibus vos.* 4.127.
17. *Nulli malum pro malo reddentes.* 4.116.
18. *Cum omnibus pacem habentes.*4.104.
19. *Date locum iræ.*4.18.69.2.72.7.
cap.13.4. *Si malum feceris,time.*4.19.
7. *Reddite ergo omnibus debita.*4.41.
8. *Nemini quidquam debeatis,nisi vt inuicem diligatis.*71.3.
10. *Dilectio proximi malum non operatur.*4.7.4.249.7.75.
11. *Hora est iam nos de somno surgere.* Prol.49.
12. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.*4.43.
13. *Sicut in die honestè ambulemus.* 4.141.7.15.
14. *Carnis curam ne feceritis in desideriis.*7.22.
cap.14.13. *Non ergo amplius inuicem iudicemus, sed hoc iudicate magis ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.*70.1.

Ex I.ad Corinthios.

cap.3.3. *Cùm sit inter vos Zelus & contentio,nonne carnales estis?* 4.256. 64.8.
9. *Dei enim sumus adiutores.*4.184.
cap.4.5. *Nolite ante tempus iudicare, &c.* Prol.52.
7. *Quis te discernit? Quid enim habes quod non accepisti?* 4.160. & 221.
11. *Vsque in hanc horam & esurimus & sitimus, & laboramus operantes.*2.67.4.55.
12. *Laboramus operantes manibus nostris, maledicimur, &c.*4.127.
15. *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo,&c.* 11. 16. Prol.51.
cap.5.6. *Non est bona gloriatio vestra,&c.* 28.10.
cap.6.8. *Sed vos iniuriam facitis & fraudatis,& hoc fratribus.*4.141.
10. *Neque molles regnum Dei possidebunt.*4.138.& 151.
15. *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi?*14.2.
19. *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti.*14.2.
20. *Empti enim estis pretio magno.Glorificate & portate Deum* 4.44.
cap.7.35. *Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico.*4.228.
cap.9.16. *Væ mihi si non euangelizauero.* 2. 15.
19. *Nam cùm liber essem, omnium me seruum feci.*4.79.
24. *Nescitis quod ij qui in stadio currunt,&c.sic currite vt comprehendatis.*4.173.
27. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo.*4.211.40.6.
cap.10.10. *Neque murmuraueritis,&c.* 5.28. 23.5.
14. *Fugite ab idolorum cultura.*4.182.
18. *Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris?*7.3.& 5.
23. *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.*72.5.
cap.11.16. *Siquis videtur contentiosus esse,nos talem consuetudinem non habemus.*4.139.
22. *Numquid domos non habetis ad manducandũ & bibẽdum?* 52.1.
cap.12.26. *Siquid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra.* 4.80.
cap.13.4. *Diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus.*4.8.
6. *Diuisiones operationum sunt; idem verò Deus.*72.5.
8. *Alij per spiritum datur sermo sapientiæ.*4.107.

11. *Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus.30.1.*

cap.14.3. *Qui prophetat hominibus, loquitur ad ædificationem.4.84.*

16. *Qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen?9.17.*

20. *Nolite pueri effici sensibus.37.2.*

cap.15.8. *Nouissimè omnium tamquam abortiuo visus est mihi.7.69.*

9. *Ego sum minimus Apostolorum. 4.223.*

17. *Si Christus non resurrexit, vana est fides nostra.4.195.*

33. *Euigilate iusti, & nolite peccare. 61.8.*

50. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.4.211.*

Ex II. ad Corinthios.

cap.1.3. *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis.4.85.*

4. *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.4.85.*

13. *Non alia scribimus vobis, quàm quæ legistis, & cognouistis.4.81.*

cap.3.5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, &c.4.160.*

6. *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti non litera, sed spiritu. 4.185.*

9. *Nam si ministratio damnationis gloria est, multo magis abundat ministerium iustitiæ in gloria. 58.5.*

cap.4.8. *In omnibus tribulationẽ patimur, sed non angustiamur.7.40.*

17. *Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue, &c. Prol. 136.cap.4.261.*

cap.5.10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit,Prol.112.*

20. *Pro Christo legatione fungimur.2. 45.*

cap.6.2. *Ecce nunc tempus acceptabile,ecce nunc dies salutis.41.1.*

cap.9.6. *Qui parcè seminat, parcè & metet.56.4.*

cap.10.6. *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.23.3.*

cap.11.9. *Cùm essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui.72.4.*

29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?4.70.*

cap.12.6. *Si voluero gloriari, non ero insipiens, &c.7.46.*

7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus sathanæ.4.213.*

cap.13. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus, &c.4.104.*

Ex Epist.ad Galatas.

cap.1.4. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.4.88.*

8. *Licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizatum est, anathema sit.2.7.*

11. *Notum vobis facio Euangelium, quia non est secundum hominem.Prol.92.*

14. *Proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, & abundantius æmulator existens, &c.72.1.*

cap. 2.19. *Ego per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam.Prol.126.cap.4.55.*

cap.5.6. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.Prol.72.cap. 2.29.*

12. *Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant.7.72.*

13. *Per charitatem spiritus seruite inuicem.35.7.*

15. *Si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.4.211.*

16. *Spiritu ambulate, & desideria carnis*

nis non perficietis.7.22.
20. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio,&c.7.22.
24. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt. Prol.126.cap.4. 54.
26. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.7.72.
cap.6.1. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. 28.4. 64.23.
2. Alter alterius onera portate.4.70.
8. Quæ seminauerit homo,hæc & metet.4.211.
14. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.Prol. 134.
15. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.2.29.
16. Quicumque hanc regulam sequuti fuerint,pax super illos.3.11.

Ad Ephesios.

cap.2.20. Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum,&c.2.7.
cap.3.14. Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas,&c.11.16.
cap.4.3. Soliciti seruare unitatem spiritus in vinculo pacis.4.104.
14. Vt iam non simus paruuli fluctuãtes, & circumferamur omni vento doctrinæ.Prol.70.
17. Testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant.4.86.
25. Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. 4.38.& 98.
31. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio & blasphemia tollatur a vobis.4.17.& 18.& 93.
2. Estote autem inuicem benigni, misericordes,&c.4.80.
cap.5.8. Eratis aliquando tenebræ,nunc autem lux in Domino.Prol.52.
19. Loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus,psallentes in cordibus vestris.9.17.
27. Vt exhiberet ipsi sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam.9.17.
cap.6.2. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione.4.40.

Ad Philippenses.

cap.1.2. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro & Domino Iesu Christo. 4.11.
Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri.4.11.
19. Scio quia hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem. 4.202.
cap.2.2. Implete gaudium meum, vt idem sapiatis,eandem charitatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes.4.104.
7. Semetipsum exinaniuit formã serui accipiens.7.7.& 28.
8. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem.5.2.
12. Cum metu & tremore vestram salutem operamini.73.2.
13. Deus operatur in vobis & velle & perficere.4.160.
14. Omnia facite sine murmurationibus.5.28.
cap.3.5. Circumcisus octauo die ex genere Israel de tribu Benjamin. 4. 141.
8. Existimo omnia detrimentum esse propter

propter eminentem scientiam Domini mei Iesu Christi, propter quem omnia detrimentum feci. 4.90.

cap.4. 13. *Omnia possum in eo qui me confortat, Prol.* 117.

Ex epist. ad Colossenses.

cap.1.12. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* 4.202.

cap.3.5. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* 4.24.& 34. *cap.*7.39.

8. *Nunc autem deponite & vos omnia.* 4.187.

9. *Nolite mentiri inuicē, expoliantes vos veterem hominem. Prol.*60.

13. *Supportantes inuicem,& donantes vobismetipsis, siquis aduersus aliquem habet, querelam.* 4.18.

14. *Super omnia charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.* 4.70.& 107.7.27.

16. *Commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus.* 9.17.

20. *Filij obedite parentibus per omnia.* 4.40.

cap.4.8. *Quem misi ad vos, vt cognoscat quæ circa vos sunt,& consoletur corda vestra.* 4.187.

Ex I. ad Thessalonicenses.

cap. 2.13. *Gratias agimus Deo sine intermissione quoniam,&c. Prol.*92.

cap.3. *Gratias agimus Deo sine intermissione. Prol.* 98.

cap. 4.1. *Rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, vt quemadmodum, &c.*10.2.& 50.

6. *Nequis supergrediatur & circumueniat, in negotio fratrem suum.* 4.27.

9. *Ipsi à Deo didicistis, vt diligatis inuicem. Prol.*72.

cap.5.17. *Sine intermissione orate. Prol.* 67. 5.39.

Ex II. ad Thessalonicenses.

cap. 1.11. *Oramus semper pro vobis.* 4.202.

cap.3.11. *Siquis non vult operari, nec manducet.* 48.3.

14. *Siquis non obedit verbo vestro, hunc notate.* 25.5.

Ex I. ad Timotheum.

cap.1.7. *Volentes esse legis doctores non intelligentes, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* 31.1.

8. *Scimus quia bona est lex, siquis ea legitimè vtatur.* 3.11.

19. *Habentes fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidē naufragauerūt.* 4.107.

cap.2.1. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes,&c.* 13.10.

4. *Qui omnes homines vult saluos fieri. Prol.*100.

8. *Volo viros orare in omni loco.* 52.4.

cap.3.6. *Ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli.* 4.242.

cap. 4.2. *In hypocrisi loquentium mendacium.* 2.21.

12. *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* 2.21.

cap.5.1. *Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt Patrem.* 4.245.

6. *Quæ in deliciis est viuens mortua est.* 4.7.7.20.

10. *In operibus bonis testimonium habens.* 4.247.

22. *Manus citò nemini imposueris.* 64. 15.

23. *Noli adhuc aquam bibere, sed vtere modico vino.* 40.3.

cap.6.8. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* 55.1.

10. *Radix omnium malorum est cupiditas.* 33.2.58.39.

Ex II. ad Timotheum.

cap.2.4. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* 4.88.

11. *Si commortui sumus & conuiuemus. Prol.*103.

21. *Si quis emendauerit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum.* 20.4.

24. *Seruum non oportet litigare.* 2.51. 28.4.

Ex epistola ad Titum.

cap.1.12. *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* Prol.86.

13. *Increpa illos durè vt sani sint in fide.* 2.45.

cap. 2.6. *Iuuenes similiter hortare vt sobrij sint.* 4.284.

7. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.* 2. 21. 2.12.

12. *Erudiens nos, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè & iustè, & piè viuamus.* 4. 248.406.

cap.3.1. *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse.* 5.28.

7. *Vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* 4.158.

9. *Stultas quæstiones deuita: sunt enim inutiles & vanæ.* 4.248.

Ex epist. ad Philemonem.

8. *Multam fiduciam habens in Christo imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obsecro.* 71.5.

Ex epist. ad Hebræos.

cap.2.2. *Omnis præuaricatio & inobedientia accipiet iustam mercedis retributionem.* 2.18.23.3.

cap.4.4. *Et requieuit Deus die septima ab operibus suis.* Prol.74.

12. *Viuus est sermo Dei & efficax.* 4. 179.

cap.5.12. *Facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.* 2.8.

13. *Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ.* Prol. 130.

14. *Perfectorum solidus est cibus.* 64. 30.

cap.6.10. *Non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* 4.100.

18. *Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, &c.* 4.159.

19. *Habemus spem incedentem vsque ad interiora velaminis.* 4.158. & 256.7.41.

cap.7. *Sine vlla contradictione quod minus est à meliore benedicitur.* 63.13.

25. *Saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deũ.* 20.2.

cap.9.27. *Statutum est hominibus semel mori. post hoc autem iudiciũ.* 4.175.

cap.10.27. *Terribilis expectatio iudicij.* 4.166.

cap. 11.6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Prol.72.

11. *Fide Sara sterilis virtutem in conceptionem seminis accepit, &c.* 56.1.

14. *Qui hæc dicunt significant se patriam inquirere.* 64.8.

37. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, angustiati, afflicti.* 1.8.

cap.12.14. *Pacem sequimini.* 4.142.

16. *Nequis fornicator aut profanus vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua.* 4.255.

cap.13.2. *Hospitalitatẽ nolite obliuisci.* 53.2.

9. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci; optimum est gratia stabilire cor, non escis.* 4.142.

17. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim pernigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* 4.40.53.2.

Ex epistola I. Petri.

cap. 1.22. *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis.* 68.6.

cap.2.2. *Sicut modò geniti infantes lac concupiscite.* 4.38.

7. *Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem, lapis quem reprobauerunt.*

*reprobauerunt,&c.*4.182.

11. *Abstinete vos à carnalibus desideriis.*4.34.7.22.

17. *Fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate.* 4.40.

18. *Serui subditi estote in omni timore dominis.*7.10.

22. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.*71.1.

23. *Qui cùm malediceretur, non maledicebat.*4.127.

cap.3.9. *Non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto.Prol.*102.4.127.

cap. 4.9. *Hospitales inuicem sine murmuratione.*53.2.

13. *Communicantes Christi passionibus gaudete.Prol.*136.

cap. 5.5. *Adolescentes subditi estote senioribus: omnes inuicem humilitatem insinuate: quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* 4.47.& 245.& 249. 63.8.

6. *Humiliamini sub potenti manu Dei.*7.10.

8. *Sobrij estote & vigilate.*40.3.

Ex I I. Petri.

cap.1.8. *Hæc si vobiscum adsint, non vacuos vos constituent.* 4.193.

10. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.Prol.* 98.

cap. 2.2. *Multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.*4. 209.

19. *Libertatem promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis.*4.165.

cap. 3.9. *Non tardat Deus promissionem suam.*4.163.

Ex Iacobi Epistola.

cap.1.6. *Postulet in fide nihil hæsitans.*5.28.

14. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua.*7.22.

15. *Concupiscentia cùm conceperit parit peccatum, peccatum generat mortem.* 4. 212.

17. *Omne datum optimum desursum est.*4.160.

18. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.Prol.*51.

19. *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum,& tardus ad iram.*42.2.

20. *Ira viri iustitiam Dei non operatur.*4.94.

25. *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, beatus in facto suo erit.*7.59.

26. *Siquis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, huius vana est religio.*7.59.4.189.

27. *Religio immaculata est visitare pupillos & viduas,&c.*4.86.

cap.2.9. *Si personas accipitis peccatum operamini.*2.30.& 36.

19. *Dæmones credunt & contremiscunt.* 6.7.

24. *Ex operibus iustificatur homo,& nõ ex fide tantum.Prol.*284.

26. *Fides sine operibus mortua est.Pro.* 72.

cap.3.3. *Equis frena in ore mittimus ad consentiendum nobis.*23.1.

5. *Lingua modicum quidem membrum est,& magna exaltat.*6.5.

8. *Linguam nullus hominum domare potest.*6.7.

cap.4.2. *Occiditis & Zelatis.* 72.1.

4. *Amicitia huius mundi inimica est Dei.*4.88.

6. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*4.135.

9. *Risus vester in luctum conuertetur, & gaudium in mœrorem.*4. 196.

cap. 5. *Nolite iurare,&c.*4.111.

Ex Epistola I. Ioannis.

cap.2.9. *Qui fratrem suum odit, in tenebris est. Prol.52.*

15. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. 4.32. & 87. 67.1.*

cap.3.4. *Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit. 4.108.*

7. *Qui facit iustitiam, iustus est. 4. 108. & 224.*

10. *Omnis qui non est iustus, non est ex Deo. 4.230.*

14. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Prol.52.*

15. *Qui odit fratrem suum, homicida est. Prol.84. 4.17. & 230.*

16. *Christus pro nobis animam suam posuit. 64.18.*

21. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciã habemus ad Deum. 20.3.*

cap.4.1. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint. 58.2.*

6. *Qui non est ex Deo non audit nos. 4.108.*

7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est. 7.27.*

9. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum misit in mundum. 4.230.*

18. *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. 7.75.*

cap.5.3. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia nõ sunt. 4.109. 68.1.*

5. *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Iesus est filius Dei? 4.124.*

19. *Mundus totus in maligno positus est. 67.1.*

Ex Apocalypsi.

cap.1.3. *Beatus qui legit & audit verba prophetiæ huius. 4.225.*

cap.2.4. *Habeo aduersum te, quod charitatem tuam pristinam reliquisti. 4.107.*

cap.3.1. *Scio opera tua, quia nomen habes quod viuas, & mortuus es. 2.57.*

16. *Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. 4.148. 5.28.*

cap.4.10. *Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in secula seculorum. 7.69.*

cap.14. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocumque ierit. 4.227.*

cap. 15.2. *Et vidi tamquam mare vitreum mistum igne, & eos qui vicerunt bestiam & imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes super illud habentes citharas Dei. 27.2.*

cap.16.6. *Quia sanguinem Sanctorum effuderunt, sanguinem eis dedisti bibere. 10.3.*

cap.17.15. *Aquæ quas vidisti, vbi meretrix sedet, populi sunt. Prol.53.*

18. *Mulier quam vidisti est ciuitas magna quæ habet regnum super reges terræ. 4.59.*

cap.18.17. *Vna hora destitutæ sunt tantæ diuitiæ. 7.19.*

cap.21.4. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum. 4.85.*

27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum. 4.260.*

INDEX RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM, QVÆ in hoc opere continentur, sub eisdem notulis.

A.

Abbas.

NOn præcipiat dura. Prol. 124.
Aliquando debet districtiori vti disciplina. Prol. 125.
Significat idem quod pater. 2.1.
Memor sit se patrem esse. 2.2.4.217.
Paternè tractet subditos. 2.3.
Eius nomen diuina ab illo petit officia. 2.5.& 58.
Agit Christi personam. 2.5.
Nihil extra præceptum Domini doceat. 2.6.
Eius præcepta sapiant legē Dei. 2.8.
Reddet rationem Deo de doctrina sua. 2.9.
Et de subditorum culpis. 2.11. & 64.& 68.& 69.
Abbati facienti quod in se est ne subditi peccent, nō imputat Deus culpas subditorum. 2.13.
Illius graue peccatum non docere subditos. 2.15.
Non inquietus sit pro subdito incorrigibili. 2.14.& 16.& 17.
Sit subditis in bene viuendo dux. 2. 21.& 24.
Vita & doctrina fulgeat. 2.22.
Aliter faciens quàm docet, indignus prælatione. 2.25. est ignominia doctrinæ. 2.26.
Nō sit acceptor personarū. 2.29.34.5.
Inter virtutes discernat. 2.36.
Quomodo debet esse ab eo æqualis omnibus charitas. 2.38.
Disciplinam secundùm merita distribuat. 2.42.
Ordinem in disciplina seruet. 2.44.
Priùs moneat, deinde castiget. 4.5.
Supplicium temperet lenitate paterna. 2.46.& 47.
Sit in eo misericordia sæuiens, & sæuitia miserans. 2.48.
Contra inquietos durè procedat. 2. 49.& 56.
In mites ostendat se patrem. 2.50.
Negligentes arguat. 2.51.
Peccata non dissimulet. 2.52.
Eius officium difficile. 2.60.
Solicitus sit de profectu spirituali subditorum. 2.64.
Eius onus graue & periculosum. 2. 69.
Illi conuenit agenda decernere etiā contra fratrum consilium. 3.10.
Regulæ in omnibus se debet attemperare. 3.11.

Post Eulogemina, prima numero notat caput Regulæ secundo numerum marginalem

Regulæ obſeruationẽ procuret.3.17.
Ad quamlibet rem conſilia fratrum requirat.3.23.
Non licet eià regulæ monitis declinare.4.220.
Medicus ſit ſpiritualis.7.46.
Semper fuit ordinatus Sacerdos. 7.51.47.6.60.7.
Imitator ſit Chriſti.27.1.& 2.
Solicitus ſit erga excommunicatos. 27.8.
Monachis neceſſaria tribuat. 32. 4. 34.3.
Poteſt conferre licentiam cuilibet Monacho dandi & accipiendi.33. 100.
Attendat ad neceſſitates ſubditorũ, non ad perſonas.34.7.
Illi conuenit nunciare horam operis Dei.47.1.
De omni veſtimento prouideat Monachis.55.19.
Eius menſa ſit cum peregrinis & hoſpitibus.56.1.
Illi ſimul cum fratribus pertinet nouitium ad profeſſionem admittere.58.à numero 31.vſque ad 34.
Ad eius ordinationem ſufficit minor pars Conuentus,dum ſanior iudicetur.64.1.
Secundùm iura maior pars requiritur.64.2.
Sit in imperando diſcretus.64.29.
Laborioſa præcepta non condat. 64.29.
Regulam ſemper meditetur. 64.31.
Si bene gubernauerit, eximia illum remuneratio manet. 64.32.
Vide verb. *Prælatus, Epiſcopus, Magiſter.*

Abnegatio ſui.

Conſiſtit in contemptu ſæcularium. 4.51.
Eſt neceſſaria ad ſequendum Chriſtum.4.52.
Definitur abnegatio. 72.4.
Eſt monitum euangelicum non peruium cuilibet.72.4.
Eximiè remuneratur à Deo.4.53.

Acceptio perſonarum.

Diuinitus cauta.2.30.
A Monaſterio exulet. 2. 33. & 35. & 36.
Fugienda ſemper.34.5.

Actio & paſſio.

In rebus moralibus poteſt eſſe actio bona & paſſio mala,& è conuerſo.4.164.

Adam.

Quare tunica pellicea indutus à Domino.4.67.
Quare illum nuditas fecit à Domino abſcondi.4.68.
Indutus pellibus eſt, vt memor eſſet ſe eſſe mortalem.53.3.
Eius peccatum fuit ſuperbia.69.1.

Adoleſcens.

Amore educandus.4.247.
Illi germana verecundia.2.248.
Senioribus ſit ſubditus, & eorum virtutum imitator.4.249.
Eſt iugi impatiens.4.249.

Adulterare.

Quid ſit,& pro quo ſupponat. 4.22. & 23.
Præcepto non adulterandi prohiberur omnis occaſio excitatiua libidinis.4.24.
Adulterandi crimen valde exitioſum.4.25.

Adulterium.

Quid ſit,& pro quo ſupponat.4.22. & 23.

Alleluia.

Quid significet.9.30.15.4.& 7.
Quare repetitum ad officium nocturnum lugubre.9.31.
Est vox laudis & lætitiæ.15.1.
Quare tam frequenter cantetur inter vtrumque Pascha.15.1.& 4.
Quare abstineat ab illo Ecclesia à Septuagesima vsque ad Pascha. 15.7.

Alphonsius Rex Aragoniæ.

Quater & decies sacram Scripturam cũ glossis legit,& notauit.4.201.
Totam ferè Scripturam memoriter retinebat,& recitabat.4.201.

Amen.

Quare cantatur lecto Euangelio,11.6.quid significet.11.7.

Amor.

Dei, est fontale principium omnis boni.4.214.
Sui,origo omnis mali.4.215.
Dei,est coagulũ perfectionis.4.255.
Beatitudinis, impellit hominem ad seruanda præcepta.5.8.
Nescit dominium,majestatem exuit. 63.9.
Eius encomia.63.9.
Eius signum est aliquem proprio appellare nomine.63.10.
Operatur magna.72.4.

Antiphona.

Quid sit,& quis eius auctor.9.9.

Angelus.

Est pater illorum quos illuminat. tt. 16.
Quare adducẽdus in iudicium Angelus custos.2.14.
Habet liberum arbitrium flexibile ad vtrumlibet ante electionem, non verò post.23.8.
Hominum preces offert Deo.45.1.

Ars.

Eget instrumentis sibi proportionatis ad operandum.4.259.

Artifex.

Monachus humiliter exerceat suam artem.57.1.
Si superbierit auellatur ab ea.ibid.
Eius opera diuendantur in Monasterij subsidium.57.3.
De pretio operum non fraudet Monasterium.57.4.
Illa vendat pretio accommodato. 57.5.

B.

Bacchus.

BAcchvs à vini bibacitate Liber dictus.4.140.

Beatitudo hominis.

Consistit in visione Dei.tt.7.
Est vera vita.Prol.59.
Est status omnium bonorum aggiegatione perfectus.4.172.
Est desideranda à nobis.4.173.
Eius bona non cadunt in cor hominis.4.261.
Eius consideratio vtilissima,ad cauenda peccata.7.14.

Benedictio.

Diuina importat exuberantiam & perennitatem.tt.21.& 22.

Bene

Benedictus Pater.

Singulariter beatus.tt.7.
Vnde tam probè doctus.tt.5.
Vidit in hac vita mortali Deũ. tt.7.
Meritò dictus beatissimus.tt.7.& 8.
Mundo singulariter renũtiauit.tt.9.
Ex stirpe ortus Anicia.tt.8.
Mirè humilis.tt.10.
Pro sancto viuus veneratus.tt.11.
In pauperes beneficus.tt.11.
Prædicator ardens.tt.12.
Cogitationũ cordis inspector. tt.12.
Prophetiæ donatus est munere.tt.13.
Præsciuit diem mortis suæ.tt.14.
In cœlo magna pompa receptus. tt. 14.
Meritò appellatus Monachorum omnium pater.tt.17.
Eius nomen à benedictione deductum.tt.18.
Dei nomine decoratus. tt.18.& 19. & 20.21.23.
Benedicti nomen importat exuberantiam & perennitatem. tt. 21. & 22.
Numquam victus,& victor semper. tt.23.
Glorioſum est illi esse Monachorum Patriarcham.tt.27.
Quare Monachorum Patriarcha dictus.tt.31.& 32.33.34.
Nigrorum Monachorum præcipuè pater.tt.35.
Quare nihil durum præcipiat, cùm ad impossibilia Monachum paratum esse velit.Prol.117.
Abstinuit à censuris & excommunicationibus in Regula.Prol.122.
Diriora præcepta ponere noluit. Prol.124.
Fuit Sacerdos.9.22.
Fuit humillimus.72.2.
Suos Monachos humiles desiderauit.72.3.
Cassianum & Basilium Magistros suorum vult esse Monachorum. 73.6.

Breuitas.

In choro procuranda. 10.2.20.12.
Quare æstiuo tẽpore breuitati consulendum.1.30.

Brutum.

Quomodo intelligatur,quando dicitur orare Deum.20.2.

C.

Cain.

CAIN se à Domino maledictum ostendebat, quodam totius corporis tremore.4.138.

Cantare,Cantica.

Cantandi mos antiquus in Ecclesia. 9.11.
Magnæ frugis est diuinas cantare laudes.9.12.
Quare diuinæ laudes cãtentur. 9.13.
Cãtica sunt antiquiora psalmis.11.3.
Canticum,*Te Deum laudamus*,compositum est ab Ambrosio Episcopo & Augustino recenter baptizato.11.4.

Caro.

Concupiscit aduersus spiritum. 4. 211.
Non potest peccare sine consensu voluntatis.4.213.
Eius desideria non perficiẽda.4.211.

Carnis esus.

Interdictus Monachis à mundi exordio.39.9.

Abstinen

Abstinentia ab illa præstantissima. 10.11.
Esus periculosus. 10.12.
Monachis omnium carnium esum interdixit Diuus Pater. 10.13.

Castigatio.

Corporis est necessaria sequentibus Christum. 4.54.
Est probatio propriæ abnegationis. 4.54.
Castigatio quæ est pœna, est genus misericordiæ. 24.1.26.5.
Debet proportionari culpæ. 24.2.
Debet esse moderata. 64.22.

Castitas.

Est Angelica virtus. 4.227.
Est Angelorum corona. 4.227.
Est affinis laudantibus Deum. 4.228.
Non amata ardenter, citò deperditur. 4.229.

Cellarius.

In eo ornamenta quæ D. Paulus in Episcopo requirit. 31.1.
Munus Cellarij exercuerunt Apostoli. 31.2.
Ad Cellarij munus electi diaconi. 31.2.
Cellarij nomen honorificum. 31.3.
Sit congregationi sicut pater. 31.4.
Multiplex in illo spiritus requiritur. 31.5.
Nihil faciat sine iussione Abbatis. 31.6.
Fratres non contristet. 31.7.
Infirmorum curam habeat. 31.9.
Supellectilia Monasterij quasi vasa altari sacrata conspiciat. 31.10.
Non sit auarus, nec prodigus. 31.11.
Is qui rem non potest, bonum responsum det. 31.12.
Omnibus taxatam portionem porrigat. 31.13.
Illi in maiori congregatione dentur auxiliatores. 31.16.

Charitas.

Perfecta excludit timorem seruilem. Prol. 47.
Est amissibilis ex fragilitate nostra. 4.107.
Lethali crimine amittitur. 4.108.
Retinetur custodiẽdo mandata Dei. 4.109.
Est obedientiæ mater. 7.27.
Eiús encomia. 7.27.
Est mater virtutum omnium. 7.29.
Est perfectissima virtutum. 7.72.
Est comes indiuiduus humilitatis. 7.73.
Nihil sibi indecorum putat. 7.73.

Christus.

Aliquando seriò rogatus non dignatus est respondere, & quare. Prol. 79.
In eius nomĩne salui futuri sumus. Prol. 96.
Quare discipulum à patris funere iussit abstinere. 4.78.
Illi conformatur qui alienus est ab actibus sæculi. 4.86.
Super omnia diligendús. 4.90.
Multimodè in nos beneficus. 4. 91. & 92.
Aliquando maledictionis verba effutiuit. 4.128.
Eius passio determinata à Deo. 4.164.
Tam in remissione, quàm in inflictione pœnæ clemens. 4.171.
Quare dictus petra & lapis offensionis. 4.181.
Eius passio semper in nobis repræsentanda. 7.40.
Mitis in omnes. 27.1.
Quare in pauperibus voluit repræsentari. 53.21.

Christianus.

Paruipendens Prælati doctrinã acerrimas dabit pœnas.2.18.
Christianorum cœtus ad orandum antiquissimus.13.10.
Conformatur Christo quando à sæculo fit alienus.4.86.
Semper in se repræsentare debet passionem Christi.7.40.

Cibus.

Cibos cõdierunt homines insignes. 35.2.
Debet esse mensuratus.39.1.
Est medicamentum viuentium.39.3.
Pro labore aliquando addendum aliquid ad cibum cõmunem.39.7.

Circumstantia.

Temporis ad omnia necessariò attendenda.41.1.
Septem circumstantiæ ad loquendum obseruandæ.7.62.

Cogitatio.

Est peccati origo.4.181.
A principio reiicienda.4.183.
Ad Christum allidenda.4.182.
Solet ab anima expellere Christum. 4.182.
Seniori spirituali patefacienda. 4. 184.7.46.
Humilis potens ad fuganda peccata. 7.16.

Confessio.

Tam sacramentalis,quàm extraiudicialis Monacho necessaria. 7.48.
Pertinet ad gloriam Dei.7.48.
Proficua confitenti.7.49.
Semper fit Deo.7.49.
Sacramẽtalis debet esse humilis.7.50.
Adumbrata in lege veteri.7.50.
Facta à naufrago coram cordato viro in absentia Sacerdotis,est laudabilis.7.50.
Frequentia illius non tam in præcepto,quàm in consilio est.7.51.
Vnde habet ortum confessio quam nos sententias dicimus.7.51.
Publicè prohibetur fieri.47.1.
Est protestatio diuinæ iustitię & misericordiæ.47.2.
Est causa pulchritudinis animę.47.3.
Est gloria Dei in lege veteri sancita.47.4.

Consilium.

Est ad omnia necessarium.3.1.
Est principium operationis certę & securæ.3.2.
Sine illo omnia ruunt.3.3.
Consilia fratrum non sunt Abbati secundùm regulam decisiua. 3.4.
Ad illud non omnes sunt apti.3.5.
Ad consilium vocandi boni, prudentes,& senes.3.5.
Quare omnes ad consilium vocandos iubet D.Pater.3.6.& 7.
Eius obiectum est difficile cognitu. 3.23.

Consiliarij.

Humiliter suam sententiam proferant.3.8.
Secundùm regulam consulant.3.11.
Non propriam sequantur voluntatem,sed rationem.3.12.
Non contentiosè suam defendant sententiam.3.13.
Tenentur verum quod sentiunt,dicere.3.14.
Non tamen proteruè contendant. 3.15.
Debent esse boni, prudentes, & senes.3.5.

Consuetudo.

Laborem iucundum facit.Prol.126.

Est necessarium medium ad virtutes. Prol.127.
Facit quod opus laboriosum delectabile sit. Prol.131.
Cum bonis bonum, cum malis malum facit. 2.71.

Consolari.

Officium proprium Dei. 4.82.
Multis modis consolari contingit. 4.83.
Ad inuicem nos cõsolari debemus. 4.84.& 85.
Aliorum lacrymis consolantur aliqui. 4.84.
Ad consolandum necessaria condolentia. 4.85.

Contentio.

Est contrarietas in loquẽdo, 4.238.
Fugienda omnino. 4.240.
Quæ est contra veritatem, est peccatum in Spiritum sanctum. 4.240.
Frequenter est adiuncta pertinaciæ. 4.239.
Habet matrem inuidiam, 4.239.

Contumax.

Est ille qui contemnit. 23.3.
Admonendus antequam puniatur. 23.9.
Semper est inobediens. 23.12.

Correctio fraterna.

Verbum Christi de illa est præceptum. 23.9.
Primus illius gradus est mitis increpatio. 28.4.
Secundus est verbum Dei. 28.5.
Tertius excõmunicationis adustio. 28.6.
Quartus inflictio vulnerum. 28.7.

Crux.

Inter eam, & lanceam, reliquaque Christi passionis instrumenta discrimen, quantum ad adorationis rationem. 52.2.

Cultus.

Latriæ, duliæ, & hyperduliæ, in quo differant. 14.2.
Eius species tres ob tres sanctitatis differentias. 14.3.

Cura sæcularium.

Infructuosa & plena dolore. 4.87.
Est suffocatiua diuini amoris. 4.87.
Reiicienda ad captandam amicitiam Dei. 4.88.

D.

Decani

QVi sint in Monasterio Decani. 21.1.
In maiori cõgregatione constituendi. 21.2.
Necessarij ad bonum regimen. 21.4.
Eligendi ex his qui virtutibus præstant. 21.5.
Si elati fuerint, remouendi. 21.6.

Defensor.

Imprudens pro hoste habẽdus. 69.1.
Occasionem superbiendi defenso ministrat. 69.1.
Prudens & humilis non taxatur à D. Parente. 69.3.

Deliciæ.

Moderatę non sunt rationi absonæ. 4.57.
Non sunt amandæ. 4.57.

Illas consectari proprium brutorum.4.58.
Anima strangulatur deliciis.4.59.

Desidia.

Facit vt consilia Christi non prosint.43.1.

Desiderium.

Est vox animæ. 52. 5.

Desperatio.

Est grauissimum peccatorum.4.258.
Est descensus in infernum.4.258.

Deus.

Clamat ad populum, vt audiatur. Prol.53.
Quærit inter tot operatios sæculi, operariũ Dei,Prol.54.
Vt explicetur omnis boni fons, verax dicitur.Prol.86.
Omnium bonorum nostrorum author.Prol.97.
Vult omnes homines saluos fieri. Prol.100.
Expectat vt homines conuertantur. 101.
Non tardat sua promissa. Prol.102.
Conditionatè promittit beatitudinem.Prol.103.
Vult vt ab eo necessaria petamus,& quare.Prol.107.
Disponit nobis cõferre aliquid mediis orationibus nostris.Prol.108.
Culpas subditorum per Prelatos punit, Prælatorum verò errata per semetipsum.3.19.
Super omnia diligendus.4.33.
Diligendus ex toto corde, tota anima,& tota virtute.4.4.
Curat multum de infirmis. 4.71.
Derelinquit non tribuendo constantiam.4.162.
Est vbique præsens.17.8.18.2.
Semper considerandus præsens. 4 179.
Eius præsentia multorum causa bonorum.4.180.
Illum amare propter nostram vtilitatẽ,non est inordinatè agere.5.9.
Eius nomen desumptum ab operatione videndi.7.15.
Ex memoria,vel obliuione præsentiæ Dei nostrum bonum,aut malum.7.15.
Est dignus laude, hymno & gloria. 11.9.

Detractio,Detractor.

Est denigratio famæ alicuius.4.155.
Est graue peccatum.4.155.
Detractio & detractor odibiles Deo.4.156.

Diabolus.

Licet non tentaret,peccaret homo. 4.165.
Est pirata fideliũ deprædator. 67.3.
Fugit ab his qui oratione armantur. 67.3.

Dilectio.

Est profusa laudatrix.4.43.
Est complementum legis, & ornamentum virtutis.4.249.
Habita intuitu beatitudinis æternæ est laudabilis.5.9.

Discordes.

Non possunt fieri spirituales.64.8.

Discretio.

Virtutum mater.64.30.

Nulla

Nulla sine discretione virtus.64.30.

Diues.

Reputatur nobiles.39.12.

Doctor.

Vita & doctrina fulgeat.2.22.& 23.
A docendo excluditur qui aliter facit quàm docet.2.25.
Improbus est doctrinæ dedecus.2.26.
Doctorum necessaria doctrina ad intelligentiam sacræ Scripturæ. 9.29.
Doctorum est sacram Scripturam docere 9.29.

Dolus.

Fugiendus.Prol.87.
A corde exterminandus.4.100.
Est origo malorum.4.101.
Est mortale venenum.4.101.

E

Ecclesia.

ECCLESIA quare tabernaculum dicta.Prol.77.
Omnes ad se admittit.2.32.

Elatio,Elatus.

Est amentia mentis.4.241.
Est filia superbiæ.4.241.
Est præcipitium hominum.4.241.
Est mater iactantiæ.4.243.
Elatus dæmonis supplicio cruciatur.4.242.
Est elatus similis stupæ ardenti, & bullæ riuulorum.4.242.
Non patitur aliquem sibi æquari.4.243.
Vt sua eleuet,aliena obruit.4.243.
Est Antichristi progenies.57.1.

Elementum.

Grauitat in loco suo.Prol.133.

Episcopus.

Qualis esse debeat.31.1.
Est idem quod inspiciens.31.3.
Vide verb. *Abbas, Prælatus, Præpositus.*

Euangelium.

Quare ad finem nocturnorum decantetur.11.5.
Est finis & perfectio veteris Testamenti.11.5.
Quare illo lecto respondet chorus, Amen.11.6.
Olim in maturinis decantabatur à Clericis.11.5.

Eucharistia.

Eucharistiæ quotidiana sumptio fuit antiquitus apud nos in vsu. 38.12.

Eulogia.

Sunt parua munuscula charitatis ergo data.54.3.

Excommunicatio.

Illa de qua D. Pater agit cap.23. est Ecclesiastica excommunicatio. 25.26.
Non potest ferri nisi in contumacem.23.11.
Est grauissima pœnarum Ecclesiæ. 23.12.25.4.28.1.
Succedit in locum mortis.23.12.
Ante illam debet admonitio præcedere.23.13.& 14.
Excommunicationis maioris signa. 25.1.
Quibus maior priuat excommunicatio.25.1.& 2.

Est quoddam benedictionis genus. 25.5.
Per illam traditur homo Sathanæ. 25.7.
Apostolorum tempore visibiliter fiebat ista traditio. 25.7.
Minor excommunicatio tantùm priuat participatione passiua Sacramentórum. 25.7. 26.3.
Maior solùm potest incurri propter mortale peccatum. 26.3.
Regularis excommunicatio de qua cap. 24. debet esse secundum modum culpæ. 24.2.
Multa regularis excommunicationis genera. 24.3.
Non priuat assistẽtia in choro. 24.4.
Retardat refectionem excommunicato. 24.5.

Excommunicatus.

Qui hodie excommunicatur, antiquitus necabatur. 23.12.
Maiori innodatus excommunicatione, priuatur omni participatione in sacris. 25.1. & 2.
Illi rescribere licet. 25.2.
Conuenienter rebelles excommunicantur. 25.5.
Traditur Sathanæ. 25.5.
Tempore Apostolos visibiliter tradebatur. 25.7.
Qui illum non vitauerit, excommunicationis sentẽtiam subit. 26.1.
Pro illo possumus orare oratione priuata. 27.6.
Regulari excommúnicatione castigatus, à mensa tantùm excluditur. 24.4.
Quómodo qui illum non vitauérit, eamdem sententiam subit. 26. 4. & 5. & 6.
Si non resipiscit, verberibus affligatur. 28.1.
Si verberibus non emendát, oretur pro eo ab omnibus. 28.8.
Dum satisfacit, ante fores chori prostratus iaceat. 44.1.
Quare tali satisfactioni adigatur. 44.6.

Exemplum.

Maiorum est inferioribus norma viuendi, & regula viua. 7.57.

F.

Fames.

FAME alit Deus famelicos. 2.65.

Ferramenta Monasterij.

Monasterij fideliter custodienda. 32.1.
Seuerè punit Deus, qui sibi sacrata furantur. 32.2.
In codice apud Abbatem sit illorum memoria. 32.4.
Qui illa sordidè tractauerit, puniatur. 32.6.

Fides.

Quare cingulum dicta. Prol. 70.

Fur.

Non potest esse testis. 4.30.

Furtum.

Est vsurpatio rei alienæ. 4.26.
Præcepto non furandi prohibentur omnes illiciti contractus & iniustæ retentiones. 4.27. & 28.

G.

Gaudium.

GAVDIVM est comes bonæ conscientiæ. 7.61.

Gehenna, & Gehennon.

Quid, & quare sic dicta. 4.169.

Gradus.

Gradus.

Monachorum ſint ſecundum conuerſionis ſuæ tempus. 63.1.& 2.
Vitæ meritum ad altiorem gradum promouet.63.3.
Voluntas Abbatis altiorem poteſt Monacho deſignare gradum.63.4.& 5.
Senes iunioribus non præferantur in gradibus.63.5.& 6.

Gratia.

Habitualis ſolet appellari iuſtitia. Prol.85.
Non datur niſi congruè ſe ad illam diſponentibus.Prol.84.
Non diſpoſitio meriti,ſed congruētiæ eſt nobis neceſſaria ad ſalutem.Prol.104.
Petendo à Deo gratiam, noſtram profitemur indigentiā. Prol.107.

Gula.

Parit infinita incommoda.4.141.
Subdit guloſos multis ſuppliciis. 4.142.
Etiamſi ſolùm ſit communis cibi appetentia,execrabilis eſt.4.143.

H.

Hæreſis.

HÆRESIS extrema malitia. 4.39.

Homicidium.

Quot homicidij genera.4.19.

Homo.

Vt dicatur omnis mali fons, dicitur mendax.Prol.86.
Natura ſua propenſus in bonum proximi.Prol.88.
Si crudelis,eſt fera.Prol.88.
Deo referat cūcta quæ habet.4.160.
A Deo habet inchoare bonū.4.161.
A Deo habet vitare malum. 4.162.
Licet diabolus non eſſet, homo peccaret.4.165.
Sibi debet imputare omne peccatum.4.163.
Naturaliter deſiderat eſſe beatus. 4.174.
Illiteratus pecus reputādus eſt.9.28.
Quare non creatus à Deo in paradiſo.48.2.

Honor.

Debetur Deo, Regi, parenti,medico,iuſto,&c.4.40.
Eſt præmium virtutis,& maximum bonum inter naturalia.4.41.
Exhibendus eſt omnibus hominibus, quia homines ſunt.4.42.
Secundum qualitatem perſonæ exhibendus.53.7.

Hoſpes.

Quare tāquam Chriſtus ſuſcipiendus.53.4.& 5.& 19.& 20.
Sine diſcrimine recipiendi.53.7.
In illius occurſum feſtinandum eſt. 53.9.
Oret priuſquàm ad pacis oſculum admittatur.53.10.
Illi pacis oſculum offerre antiquum eſt.53.11.
Inclinato corpore ſuſcipiendus. 53.22.
Quare priuſquàm admittatur,iubetur duci ad oratorium.53.13.
Miniſtrentur ei omnia humanitatis ſigna.53.15.
Aqua detur in manibus corū. 53.17.
Ei lauentur pedes.53.18.
Hoſpitibus deputetur particularis coquina.53.23.
Domicilium & frater hoſpitarius ei deputentur.53.25.
Eſt mēſę ſuperioris ornamentū.56.1.

Hoſpitalitas.

Eſt ſignum Chriſtianitatis.53.1.

Olim

Olim à Christianis maximè culta. 53.1.
Pachomium Christianum fecit.53.1.
A Christo maximè commendata. 53.2.
Est virtus diuina.53.3.
Est Patriarcharum character. 53.5.
Est feracissima radix posteritatis. 53.6.
Ducit ad cognitionem Dei, & à morte liberat.56.2.

Horæ canonicæ.

Horæ canonicæ aliquibus videntur octo.16.1.
Aliis videntur septem.16.1.
Qua oratione finiendæ secundum regulam.13.9.
Quare ad horas diei tres tantùm dicendi psalmi.17.21.
In maiori congregatione tantùm cum antiphonis cantandæ. 17.5.
Illarum summa antiquitas.17.6.
Quid vnaquæque significet.47.1.
Non anteponendæ vel postponendæ.47.3.
Consultiùs anteponuntur, quàm postponuntur.47.4.
Ipsæ secum præfixam referunt horam.47.5.
Prætermitti possunt, dum grauis aliqua & diuturna ingruit occupatio.50.1.
Extra chorum recitandæ sunt flexis genibus.50.1.

Humilis.

Quo magis proficit, eo magis indignum se deprehendit.7.55.
Humilis sit quicumque religiosus. 57.2.
Habet pro magistro Deum. 64.18.

Humilitas.

Propendens in abiectionem, exaltationem parit.7.1.
Non est ab ea alienum dona sibi à Deo collata referre.7.5.
Est via ad exaltationem.7.7.
Adumbrata fuit in scala Iacob. 7.8.
Duodecim eius gradus. 7.à num.9.
Est vera sapientia.7.9.
Non potest esse in Deo.7.10.
Est fundamentum sanctitatis. 7.11.
Illius effectus & finis charitas.7.72.
Intimo cordis affectu procuranda. 7.56.
Consistit in constantia animi.7.70.
Quantumuis maxima non nocet. 7.70.
Est materia & occasio humilitatis, peccati consideratio.7.71.
Est comes indiuidua charitatis. 7. 73.
Est scala per quam itur ad Deum. 7.74.
Est veræ resipiscentiæ signum.29.4.
Homines Deo commendat.64.19.

Hymnus.

Quare dictus Ambrosianus.9.14.
Antiquissimus in Ecclesia.9.15.
Quid sit hymnus.9.16.11.4.& 8.
Quid differat inter hymnum, laudem,& gloriam.11.9.

Hypocrita.

Est quisquis videri vult, quod non est.4.221.
Habet pro fine actionum suarum humanam laudem.4.221.

I.

Ieiunium.

IEIVNIVM amandum est.4.60.
Est telum contra tentationes. 4. 60.

Illius amor inter ipsas epulas commendabilis.4.61.
Importat abstinentiã à vitiis.62.63.
Ad omnem virtutẽ aptissimũ. 40.4.
Adquirit indulgentiam peccatorum.40.4.
Non ieiunandum à Sancto Pascha vsque ad Pentecostem.41.3.
Quarta & sexta feria ieiunandum secundum regulam, à Pentecoste vsque ad Idus Septembris.41.4.
Refectionis horam retardat vsque ad nonam.41.4.
Regulare ieiunium ab Idibus Septembris.41.5.
In Quadragesima non reficiendum vsque ad vesperam.41.6.

Impœnitentia.

Peccatum quod non habet veniam. 2.3.

Impossibile.

Quo sensu præcipiatur à D. Patre nostro.Prol.120.

Improbus.

Bonorum aspectu marcet.73.10.
Vide verb.*peccator.*

Impunitas.

Est ad peccatum illecebra.2.53.
Nouerca virtutum, & tinea sanctitatis.43.4.

Infernus.

Eius ignis timendus.41.69.
Vide verb.*gehenna.*

Infirmus.

Illum visitare est misericordię opus. 4.70.
Qui illum visitat, illius dolorem mitigat.4.70.
Qui illius infirmitati condolet,eius procurat salutem.4.71.
Alleuiatur amicorum aspectu.4.73.
Illius habenda cura ante omnia.36. 1.& 2.
Deus ipse illius stratum versat.36.3.
In ipso visitatur Christus.36.4.
Non sit fastidiosus.36.6.
Si fastidierit,portandus est.36.7.
Illi constituatur sedulus infirmarius. 36.9.
Rarò concedatur illi balneorum vsus.36.8.

Iniuria.

Illam inferre est species feritatis. 4. 119.
Iniuria affectus victor, & illam inferens victus cuadit.4.122.

Inimicus.

Illum naturaliter fugiunt omnia.4. 123.
Illum diligere, est opus supra naturam.4.123.& 124.
Ad illum diligendum est necessaria gratia Dei.4.124.
Est nobis causa meriti. 4. 125. & 127.
Est occasio probitatis.4.126.
Pro illo orandum.4.150.
Illi desideranda pœnitentia. 4.251.
Magno nobis est commodo.4.255.
Cum illo paciscendum.4.255.

Inobedientia.

Quo sensu dicatur idololatria. 5.2.
Illicò castiganda.23.4.

Instrumentum.

Boni operis est ipsum opus bonum, & quare.4.1.

Est quid directiuum operis.4.159.

Inuidia.

Est fœcunda pernicies.4.233.
Est mater odij, & contra rationem semper.4.233.
Deo bellum indicit.4.233.
Suum cruciat authorem.4.236.
Est vipera inuidi, & crudele tormentum.4.236.
Eius epitheta.4.236.
Est dolor de proximi prosperitate. 4.237.

Inuidus.

Inuidia cruciatur.4.236.
Semper est tristis.4.236.
Est infœlix alienis bonis.4.237.

Ira.

Suapte natura indifferens,vt sit bona & mala.4.93.
Bona ira risui præferenda.4.93.
Mala ira est domesticus dæmon.4. 93.
Nomine iræ mala ira intelligitur. 4.94.
Eam detestantur omnes.4.95.
Quare non datur monitum de non contrahenda ira,sed de non perficienda.4.96.
Est breuis insania.4.98.
Ab initio compescenda.4.99.
Perdit sapientes.25.3.
Omnes ætates adoritur,25.4.
Simultates conciliat.25.4.

Iracundia.

In quo differt ab ira.4.97.
Est habituale malum.4.98.
Est ira truculenta.4.98.
Est multorum malorũ origo. 4.99.

Iudæus.

In qualiber religione vitandus. 2. 32.
Octies laudabant Deum Iudæi,quater nocte,& quater die.16.1.

Iudicium Dei.

Districtissimum erit.2.10.
Semper timendum.4.166.& 167.
Sanctis ipsis horrendum.4.168.
Non illud timere est pœna peccati. 4.169.
Illud timere est bonum omen. 4. 169.

Iudicium hominis.

Intantum bonum, inquantum procedit ad illud authoritate diuina. 70.1.
Debet constare auctoritate publica, iusta causa,& iuris ordine. 70.1.

Iugum Christi.

Suaue exercitatis.Prol.129.

Iuramentum.

Licitum est factum cum debitis circumstantiis.4.110.& 111.
Cauenda consuetudo iurandi.4.111.
Omne improbum iuramentum dicitur periurium.4.111.
Est fideiussor veritatis.4.114.
Assiduè iurare periculosum est. 4. 115.

Iustitia.

Legalis est vinculum pacis.Prol.64.
Supponit pro omni opere bono. Prol.82.
Supponit pro gratia.Prol.83.
Pro quibus in sacra pagina stat.2.8.

Iuuenis.

Senioribus subsit.63.8.
Eos domnos vocet.63.11.
Petat benedictionem à maioribus. 63.13.& 14.

L.

Labor.

LABOR manuum hominineces-sarius.48.2.
Sine labore nulla virtus.48.1.
Necessarius ad vitæ sustentationem. 48.3.
Et ad elargiendam eleemosynam. 48.4.
Lasciuiam cohibet.48.5.
Otium fugat.48.6.
Est medicina infirmitatum animæ. 48.7.
Labor manuum solùm cadit sub præcepto,quando necessarius est ad vitæ sustentationem.48.8.
Est perpetua laus Dei.48.10.& 11.

Lacrymæ.

Sunt panes orantium.4.205.
Sunt tacitæ ad Deum preces efficaciores vocibus.4.205.
Comites sunt pœnitentiæ.4.205.
Lauant peccata.4.206.
Sunt vniuersalis reconciliatio cum Deo & hominibus.4.207.
Sanant languores animæ.4.207.

Laus diuina.

Ad ipsam Deus debet os nostrum aperire.9.3.
Quid sit.11.9.

Lectio.

Ad multa proficua.4.119.
Aufert à corde anxietatem, & confert illi voluptatem.4.200.
Antequam legatur in choro, petit lector benedictionem.9.22.
Ante illam quare oratio Dominica præmittatur.9.22.
Quare legitur sedentibus cunctis. 9.23.
Lectionum in choro vsus antiquissimus.9.23.
Lectio Scripturæ est gloriæ prægustatio.9.27.
Est omnium bonorum aggregatio. 9.28.
Angelorum esca dicitur.9.28.
In mensa fratrum semper habenda. 38.1.
Quæ legitur dum in mensa sunt fratres.38.2.&3.
Est lectio telum expugnatiuum diaboli.48.11.

Lector.

Refectorij quare tam ingenti benedictione munitus procedere debet ad legendum.38.5.&6.&7.
Lectionem præuisam habeat.38. 10.
Quare illi permittatur aliquid edere antequam ad legendum procedat.38.12.&13.
Non per ordinem eligatur lector, sed qui ædificare possit.38.15.

Legislator.

Non est illi liberum sub mortali aut veniali obligare, sed tantùm ferre leges quæ ratione materiæ sic, vel aliter obligabunt. 5.18.

Lenitas.

Necessaria præceptori ad allicien-dos discipulos.Prol.124.

Lex.

Diuina effectus diuinæ bonitatis. Prol.68.
Animum & manum prohibet.4.35. & 36.
Legis humanæ seruare tenorem aliquando est contra æqualitatem iustitiæ.3.17.
Non animum, sed manum prohibet.4.35.
Etiamsi pro se rationem non assignet, præsumenda est in ratione fundata.51.6.

Lingua.

Librat cuique sortem suam. Prol. 56.Frænanda est.7.58.& 59.

Loquacitas.

Imprudentiæ filia.4.190.
Est plaga insanabilis.4.191.
Ex illa multa nascuntur incommoda.6.1.
Est mater vitiorum.6.5.
Est fœcunda malorum genitrix.6.8.
Multiplex peccatum illi annexum. ibid.

Loquax.

Periculosus,odiosus, & ridiculus.4. 191.
Non qui multum loquitur, sed qui multum loqui desiderat.4.192.

Ludus.

Coalescit exercitio, delectatione & metu.Prol.113.

M.

Magister.

MAGISTER rigidus sit.2.47.
Discipuli mores cõponat.58.5
Nouitiorum magister sit senex.58.6.

Maledicus.

Omnibus odiosus.Prol.55.
Non remaledicendus.4.127.

Maledicentia.

Fugienda tamquam odiosa.Prol.55.
Illam fugere est porta ad vitam beatam.Prol.59.
Repugnat charitati.4.129.
Peccatum mortale ex genere.4.129.
Facta zelo iustitiæ bona, zelo vindictæ mala.4.130.

Malum.

Illud declinare est scientia Dei. Prol.60.
Dei adiutorio possumus scire declinare illud.Prol.61.
Priùs declinandum,quàm inchoandum bonum.Prol.62.
Necessariò declinandum ad ingressum regni cœlorum. Prol.80.& 81.

Mansuetudo.

Facit hominem insuperabilem. 4. 118.

Matutinum.

Antiquissimum.8.11.
In laudem resurrectionis Christi cantatur.8.11.
Est tempus opportunum ad laudandum Deum.8.12.
Quare appelletur absolutè laus. 12.1.
In ipso laudatur misericordia Dei. 12.1.& 3.
Omnia quæ cantantur in ipso per totam hebdomadam,laudem Dei sonant.13.à num.2.

Maria Virgo.

Illi magnum est nuncupari beatam. tt.6.
Appellatur ab Ecclesia beatissima. tt.15.
Quare ipsa se appellauit beatam. tt. 15.
Totum diem in oratione & contemplatione consumebat. 4.201.
Ad quid Altissimi virtute obumbrata. 4.223.
Pauca, sapientissima tamen verba loquuta. 6.3.
Appellatur Christifera. 7.53.

Martyr.

Est qui patitur persecutionem propter iustitiam. 4.132.

Mendacium.

Est insigne improbitatis. Prol. 86.
Est vitium diabolicum. 4.39.
Indignum venia. 4.39.

Meritum.

Tantùm potest contingere in vita mortali. Prol. 110.

Milites.

Augustiores dantur illis leges. 63.1.
Olim rescisa barba incedebant. 63.1.
Illis non minus necessarius ordo quàm robur. 63.1.

Misericordia.

Vili emit regnum cælorum. 4.64.
Est ægritudo animi ob alienam miseriam. 4.60.
Misericordia diuina maximè monstratur in reducendis peccatoribus. 4.257.
Est prima Christi lectio. 64.18.

Monachatus.

Est ludus constans exercitio, delectatione, & metu. Prol. 114.
Ad illum omnes æqualiter admittendi. 2.31.
Laudatur à Patribus. 1.2.

Monachus.

Anachoreta est idem quod Heremita. 1.8.
Commendatur à Cassiano. 1.8.
Eius vita nouitiis periculosa. 1.9.
Exercitatis est secura. 1.10.
Eius vitę authores Helias, Helisęus, & Baptista. 1.10.
Sarabayta, est sophista cucullatus. 1.12.
Mentitur Deo. 1.12.
Gyrouagus, est infame genus. 1.14.
Est effrenis. 1.17.
Est indisciplinabilis. 1.17.
Cœnobita præcipuè Monachus. 1.5.
Cœnobitarum exordium à temporibus Apostolorum. 1.5.
Cœnobitæ bona & laudes. 1. 5. 6. & 7.
Si vota non seruat, Sarabayta est. 1.13.
Illi est pro encomio fortitudo. 1.18. & 19.
Familiaritates inter Monachos fugiat. 2.39.
Vocatus ad consiliũ humiliter suam sententiam proferat. 3.8.
Cœnobita in quibus debeat exerciteri. 4.56.
Illius præceptores diuinis appellationibus decorantur. tt.19.
In Ecclesia Monachorum ordo præcellens. tt.27.
Currat viam mãdatorum Dei. Prol. 50.

Illius pugna contra diabolum,& de eo illius victoria.Prol.94.
Cogitatus suos allidat ad Christum. Prol.95.
Eius vita continua crux. Prol.134.
Est iuge martyrium.Prol.135.7.40.
Bonorum illius officina est cella. 1. 16.
Quatuor genera Monachorum.1.2.
Antiqui Monachi habuerunt regulam.1.4.
Monachus murmurator Christum tentat.4.153.
Celet opera mala Prælati. 4.153.
Linguam frænet.4.189.
Obediat Superiori, etiãsi Superior factis repugnet imperiis.4.218.& 219.
Nomen Sancti à se repellat.4.222.
Illum tangunt Angelica munia. 4.228.
Sit castus.4.227.
Promptè obediat.5.10.& 25.
Se ipsum neget, vt sequatur Christum.5.26.
Tutius est illi obedire,quàm bona à se electa exequi. 5.27.
Rarò concedatur illi loquendi facultas.6.7.
Ad necessaria detur illi fandi licentia.6.9.
Et si non conceditur, repetenda est & sumenda. 6.10.
Scurrilia verba detestetur.6.11.& 12.
Aliquãdo licet illi facetè loqui.6.12.
Obediat Prælato præter regulam præcipienti.7.31.
Ex vi voti obedientiæ non transfert voluntatem suam in Prælati voluntatem. 7.33.
Tenetur ad obseruantiam trium votorum,quantumcumque relaxata sit.7.35.
Non tenetur ad obseruãtiam rerum quas non in viridi inuenit obseruatione.7.35.
Tenetur seruare præcepta Capituli maiorem obseruantiam statuentis.7.37.
Est perpetua naturæ violentia.7.39.
Fugiat singularitatem. 7.57.
Ad singula facienda adiutorio Dei se muniat.7.92.
Vestitus dormiat.22.12.
Cultellum ad dormiendum deponat.22.11.
In lecto & sepulchro retineat habitum.22.10.
Est organum Spiritus sancti. 27.1.
Incorrigibilis repellatur è Monasterio.28.9.
Resipiscens admittẽdus est post electionem.29.1.
Post tertiam receptionem repellatur numquam admittendus.29.6.
Factus Episcopus habet ius ad redditus Episcopatus.33.55.
Factus Episcopus eximitur à regula monachatus.33.56.
De licentia Prælati potest accipere & retinere.33.95.
Monachus retineus & expẽdẽs de licentia quam Prælatus dare non potuit,peccat,sed non est excommunicatus.33.99.
Sine licentia expressa, vel præsumpta non potest accipere,aut retinere aliquid.33.115.
Seruiat omnibus.35.1.& 2.
Modestus sit.47.7.
Vrbes fugiat.49.1.
Parum dormiat.49.2.
Multum oret.49.3.
Ad plura bona tenetur quàm laicus. 49.4.
Non sumat extra Monasterium cibum.51.1.2.& 3.
Non recipiat literas sine iussione Abbatis.54.1.
Antiquitus intra Monasterium non amiciebatur femoralibus.55.16.
Extra Monasterium exeuntes meliori

liori inducbantur amictu.55.17.
Olim non fiebant Sacerdotes.60.3.
A sæcularibus Sacerdotibus gubernabantur.60.3.
E via venientes cunctorum prouoluebantur pedibus.67.3.
Non dicat fratribus quæ extra Monasterium vidit.67.4.
Si illi impossibilia iniungantur,obediat.68.3.
Non præsumat alterum defendere.69.1.
Nullum è fratribus lædat aut excommunicet.70.1.
Irato Abbati cito citiùs reconcilietur.71.6.
Timeat Deum.72.6.
Abbatem diligat.72.7.

Monasterium.

Est cẽtrum Monachi. Prol.132.51.2.
Est lectus floridus sponsæ.Prol.132.
Monasterij & sæculi vitæ antithesis.Prol.132.4.262.
Est gymnasium perfectionis.2.62.
Habet nunc ius eiiciendi Monachos & Moniales, de quorum contubernio timetur periculum contagionis.28.12.
Idem est Monachis quod piscibus aqua.51.2.

Monialis.

Tenetur ad officium diuinũ. 19.22.
De licentia Superioris potest habere fructum alicuius rei.33.23.

Mors.

Appellatur tenebra.Prol.52.
Eius memoria aduersum peccata multũ prodest.2.20.4.176.&177.
Quid sit vmbra mortis.2.20.
Ante oculos habenda.4.175.
Tota vita est addiscẽda mors.4.176.

Mortificatio.

Est mors pro tota vita.7.39.
Est filia obedientiæ.7.39.

Moyses.

Dedit annulum vxori suæ,quo obliuiscereturpatriæ parentúmque suorum.54.2.

Mundus.

Bona promittit, & mala donat. 4.105.
Periculosior blandus quàm molestus.4.105.
Est turbulentum mare.67.1.

Munera.

Non recipienda à Monacho sine iussione Abbatis.54.3.

Murmurator.

Grauiter punitur à Deo.4.151.
A serpentibus quare exterminatus.4.151.
in Maria lepra percussa adumbratur.4.152.
Blasphemo proximus.4.153.

Murmuratio.

De malo est opus syndresis. 4.152.
Est querimonia insolens.4.153.
Vile peccatum.23.5.
Est principium hæresis.34.8.

Natura humana.

Non habet ex se vires ad id quod requiritur ad salutem animæ. Prol. 105.

Nazarei.

Abstinebant à vino.40.6.

Necessitas.

Illam videre, est subuentionis connaturale principium.4.72.

Negligens.

Seuerè puniendus. 2.51.
Omnia cóntemnit. 2.52.

Nobilitas.

Non curat de ipsa religio Christiana.2.34.
Non discernit inter Monachos. 2. 35.36.& 37.
Non pugnat cum paupertate.59.1.
In Monacho neque requiritur, neque excluditur.59.3.

Nobilis.

Ob generis claritatem alij non præponendus in Monasterio.2.34.

Nocturnæ vigiliæ.

Antiquæ & laudandæ.8.2.
Sumpsere exordium à tẽpore Apostolorum.8.3.
Nostræ Benedictinæ post factam digestionem.8.5.
Qua noctis hora agendæ secundùm regulam.8.6.
Media nocte agebantur antiquitus. 8.9.
Quo ordine agendæ.9.1.
Qua ratione institutæ. 9.5.
Quare ad illas duodecim psalmi recitandi.10.1.

Nomen.

A Deo positũ,bona portendit.11.24.
Vnum diuersis solet attribui,alij honoris,alij infamiæ causa.11.25.

Nouitius.

Non tenetur ad officium diuinum. 19.24.
Antequam eligatur,probãdus.58.2.
Difficulter ei concedatur ingressus. 58.3.
Paulatim in Conuentum introducendus.58.4.& 27.
Constituatur illi Magister.58.3.
Imbuatur præceptis Angelicæ perfectionis.58.6.
Probetur per integrum annum. 58. 8.& 19.
Iste annus sit continuus.58.12.
Qui ante ætatem professus, si intra quinquennium non reclamauerit,verè professus est.58.15.
Legatur illi regula ter intra annum. 58.17.
Non opus vt tria vota expressè promittat, sed sufficit vt implicitè promat.58.22.
Elapso probationis anno potest cõpelli ad professionem emittendam.58.23.
In professione exprimat nomẽ Sanctorum quibus se cõmendat. 58.28.
Similiter nomen Abbatis.58.29.
Non opus vt manu propria professionem scribat.58.35.
Professio tamen scripto debet fieri. 58.35.
In Oratorio professionem emittat. 58.36.
Modus quo debet profiteri. 38. 37.
Antiquitus non amiciebantur habitu monachali.58.40.
Pro illorum susceptione nihil recipiendum.59.11.

Nox.

Est reformatio vitium à diurno labore.8.1.

In

In ipsius medio Angelus percussit Ægyptum.8.2.
A veteribus in quatuor partita vigilias.8.3.
Eius octaua hora qualis sit apud Benedictum Patrem.8.6.

Nuditas.

Nuditas est dedecus nudi.4.67.
Est erubescentiæ causa.4.68.

Numerus.

Ternarius in vtraque pagina celebris.17.2.
Quid ternarius portendat.17.2.
Ad laudem Dei multum aptus.17.2.
Quaternarius significat potentiam. 17.3.
Est symbolum beatitudinis.17.3.

O.

Obedientia.

MONACHALIS non opponitur libertati Christianæ. Prol. 121.
Constituit filium subditum respectu Superioris.4.218.
Est perfectissima humilitas.5.1.& 2.
Adiuuatur à timore, voto, & spe. 5. 4.
In Monacho potest esse actus religionis.5.24.
Statim adimplenda.5.25.
Eius conditiones, vt non sit trepida, non tepida, non tarda, sine murmure, sine responsione.5.28.
Deo acceptabilis est, & grata hominibus.5.29.
Grande obedientiæ bonum. 5.30.
Est filia charitatis.7.28.
Monachalis quo sensu dicatur vniuersalis & quoad omnia. 7.33.
Fraternalis est commune ornamentum. 71.1.
Extenditur ad limites charitatis.71.2.
Habet ordinem sicut charitas. 71.3.
Primò respicit Prælatum, deinde inferiores.71.4.

Otiositas.

Omnium malorum radix.48.1.& 6.
Incentiuum luxuriæ.48.6.

Odium.

Perfectum quale sit.4.13.
Odium Dei est grauissimum peccatum.4.230.
Habet per se intentam auersionem à Deo.4.230.
Odiū proximi dicitur homicidium. 4.230.
Est origo omnium peccatorū contra proximum.4.230.
Est diabolicum peccatum.4.231.
Odium mali est maximè honestum. 4.231.
Odio habendus est peccator quatenus talis. 4.232.

Officium diuinum.

Illi assistit præcipuè Deus. 18. 3. & 4.
Ibi cum magna reuerentia assistendum.18.5.
Cum cordis attentione persoluendum.18.5.& 6.
Non tenētur ad illud Monachi quatenus ad sibi essentialia. 19. 17. bene tamē quatenus addicti choro.19.18.
Ad illud tenentur fugitiui Monachi:19.19.
Conuersi laici non tenentur ad illud.19.20.
Vt obliget sub mortali, religioso, nō constituto in sacris, necesse est

vigere forte, aut virtuale præceptum recitandi. 9.24.
Apud nos sub mortali tenentur ad illud Monachi. 19.33.
Omnes Religiosi choro addicti, apud quos non claret negatio de præcepto recitandi, tenentur sub mortali ad recitandum officium diuinum. 19.34.
Integrum officium recitandum est. 19.35.
Ad illud cùm festinatione accurrendum. 43.3.

Opus.

Bonum necessarium ad consequendam salutem. Prol. 72. 8. 20.
Vocatur iustitia. Prol. 82.
Quodlibet opus bonum est oratio. 20.8.

Os.

Custodiendum à prauo eloquio. 4. 187.
In custodiendo illo nostrum bonum consistit. 4. 187.
In non custodiendo extat exitium proximi. 4. 188.

Ostiarius Monasterij.

Sit senex sapiens. 66. 1.
Excubet ad ianuam. 66. 2.
Intrãti cuilibet det benedictionem. 66. 4.
Ei detur adiutor. 66. 5.
Ostiarij antiqui ligabantur ad ianuam. 66. 3.

Oratio.

Sine intermissione qualis sit. Prol. 67.
Illi frequenter incumbendũ. 4. 202.
Ex illa multa commoda aucupantur. 4. 203. & 204.
Pro inimicis habenda. 4. 250.
Non semper est de præcepto oratio pro inimicis. 4. 250.
Quare fiat stando inter vtrumque Pascha. 15. 1.
Ad orandum Deum opus est fide, qua Deus credatur præsens vbique. 18. 2.
Est sacrificium oblatum Deo, honor Dei, & cum Deo loquutio. 18. 3.
Est accessus ad Deum. 18. 3.
Ad illam vox ménsque concordare debent. 18. 6.
Est eleuatio mentis ad Deum. 20. 1.
Ad ipsam est necessarium accedere reuerenter. 20. 2.
Est actus rationis ad superioré. 20. 2.
Humilitas & puritas ad eius efficaciam necessariæ. 20. 3.
Paucis cõprehendenda verbis. 20. 6.
Quomodo in illa breuitas procuranda. 20. 7.
Quælibet bona opera orationes sunt. 20. 8.
Ab illa non cessandum. 20. 10.
Vincit inimicum quantumcumque effrenem. 28. 8.
Contentualis efficacissima. 50. 4.
Fugat dæmones. 67. 3.

Oratio Dominica.

In illa comprehẽduntur omnia quæ desiderare potest Christianus, & eo ordine quo desiderare debet. 13. 13. & 14.
Est legitima Christianorum oratio. 13. 14.
Eius author Christus. 13. 14.
Delet venialia peccata. 13. 15.
Quare ad vesperas & laudes voce intelligibili recitanda. 13. 15.

Oratio quæ collecta dicitur.

Quando cœperit Ecclesia vti illa in canonicis horis. 13. 9.

Oratorium.

Ad illud reuerenter accedendū. 45. 1.
In illo sociantur homines & Angeli. 45. 1.
In illo sapienter psallendum. 45. 2.
Qui in illo fallitur, ibi satisfaciat. 45. 3.
Non cantet ibi nisi qui ædificare possit. 47. 6.
Nulla præter orationem opera agātur in ipso. 52. 1.
Solius Dei vox audiēda in ipso. 52. 3.
Non clamorosè orandum. 52. 5.
Soli orationi vacandum in illo, & finita oratione recedēdum. 52. 6.

P.

Patientia.

IN iniuriis quomodo habenda sit. 7. 43. & 44.

Pater.

Eius nomen honorificum. tt. 16.
Dicitur analogicè de Deo & creaturis. tt. 16.
Tantùm inuenitur in viuentibus & cognoscentibus. tt. 16.
Pater dicitur & qui generat, & qui illuminat aliquem. tt. 17.
Blandè tractet filium. 2. 3.
Filio debet necessaria conferre. 2. 4.
Mitissimus filio sit. 2. 48.

Pauper.

Fouendus benignè est. 4. 64.
Illum cibare, exhilarare est. 4. 65.
Illum occidit, qui famem patiētem non pascit. 4. 66.
Illi præbendum vestimentum. 4. 67.
Qui nudum pauperem non vestit, sibi contumelioſus est. 4. 69.

Paupertas monastica.

Monastica omne proprium excludit. 33. 1.
Excludit voluntatem habendi. 33. 2.
Omnia communia habet. 33. 6.

Paupertas voluntaria.

Est via ad perfectionem Apostolicam. 33. 75.
Est Religionis murus. 58. 38.

Pax.

Definitur ex Augustino. Prol. 69.
Eius encomia ex Nazianzeno. Prol. 69.
Pax vera est bonum naturæ. 4. 103. & 104.
Pax falsa omne malum, & omnis mali fons. 4. 105. & 106.

Peccator.

Indignus est honore. 4. 41. & 46.
Quātumuis peccatis grauatus, spem suam in Deo reponat. 4. 258.
Resipiscens debet recipi ad consortium fidelium. 29. 1. & 2.

Peccatum.

Appellatur macula. Prol. 80.
Lacrymis lauandum est. 4. 205.
Vincitur ab eo qui fugit illud. 4. 229.
Æquali satisfactione resarciendum. 44. 1.
Remisso peccato non condonatur pœna. 44. 2.
Ad diuinam clementiam pertinet, peccatum non nisi satisfactione condonare. 44. 5.
Publicum publicè castigandū. 70. 2.

Peregrinus.

Monachus de Monasterio noto non

admittatur in Monasterio sine licentia Abbatis sui.61.2.
Si morigerus fuerit, concedatur ei habitare in Monasterio. 61.3.& 6.& 7.& 9.
Monachus perpete peregrinus vitandus.61.1.& 5.& 8.
Sine licentia veniens, Abbati reuocetur suo.61.10.

Persecutio.

Illi annexa est promissio regni cælorum.4.131.
Facit homines glorioſos. 4.132.

Perseuerantia.

Est filia delectationis. Prol.131.
Est necessaria ad omne bonum. 4. 263.7.38.
Est argumentum compositæ mentis 4.263.

Pietas.

Facit propriam alienam tribulationem.4.81.

Piger.

Omnibus odiosus.4.149.
Arrogans in omnibus.4.149.
Negligit superna.4.150.

Pigritia.

Est res miserrima.4.148.
Est valde probrosa. 4.149.
Est vmbra mortis.4.150.

Pontifex.

Romanus potest dispensare in voto solemni.35.58.
Etiamsi impossibilia iniungat, obtemperare debemus.68.6.& 7.

Potus.

Non potest omnibus vna eadémque potus assignari mensura.40.3.

Pœnitentia.

Quomodo agenda.4.206.
Lacrymosa vberrimos pro vtraque vita fructus parit.4.207.
Illi essentiale est propositum de cætero non peccandi.4.208.

Præceptum.

Præceptum Dei qua ratione leue dicatur.Prol.117.& cap.4.124.
Quod præceptum obliget sub mortali.Prol.122.
Præceptum de diligendo Deo, quomodo intelligatur.4.3.& 56.
Transcendit omnia præcepta.4.7.
Præcepti difficultas redundat in obseruatoris meritum.4.125.
Opere complendum omne præceptum.4.224.& 260.
Toties quoties occurrit, complendum est.4.226.
Non obligat sub mortali, nisi materia grauis sit.5.12.& 15.& 17.
Eius materiæ grauitas non solùm ex arduitate, sed etiã ex præcipientis fine pensanda est.5.12.& 13.
De ratione pręcepti est obligare iuxtą suæ materiæ mensuram.5.18.
Diuersa præcepta circa eandem materiam diuersas aliquando obligationes inducunt.5.20.& 22.
Præcepti humani violatio non est propriè inobedientia.5.21.
Præceptum de impossibilibus, curãdum est ad opus vsque perducere.68.5.& 6.

Prælatus.

Dissimulans peccata, iniquitatem alit.2.53.& 54.

Illi

Illi est annexa subditorum cura.2. 58.& 59.
Priùs sciat obedire quàm iubere. 2.60.
Eius officium difficile & laboriosum.2.60.& 61.
Aliorum commodis inuigilet.2.60. 64.10.
Improbus aliquando bona docet.4. 219.
Obedientia debetur illi,etiamsi mala agat.4.218.
Monstruosum est, illum aliud facere ab eo quod docet.4.220.
Illi obedire, est Christum amare. 5.3.
Religiosus non potest præcipere aliud ab eo quod in regula continetur.7.31.& 32.
Habeat coadiutòres ad diuersa munia.21.3.
Christum procuret imitari.27.1.
Pietatis sit magister.27.4.
Terrenus est Deus.27.4.
Subditos consoletur, & castiget. 27.4.
Dolore commoueatur super subditi mala.27.5.& 6.
Non potest subdito conferre maiorem quàm ipse habet potestatem. 33.96.
Dans licentiam iniustam peccat.33. 98.
Eius munus Angelicis humeris formidandum.64.10.
Prodesse desideret.64.12.
Pro subditis reddet rationem Deo. 64.11.
Sapiens sit.64.13.& 14.
Castus existat.64.15.
Sobrius appareat.64.17.
Misericordiam sectetur.64.18.
Humilitatem colat.64.19.
In iudicando misericordiam affectet.64.20.
Clementiam amet.64.23.
Studeat plus amari quàm timeri. 64.25.
Nulli vultum tristem ostendat.64. 26.
Non sit zelotypus.64.28.
Qualiscumque sit, à subditis diligendus.72.7.

Præpositus.

Omnino sit subditus Abbati.65.1.
Antiquitus creabatur suffragiis Monachorum.65.3.
Eius creatio à solo nunc pendet Abbate.65.4.
Excusetur in Monasterio, si possibile est.65.5.
Si elatus fuerit,deponatur.65.6.
Illi necessaria sunt omnia ornamenta quæ Abbati congruunt. 65.7.

Proprietas.

Proprietas in aliqua re est idem quod ius, siue dominium in illa. 33.16.
Proprietas multiplex.33.17.
Eius abdicatio fuit ab initio intrinseca monachatui.33.27.
Pugnat cum paupertatis voto. 33. 32.
Est de essentia monachatus, omnimoda proprietatis abdicatio. 33. 50.& 56.
Seuerè punitur in Monachis.33.52.

Proprietarius.

Insimulatur furti.33.35.
Æquiparatur in furto Iudæ proditori.33.36.
Seuerè punitur.33.52.

Proprium.

Velle habere, est radix omnium

malorum in Monasterio.33.2.
Monachi iure nequeunt proprium habere.33.12.
Est essentiale religioso non habere proprium.33.15.

Proximus.

Non maledictis lacessendus. Prol. 91.
De illo malum non leuiter credendum.Prol.90.
Non audienda illius opprobria. Prol.92.
Sicut nos ipsi diligendus.4.8.& 48.
Magis diligenda anima proximi quàm corpus nostrum.4.9.
Diligendus præcipitur à Deo.4.10.
Pro proximo potest quisque pati detrimentum, quod culpa non sit.4.11.
Quomodo intelligendum id, quod tibi fieri non vis,alteri ne feceris. 4.50.
Proximi munus,in tribulatione subuenire.4.79.

Psalmi.

Continent omnem bonæ philosophiæ rationem.9.1.
Qua de causa diuinum officium præcipuè constet ex psalmis.9.2.
Ad illorum finem statuit Damasus dicendum esse,Gloria Patri. 9.6. & 7.
A tempore Damasi cœperunt decantari.9.17.
Eorum recitatio fructuosa.9.17.
Continent totam ferè sacram Scripturam.9.18.
Basilius & Augustinus petebant morte instante sibi psalmos decantari.9.19.
Christus moriturus decãtauit psalmum.9.19.
In ipsis est perfecta orandi formula.9.19.
Qua ratione sex psalmi dicendi pro quolibet nocturno.9.20.11.3.
Quare ad horas diei dicuntur tres tantùm psalmi.17.2.
Ad Vesperam dicuntur quatuor. 17.3.
Psal.118.qua ratione præcipitur primò recitandus.18.1.
Non seruatur ordo psalterij in recitandis psalmis.18.3.
Non omnes psalmi simul inuenti sunt.18.3.
Omnes recitantur per hebdomadam.18.5.

Puer.

Vt puer corripiendus.30.1.
In pretio habendus.30.2.
Illius vera dilectio sita est in eius prudenti castigatione.30.2.
Flagris corripiendus & ieiuniis. 30.3.
Naturaliter simplex.37.1.
A rigore regulæ eximendus.37.4.
Debet admitti in religione.59.4.
Est humilitatis exemplum.59.5.
Olim admittebatur ad professionem per parentum suorum oblationem.59.8.
Est sub patris dominatiua potestate. 59.9.
Sic professo puero nõ remanet spes adeundi paternam hæreditatem. 59.11.
Omnium discipulus debet esse.63.7.

Pulmentum.

Pulmentum, pulmentarium,& pulmamentum, in quo differant. 39.3.
Duo pulmenta assignantur Monachis in regula.39.4.

Q.

Quadrageſima.

QVADRAGESIMAM redoleat vita Monachi.49.1.
Multa requirit in fidelibus obſeruatoribus.49.2.& 3.& 7.
Non ad violentiam, ſed ad pœnitentiam eſt ordinata.49.8.

R.

Regula.

REGVLÆ nomen honorificum. tt. 1.
Eſt quid diuinum.tt.2.
Regula humanarum actionum eſt recta ratio.tt.2.
Regula D.Parentis laudatur à Magno Gregorio. tt.3. & cap. 73.1. & ab Antonino.tt.4.
Eſt primò approbata ab Eccleſia. tt. 29.
Non continet cenſuram excommunicationis, nec præcepta. Prol. 122.
Excludit omnia in Monachis priuilegia.60.3.& 4.
Eius obſeruatio ad perfectionem adducit.73.4.
Ad eius obſeruationem neceſſaria gratia Chriſti.73.11.

Religio.

Indiget approbatione Eccleſiæ. tt. 30.cap.33.67.
Conſtituitur per tria vota ſimplicia. 33.70.
De eius eſſentia non eſt expreſſa emiſſio trium votorum, ſed virtualis ſufficit.§8.23.

Reſponſorium.

Antiquiſſimum in Eccleſia. 9.24.
Quare ſic dicta, & quid ſignificent. 9.25.

Rex.

Non tenetur apparere humilis ſubditis ſuis.7.4.

Rigor.

Neceſſarius ad vitiorum correctionem.Prol.125.
Proficuus ad conſeruationem charitatis.Prol.126.

Riſus, Ridere.

Eſt hominis paſſio illi connaturalis. 4.197.
Datur in præmium his qui flent. 4. 197.
Reprehenditur in ſacra Scriptura.4. 196.
Riſus immoderatus interdicitur. 4. 198.7.61.
Riſus moderatus laudatur.6.12.
Coram Superiore frænandus. 7.60.
De rarò contingentibus eſſe debet. 7.61.
Multi Philoſophi numquam riſere. 4.196.

S.

Sacerdos.

SÆCVLARIS non facilè admittendus in Monaſterio.60.1.
Sæculari Sacerdoti renuncietur Regulæ obſeruatio.60.2.
Sciat ſe nullis gaudere priuilegiis in regulam.60.3.& 4.
Humillimus debet eſſe.60.9.62.4.
Conceditur ei poſt Abbatem ſtare. 60.9.
Tempore D. Parentis Monachi ordinabantur Sacerdotes. 62.1.
Virtutum omnium theſaurus 1, & ſpeculum.62.1.& 2.& 3.
Ad Sacerdotis gradum aſcendendum

dum est scala virtutum. 62. 3.
Nuncupatur Angelus. 62.4.
Antestat Regibus. 62.4.
Retineat locum sui monachatus. 62. 5.
Regulæ legibus sit subditus. 62.6.

Sancti viatores.

Viatores inconcussi permanẽt. Prol. 98.
Sanctorum nomen refugiunt. 4.223.
Suis intercessionibus Deum nobis propitium faciunt. 58.28.
Meliorum aspectu rubent. 73.9. & 10.

Sancti beati.

Eorum reliquiæ apotheca salutis. 4. 77.
Quare Dominico celebrandi cultu. 14.2.
Sunt templa & ornamentum Christi. 14.2.
Sanctis non sacrificamus, sed in illorum cultum victimamus Deo. 14.3.

Sanctitas.

Importat animæ munditiem, & firmitudinem in ea. 4.223.

Sapientia.

Sanctorum à sanctitatis praxi dependet. tr. 5.

Scriptura sacra.

Semper legenda. 4.149.
Ex eius lectione vberrimi fructus. 4.149.
Expellit anxietatem cordis. 4.200.
Est munimen contra peccatum. 4. 200.
Est vita animæ. 4.201.
Est via ad veritatem. 4.201.
Est beatitudinis prælibatio. 9. 27.
Omnium est bonorum scrinium. 9. 28.
Proprius intelligentia necessaria est Patrum doctrina. 9.29.

Secretum.

Non committendum ignoto. 61.1.

Senex.

Adeundus pro cogitationum inuolucris eluendis. 4.184.
In illo est vera sapientia. 4. 186. & 243.
Non annositate, sed maturitate sensus constituitur senex. 4.186.
Venerandus est. 4.244. 63.6.
Ad regimen assumptus tam in humanis quàm in diuinis literis. 4. 245.
Illi germana sanctitas. 4.246.
Curiosè seruiendi. 37.1.
Eximendus à rigore regulæ. 37.4.
Cum iunioribus assistat senex aliquis. 56.5.
Iuniores diligat. 63.9. & 11.

Sepultura.

Sepulturæ tradere mortuorum corpora, est misericordiæ opus. 4. 74.
Sepulturæ tradentes corpora mortuorum, commendantur. 4.75.
De sepultura sua curauere antiqui Patres. 4.76.
Magis viuorum solatiũ, quàm mortuorum subsidium. 4.77.

Septimanarij coquinæ.

Septimanarij coquinæ sint omnes

fratres ordine suo.35.1.
Hoc officium decet magnos viros. 35.3.
Condecet Angelos.35.4.
Ab illo solùm excusantur æger, & vtilioribus occupatus.35.5.
Imbecillibus dentur auxilia.35.7.
Sabbato omnia instrumenta coquinæ lauent.35.8.
Intrantes & exeuntes petant benedictionem.35.10.

Silentium.

Silentium summum in refectorio seruandum.38.8.
Mos silendi in mensa antiquus apud Christianos & Ethnicos. 38. 8. & 9.
Soli Prælato licet in mensa silentium rumpere.38.10.
Quare silendum in refectorio. 38. 11.
Silentium perpetuũ irrationale est, licet in aliquibus laudabile sit. 42.1.
Silentio studendum est.42.2.
Est cultus virtutis.42.2.
Post Completorium non rumpendum.42.5.

Sobrietas.

Est castitas mentis & sensus. 64.17.

Somnus.

Est necessarius ad vitam animalis. 4.145.& 14.6.
Est temporaria mors.4.145.
Multimodè definitur. 4.146.
Repugnat studiositati.4.147.

Somnolentia.

Est filia desidiæ & intemperantiæ. 4.144.
Est insalubris & lethifera.4.145.
Est mater pigritiæ.4.148.

Spes.

Spei diuinæ & humanæ distinctio. 4.157.
In Deo debet poni.4.157.
Spes posita in rebus humanis fundatur in vanitate.4.157.
Obiectum diuinæ spei est beatitudo.4.158.
Non solùm speranda beatitudo est obiectum spei, sed etiam possidenda.4.159.
Inducit ad obseruantiam præceptorum.4.256.
Est peccatorum hominum asylum. 4.257.
Ingerit sperantibus lætitiam & robur.7.41.

Superbia.

Est descensus ad infima.4.134.
Meretur repulsam à regno cœlorum.4.135.
Est signum reproborum.4.135.
Est radix omnium peccatorum.4. 135.
Est appetitus propriæ excellentiæ. 4.221.7.10.
Est detestanda.4.221.
Parit ruinam, & appetit principatum.7.1.
Deo & hominibus odibilis.23.4.

Superbus.

Odibilis omnibus.4.135.
Iudicij æquitatem perdit.4.136.
Est similis diabolo.4.137.

Superfluitas.

Multorum est causa malorum.

T.

Taciturnitas.

TACITVRNITAS prudentiæ filia. 4.190.
Origo bonorum. 6.1.
Est cultus & veneratio virtutum. 6.1.
Est omnis virtus. 6.2.
Maximè colenda est. 6.7.
Monachorum est laus & ornamentum. 7.58.& 59.

Temperantia.

Est virtus diuina. 40.1. ergo potum est sobrietas. 4.3.

Temulentia.

Hominem bestiis peiorem facit. 4.138.

Terra.

Cunctis elementis magis proficua. 4.133.

Timor.

Est initium sapientiæ. Prol. 48.
Ad alliciendum animum timore potentior. 4.166.
Timor inferni ad emendationem proficuus. 4.170.
Signum prædestinati & reprobi, timere, vel non timere ignem inferni. 4.170.
Timor inferni proponitur potentibus. 4.171.
Ad præcepta seruanda proficuus. 5.5.7.13.
Timor seruilis est actus virtutis. 5.7.
Retrahit hominem à peccato. 5.7.
Timor est respectu superioris. 7.10.
Non potest esse in Deo. 7.10.
Nobis necessarius ad cognoscendam Dei voluntatem. 7.12.
Impetrat misericordiam. 72.6.

Vanum.

Idem est quod inane, falsum, ac futile. 4.193. risui aptum. 4.194. & inutile. 4.195.

Verbum Dei.

Est lux vitæ. Prol. 51.

Verbum vanum.

Non loquendum. 4.193.

Veritas.

Est primum ornamentum boni viri. Prol. 86.
Eius nomine omnia virtutum opera comprehenduntur. Prol. 86.
Non est dicenda fine placendi hominibus. 4.39.

Vestimentum.

Est & fomentum, & refrigerium. 4.67.
Est honestas corporis. 4.68.
Monachale non sit molle & superfluum. 34.2.
Est incuitabile. 55.1.
Adamum quare vestiunt Deus vestimento pellicco. 55.3.
Cuculla primum Monachorum vestimentum. 55.4.
Vestimenta monachalia cuculla, tunica, & scapulare, pedules & caligæ. 55. à num. 5.
Non decernitur color illerum. 55.9.

Non

Non sint pretiosa. 55.11.
Non sint latiora. 55.13.
Cùm dantur noua, vetera reddant. 55.14.
Paupertatem redoleant. 55.15.

Versus.

Vnde dictus. 9.21.

Vinolentia.

Origo vitiorum. 4.134.

Vinum.

Temperatè potum salubre. 4.140.
Est præstantissimum pharmacum. 4.140.
Ab illo abstinere proficuum. 40.4.
Non omnibus æqualiter dari. 40.3.

Vita.

Præsens solùm speciem vitæ habet. Prol. 57.
Est prolixa mors. Prol. 58.
Est continuum bellum contra vitia. Prol. 57.
Quare appellata cursus. Prol. 73.
Est mors viuens. 4.175.

Virtus.

Virtus & meritum discernunt inter Monachos. 2.36. & 37.
Virtutes sibi ipsis inuicem seruiunt. 4.2.
Omnis virtus à Deo. 40.1.

Vindicta.

Illam non procurare sacrum. 4.116.
Illam procurare insalubre. 4.117.
Est causa multorum malorum. 4.117.
Relinquenda Deo. 4.117. & 118.
Fugienda vindicta. 4.120.

Vindex.

Nullus suiipsius bonis vindex. 4.121.
Qui vindicatur, victus cadit. 4.122.

Voluntas.

Voluntas propria mala & malisuada. 3.13.7.24.
Odio habenda. 4.214.7.17.
Illius ad bonam voluntatem antithesis. 4.214.
Voluntas non mala quia voluntas, sed quia propria. 4.215.7.17.
Est venenosa herba. 7.24. & 36.
Eius desideria si mala sunt, non complenda. 7.24.
Accipitur aliquando pro vita hominis. 7.24.
Est iniquus Iudex. 7.25.
Sola voluntas punitur in inferno. 7.26.

Voluptas.

Mundana habet asperitatem veram, iucunditatem falsam. 4.89.
Angorem generat. 4.89.
Plus molestiæ continet quàm iucunditatis. 7.18.
Est malorum radix. 7.19.
Facit hominem extra rationem viuentem. 7.20.
Spiritualibus deliciis contraria. 7.22.
Quare appellatur concupiscentia. 7.22.

Votum.

Non peccandi quomodo requira-

tur ad pœnitentiam. 4. 210.
Votum obedientiæ non determinat particularem de diligendo Deo. 5. 23.
Eius transgressores grauiter puniti. 58. 25.

Z.

Zelus.

ZELVS ignis est. 64. 28.
Est vehemens affectus cordis. 64. 28.
Indiscretus vituperandus. 64. 28.
Zeli amaritudinis difficilis curatio. 72. 1.
Zelus bonus aliorum infirmitatem propriam existimat. 72. 4.

Zelotypus.

Quid sit. 64. 28. Cauendus est ibid.

RIJKS- STAATS- BIBLIOTHEEK MUENCHEN

INDEX

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Benedikt

Regula

S.l. [1623]
4 P.lat. 132
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10685694-7